10

10·5·90

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
PROPHETICA
SEU,
CLAVIS
PROPHETIARUM ET TYPORUM
SCRIPTURÆ SACRÆ,

Ex ipſa SCRIPTURA S. & SS. PATRIBUS (aliisque eximiis Doctoribus) ita adornata,
Ut eâ rectè utentes,
Scopulos *Novitatum*, paci & unitati S. Eccleſiæ adverſantium evitare, pedes in via *Veritatis* figere, magnaque de *futuris* S. Eccleſiæ & Mundi nationum rebus arcana in dies intelligere, & in vera quoque *pietate* proficere poſſint:

Studiô & labore

FRANCISCI FÓRIS OTROKOCSI.
Stylô ſanctæ *Paci* & *Unitati* Chriſtianorum promovendæ accommodatô.

2. Petr. 1. ✝. 19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.*

TYRNAVIÆ, Typis Academicis, Anno MDCCV.

BIBL. CAES.

Digitized by Google

Jerem. 23. v. 20. col. ult. (collat. cap. 30. v. ult.)

באחרית הימים תתבונו בה בינה Quod Vulgatus Interp. ſic rectè quoad ſenſum vertit: *In NOVISSIMIS DIEBUS intelligetis conſilium ejus.*

S. *Paulus*, 1. Cor. 14. v. 1.

Sectamini CHARITATEM: æmulamini ſpiritualia; MAGIS autem, ut PROPHETETIS.

S. *Juſtinus Martyr*, Dialog. cum Tryphone, pag. (mihi) 317.

Ὅσα εἶπον καὶ ἐποίησαν οἱ προφῆται, παραβολαῖς καὶ τύποις ἀπεκάλυψαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως τὰ πλεῖστα ὑπὸ πάντων νοηθῆναι, κρύπτοντες τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, ὡς καὶ πονέσαι τοὺς ζητοῦντας εὑρεῖν καὶ μαθεῖν. H. e. *Quæcunq; dixerunt & fecerunt Prophetæ, -- ſimilitudinibus & figuris ea contexerunt, ut non facilè plurima ab omnibus intelligerentur, veritatem in ipſis recondentes, ut LABOREM aliquem ferrent, invenire & aſſequi eam ſtudentes.*

S. *Athanaſius* de Incarnat. Verb. D.

Ad Scripturarum indaginem, verumq; intellectum, opus eſt vitâ probâ, animô purô, & virtute quæ ſecundùm Chriſtum eſt.-- Nam ſine pura mente, & vita Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba.

S. *Gregorius* Magnus Expoſ. Moral. in Job. Lib. 18. cap. 21. (al. 23.) in cap. 28. Job.

Dicta Dei nullatenùs ſine ejus ſapientia penetrantur: niſi enim qui Spiritum ejus acceperit, ejus nullo modô verba cognoſcit.

S. *Hieronymus* Epiſt. 13. ad Paulin.

Niſi aperta fuerint univerſa quæ ſcripta ſunt, ab eo, qui habet clavem David, (qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit,) nullô aliô reſerante pandentur. Idem in Amos 3. *v.* 7. *Clemens & benignus Deus, ſemper ſutura prænunciat.*

Rabbi *Iſaac* Sangar, in Libro Coſri, Part. 1. §. 109.

יעודיה כלם כולל אותם שורש אחד והוא יחול קורבת האלקים ומלאכיו

H. e. *Promiſſiones ejus* (nempe Dei,) *omnes unicô comprehenduntur fundamento; Spe videlicet appropinquationis ad Deum, ejusq; Angelos.*

POTENTISSIMO
REGI REGUM
ET
DOMINO DOMINANTIUM, ÆTERNO DEI FILIO,
AC UNICO MUNDI
REDEMPTORI ET SALVATORI,
DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO;

Ejuſdem minimus & indigniſſimus famulus,
Scriptor hujus Libri,
Gloriam & Laudem humillimè dicit.

Tibi, Salvator mitiſſime, ac Domine miſericordiſſime! ut Summo Paſtori, Rectori, Doctori & Protectori ſancti tui Gregis, exile hoc Opus, in gloriam Nominis tui, & univerſæ Eccleſiæ tuæ bonum, unicè per tui Spiritûs S. gratiam elaboratum, devotiſſimè conſecro, uti à primis quoque ſuis ruderibus tibi intra me erat conſecratum; atque per hoc, ſanctiſſimum tuum Regnum in Orbe terrarum operâ tuorum fidelium (te

Digitized by Google

benedicente) promoveri ex animo intendo. Te itaque unà cum tuo Patre cœleſti & Spiritu tuo Sancto, qui pro conſveta tua in me benignitate, meam in hoc opere perficiendo ſublevâſti infirmitatem, humillima cum gratiarum actione veneror, & ulteriùs etiam me unicè tuæ gratiæ tuæque protectioni in veritate & pietate promovenda, contra quælibet adverſa commendo; ac inſuper ſupplex oro, ut hoc ardentis & ſinceri, pro tua gloria, pro veritate, pietate, & ſancta Chriſtianorum pace animi mei teſtimonium, tuâ benedictione eidem ad uberrimos fructus in populo tuo ferendos, impertiendâ, gratum & acceptum habeas, & inſpires cordibus tuorum fidelium, maximè verò in Specula Eccleſiæ, ac etiam in externa Sublimitate poſitorum, ut ſanctæ *paci* & *unioni* mutuæ laborioſè ſtudeant. Hunc in finem, tu (*a*) *impera ventis & mari* hujus Mundi; tu compeſce tot procellas bellorum internorum & externorum, ut (*b*) *fiat* demùm *pax* & *tranquillitas* in Populo tuo: quâ tui fideles tuîque amantes, tantò quietiùs, tantò liberiùs, tantòque alacriùs poſſint rebus tuis intendere. (*c*) *Adjuva nos Deus ſalutis noſtræ, & propter gloriam nominis tui libera nos* ab omni malo nobis incumbente, *& propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Tua* (*d*) *miſericordia, tua* (*e*) *protectio, &* (*f*) *tua benedictio* ſit *ſuper Populum tuum* ſemper, Amen.

(*a*) *Juxta Matth.* 8, ℣. 26. (*b*) *Pſal.* 121. (*al.* 122.) ℣. 7. (*c*) *Pſal.* 78. (*al.* 79.) ℣. 9. (*d*) *Pſal.* 32. (*al.* 33.) *v. ult.* (*e*) *Pſal.* 90. (*al.* 91.) ℣. 1. (*f*) *Pſal.* 3. ℣. 9.

PER REGEM REGUM
REGNANTI,
AUGUSTISSIMO ET GLORIOSISSIMO
MONARCHÆ
AC DOMINO,
LEOPOLDO,
Dei gratiâ Electo Romanorum
IMPERATORI;
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ REGI, &c. Domino ſuo Clementiſſimo,

Scriptor hujus Libri, æternam precatur felicitatem!

NOtum eſt eruditis, Auguſtiſſime Imperator, Rex & Domine Clementiſſime! *Imperatores, Reges & Principes, & quoſcunq; illuſtres animos, Virorum in* Aſtris *naturaliter contemplandis occupatorum laboribus & obſervationibus delectari; idq; non ſine ratione; cum* Aſtrorum *ſcientia, utpote Scientiarum Mathematicarum, & omnium Philoſophicarum nobiliſſima,* nobiliſſimam *nimirùm &* ampliſſimam (*ut verbis celeberrimi* Gaſſendi (*a*) *utar*) totius Mundi Regionem, Cœleſtem nempe & Sideream *pro objecto ſuo habens, ipſum quoq; magnum Mundi Nationum* Patrem *in Fide & Principem* Abrahamum, (*teſtibus antiquis Gentilium* (*b*) *Hiſtoricis,*) *celebratiſſimum apud Gentiles reddiderit; quam*

††

nec ſan-

(*a*) *In* Procem. *Inſtitut. Aſtronom.* (*b*) *Nicol.* Damaſcen. *apud* Joſephum *Jud. & inde apud* Euſeb. *Præparat. Evang. Lib. 9. cap. 16. item,* Eupolem. *& ex eo Alexand.* Polyhiſt. *dictô Libro apud* Euſeb. *cap. 17.*

Digitized by Google

néc ſanctum Job *ignoràſſe, ex proprio ejuſdem teſtimonio novimus*; *Job.* 9.℣.9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri, *Atq; hinc inſignis quidam Aſtronomus, paucis verbis Aſtronomiam vocat*, (*c*) Patriarcharum & Regum Scientiam. *Tanta ejuſdem Scientiæ nobilitas fecit, quòd (juxta eruditi cujuſdam Aſtronomi teſtimonium)* non (*d*) indignum faſtigio ſuo duxerunt TERRARUM DOMINI, laborantibus ſub tanta mole (*Scientiæ* Aſtrorum *excolendæ & promovendæ*) artificibus auxiliatrices manus porrigere. Ita fecerunt, (*ſubjicit idem*,) Reges Ægypti, Perſarum, Sinenſium, & apud Chriſtianos, Rex Alphonſus, Fridericus II. Daniæ Rex, Imperator RUDOLPHUS *Secundus, & alii.*

Cum hoc probè tenerem, humillimam mihi (Deo authore) ſumſi fiduciam, ut haſce meas Obſervationes Propheticas, titulo Theologiæ Propheticæ, *ſeu*, Clavis Prophetiarum & Typorum Scripturæ Sacræ *inſignitas, VESTRÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATI, demiſſiſſimè offerrem & dedicarem, atq; ſub Auguſtiſſimo ejuſdem Nomine Orbi Chriſtiano communicarem. Si enim* Aſtrorum ſcientia *non eſt indigna, quâ Potentes* Terrarum Domini *delectentur, quamve ſuo favore & patrociniô promoveant*; *multò minùs* Scientia Prophetica (*ex* Prophetiis *nempe &* Typis *ſacris deducta, & in iiſdem explicandis occupata*) *eorundem amore indigna cenſeri debet*; *imò factâ comparatione, longiſſimô intervallo dignior hæc tali amore, & planè digniſſima.* Illa *enim (quâ hactenùs eſt nota) ſolis naturalibus nititur principiis*; Hæc *ſupernaturalibus.* Illa *mutabili & variabili ſuperædificatur fundamento, utpote, humanis* (*e*) obſervationibus eorum quæ in Aſtris apparent, ac Phænomena idcircò vocantur; (*illæ enim obſervationes* (*f*) ſunt germana totius Aſtronomiæ fundamenta, quatenùs factis comparatisq; Obſervationibus pluſculis, confinguntur Hypotheſes, ſupponunturq; Circuli & Orbes, juxta quos moveri Sidera, probabile *tenent Aſtronomi*;) *unde tot ſunt* Hypotheſes *talium* Obſervationum, *quot Sectæ Aſtronomorum*: Hæc *autem fixo & immutabili, utpote,*

(*c*) *Petr.* Crugerus, *in Dedication. Doctrin. Aſtron.* Sphæricæ. (*d*) *Nicol.* Mercator, *in Præfat. ſuarum Inſtitution.* Aſtronom. (*e*) Gaſſend. *in Proœm. Inſtitut.* Aſtronom. (*f*) *Idem ibid. Conf. Nic.* Mercat. *in Proœmio ſuæ* Aſtronomiæ.

utpote, ſanctiſſimo Dei verbo *ſuperſtruitur, & munitur atq; exornatur ceu totidem eximiis fulcris*, *SS.* Patrum *& aliorum Doctorum eruditis expoſitionibus.* Illa *hactenùs ſolius Naturæ corruptæ & cæcutientis rationis viribus excolitur*; Hæc *verò potiſſimùm & primariò cœleſti ac ſupernaturali Spiritûs S. lumine*; *ſine quo nemo unquam* Scripturas *Propheticas & Typicas rectè exponet.* Illius *ope, futura à ratione & actibus liberæ voluntatis Creaturæ dependentia, non niſi ex conjecturis evanidis, & experimentis fallibilibus inveſtigantur*; Hujus *autem adminiculô, ex infallibili Dei Verbo quæruntur, atq; etiam à piiſſimis, fidiſſimis & laborioſiſſimis inquiſitoribus, cum tempore & per partes, juxta liberrimam & ſapientiſſimam Dei de ſuo lumine diſpenſationem, inveniuntur. Cum enim Sancti Dei Prophetæ,* (*g*) quicquid univerſim humano generi eventurum *aliquando* eſſet, *id omne* divinitùs prædixerint, *ut rectè obſervavit olim* Euſebius, *utpote fundatum in eo, quod aliis verbis ſic Propheta* Amos *expreſſit*: (*h*) Non facit Dominus Deus verbum, (*ſeu,* rem *ullam, ex vi vocis Hebr.*) niſi revelaverit ſecretum ſuum ad Servos ſuos Prophetas; (*non obſtante,* quòd *tàm univerſalis, tamque larga prædictio &* revelatio *futurorum, ſub tàm variis & intellectû difficillimis vaticiniorum & figurarum involucris latens, humanæ imbecillitati non facilè pateat*;) *inde certum eſt, omnem ejuſmodi prædictionem in* (*i*) noſtram eruditionem & conſolationem *factam eſſe*; *ac proinde non debent ſemper latére quæ prædicta ſunt, ſed aliquando, etiam ante* (*k*) *plenarium eventum, ab iis de quibus paulò antè dictum eſt, opportunô tempore, quantùm tela malorum prævideri, & pios contra ea muniri ſufficit, invenientur. Præterea*; Illa *eſt ancilla hujus, ut nôrunt eruditi*; Hæc *verò Domina illius, ut & reliquarum Scientiarum lumine naturali cognoſcibilium*: *quæ omnes per hoc veram & ſublimem acquirunt nobilitatem, ſi* Theologiæ, *inprimis* Propheticæ *ancillentur.* Illa *ex ſolis inferioribus (ex actibus nempe & operibus ſenſuum, rationis & induſtriæ humanæ,) huic Scientiæ ancillatur*; Hæc *verò ex ſublimibus &*

 cœleſti-

(*g*) Euſeb. *Præparat. Evang. Lib.* 7. *cap.* 5. τὰ καθόλȣ συμβησόμενα τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει &c. (*h*) Amos 3. ℣. 7. (*i*) *Rom.* 15. ℣. 4. (*k*) *Id patet ex hac* Clavi, *pag.* 9.

cæleſtibus illi decorem addit, dum ejus terminos & objecta materialia, v. gr. (*l*) Arcturum, Orionem, *ipſumq;* Solem *& alia* Sidera, *unà cum* motibus *eorundem &* Signis *apparentibus in iiſdem, non niſi mediante ſenſu viſûs à ratione humana contemplabilia, myſticè (dum oportet) & ſpiritualiter exponit.*

Denique, jucunda quidem eſt menti Scientia Aſtronomica; *at millies atq; millies, imò ineffabili modô jucundior eâ eſt Scientia* Prophetica. Illa *enim per ſe nihil boni perennaturi affert animæ, imò nec curat illud ullô modô;* Hæc *autem æternorum bonorum uberrimâ conſolatione & ſpe certiſſimâ replet piam animam. Imò talis anima, pro præſenti etiam vita, contra qualibet Mundi adverſa, non aliunde prorsùs, ſed ex ſolis hujus Scientiæ fontibus, Divinis nempe Prophetarum & Apoſtolorum Libris, & ex documentis in iiſdem fundatis, poteſt ſibi certiſſimam haurire ſpem & conſolationem, de ſecuturo demùm, poſt varios caſus & tot diſcrimina rerum, optato & felici ſuarum adverſitatum eventu. Documentis enim Propheticis (ac etiam Spiritû Propheticô) largè inſtructus, & non aliter poterat S.* David *dicere illud confidenter:* (*m*) Domine! in virtute tua lætabibur Rex, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer; *ut qui jam & aliàs os Domini ſolebat ſuis in neceſſitatibus* (*n*) *conſulere. Hinc etiam eximius Propheta* Daniel, *in gravi ſervitute Populi Dei, recurrit ad prophetiam* Jeremiæ, *Prophetæ nimirùm ſe vetuſtioris, ex eaq; intellexit propè eſſe, imò adeſſe tempus liberationis Populi Dei ex Babylone. Dan. 9. ℣. 2.* Ego (*inquit*) Daniel intellexi in Libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Jeremiam Prophetam, (*o*) *&c. Ipſe quoq; Dominus Deus per* Iſaiam *ad ſacrum ſuum* Librum *tot prophetiis refertum nos relegat, ut futurum rerum eventum inde inveſtigemus.* (*p*) Requirite (*inquit*) diligenter in LIBRO DOMINI, & legite. *Huc facit etiam exemplum piiſſimi Imperatoris* Theodoſii *Magni; qui (an. D. 383. & ſequ. & iterùm an. 392.) in diverſis anguſtiis conſtitutus, non Aſtrologorum divinationibus, non præſtigiis, non curioſitatibus ullis illicitis eſt uſus; ſed ſpe firmâ in Deo poſitâ, inter ardentes & humillimas preces, ipſum Dei os, ejusq; Spiritum, in ſancto quodam Eremita,* Joanne Ægyptio (*utpote* prophetandi Spiritum *habente*) *conſuluit, ab eoq; rerum ſuarum eventum (cum felici ſucceſſu) quæſivit. Quâ de re fusè S.* (*q*) Auguſtinus, *nec non alii vetuſti Authores, utpote,* (*r*) Ruffinus, (*ſ*) Sozomenus *&* (*s*) Theodoritus *ſcripſerunt; quibus quoad felicem*

(*l*) *Vid. de his* S. Gregorium *in hoc Libro, pag* 213. 214. 215. (*m*) *Pſal.* 20. (*al.* 21.) ℣. 2. (*n*) 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 23. ℣. 9. 10. 11. 12. *collat. ibid. cap* 22. ℣. 5. (*o*) *Scil. Jerem.* 29. ℣. 10. *collat. c.* 25. ℣. 11. (*p*) *Iſa.* 34. ℣. 16. (*q*) *Lib.* 5. *de Civ. Dei, c.* 26. *collat. Lib. de Cura pro mort. ger. c.* 17. (*r*) *Ruff. Hiſt. Lib.* 2. *c.* 32. 33. (*ſ*) *Soz. Hiſt. Eccl. Lib.* 7. *c.* 22. *ed. Val.* (*s*) *Theod. Hiſt. Ecc. Lib.* 5. *cap.* 24.

felicem rerum Theodoſii *ſucceſſum, jungendi ſunt,* (*t*) Oroſius *&* (*u*) Socrates. *Ex eodem autem principio habuiſſe ſanctum illum* Eremitam *à Theodoſio M. conſultum, donum* prophetandi, *ex quo etiam alii quidam habuerunt olim in Eccleſia primitiva,* (*juxta teſtimonia hoc in Libro* (*v*) *adducta,*) *hoc eſt, ex eo, quia ſtudio doctrinæ* Prophetarum & Apoſtolorum *fuit addictus;* (*nec enim alienis ab hoc ſtudio olim in Eccleſia donum verè* prophetandi *fuit divinitùs datum;*) *patet ex eo; quia is ex eorum fuit celebrium* Monachorum Ægypti *numero, & quidem* præcipuus *inter illos, qui in* Chriſtianorum Philoſophia *ſe ſe diligenter exercebant; ut ex* Sozomeno (*x*) *conſtat. Atqui* Philoſophia *illa, à veteribus Chriſtianis fuit dicta ipſa doctrina* Scripturæ ſacræ. *Unde eſt, quòd dum memoratus* Sozomenus *ſacrâ hâc Philoſophiâ* philoſophantes *Monachos ſeu Anachoritas* Ægypti *laudaret, in laudibus unius eorum* (*nomine* Marci,) *tanquam celebris, hoc ponit, quòd is* (*y*) Sacræ Scripturæ Libros memoriâ tenuerit. *Certè* Joannem *etiam illum, à Theodoſio vicibus iteratis per ſuos requiſitum, doctrinâ* Prophetarum & Apoſtolorum *excellenter fuiſſe inſtructum, vel ex eo colligere par eſt, quòd is planè ſpeciali & præclaro illo titulô ſeu elogiô, ſcil.* Servi Dei, *à S.* Auguſtino (*z*) *exornatur.* Sozomenus *autem* (*a*) *non dubitavit eundem* veteribus *Sanctis comparare* Prophetis. *Cum ergo talem Virum piiſſimus* Theodoſius *ſuis in neceſſitatibus cum ſubſecuto eventu optato conſuluerit; non obſcurè poſteris diſcendum reliquit, quanta ſit utilitas* Scientiæ Propheticæ *ad hoc, ut inde pia anima in anguſtiis conſtituta* (*præcipuè publico bono promovendo intenta*) *certam ſpem & conſolationem, contra qualibet adverſa ſe prementia, aut ſibi imminentia haurire poſſit.*

Demùm, ut cœptam comparationem diſparitatis inter Aſtronomiam & Scientiam Propheticam *ad finem perducam; adhuc dico, quòd* Illa, *ut nihil boni perennaturi nihilq; conſolationis ſolidæ confert animæ: ſic neq; de vera Chriſtianorum* pace, *contra tot tamq; hoſtiles animorum diſſenſus promovenda, eſt ſollicita; ut quæ nec poteſt ullô modô in ejus notitiam & media ejuſdem procuranda & promovenda penetrare:* Hæc *verò non ſolùm novit ex ſuis principiis ſacris,* (*Divinis nempe prædictionibus,*) *futuram infallibiliter* (*b*) pacem *& unionem ſanctam aliquando inter Chriſtianos; ſed etiam modum ac media ejuſdem conſequendæ, ex iiſdem ad inſtruendos homines in promptu habet. Sunt autem illa media tria potiſſimùm.* (1.) Cultus juſtitiæ; *juxta illud Iſaiæ:* (*c*) Erit opus JUSTITIÆ PAX, & CULTUS JUSTITIÆ ſilentium, & SECURITAS

 uſque

(*t*) *Oros. Hiſt. Lib.7.c.35.* (*u*) *Socr. Hiſt. Lib.5. c.14. 25.* (*v*) *Pag.4.* (*x*) *Hiſt. Eccl. Lib.6. c. 28.* (*y*) *Cit. Lib. cap.29.* (*z*) *Cit. Lib.5. de Civ. Dei, c. 26.* (*a*) *Cit. Lib. 6. c. 28.* (*b*) *Id patet ex hoc Libro, pag. 151. 253. 344. & 385. collat. pag. 255. 285. 302.* (*c*) *Iſa. 32. ℣. 17. collat. ibid. ℣. 18.*

uſque in ſempiternum. (*Quod apprimè illuſtratur verbis illis S. Auguſtini*: (*d*) Fac JUSTITIAM, & habebis pacem.) *Ubi per* juſtitiam, *generaliùs quidem univerſa vita reformatio, atq; ſic omnium virtutum complexio intelligitur; ſed ſpecialiùs illa virtus* (*ſeu juſtitia* particularis) *inſinuatur, ſecundum quam* (*ex doctrina Juriſtarum*,) jus ſuum cuiq; tribuitur; *juxta illud Jeremiæ*: (*e*) Facite judicium & juſtitiam; *& iſtud Apoſtoli*: (*f*) Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: *&c. ubi potiſſimùm inferiorum erga Superiores obedientia* (*g*) *inculcatur, non obſtante, quòd poſtrema textûs verba latiùs etiam* honorem *unicuiq; eô ſe dignum præſtanti tribuendum in ſe includant. Superiorum autem erga ſuos ſubditos ac inferiores juſtitia, docetur vel maximè exemplô magni Regis in Pſalmo*, (100. *al.* 101.) *qui incipit*: Miſericordiam & judicium cantabo; *inprimis* ℣. 6. *ibid.* Oculi mei ad fideles terræ. *&c. Hæc de primo medio.* (2.) *Alterum medium ſanctæ* pacis *juxta ſacra hujus Scientiæ principia habendæ, eſt* Manſvetudo *ac modeſtia Chriſtianorum tùm in ſibi propinquiores in Fide, tùm in remotiores à ſe per Fidei diſſenſum, imò in quoſcunque, quorum adhuc converſio ſperatur; ut nempe unuſquiſq; effrenatam iram, odium, convitia in alios & ſcommata Diabolica, ſuaq; privatæ gloriæ ſedulum per contentioſas & virulentas Diſputationes & alia id genus aucupium, procul à ſe amandet; ſed modeſtè & pacatâ mente, ſua aliis proponat, ut ſic fiat juxta Iſaiam,* (*h*) fructus labiorum pax; *pariq; cum modeſtia, & animi ſui docilitate alios, inprimis modeſtè ſecum agentes exaudiat. Hinc illud Davidicum*: (*i*) Manſveti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine PACIS. (3.) *Tertium medium eſt, ardens* Studium & *cura dictæ* pacis. *Non enim ad otium, ſed ad ſanctos & ſtrenuos labores* (*k*) *ſancta* pax *datur. Huc ſpectant pia inter fideles colloquia piiq; eorundem Tractatus, de eadem ſancta* pace *& unione Eccleſiaſtica ineunda; quibus convenit illud Salomonis*: (*l*) Qui PACIS ineunt CONSILIA, ſequitur eos GAUDIUM. *Huc ſpectat etiam ſincerus* veritatis *amor & inquiſitio laborioſa. Unde eſt, quòd per Prophetam Zachariam utriusque, ſcilicet,* veritatis *&* pacis *cura conjungitur in inſtructione ad juris & judiciorum adminiſtratores data*: (*m*) Veritatem (*inquit*) & judicium pacis, judicate in portis veſtris. *Ad idem* ſtudium pacis *pertinet vel maximè oratio ardens & indeſinens ad Deum pro eadem ſancta* pace; *juxta illud Pſalmiſtæ*: (*n*) Rogate quæ ad PACEM ſunt Jeruſalem. *Et illud Jeremiæ*: (*o*) Quærite PACEM

(*d*) *Enarrat. in Pſal.* 84. ℣. 10. (*e*) *Jerem.* 22. ℣. 3. ((*f*) *Ad Rom.* 13. ℣. 7. (*g*) *De hac ſcribit* S. Auguſtinus, *Enarr. in Pſal.* 71. ℣ 3. *quòd* Obedientia eſt in hominibus, & in omni rationali creatura OMNIS JUSTITIÆ ORIGO & perfectio. (*h*) *Iſa.* 57. ℣. 19. (*i*) *Pſal.* 36 (*al* 37.) ℣. 11. *Conf. Iſa.* 2. ℣. 4. 5. *& cap.* 29. ℣. 19. *& Mich.* 4. ℣. 3. 4. (*k*) *Pſal.* 33. (*al.* 34.) ℣. 15. *col. ult. collat. ibid.* ℣. 13. (*l*) *Prov.* 12. ℣. 20. (*m*) *Zach.* 8. ℣. 16. (*n*) *Pſal.* 121. (*al.* 122.) ℣. 6. (*o*) *Jerem.* 29. ℣. 7.

Digitized by Google

PACEM Civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci; & ORATE pro ea ad Dominum. *Huc facit etiam illa Apoſtoli inſtructio, quâ nos jubet* (p) orare, pro omnibus in ſublimitate *poſitis, hunc in finem*, ut QUIETAM & TRANQUILLAM vitam agamus in omni pietate.

Hæc ſunt media præcipua, ex principiis Theologiæ Propheticæ *nota, pro ſancta Chriſtianorum* pace *(illis adhibitis) certò conſequenda: quæ (ut dictum,)* Aſtronomia *nec curat, nec curare poteſt. Satis ergò jam patet, quàm longè majori amore & favore Terræ* Dominorum *ac Monarcharum, & quorumlibet in Populo Dei Superiorum ſit digna hæc Scientia* Prophetica, *quàm* Aſtrorum *Scientia; ac per conſequens, me quoq; habuiſſe fundamentum, cui innixus, hoc qualecunq; meum Opuſculum, VESTRÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATI humillimè offerre in animum induxerim.*

Sed erunt fortè, qui habitâ temporis hujus infauſti ratione, mirabuntur, quòd ego fæx hominum, tanto Culmini, tot curis nunc, totq; diſtractionibus (ob ſævientes ubiq; Martis tumultus, & ob creſcentes inde in dies adverſitates) obruto, auſus fuerim hanc Clavem Propheticam *offerre. Sed planè hoc ipſum, quod hic in contrarium à quopiam afferri poſſet, debuit mihi eſſe magnum & validum motivum, ad fidem meam Deo me inſtruenti datam comprobandam, ne ſcilicet à priori illo propoſito, quô inde à primis meæ (pro agnoſcenda S. Matre Rom. Eccleſia) illuminationis, hujusq; Operis rudiori tantùm priùs Minervâ* Oxonii *in* Anglia *concinnati initiis, (ab anno nempe D.* 1691*.) non ſine Divinô inſtinctu (ut eventus præſens tam antiqui propoſiti, contra quaſcunq; viciſſitudines humano conſilio citò ac facilè obſiſtere valentes, eidem propoſito reſpondens docet) hoc Opus VESTRÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATI dedicandum deſtinaveram, recederem. Cum enim certus ſim intra me, ex ejuſdem fonte Divinæ inſtructionis, quâ dicto tempore in rebus Fidei & S. Eccleſiæ ſum illuminatus, deſtinâſſe me hoc Opus (certâ etiam Signaturâ) VESTRÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATI; nullâ ſanè rerum proſperitate poteram magis fidem meam conſultori Deo datam comprobare, quàm hujuſmodi adverſitate. Et hæc adverſitas per ſe, tantò minùs debuit me avertere à dicto propoſito, quantò certior ſum, quòd ex hoc Opere penitiùs penetrato, pia quæq; anima contra quaslibet Mundi adverſitates ſolatium haud mediocre ſibi haurire poteſt. Accedit, quòd cum* Daniel *(q) ſub typo veteris* Jeruſalem, *novæ ac ſpiritualis* Jeruſalem, *h. e.* Eccleſiæ *N. Teſt. poſt ſui varias ſuis in membris ac filiis diſperſis ruinas, triſtesq; rerum ſuarum viciſſitudines, ædificandæ tandem & reſtaurandæ tempus ſic deſcribat, ut operis illius tam eximii partem quandam, ſcilicet initialem & fundamenta-*

(p) 1. Tim. 2. ℣. 1. 2. (q) Cap. 9. ℣. 25.

Digitized by Google

damentalem, figurâ plateæ & muri ſeu foſſæ deſignatam, in anguſtia temporum peragendam eſſe pronunciet; non itaq; aberravi à ſcopo verborum ejus, dum & ego hoc Opus contra tot virulentas de Fide contentiones, tot odioſas Oraculorum Propheticorum per quoſdam detorſiones, totq; ruinas Populi Chriſtiani internas & externas, totum quantum S. Eccleſiæ Catholicæ ac totius Chriſtianitatis bono conſecratum, toties altè titulata VESTRÆ MAJESTATI, in hac anguſtia * temporum demiſſiſſimè offero.

Prætereà, ipſe quoq; Scopus hujus Libri, talem, uti eſt VESTRA SACRATISSIMA MAJESTAS, poſtulat ſibi (poſt Deum) Patronum. Scopus nempe hujus eſt, ut omni injuſtitia & iniquitate paſſim in Mundo graſſante debellatâ, ac omnibus ſanctam Eccleſiæ unitatem turbantibus & impedientibus ad incitas redactis, ſola juſtitia, pietas & veritas in ſancta pace vigeant, floreant & felices faciant progreſſus in Orbe Chriſtiano; ſicq; veri fideles, poſt tot annos tribulationum, tot gemitus, totq; ſua ſuſpiria, læti demùm decantare poſſint illud Pſalmiſtæ: (r) Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, Juſtitia & Pax ſe mutuò oſculatæ ſunt. Quis autem tanto bono ſuis auſpiciis promovendo, poſt Deum in Mundo, poſſit hoc tempore ita par eſſe, ut VESTRA SACRATISSIMA MAJESTAS, utpote Summus inter Reges ac Principes Seculares poſt Deum in his terris juſtitiæ & omnis boni (pro authoritate à Deo ſibi (ſ) data) Patronus, Aſſertor & Propugnator, cujus Imperium jam ab olim, juxta vocem S. Eccleſiæ, (s) prædicando æterni Regni Evangelio fuit divinitùs præparatum?

Quamobrem Auguſtiſſime Imperator! dum exile hoc meum Opus. Studii Prophetici, VESTRÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATI humillimè offero, humillimè etiam oro Eandem V. Majeſtatem, ut dignetur hoc ipſum oblatum clementiſſimè acceptare, acceptatumq; intuitû gloriæ Dei & publici boni S. Eccleſiæ Catholicæ, ſuô patrociniô pro ſua Cæſarea Regiaq; gratia benigniſſimè promovere, ac per hoc me quoq; infimum ſuum Subditum, ad ulteriora etiam pro S. Eccleſia & Republica Chriſtiana ſtrennuè agenda & continuanda incendere, & alacriorem reddere.

Summus ille Monarcha, Univerſiq; Gubernator, Rex Regum & Dominus Dominantium, quem pro VESTRA SACRATISSIMA MAJESTATE, ut (t) Regnorum omnium, & Romani maximè Protectorem Imperii potentiſſimum, Catholica orat Eccleſia, conſervet Eandem diù Orbi Chriſtiano ſuperſtitem unà cum tota ſua Auguſtiſſima Domo Auſtriaca, detq; felicem eidem, omnium ſuarum adverſitatum exitum, in Nominis ſui gloriam, & totius Chriſtianitatis bonum, ſignanter verò, in veritatis, juſtitiæ, pietatis & ſanctæ pacis optatiſſimum in Orbe terrarum progreſſum. Ita vovet ex animo, qui ante olennium, & quod excurrit, poſt ſuum in S. Eccleſiam Catholicam ingreſſum, Romam proficiſcens, ac in conſpectum VESTRÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATIS clementiſſimè admiſſus, ſingularem V. MAJESTATIS gratiam fuit expertus:

Ejuſdem VESTRÆ SACRATISSIMÆ MAJESTATIS

Humillimus & infimus Subditus,

Franciſcus Fóris Otrokocſi.

* Hæc eſt importunitas quædam juxta Apoſtolum, (2. ad Tim. 4. v. 2.) ad prædicandum verbum non prorsùs importuna. (r) Pſalm. 84. (al. 85.) v. 11. (ſ) Rom. 13. v. 1. 4. (s) Sacrament. Rom. Eccl. Lib. 3. ex MS. Vatic. an. D. 1680. Romæ edit. pag. 230. in oratione, Deus qui prædicando æterni Regni Evang. Rom. Imp. præparaſti, &c. (t) Sacrament. Roman. loc. cit. in Orat. Deus, Regnorum omnium, &c.

PRÆ.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

POſt Divinæ vocis oracula, (*a*) *Sermonem Propheticum*, *ut lucernam in caliginoſo loco* lucentem nobis commendantia, donumq; *prophetandi* (*b*) præ aliis donis *ſpiritualibus* nos *æmulari* jubentia, in ſacri laudem *Studii Prophetici*, nihil hîc congruentiùs aptavero', quàm ſi illud *Ptolemæi* Mathematici doctiſſimi, quod ille in encomium Prognoſeos *Aſtronomicæ* protulit, ipſi ablatum, tanquam *Prophetiæ* ſacræ, ejusq; pio Studio, unicè & pleniſſimè competens, in medium attulero. Sic autem illud ſonat: (*c*) Ἐι μὲν πρὸς τὰ τῆς ψυχῆς ἀγαθὰ, τί ἂν ἴη σπȣδαιότερον πρὸς ἐυπραγίαν, ϗ χαρὰν, ϗ ὅλως ἐυαρέςησιν τῆς τοιαύτης προγνώσεως, καθ᾽ ἣν τῶν τε ἀνθρωπίνων, ϗ τῶν θείων γινόμεθα συνορατικοὶ; *Si animi* (inquit) *bona ſpectabimus, quid* † *poterit eſſe optabilius ad felicitatem in rebus gerendis, gaudium & totalem acquieſcentiam, quàm hæc* (de qua loquimur) *futurorum præcognitio, quâ & humanorum & divinorum contemplatores efficimur?* Hanc in rei veritate *felicitatem*, ſola præſtat ſcientia *Prophetica* in timore Domini exculta. Id etiam, quod ibidem de procurando *corporis* meliori per hujuſmodi *prognoſin* ſtatu, ſubjicit, nulli magis ſcientiæ, quàm Propheticæ convenit, ſi dictum illud Theologicè explicetur, de cura ſpirituali. Sed & illud, quod paulò pòſt ibidem refert, penitus ad extollendum ſacræ ſtudium *Prophetiæ* eſt transferendum. Nimirum, poſtquam dixiſſet; *Id quod inopinatum* evenit, *& tumultus mentem turbantes, & gaudia* animos ſuperbè *efferentia ſolet progignere*, mox ſubjicit: Τὸ δὲ προγινώσκειν, ἐθίζει ϗ ῥυθμίζει τὴν ψυχὴν τῇ μελέτῃ τῶν ἀπόντων, ὡς παρόντων, ϗ παρασκευάζει μετ᾽ ἐιρήνης ϗ ἐυςαθείας ἕκαςα τῶν ἐπερχομένων ἀποδέχεσθαι. H. e. *Præviſio autem futurorum, animum componit, & moderatur meditatione abſentium tanquam præſentium, & PRÆPARAT AD EXCIPIENDA QUÆLIBET VENTURA, cum tranquillitate & conſtantia.* Hoc dictum Scientiæ *Propheticæ*, ut ei proprium, accommodatum, planè congruit cum illo Domini Salvatoris monito: (*d*) *Hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Et cum alio ſimili: (*e*) *Ecce prædixi vobis.* Sicut enim tela præviſa minùs nocent; ſic calamitates venturæ, è Scripturis oculô (ut ſic dicam) *Propheticô* præviſæ, minùs dejiciunt animos fidelium, ſed potiùs præparant, excitant & animant ad ſubeunda generosè quælibet adverſa; eò autem magis, quòd eôdem oculô propheticô, non ſolùm mala eventura vident, ſed & lætiſſimum eorum quoad S. Eccleſiam exitum. Atque hæc præconcepta fiducia facit in ipſis, quòd mediô tempore, (uſquedùm benignior aura ſpiret,) omnia patienter tolerent, etiamſi (*f*) *cumbere* (vel *dormire*) *inter tripodes*, quaſi in medio ignium, inque locis fuliginoſis ac fumoſis (Dei gloriâ id exigente)

* volu-

(*a*) 2. Pet. 1. ℣. 19. (*b*) 1. Cor. 14. ℣. 1. collat. ℣. 39. ibid. (*c*) Ptolem. Quadripart. de *Judiciis Aſtror.* Lib. 1. fol. 3. edit. Norimb. An. 1535. † Ex vi vocum ſic: *Quidnam eſſet majori ſtudio* (ſeu *diligentiâ*) *optandum, ſive affectandum.* (*d*) Joan. 16. ℣. 4. (*e*) Matt. 24. ℣. 25. (*f*) Pſalm. 68. juxta text. Hebr. ℣. 14. collatâ verſione *Pagnini*, & Ariæ *Montani*.

volutari debeant. Sciunt enim benè Deum ſuos ubique ſervaturum, & de animabus eorum ita proviſurum, ut etiam medios inter *tripodes* futuri ſint nitentes, ut (*g*) *penna columba tecta argentò*: ſciunt Dominum ſuis affuturum etiam (*h*) *in valle* ſeu *in medio umbra mortis*: ſciunt etiam eum de ſuis electis dixiſſe: (*i*) *Ex Baſan reducam; reducam de profundis maris*: juxta Hebræum Pſalmi textum. Atque hæc quidem de Studio *Prophetico*, pertinent ad ipſam animæ contra quælibet adverſa conſolationem.

Si autem uberrimâ profundioris jucunditate ſcientiæ vel ſapientiæ, cuipiam animum paſcere & oblectare placet; nullam huic, vel profunditate vel jucunditate, in omni ſcientiarum genere parem inveniet. (Lege vel ſolum hunc Librum (*k*) cum debita attentione, non habebis ullam de hoc dicto dubitandi rationem veram.) Hæc ſola eſt, (ſi ritè excolatur,) quæ animum à Mundi vanitatibus abſtrahit, & ſoli Deo, ejusq; rebus adhærere facit, ac per hoc animum ineffabili gaudio replet, quò ſincerus hujus ſcientiæ amator in hanc exclamationem erumpat: (*l*) *Quàm dulcia ſunt palato meo* (ſeu *faucibus meis*) *eloquia tua, ſuper mel ori meo!* Hæc ſola eſt, quæ artibus & ſcientiis aliis, (ſuis nempe ancillis & pediſequis) in ſuî miniſterium ita utitur, ut etiam perfectiores reddat eas cum tempore, & à vanitatibus atq; tenebris humanæ mentis repurgatas, tandem in veris Dei cultoribus eaſdem tanquam filias ſibi adoptet. Hæc ſola rectè demùm edocebit, cur homines tanta cum diligentia, tantoque etiam ingeniorum conflictu, rerum *naturas* in *Philoſophia* rimentur: cur *Medicina* vel *Jurisprudentia* excolendæ tàm ardens adhibeant certatim ſtudium: cur item, in ſcientiis Naturalibus, ac præſertim in *Aſtronomia*, nova ac nova in dies hominibus pateſiant, & labentibus ſeculis, homines in contemplandis ratione naturali Dei operibus, inprimis in ſublimi ſuſpenſis, diligentiores, oculatiores & perfectiores fieri geſtiant? Hæc ſola eſt certè, quæ omnium illorum ſtudiorum medullam, ſoliditatem, & veram tandem utilitatem deteget. Hæc ſola eſt, quæ omnia fabularum & figmentorum Judaicorum, Muhammedanorum & Gentilium arcana, à Satana in illis Deo permittente & gubernante, ſubtiliſſimâ & doloſiſſimâ arte recondita, cum tempore denudabit, & Satanam hujuſmodi ſuis armis ſpoliabit.

Cum igitur tanta ſit excellentia Scientiæ *Prophetica*; Dei immenſam adoro bonitatem, quòd etſi inde ab adoleſcentia, bonis omnibus ſtudiis multùm delectarer, creſcente tamen cum ætate dietim judició, ſingulari quodam modó huic ipſe meum ſtudio animum ita agglutinavit, ut dum (poſt Scripturam & unà cum Scriptura S.) Venerandam ſubinde volverem & ſcrutarer Antiquitatem, pro *Veritate* inter tot contentiones magis atq; magis eruenda & in pectore meo figenda; ſemper principalem (ex ejuſdem directione) ſcopum hunc intra me habere debuerim, ut *Prophetia* & Typi Scripturæ ſacræ per meas illas lectiones & ſcrutationes, magis ac magis in dies mihi clareſcerent, & per hoc Eccleſiæ etiam Dei ſtatus paulatim mihi notior evaderet. Atq; hanc in rem, ſubinde certas quaſdam *Obſervationes*, in progreſſu ſacrorum meorum laborum vicibus diverſis mihi occurrentes, futuroq; tandem uſui inſervientes, velut totidem *Regulas*, carptim atque raptim hîc atque illic pro occaſione, inde ab an. D. 1689. obiter notare cœpi: quibus in dies, præſertim in mea peregrinatione (juxta ſapientiſſimam Dei rerum mearum gubernationem) tertiâ vice ad oras *Oceani* maritimas ſuſcepta, ex continuata diligenter *Scriptura* ſacræ & SS. Patrum lectione, aliæ atq; aliæ, aut ſaltem priores pleniùs conceptæ acceſſerunt. Quas deinde in dicta

(*g*) Loc. cit. (*h*) Pſal. 23. (al. 22.) ℣. 4. (*i*) Pſal. 68. (juxt. Hebr.) ℣. 23. (*k*) Vide Præcognit. cap. 1. §. XV. pag. 10. 11. & ea, quæ occaſione *Regul.* 1. 2. 3. ac præſertim 4. Claſſ. ada in hoc Libro traduntur. (*l*) Pſalm. 118. (al. 119.) ℣. 103.

dictâ peregrinatione, *Oxonii* in Anglia conſtitutus, an. D. 1691. [illô nimirùm tempore, quô in dies divinitùs in pectore inſtruebar de S. *Romana* Eccleſia pro Matre agnoſcenda & veneranda,] modô & ordine ſuô in unum collegi; ſeu quod idem eſt, hoc ipſum Opus breviùs & rudiori quâdam Minervâ deſcripſi. Quod ubi & quando demùm in hanc formam cultiorem redegerim, infra pleniùs dicetur. Erat autem mihi *Oxonii* ratio validiſſima & planè urgens ſcribendi hanc *Clavem Propheticam*; inſtinctus nempe ille Divinus, quô interne ſollicitabar, ut deſertâ Sectâ *Proteſtantium*, utpote inaniter, ſine ullo vero effectu, *Reformationem* Eccleſiæ Dei ſibi arrogantium, S. *Romanæ* Eccleſiæ me adjungerem; (quam rem uberiùs in *Examine* decantatæ illius *Reformationis*, cap. 1. enarro:) & quidem tanta cum delectatione animi, tantaq; cum alacritate ad hoc præſens Opus tunc impellebar, ut cum hoc circa initia Martii inchoaverim, demùm ſub finem Aprilis, ac præcipuè die 1. Maji (dicti anni 1691.) rudiori illâ, quâ jam dixi, Minervâ, abſolverim. Hoc autem tantò majori cum diligentia & feſtinatione (moderatâ) agere debui, quantò validiori ſtimulô ſtatim poſt inchoatum hoc Opus urgebar intùs ſubinde, ut modis omnibus ita me præparem, ut validis argumentis contra decantatam *Reformationem* munitus, S. Romanæ Eccleſiæ ſuo tempore me adjungam. Ut ergò clariùs atq; clariùs in dies ex Scripturis Propheticis viderem, tum res S. Eccleſiæ unitatem ſervantis, tum etiam horrendam Populi Chriſtiani ſciſſionem in varias partes; debui hunc in finem maximè & primariò circa *Prophetiarum* & *typorum* ſenſum rectè intelligendum ſollicitus eſſe. Nec enim ullâ aliâ viâ meliùs, faciliùs, accuratiùs & certiùs (quantum ad me,) inter tot diſſenſiones virulentas, planam viam veritatis, ſtatumq; S. Eccleſiæ noſcere, quàm ex diligenti *Prophetiarum* & *Typorum* ſcrutatione poteram. Certò enim mihi perſvaſum habebam, (id quod nemo ſanæ mentis negare poteſt,) tum res S. *Eccleſiæ* parte ab una, tùm verò varias *Sectas* & diſſenſiones Fidei, ejus unitatem ſcindentes parte ab altera, in prædictionibus *propheticis* & *typicis*, (expoſitione & documentis SS. *Patrum* illuſtrandis,) tanquam in ſecretiori quodam & artificioſiſſimo ſpeculo, ab omni eo, qui huic ſtudio debitam in timore Domini diligentiam adhibuerit, poſſe videri, & in dies clariùs & clariùs dignoſci, ac per hoc rectum de his ferri judicium. Atq; hoc ſtudium me plurimùm juvit, in *Examine* etiam dictæ *Reformationis* inſtituendo, animumq; in eadem cauſa reſolutiſſimum mihi dedit; eò quòd vidi ex memoratis prædictionibus diligentiùs quàm antea expenſis, nec *Antichriſtum* illum magnum, [cujus adventus & perſonæ perſvaſio, à *Proteſtantibus* hauſta, me maximè inter eoſdem olim detinuerat,] hactenùs veniſſe, neq; etiam dictos *Proteſtantes*, vel eorum Majores, veram & genuinam *Reformationem*, Prophetiis ac Typis ſacris conſonam feciſſe; & per hoc eoſdem in ſpecioſo ſuo adverſùs *Romanam* Eccleſiam à ſe deſertam prætextu, cauſâ ſuâ evidentiſſimè cecidiſſe. Habebam itaq; urgentiſſimam *Oxonii* rationem, ob quam (penes celeberrimam ejus loci Bibliothecam) huic Studio *Prophetico* concinnando ſtrenuam adhiberem operam.

Poſtquam rudiori illâ priori Minervâ formâq; breviori hoc præſens Opus elaboraſſem, fuiſſetque mihi animus, ſi Deo ita placuiſſet, hoc ipſum in priori ſua forma medios inter *Proteſtantes* in lucem edere, ut per hoc etiam teſtarer, me jam tunc quoq; tenuiſſe, ipſos longiſſimè diſtare à vera *Reformatione*; (quod paſſim ex hoc Libro, & præſertim ex verbis meis ſub Regula *octava* Claſſis *Secunda* poſitis, perſpicue intelligere poterant;) hunc in finem, poſtquam ex *Anglia* redii in *Belgium*, communicavi hoc ipſum an. D. 1692. ad legendum & expendendum, cum quibuſdam præcipuis

Amicis, magnis nempe Profeſſoribus in Academia Friſiorum *Franequerana*, famâ & eruditione inter ſuos celeberrimis; qui quale tunc de hoc (juxta priſtinam ejus formam, cum præſenti in eſſentialibus convenientem) tulerint judicium, & qualiter erga hoc fuerint affecti; ex ipſorum teſtimoniis, propriâ eorundem manû exaratis, quæ in hunc usq; diem apud me ſervo, cognoſci poteſt. Quoniam verò non dubito fore viros doctos, qui avidè ipſorum illud judicium ſcire vellent; en ex memoratis eorundem genuinis Scriptis, fideliter hîc publicæ luci trado. Sic autem unus eorum ad me ſcripſit:

Vidi Venerande Vir & Frater in Christo J. Lectiſſime, perluſtraviq; Clavem *illam tuam* Propheticam, *imò nonnullas partes attentô perlegi animo. Nondum quidem me habes in omnibus tibi conſentientem; laudo tamen propoſitum, inſignem doctrinam & induſtriam; multumq; emolumenti hoſce labores Eccleſiæ præſtituros non dubito. Vale in Domino.*

Reverentiæ Tuæ Dediti ſſimus,

J. V. Waeyen,

Franekeræ, prid.
Non. Maji, CIↃIↃCXCII.

Quòd ſcribit in his (pro illius temporis ſtatu meo) Cl. D. *Joannes Vander Waeyen*, me *nondum habere* ipſum *in omnibus* mihi *conſentientem*; id non eſt mirum: manifeſtè enim jam tunc legere hîc potuit illud ſuæ ſententiæ contrarium, quod & ex verbis ac colloquiis meis cum ipſo anteà habitis ſcire poterat; videlicet, *Antichriſtum* illum magnum nondum veniſſe; imò palpabilem quoq; defectum decantatæ ipſorum *Reformationis* à me expreſſum hîc legere poterat. At ſi *nondum* tunc *habui*, faxit Deus, ut in poſterùm, (ſi adhuc in vivis eſt,) habeam eum in doctrina & ſcopo hujus Libri mecum *conſentientem*.

Alter autem Vir Clariſſimus, (ſcil. D. *Campegius Vitringa*,) hæc de hac *Clavi* ad me dedit:

Venerando, Doctiſſimoq; Viro, Franciſco Fóris Otrokocſi,
S. P. D. C. Vitringa.

Librum tuum Vir Venerande, quem CLAVEM PROPHETICAM *inſcripſiſti*, legi. *Adverti autem Te in eo componendo adhibuiſſe admirandam diligentiam, præclaram eruditionem, & inſignem Verbi Divini peritiam. Fervidiſſimi præterea ſtudii tui erga Divinam gloriam, reverentiæ & amoris erga Veritatem,* (m) σωφροσύνης, *modeſtiæ,* τῆς (n) δὲ πληροφορίας τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐλπίδος σου, *luculenta per univerſum hoc Scriptum tuum diſſeminata ſunt* κριτήρια, *iisq; nominibus id mihi acceptiſſimum & ſingulari voluptati & ædificationi fuiſſe, lubens profiteor. Nec propterea tamen, Vir Reverende, omnes tuas hypotheſes hôc Libro aſſertas adſtructasq; admitto. Patrum quidem pleraſq; auctoritatibus à te munitas; at è Scripturis ipſis tantâ evidentiâ, quantam ego requiro, non demonſtratas. Quin, etiamſi doctis, exercitatis & ſanctis Viris, in quibus Tu à me haberis, magna indulgeri poſſit, & à me facilè indulgeatur libertas in explicando Verbo Prophetico; & etiamſi hæc ipſa pleraq; Tua, variis conſita margaritis, digniſſima judicem,*

(m) *Sobrietatis animi, ſeu prudentiæ*, juxta Act. 26. ℣. 25. coll. Rom. 12. ℣. 3. (n) *Plenitudinis fidei & ſpei tuæ.* Vid. Heb. 10. ℣. 22.

dicem, quæ expendantur ab hominibus (o) πνευματικοῖς, τοῖς διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχουσι πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, *neſcio tamen, an noſtrum hoc ſeculum,* [*quod non modò refertiſſimum eſt* (p) ἐμπαίκταις, *qui veritates, Propheticas irreverenter irrident, verùm &* (q) κνηθομένοις τὴν ἀκοὴν, *qui aquilinis oculis ruſpantur* τὰ παράδοξα *liberiorum illarum interpretationum Propheticarum, quæ ab aliquot annis in Eccleſia cœperunt evulgari, quiq; eas* (r) στρεβλοῦσι *in laudatiſſimi hujus Studii contemptum,*] *hunc Tuum Tractatum cum æquabili illo fructu & gratiâ, qualem Tibi de aliis Tuis Scriptis meritò polliceris, ſit recepturum. Tu tamen age, ut Tibi viſum fuerit in Domino. Ego remoram non pono, nec meo judicio Te nimiùm confidere velim. Spiritus Domini Jeſu ſit porrò cum ſpiritu Tuo, Amen. Vale.* Dabam *Franekeræ, MDC. XCII. Id. Octobr.*

Poſtquam tale judicium de *Clavi* mea *Prophetica* in priori ſua forma conſiderata, præſcriptus Cl. D. *Vitringa*, ſcripto-tenùs tuliſſet, quô ex parte approbat eam, & ex parte adverſari ei videtur; mox paucis inde diebus elapſis, ſcil. die 26. Octobr. ſtyl. vet. dicto anno 1692. acceſſi ipſum, eumq; amiciſſimè & confidentiſſimè interrogavi: *Quænam eſſent illa Principia in mea Clavi, quæ ipſi diſplicerent?* [Intellexi autem per *Principia*, ipſa Axiomata fundamentalia hujus Libri, ſeu *Regulas* in totum numero 49. cum *Obſervatione* quadam de *geſtis Chriſti* Domini, vicem quaſi *quinquageſimæ* Regulæ explente, in *tres Claſſes* diſtributas; in quibus tanquam ſuis baſibus ſeu columnis hoc opus eſt ſuperſtructum, & quæ in præſenti quoq; forma, alioquî priori pluſquam altero tantô ſeu duplo, in explicationibus, illuſtrationibus & confirmationibus dictarum *Regularum* auctiori, & multò cultiori ac limatiori, eædem prorsùs ſunt re, & ſenſû, imò ut plurimùm etiam ſtylo ac verbis, quæ fuerunt in priori ſua forma à Cl. D. Camp. *Vitringa* (& altero D. paulò antè nominato) viſæ & lectæ: ut ipſum antiquum meum MS. fideliter à me in hunc usq; diem aſſervatum, perſpicuè teſtatur.] Reſpondit ille „directè: *Principia mea omnia* ſibi *placere; ſed eſſe hypotheſes quaſdam, imò multas* „(inquiebat,) in Libro illo circa *Principia* (ſeu axiomata) illa à me *poſitas, quæ* ipſi *non placent.* (Ita videlicet, etiam in ſuo judicio literis exaratô, non *Principia* mea, ſed ſolummodò *Hypotheſes pleraſq;* meas, ſine ſpecificatione, cenſoriâ virgulâ notat.) Cum verò urgerem modeſtè, ut mihi illas *hypotheſes* ſibi in meo opere *non placentes* indicaret; ne minimo quidem verbo attigit meas illas poſitiones, quibus admiſſis, ipſorum decantata *Reformatio* neceſſariò ruit: ut quæ habentur ſub *Regulis* 7ma & 8va *Secunda* Claſſis. Inprimis ſub dicta *Regula Octava*, Paragr. II. ſtylô ſtatui meo illius „temporis accommodatô, vidit ſequentia: *Duo præcipua ex hac* Regula *nobis ultrò ſe* „*offerunt obſervanda.* (1.) *Ne nobis multùm gratulemur, ne dicam adulemur, (inprimis* „*cum deſpectu aliorum,) quaſi jam nos benè eſſemus repurgati. Certè qui ſic judicat, mul-* „*tùm ille fallitur, & minùs quàm par eſt, de ampliſſimis Dei promiſſionibus, in Eccleſia de-* „*hinc implendis, ſentit. Quoad usq; non habemus* (ſ) Pacis Epiſcopos, *Eccleſiam nempe,* „*cum pace, charitate & Spiritû manſuetudinis, tum in principio, tum in progreſſu ſui ope-* „*ris reformantes, atq; eandem in Eccleſia pacem modis omnibus ſervandam inculcantes,*

„*horum-*

(o) H. e. *Spiritualibus,* (juxta 1. Cor. 2. ℣. 15. & Gal. 6. ℣. 1.) *qui propter conſuetudinem.* (ſeu *habitum,*) *exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni ac mali*: juxt. Hebr. 5. ℣. 14. (p) *Illuſoribus*; juxta 2. Pet. 3. ℣. 3. collat. Judæ Epiſt. ℣. 18. (q) H. e. *Prurientibus auditû*, ſeu *auribus*. 2. Tim. 4. ℣. 3. (r) H. e. *pervertunt*, ſeu *depravant.* Reſpicit nempe ad locum, 2. Pet. 3. ℣. 16. (ſ) Iſa. 60. ℣. 17.

,,*horumq; comites' individuos*, juſtitiæ *miniſtros, ut non tantùm ſcientiæ, (ne dicam conten-*
,,*tioſæ diſputationis,) ſed etiam, & quidem præcipuè, charitatis in Deum & proximum,*
,,*hominum pectoribus implantandæ, & juſtitiæ exercendæ habeatur ratio, eò usq;* NON
,,*POSSUMUS dicere*, *NOS VERE ESSE REFORMATOS.* (2.) *Ne Eccleſiam Dei ita*
,,*intra nos includamus, ut de aliis Regionibus*, (*extra* Proteſtantium *pomœria*,) *in quibus*
,,*adhuc verbum Dei prædicatur, ſic ſentiremus, quaſi Deus eas penitùs deſeruiſſet, & nos*
,,*ſolos* † *vellet beare ulteriori Evangelii luce. Sicut non rarò pleriq; noſtrûm perperàm ita*
,,*ſentiunt. Me quod attinet; fateor me aliquando ex meris præjudiciis diù ita ſenſiſſe, &*
,,*putâſſe, adhuc nuper etiam*, Antichriſtum *illum magnum*, κατ' ἐξοχὴν (*in diſtincti-*
,,*one ad multos Antichriſtos) ſic dictum, & poſt Scripturam, à Sanctis Patribus, adeò (cum*
,,*horrore nominis ejus) celebratum, jam dudum veniſſe: nec puto quempiam meæ ætatis*
,,*ac ſortis, vel ferventiorem me in hac cauſâ, (ſervatâ tamen modeſtiâ,) vel verſatiorem*
,,*(abſit jactantia dicto) in Scriptis aliorum hac de re fuiſſe. At jam mihi verbum Dei*,
,,*(vel ſolùm apud Ezechielem*, [*ut alia taceam*,] *cap.* 38. & 39. *de* Gogo & Magogo
,,*in omnibus partibus diligenter excuſſum, & cum Apoc. cap.* 20. ℣. 7. 8. *collatum*,) *longè*
aliud ſuadet. Hæc in priori meæ *Clavis* forma. [Quæ tanquam exigua priùs veritatis ſemina, quomodò deinceps ſucceſſu temporum ſint aucta, & in aliam ac meliorem formam redacta, (uti & Auctor ipſe in dies crevit & creſcit [in gratia cœleſti,) ipſa præſentis hujus Operis inſpectio ſub citata *Reg. octava*, Claſſ. 2. §. II. III. & IV. (ſ) Lectorem docebit. Atq; contra hæc quidem citata, adeò nihil prorsùs difficultatis movit toties memoratus D. *Vitringa*, ut potiùs dixerit mihi jam anteà apertè, ſe *non credere, Antichriſtum illum magnum adhuc veniſſe.* Quæ autem ipſe indicavit, ſibi in mea *Clavi non placere*, illa omnia talia ſunt, quæ ipſe in alio, vel ſe Judice teſte, ſalvâ pace cum illo, ſalvóq; principali hujus Libri ſcopo, procul dubio toleraret; videlicet hæc ſequentia: (1.) Doctrinam de *Reſtitutione omnium* ſub *Regula* 32da Claſſis *Secundæ* à me traditam & explicatam: quam quia tùm argumentis *Scripturariis*, tùm etiam teſtimoniis *Doctorum* S. Eccleſiæ, fusè in hoc Libro, (& quidem pleniùs ac enucleatiùs in præſenti forma auctiori & emendatiori,) munitam dedimus; ideò pium Lectorem, & candidum veritatis inquiſitorem, de hoc ejuſdem ſcrupulo, ad citatam *Regulam*, * & munimenta eidem ſubnexa transmittimus. (2.) Objecit mihi id, quod in *Clavi* mea, juxta priorem ejus formam, poſt *Regulam* 33tiam, occaſione tractatûs de magno *Cometa*, legit in hæc verba: *Niſi fortè dicas, in magnitudine Mithridatis externâ, ſicut & in Cyri vel Alexandri potentia, quodam modô, (Diabolô quidem Simiam Dei agente, ſed Deo omnia in ſuum finem ſapientiſſimè etiam à longinquo diſponente) Chriſti immenſam magnitudinem & potentiam futuram inter homines, fuiſſe ADUMBRATAM.* Quæ verba, quomodo jam nunc paulò aliter, ſed in eundem ſenſum mutaverim, ac ſolius *Cyri* nomine expreſsè poſitô, meam ſententiam de eodem *Cyro*, verbis S. *Hieronymi* expreſſerim; hic Liber attentum Lectorem, in *Marginalibus* Notis, Claſſ. 2. Cap. 13. ad §. IV. † docebit. (3.) Cognatum huic ſcrupulum ſeu diſſenſum ſuum in-
,,dicavit de *Poëtarum* Gentilium fabulis ſive figmentis, dicendo: Non placere ipſi,
,,quòd ego putem, *Poëtarum etiam figmenta*, umbras eſſe futurorum. Unde hoc hauſit, & quæ ſit hac in parte mea ſententia, Lector cognoſcet, ſi legat hujus Libri Claſſ. 1. Cap. 2. §. 23. & Claſſ. 2. Cap. 9. §. 13. ſub fin. [Imò viderat hujus etiam *Præfationis* particulam aliquam in ſuperioribus, in laude hujus ſtudii poſitam; ubi in eundem ſenſum quædam lineolæ habentur.] Id omne autem, quod de vetuſtis *Gentilium fabulis*
celebra-

† Subintelligendum dabam hic illud: *& noſtrî (pro illo ſtatu) ſimiles futuros.* (ſ) Pag. 151. 152. 153. * Pag. 254. & ſeqq. usq; ad p. 302. ‡ Pag. 395.

Digitized by Google

celebratiſſimis, (ut, quæ ſunt de *Jove*, *Saturno*, aliiſque,) in allegatis locis ſtatuo, eas nempe *habere fumoſam aliquam umbram futurorum*, ex præeuntibus ac prælucentibus mihi SS. Patribus (congruentiſſimè ad Divinam gubernationem id tenentibus) accepi. Quis enim venerandæ Antiquitatis peritus ignorat, jam inde à tempore Apoſtolorum ævo proximo, S. *Juſtinum* Martyrem pauló aliis verbis id ipſum docuiſſe? Idem enim eſt à parte rei, dum docet, (*u*) quòd, cum *Chriſtum ex Virgine natum eſſe prædicamus, commune hoc eſt* Chriſtianis cum Gentibus *propter Perſeum*, quem ſcilicet Poëtæ fabulati ſunt ex *Virgine Danaë*, Acriſii filia, (fictum *Jovis* aureum imbrem ſeu rorem in ſe recipiente) fuiſſe natum. Et pauló poſt ſubjicit, de geſtis Chriſti, (*v*) quòd φθάσαντές τινες, *PRÆOCCUPANTES quidam inſtinctû malorum geniorum, per POETAS, iſta perinde atq; jam facta eſſent*, μυθοποιήσαντες ἔφησαν, *FABULIS compoſitis incluſa retulerunt.* Et alibi etiam expreſsè ſcribit: (*x*) Ὅταν—ἐκ παρθένου γεγενῆσθαι τὸν Περσέα ἀκούσω, καὶ τοῦτο μεμιμῆσθαι τὸν πλάνον Ὄφιν συνίημι. H. e. *Cum—Perſeum è Virgine prognatum audio, etiam hoc ipſum IMITATUM* (ſeu, *æmulatum*) *eſſe ſeductorem Serpentem intelligo.* Idem eundem D. Salvatorem, nunc *Æſculapio*, (*y*) ob variorum curationes morborum & mortuos ſuſcitatos, nunc (*z*) *Mercurio*, nunc (*a*) *Herculi* ob alias rationes, ex dicto jam fundamento, confert, ſeu potiùs opponit. Imò & *Baptiſmi* (*b*) Chriſtianorum, atq; etiam Sacramenti (*c*) *Eucharistiæ*, arte Satanæ, ut Simiæ Dei, umbram quandam fuiſſe olim apud Gentes, non obſcurè tradit. Ex eodem hoc fundamento, à SS. Doctoribus accepto, fecit olim etiam *Conſtantinus* Magnus, (*d*) quòd verſus quoſdam *Virgilii*, ex ejus *Ecloga* quarta, rebus & Regno Chriſti in Eccleſia Novi Teſt. applicat; & ſpecialiter verſum illum: *Jam nova progenies cælo demittitur alto*; de *nova* Chriſtiani populi *progenie* ac *ſucceſſione* intelligit. Præterea, non eſt ignotum eruditis, quòd veteres Doctores, etiam (*e*) *Reſurrectionis* & (*f*) *Judicii futuri*, imò & (*g*) *Terræ* viventium, futuræq; (*h*) *felicitatis* bonorum, & *ſupplicii* malorum, umbram quandam ſeu obſcura quædam delineamenta, quæſiverunt in fumoſis & fabuloſis Scriptis Gentilium, atque etiam detexerunt. Non erat ergo, neque eſt cuipiam ulla ratio, ex eo detrahendi operi meo, quòd de Gentilium *fabulis* id paucis hîc expreſſerim, quod in veterum magni nominis Ducum Eccleſiæ Chriſtianæ (ad rem de *fabulis* illis diſcurrentium) monumentis tam perſpicuè fundatum invenio. (4.) Objecit etiam contra *Regulam primam* Claſſis *ſecundæ*, de *latitudine* ſenſûs *Prophetiarum* & *Typorum*; non quidem directè eam petens; (nam aliis verbis dixit illam ſe approbare;) ſed quandam ejus illuſtrationem & confirmationem impugnans; hanc videlicet: (*i*) *Si quis contrarium hîc vellet ſtatuere, ego peterem modeſtè ab illo, ut vel unicam integram* Prophetiæ *vel* Typi *ſeriem mihi monſtraret, de qua „dici poſſet, ita eam omnibus jam numeris, & quoad omnem verborum ejus emphaſin, „eſſe impletam, ut etiam ingenioſiſſimi & ſolertiſſimi Scripturarum ſcrutatores, nihil amplius in ea reperiant, quod in poſterum poſſet ac deberet aliquò ſensû impleri?* Sed quia hæc ejus impugnatio, ſeu dicam potiùs, contradictio verbalis, nullà prorsùs ſolidà nitebatur ratione, neq; etiam ullus *Prophetiæ* vel *Typi* locus monſtratus eſt ab eo, qui ſententi-

(*u*) Apolog. 2. pro Chriſtian. pag. (mihi) 68. (*v*) Ibid. & confer pag. 89. in ead. Apolog. (*x*) Dial. cum Tryphon. p. (mihi) 297. (*y*) Apol. 2. p. 68. & 90. (*z*) Ibid. p. 67. (*a*) Ibid. p. 90. (*b*) Cit. Apol. 2. pag. 94. & 95. (*c*) Ibid. p. 98. (*d*) Oration. ad Sanctor. Cœtum, cap. 19. & 20. (*e*) Vid. Euſeb. (ex Platone) Præparat. Evang. Lib. 11. Cap. 33. 35. collat. S. Auguſt. de Civ. Dei Lib. 22. cap. 28. (*f*) Euſeb. cit. Lib. 11. cap. 35. & 38. (*g*) Ibid. cap. 37. (*h*) Ibid. cap. 38. collat. Auguſt. de Civ. Dei, Lib. 22. cap. 27. (*i*) Regul. 1. Claſſ. 2. Cap. 1. §. V. pag. 58.

ſententiam à me poſitam evertiſſet; ideò hoc ſaltem hac in parte ei (ſi vivit,) vel cuipiam alteri ejuſdem cum eo mentis, conſulo, ut dictam *Regulam* in præſenti forma pleniori & diſtinctiori, cum integra ejuſdem illuſtratione & confirmatione, ut & cum proximè ſequentibus tribus *Regulis*, attentè iterùm atque iterum evolvat, ac tandem experiatur, (ſed cum juſta temporis mora, non autem præcipitanter,) an contra eandem *Regulam*, ac memoratam ejuſdem confirmationem, (in ipſa Scriptura S. & SS. Patribus fundatam) poſſit aliquid ſolidi invenire: quod ſanè nunquam metuo. Inconcuſsè ſtat illud, quod ſub dicta *Regula* prima, §. XV. pag. 68. ex verbo Dei, trado his „verbis: *Conſummatio profundiſſimi* myſterii Dei *in prophetiis ac typis latentis, hoc eſt*, „*PLENISSIMA impletio & detectio omnium* prophetiarum *ac* typorum, *ultimis* „*temporibus reſervata eſt*; periodo nimirùm *tuba ſeptima*: quâ reſonante, mora & dilatio ultra non erit, (hoc enim eſt, (*k*) *tempus non* fore *ampliùs*,) ſed ipsò eventú (ſuis gradibus & ordinibus) detegentur profundiſſima prophetiarum & typorum arcana; juxta Apoc. 10. ℣. 6. 7. Atq; hinc eſt, quòd *Angelus* ille *fortis* & magnus, non priùs dat *apertum* (plenè ſcilicet *apertum* & explicatum) Scripturæ (*l*) ſacræ *Librum* Doctoribus S. Eccleſiæ (ac per conſequens aliis etiam verè fidelibus) in perſona S. *Joannis*, quàm proximè imminente *tuba ſeptima* clangore; ut patet, Apoc. cit. c. 10. ℣. 8. 9. 10. Ad hoc nempe illis tunc datur, (ſeu dandus in viſione ſignificatur,) ut ex illo tmepore protinùs agant ea (per partes & ſuis vicibus,) quæ ad *ſeptimam* pertinent *Tubam*, juxta memoratum ℣. 7. cap. 10. Apoc. Conſule hìc textum ſacrum. Valet autem memorata *Regula prima* (unà cum ſua illuſtratione,) maximè contra novitatem & temeritatem illorum, qui putant ſe jam benè eſſe illuminatos & reformatos, ac per hoc benè ſe intelligere arcana profundiſſimarum *prophetiarum & typorum*; atque ex hoc fundamento inepto, perſvaſum ſibi habent, quaſi jam ipſi *Antichriſtum* illum magnum nobis detexiſſent, ac etiam terminos illos altè myſticos, *Ægyptus*, *Babylon*, *Beſtia*, *Meretrix magna*, dum in Romanam Eccleſiam his virulenter invehuntur, rectè & ad plenum Spiritûs S. ſcopum expoſuiſſent. A' quibus ſuis præjudiciis præſumptuoſis, ut feliciter liberentur, & ſcopum Spiritûs S. in difficillimis illis *prophetiis* ac *figuris*, quæ in hac lite interveniunt, rectiùs & ad maturandam ſanctam totius Chriſtianitatis pacem Fideiq; unitatem convenientiùs incipiant intelligere; non erit eis infructuoſum, ſi poſt *Scripturæ* ſacræ, SS. *Patrum* diligenti lectioni jungendum ſtudium, & frequentes ac humillimas ad Deum pro cœleſti lumine fundendas preces, hóc meô Opere, (& aliis ſimilis ſcopi,) abſque nauſea, ex ſincero veritatis & pietatis amore, inque timore Domini diligenter utantur. Sed redeo, unde opportunè in hæc digreſſus ſum.

Hæc *quatuor* recenſita, nec plura per toties dictum D. *Vitringa* mihi indicata, fuerunt puncta illa, quæ ipſe dicebat ſibi in mea *Clavi* non placere. Atqui, præterquàm quòd & in his ſi quæ cuipiam eſſet difficultas, hujus mei operis diligenti lectione complanari poteſt; hæc certè vel ipsô D. *Vitringa* judice, non ſunt talia, quæ ipſum, & alios ſimiles ab amore & acceptatione hujus Libri avertere poſſent. Stat enim, fatente Dominó *Vitringa*, (non obſtantibus punctis objectis,) quòd *fervidiſſimi ſtudii erga Divinam gloriam*, *reverentiæ & amoris erga VERITATEM*, σωφροσύνης, ſeu *ſobrietatis animi*, ac *modeſtiæ*, &c. *luculenta PER UNIVERSUM HOC* SCRI-

(*k*) Confer cum phraſi Apoc. 10. ℣. 6. phraſim Græc. Act. 15. ℣. 33. & Gen. 32. ℣. 4. juxt. LXX. Item, expende ſenſum, Exech. 12. ℣. ult. (*l*) De hoc Libro accipit *Pannonius* in hunc loc. item, Commentator inter Oper. S. *Ambr.* in Apoc. & multi alii apud Corn. à *Lapid.* in cumulo citati, in Apoc. 5. ℣. 1.

SCRIPTUM meum *diſſeminata ſunt* κριτήρια; ſeu *indicia*; item; *Variis hæc mea, pleraque, conſita eſſe margaritis*: quibus addatur etiam alterius viri docti, ſcil. Collegæ ejuſdem teſtimonium; qui *non dubitat, multum emolumenti, hoſce labores Eccleſiæ præſtituros.* At verò ego nihil prorsùs eorum hîc ſubtraxi, quorum intuitû tantam hoc meum opus laudem à memoratis viris doctis reportavit; quin potiùs, omne id, quod recenſito nunc utriuſque teſtimonio verè reſponderet, eodem meô in *Dei gloriam ſtudiô*, & *reverentiâ* atque *amore erga veritatem*, *ſobriâ* mente, (nîl (*m*) ultra licitum *ſapere volens*,) *modeſtè*, manſvetè, (ſtylô nempe ſanctæ *paci* & *unitati* Chriſtianorum promovendæ accommodatô,) nec non, in *plenitudine fidei* & *ſpei* auxi, & pluribus quoq; *margaritis* exornavi. Unde nulla viris memoratis (eorumque aſſeclis) ſupereſt ratio, ob quam deteriori deinceps quàm antehàc affectû, in hoc meum Opus ducantur. Quod ſi obſervaverint, & de novo longè accuratiùs & diutiùs quàm anteà, hoc ipſum eodem Spiritû *modeſtiæ*, *charitatis* & *docilitatis*, quô eſt conſcriptum, volverint & expenderint, memores interim ſemper ſuorum etiam teſtimoniorum; ſic non eſt dubium, quin & illud ſibi paulatim perſvaſuri ſint, quòd poſſunt eſſe, & de facto etiam ſunt alteri aliqua evidentia ex *Scriptura* ſacra, (ſaltem per bonam conſequentiam,) quæ ipſis nondum ſunt; uti D. *Vitringa* de meis, ut ipſe vocat, *hypotheſibus pleriſque*, quantum ad ſe, notat, dum ait, eas *è Scripturis tantâ evidentiâ*, *quantam* ipſe *requirit*, *non demonſtratas*. Ego ſanè certus ſum, nihil me in hoc Libro pro *Regula*, ſeu *axiomate* directorio habendo propoſuiſſe, neq; etiam pro talium *axiomatum* adſtructione ullum argumentum attuliſſe, cujus certum fundamentum non haberem in *Scriptura* ſacra; (imò & in minoribus quibuſdam illuſtrationibus, aſſertivè à me hîc poſitis, ſcio mihi Scripturam S. non eſſe contrariam;) etiamſi alter aliquis, non illicò illud ita perſpectum habeat, ut mihi eſt perſpectum. Perſpectum tamen & illi erit cum tempore, quicunq; illô Spiritû, quô hic Liber juxta inſinuationem dicti atteſtatoris eſt compoſitus, *veritatem* indeſinenter quæſierit. Tantò autem ſum ſecurior in meis hîc editis, quòd is etiam, qui ex his quædam ſuâ cenſurâ (ut ſibi haud probata) notavit, ipſa eadem quoq; ſic notata, fatetur *Patrum auctoritatibus* à me eſſe *munita*. Quicquid enim in rebus Divinis SS. *Patrum auctoritatibus* mihi muniendum aſſumo, certum eſt de eo apud me, id in *Scripturis* quoque ſacris habere aliquod fundamentum. De *Regulis* interim meis, (ſeu quaſi *Principiis* hujus Libri ſecundariis, in primario ac originali ſuo *Principio*, Codice nimirum ſacro fundatis,) conſulo hîc benigno Lectori, ut non ſolùm carptim, curſim & perfunctoriè, ſed diligenter & laborioſè (cum locorum ex Scriptura S. vel Veneranda Antiquitate citatorum juſta expenſione) obſervet modum, quô in iis adſtruendis procedo. Ac ſi quid primâ fronte in his minùs arridet, ne propterea totum illicò opus contemnat, vel ipſum Authorem (ut quibuſdam mos eſt) hoſtiliter, Scriptò vel verbis injurioſis invadat ac mordeat; ſed intuitû ſinceri & ardentiſſimi ſtudii, quô Author in toto hoc Libro erga Dei gloriam, erga veritatem & pietatem, ac erga bonum totius S. Eccleſiæ Catholicæ fertur, patienter id & modeſtè toleret, atque interim fruatur illis, quæ hîc ſibi certa & clara, ac in bonum & ſanctum ſcopum commoda videbuntur; diligenter etiam obſervans monitum *Regulæ* ſextæ Claſſis primæ, (*n*) unà cum ſubnexa ejuſdem enucleatione.

Ἐμπαίκτας autem, ſeu *illuſores* illos, quorum memini*,* *Teſtimonium* allatum, tantum abeſt ut formidem, terroreque illorum à ſancto propoſito ullatenùs recedam,

* *

ut po-

(*m*) Juxt. Rom. 12. ℣. 3. (*n*) Pag. 36. 37. 38.

Digitized by Google

ut potiùs probè tenens quid de illis S. *Petrus* (2. Epiſt. cap. 3. ℣. 3. 4. unà cum alio (*o*) Apoſtolo) in *ultima* hæc tempora prædixerit, majori accendar Spiritûs ardore, ut maturè talium vaniſſimæ *illuſioni*, & fallaciſſimæ *deceptioni* haſce *veritates propheticas* ad erigendum animos meliorum, in nomine Domini opponam. *Illudant* illi, quantum ipſis ſupernè permittitur; is tamen erit brevî exitus eorum, quem S. *Paulus* prædixit his verbis: (*p*) *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes: Quemadmodum autem Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi; ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa Fidem. Sed ULTRA NON PROFICIENT: inſipientia enim eorum MANIFESTA ERIT omnibus, ſicut & illorum fuit.* Addantur hîc de eorundem exitu, loca Prov. 3. ℣. 34. & 19. ℣. 29. & Iſa. 29. ℣. 20. Non his ego *illuſoribus*, neque ullis κνηθομένοις τὴν ἀκοήν. (*q*) *prurientes* habentibus *aures* ad audienda & tenenda illa ſolùm pro ſe, quæ ipſorum perverſis (*r*) *deſideriis* placent, quive ſuis *aquilinis oculis* non Deo, ſed Diabolo gratum exhibent officium, dum ea quæ ſibi ſunt *paradoxa*, ſeu *præter* (imò contra) ipſorum *opinionem* edita, ideò duntaxat *ruſpantur*, ut ſuo diſſensû contentioſo, & virulentâ contradictione, ſuam aucupentur gloriam, ac interim populum Chriſtianum hâc viâ peſſimâ in majus diſſidiorum & ſciſſionum exitium unà ſecum demergant; non his inquam, quà tales manent, ſed illis *expendendum* hoc meum Opus libenter ſubmitto, qui juxta requiſitum Teſtimonii citati, ſunt verè πνευματικοὶ, *Spirituales, qui* nempe *propter habitum*, tam ex copia donorum & gratiarum *ſpiritualium*, quàm ex varia & laborioſa lectione cum vera pietate juncta acquiſitum, *exercitatos habent ſenſus, ad diſcretionem boni ac mali*, (ut & veri & falſi,) juxta Hebr. 5. ℣. 14. de quibus verè illud Apoſtolicum dici poſſit: *Spiritualis dijudicat omnia.* 1. Cor. 2. ℣. 15. Talibus tantò ſecuriùs hæc mea in Domino expendenda ſubmitto, quòd certus ſum me non eſſe è numero illorum, qui de *liberioribus* ſuis *interpretationibus Propheticis* notantur in adducto *Teſtimonio.* Abſit enim à me, ut ego eâ *libertate* laſcivientis ingenii, à Veneranda Antiquitate independenti utar in interpretandis Scripturis *Propheticis*, quâ illi utuntur, quos notat toties memoratum *Teſtimonium.* Teſtatur hoc ipſum Opus, teſtatur ejus ſubjectio ordinariæ in Eccleſia *Cenſuræ*, quàm ſim ego procul ab illorum agendi modo, qui notantur in illo *Teſtimonio.* Hæc occaſione dicti *Teſtimonii*, re ita exigente, dicenda erant.

Porrò, quis ſit meus in hoc Opere *Scopus*, etſi lectio ejuſdem pium & diligentem Lectorem ſtatim in ipſo limine docebit; nihilominùs tamen placet hîc etiam id ipſum adhuc clariùs & pleniùs indicare. *Scopus* ille partim me privatim concernit, partim etiam alios unà mecum. Quà privatim me concernit, & concernebat antehàc, de eo jam in ſuperioribus dixi. Scilicet, ipſa ſeria & diligentiſſima inquiſitio veritatis, pro ſtatu illo meo, in quo à Menſe Martii anni 1691. fueram conſtitutus, (præterquàm quòd antea quoque dulcedine verbi Dei animam meam paſcere fixè in deliciis habui,) mihi ex neceſſitate curandæ ſalutis animæ incumbens, hunc laborem (juxta præviam in ruderibus quibuſdam initialibus intentionem,) per omnes difficultates exantlandum & in finem perducendum à me requiſivit: ut tantò firmiùs pedes mei in agnita via veritatis contra quoslibet adverſarios figerentur; atque ipſi quoque adverſarii ſi Divinam in me operationem in *Examine* decantatæ *Reformationis*, *Latoque Nuncio*, & aliis etiam meis Opuſculis inſinuatam hactenùs videre neglexerunt vel noluerunt, jam hîc videant pleniùs, ſi oculos mentis ſeriò aperire, ipſamque veritatem in ſancta charitate diſcere, non autem ultrò cæcutire volunt.

Scopus

(*o*) Scil. Jud. Epiſt. ℣. 18. 19. (*p*) 2. Tim. 3. ℣. 7. 8. 9. (*q*) De his vide 2. Tim. 4. ℣. 3. (*r*) Ibid.

Scopus autem alios quoque unà mecum, hoc eſt, ipſam S. Eccleſiam Catholicam, totiuſque Chriſtianitatis bonum concernens, in ſequentibus binis rationibus eſt ſitus. (1.) Cum videam, & viderim jam inde ab initio cœleſtis *inſtinctûs* ſupra memorati, an. D. 1691. accepto, tam virulentas, tamq; altè radicatas in Chriſtianiſmo eſſe contentiones, ac ſignanter tot *Sectas* diverſas, tot *Sciſſiones*, tum in invicem, tùm contra S. Matrem Eccleſiam acerrimè digladiantes, maximè verò per abuſum ſacrarum Prophetiarum, myſticos terminos, uti ſunt, *Ægyptus*, *Babylon*, *Beſtia*, & ſimiles, injurioſè in ſolam *Romanam* Eccleſiam (ut & pauló antè eſt inſinuatum,) detorquentes, ſibi verò è contra quaſi peculiari & ſancto Dei populo omnia præclara Prophetarum promiſſa applicantes, & per hoc Eccleſiæ unitatem magis ac magis diſcindentes; [quæ quidem mala adeò paſſim invaluerunt, ut non raró etiam meliora, mitiora & moderatiora ingenia, aliorum exempló ad ejuſmodi contentioſas, & pernicioſè rixoſas pertrahantur Diſputationes, Populum Chriſtianum turbantes potiùs & pervertentes, quàm ædificantes;] ex eo, in remedium tanti mali, proprió meo exempló, opportunum & optimum conſilium eſſe duxi, ſi hoc Sacró *Studiô Propheticô*, homines à prioribus ſuis contentionibus, & pugna adversùs S. Matrem indicta avocare laborarem, atque in hoc laborando, aliquos ſaltem meliori notâ inſignitos, re ipſâ etiam à ſuis perverſis ſtudiis avocarem. Hoc enim Studium, diligenti Scripturæ ſacræ, inprimis *Prophetica*, & SS. *Patrum* lectione (inter fervidas orationes) aſſiduè excultum, tanquam medium ordinarium fecit in me, ut Spiritus ille Dei pacificus, alienus à rixis & (*ſ*) *contentionibus* me obſideret, totumque in dies occuparet; atq; ſic paulatim (*s*) *à contentionibus* me, ſtatuq; *Proteſtantium* pernicioſo *ſepararem*, & S. Matre Eccleſiâ agnitâ, eidem me in eodem Spiritu ſanctæ pacis adjungerem: ut hoc ex ſuperioribus plenius patet. Nec eſt ulla alia via, tot virulentis de Fide diſſidiis, totq; bellis internis & externis in Chriſtianitate finem optatum imponendi, quàm ſi hoc *Studium Propheticum* ſedatâ ac docili mente, ferventiſſima cum diligentia excolatur. Ut enim ſola *Scientia Prophetica* cum ſuis requiſitis conſiderata, eſt Princeps & Regina omnium aliarum Scientiarum, (etiam Theologicarum, ſcilicet, aliarum Theologiæ propaginum, uti ſunt, *Didactica*, *Polemica*, &c.) non ſolùm profunditate admirabili, ſed & pacificâ ſuavitate ſuâ; (unde eſt, quod donum *prophetias* intelligendi, omnibus aliis donis *ſpiritualibus* præfertur; 1. Cor. 14. ℣. 1.) ſic & lites inter Theologos, inprimis Dei aliquô timore tactos, nulla alia ſcientia faciliùs quàm hæc, imò hæc ſola demùm certò certiùs conciliabit. Nam cum vera & ſolida ſcientia *Prophetica*, hoc eſt, non qualiſcunque & ſuperficialis, ſed alta & ſobria, cumq; pietate juncta myſteriorum Dei in *Prophetiis* & *Typis* reconditorum cognitio, ſit maxima & excellentiſſima pars *Sapientiæ* illius ſupernæ, de qua ſcribit ſic S. Jacobus Apoſtolus: (*t*) *Quæ de ſursùm eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde PACIFICA, MODESTA*, &c. [unde eſt, quòd vir verè *ſapiens*, ex hoc primariò per filium *Sirach* deſcribitur, (*u*) quòd *ſapientiam omnium antiquorum exquirendo, in PROPHETIIS VACABIT*; item; (*v*) *Occulta Proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur*: & alioquî etiam intelligentia prophetiarum vocatur κατ' ἐξοχὴν *ſapientia*, 1. Cor. 2. ℣. 6. 7. & Apoc. 13. ℣. 18. collat. Hoſ. 14. & ult.] hinc non poteſt non omnes alias ſcientias hæc ſola in hoc ſuperare, ut ſuis veris, docilibus & humilibus cultoribus, potenter inſpiret & ingeneret amorem & ſtudium ſanctæ *pacis* & *unitatis fidei*. Præterea, cum intelligentia *pro-*

(*ſ*) Jac. 3. ℣. 14. 15. 16. collat. ℣. 17. ibid. (*s*) Juxta Prov. 20. ℣. 3. (*t*) Jac. 3. ℣. 17. collat. Prov. 3. ℣. 17. col. 2. (*u*) Eccl. 39. ℣. 1. (*v*) ibid. ℣. 3.

phetiarum ac *typorum*, arduum planè laborem, & totum hominem eidem labori addictum requirat; impoſſibile eſt, ut quiſpiam contentionibus deditus, ſimul & ſuas contentioſas ac virulentas (multis hodie familiares) poſſit exercere (*x*) diſputationes, & labori quoq; ad hoc ſtudium requiſito, ritè ſatisfacere. Unde conſequens eſt, quòd quicunq; huic ſtudio ſe ex corde addixerit, is neceſſariò ſuis antea conſvetis contentionibus renunciabit. Imò planè nauſeabit ad ejuſmodi contentiones, poſtquam jucunditatem doctrinæ *Propheticæ* pleniuſculè delibaverit. Atq; ſic fiet, ut miſſis contentionibus, ſanctæ paci Eccleſiæ promovendæ talis operam ſit daturus. Item; quandoquidem *nemo ſine pura mente, & vita Sanctorum imitatione, Sanctorum verba* rectè & plenè *comprehendere* poteſt; ut eruditè docet (*y*) S. *Athanaſius*; hinc ergo requiritur, ut quicunq; huic ſtudio ita ſe addixerit, ut optatam inde intelligentiam reportet, ſe prorsùs avocet à virulentis illis contentionibus, de quibus loquimur; eò quòd nihil magis coram Deo exoſam & contaminatam reddit hominis mentem, quàm ſi ſe dedat prædictis contentionibus. Hinc de talibus dicit Dominus per Prophetam: (*z*) *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtra* † SANGVINE PLENÆ *ſunt*. Scilicet, Dominus omnia in ſuo populo bella, omnemque *ſangvinis* effuſionem, hominibus illis contentioſis, iræque ac odio deditis tribuit, tanquam homicidis, qui ſepoſitâ omni curâ ſanctæ *pacis*, ea agunt, quæ pectora Martialia, ad bella tantùm ſangviniſque effuſionem incendunt & excitant. Confer hîc Iſa. 59. ℣. 3. Ergo ex adverſo, quiſquis verus hujus Scientiæ cultor & ſtudioſus exſtiterit, ille ſe procul dubio ſeparabit ab omnibus ejuſmodi contentionibus, quæ turbant *pacem* populi Dei in eoque *ſangvinis* effuſionem cauſant. Alioquî (ut jam patet,) nec *puram mentem*, nec *Sanctorum vita imitationem* pro felici in hoc ſtudio progreſſu haberet ille, qui contentionibus illis indulgeret. Qui verò ſe hujus amore ſtudii ſeparat à contentionibus, is per hoc *in* ſancto (*a*) *ſilentio* quærit & *diſcit abſcondita Scripturarum*, ac in iis ipſam veritatem: qui autem ſic quærunt eam, certò certiùs ſuo tempore invenient, juxta illud S. *Gregorii* Magni: (*b*) *Deus-revelat quærentibus veritatem.* Atque ſic fiet, ut quæſtionum difficultates in pectoribus talium hinc inde obortæ, paulatim tollantur & complanentur, agnitâque S. Matre Eccleſiâ, pedes ſuos firmiter in via veritatis cum pietate juncta figant, veramque ſui *reformationem* conſequantur. Hæc ſunt, in quibus conſiſtit prima ratio motiva quoad publicum bonum, conſcriptionis hujus Libri.

(2.) Cum etiam probè noverim, & propriò aliquando experimentô didicerim, multos noſtris temporibus ſtudiis addictos, diù multumq; ſuum tempus in iis inſumere occupationibus, quas ſtudium hoc *Propheticum* longô ſuperat intervallô; vel etiamſi *Propheticas* utcunque ſcrutantur Scripturas, vix tamen poſt longam etiam annorum ſeriem, & laborioſam multorum ac prolixorum Commentatorum lectionem & evolutionem, ſolidum aliquod in ſcopo *Prophetiarum* & *Typorum* rectè intelligendo fundamentum ſibi figere poſſunt; hac in parte quoque pro dono cœlitùs mihi concredito, proque tenuitate virium mearum, publico aliorum, inprimis ſacrum hoc ſtudium ſincerè amantium commodo conſulere volui: ut nimirum, quemadmodum habent Tyrones in aliis Scientiis, v. gr. in *Philoſophia*, *Theologia* communiter dicta, *Juriſprudentia*, &c. ſua Elementa, ſeu *Inſtitutiones* methodicè diſpoſitas, quibus ſuo in ſtudio

(*x*) Contra tales *Diſputationes*, vide Eccleſiaſtæ cap. 6. ℣. 11. juxta Vulgat. Latin. (*y*) De Incarnation. Verbi. (*z*) Iſa. 1. ℣. 15. Conf. Prov. 6. ℣. 17. 19. col. ult. † De ſimili ſenſu vocis, vid. Iſa. 33. ℣. 15. (*a*) Thom. à Kemp. de Imitation. Chriſt. Lib. 1. cap. 20. n. 6. (*b*) Epiſt. Lib. 4. Indict. 12. Epiſt. 49. Confer Sap. 6. ℣. 13. col. ult.

Digitized by Google

in ſtudio dirigantur, & ad majora ac profundiora ducantur: ita etiam in hoc ſtudio haberent *Fundamenta* ſeu *Principia* quædam, ſive dicam, *Præcepta* directoria in formam *Methodicæ Inſtitutionis* redacta, ac per hoc Syſtema quoddam *Theologiæ Propheticæ* conſtituentia; in quibus, *Prophetias* & *Typos* ſcrutando, faciliori labore, & viâ magis compendioſâ quàm hactenùs, poſſent (*c*) *aurum, argentum* & *lapides pretioſos ſuperædificare*, ac in reconditiſſima dictarum *Prophetiarum* & *Typorum* arcana in dies penetrare. Atq; ſic eadem via compendioſa & *methodica*, cum jucunditate hujus ſcientiæ juncta, illos quoque paulatim ad hoc ſtudium alliceret, qui iſtô longè inferioribus ſtudiis, debitò plus temporis impendere ſolent. Non dubito, quin bonis omnibus, & Scripturam ſacram verè amantibus, hoc meum ſtudium, ex Dei & proximi amore profectum, futurum ſit gratum: quod neque aliis, ſed ſolis illis volo conſecratum eſſe; cupiens tamen ſincerè, ut etiam illis, qui nondum bonorum merentur nomen, aliquid prodeſſe valeam. Si quis invocatô Numine cœleſti, mente docili & ab omni contentione alienâ ad hoc Studium, iſtô nempe Libro comprehenſum acceſſerit, ac ſubinde contenta Libri in timore Domini legerit & relegerit, (*Indice Rerum* priùs perluſtratô,) non contemnendam ex ea lectione hauriet ſibi cum tempore utilitatem. Quam ut tantò uberiùs hauriat, oportet ut loca Scripturæ S. hîc paſſim citata, in ipſo quoque Sacro Codice conſulat, & cum ſuis connexis ritè conferat. Neque etiam negligat, *marginales* omnes notulas perluſtrare. Inſuper, meminerit etiam hujus Scientiæ ſtudioſus, ita ſe hâc *Clavi* uti debere, ne ſibi frangat eam, vel quocunq; modô inutilem reddat, imò majori ſe perplexitati per hujus abuſum involvat. Quemadmodum enim *Clave* opificum, ad aperiendam ſeram vel clauſuram aliquam artificioſiſſimè elaboratam, eidem congruenti arte factâ, non quilibet rectè utetur, ſed is qui directionem opificis, vel ab ipſo vel ab aliis per manus acceptam ſequitur; ſic etiam hâc *Clavi* is duntaxat fructuosè & ſalutariter uti poteſt, qui modum eâ utendi in hoc Opere præſcriptum, *Regulas* nempe ejus, (& quidem primariò primas *quatuor Primæ* Claſſis) ritè obſervaverit. [Iſta autem denominatio *Clavis*, unde hîc ſit, & ubi fundetur; non ignorat ille, qui novit locum de *Clave ſcientiæ*, Luc. 11. ℣. 52.] Satis jam patet ex duabus rationibus motivis huc uſque allatis, quis fuerit & quis ſit meus, in hoc Libro quoad publicum bonum *ſcopus*.

Maturè autem unuſquisq; fidelis noſcet apud ſe ex ſequenti ſigno, num ipſe eſt, vel futurus ſit idoneus hujus ſcientiæ cultor, qui nempe certiſſimum ex ſtudio hujus Scientiæ fructum ſpiritualem conſequi poſſit; ſi nimirùm ſentiat in ſe *motum* illum ſpiritualem, quem celebris Rabbi *Majmonides* (liceat nunc ejus verba huc piè transferre,) ex doctrina majorum ſuorum in Scriptura S. fundata, pro *primo gradu Prophetiæ* ponit. Quicquid enim virtutis, vel boni *motûs* requiritur in *Propheta*, (non loquendo hîc de viſionibus Prophetarum & revelationibus extraordinariis,) id omne requiritur etiam in Studioſo *Theologiæ Propheticæ*, ſeu ſenſûs Prophetici ſcrutatore, ad hoc nempe, ut *Prophetias* & *Typos* rectè cum tempore intelligat, & pro nata occaſione rectè etiam aliis exponat. Videlicet, (*d*) *cum quis auxilio Divino* (ſeu, *auxilio* gratiæ) *ita inſtructus eſt & præditus, ut eô moveatur & animetur ad magnum & heroicum* „*aliquod facinus perpetrandum*, (*v. g. ad Eccleſiam totam, vel inſignem aliquem hominem* „*à vi & tyrannide improborum liberandum; vel ad multis hominibus benefaciendum*,) „*illumq; motum in ſe ſentit & animadvertit*; certum ſignum eſt in mente ſedata, Deumque in ſilentio colente, nec Mundi turbis, factionibus & ſeditionibus ſe immiſcente, hominem talem eſſe vel fore idoneum ac fructuoſum hujus ſcientiæ cultorem, ſi

** 3 nempe

(*c*) Phraſis ſumpta ex 1. Cor. 3. ℣. 12. (*d*) *Majmon.* Mor. Nevoch. Part. 2. cap. 45.

nempe bonum quod ſentit in ſe, ulterius etiam excitet intra ſe, atque ſic pergat conſtanter in hac ſcientia excolenda. Singuli enim SS. Prophetarum hujuſmodi *motum*, majori vel minori in gradu, pro menſura gratiæ ſibi collatæ habuerunt in ſe; quod inductione exemplorum pateret. Omnes enim pro gratia ſibi data ardenter *moti* ſunt ad hoc, ut Populum Dei, ſuis prædicationibus à peccatis avocare, & per hoc pœnas demeritas ab eodem avertere poſſent: quod erat *magnum* bonum Populo Dei acquirere velle; ac *motus* ad illud bonum, ſuis in illis ſensû ſpirituali, verè *heroicus*. Inſtar omnium ſit hîc *Michaa* exemplum; Mich. 3. ℣. 8. *Repletus ſum fortitudine Spiritûs Domini, judicio & virtute: ut annunciem Jacob ſcelus ſuum, & Iſraël peccatum ſuum.* Sed ſi placet, vide etiam quid facit *Jeremias*, cap. 9. ℣. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacbrymarum?* &c. collat. Thren. 3. ℣. 48. 49. 50. Vide etiam *Danielem*, cap. 9. ℣. 2. 3. & ſequ. Vide *Iſaiam*, cap. 6. ℣. 8. Vide etiam *Amoſum*, ex *armentario* ſeu *pecuario* factum Prophetam; qui adeò zelabat contra peccata Domûs Iſraël, Dei judicia adversùs eam intonando, (per quod etiam ſingulari bono populi Dei ſtudebat,) ut propter id *rebellionis* crimen ſibi falsò impactum audiverit: Amos. cap. 7 ℣. 10. Taceo hîc (*e*) *Moſis*, (*f*) *Davidis* & ſimilium, præ aliis Prophetis uſque ad vindictam zelantium exempla; qui præter & ultra prophetiam, ad externos quoq; actus juſtitiæ ac vindictæ pro populo Dei exhibendos, deſtinati ac vocati erant à Deo; ut eventus docuit. Nobis hîc de *Prophetis* præcisè, ac doctrinæ Prophetarum ſtudioſis & interpretibus, (quà talibus) eſt ſermo. Quorum ſufficiens ſignum eſt, *motus* indicatus, ſi eum in pectore ſentiant, etiamſi is *motus*, in nullum ejuſmodi actum externum, qualis erat *Moſis* & ſimilium, erumpat. Hodie inprimis, veri Prophetarum filii & diſcipuli certum ſignum eſt, (ut *motus* ſpiritualis Deo acceptiſſimus,) ſi quis ſeriò deteſtetur tantam in Mundo (ac proximè in Orbe Chriſtiano) iniquitatum exundationem; ſi lugeat ſuper ſuis & alienis peccatis; ſi intimô afficiatur dolore de tanta per virulentas diſſenſiones & hoſtiles animorum diviſiones vaſtitate Populi Chriſtiani; ſique tanto malo, modis omnibus, ſcil. tum ardentiſſimis orationibus, tum verò aliis piis ſuis operibus remedium afferre, atque ſic bonum ſanctæ Eccleſiæ procurare & promovere ex corde ſtudeat. Nec dubitet talis, certiſſimum & uberrimum hujus ſtudii fructum ſe conſecuturum, ſi *motum* hunc in ſe non negligat, ſed cum ardenti *prophetiarum* & *typorum* ſcrutatione, magis ac magis enitatur eum in effectum deducere. Tantò ſecurior autem hîc eſſe debet, ſi dicto *motui*, jungatur in eo ſingularis quædam *fides* & *ſpes*, de felici piorum ſuorum conatuum ſucceſſu ſecuturo; ſeu, quod idem eſt, de regno peccatorum & errorum ac diſſenſionum in Orbe Chriſtiano deſtruendo, & meliori S. Eccleſiæ ſtatu, juxta Prophetarum vaticinia affuturo. Pro tali *fide* & *ſpe*, vide Mich. 7. ℣. 7. *Ego ad Dominum aſpiciam; expectabo Deum Salvatorem meum: audiet me Deus meus.* Lege etiam ſequentia ibidem. Et ſanè ratione eorum, quæ adhuc juxta *prophetias* eventura ſunt, admiranda nempe, & notitiam fidemq; humanam ſuperantia, requiritur, ut hujus ſcientiæ cultor tali fide & ſpe ſit munitus; idque, quod S. *Juſtinus* generaliter de *fide* Prophetiis futura prænunciantibus danda dixit, ſibi applicet. (*g*) *Quoniam* (inquit) *quæ jam facta ſunt, omnia, priuſquam fierent, à Prophetis prænunciata eſſe oſtendimus; neceſſarium eſt, de iis quoque, quæ ſimiliter ut futura, vaticiniis prædicta ſunt, fidem adhibere.* Subjicit: ὃν γὰρ τρόπον τὰ ἤδη γινόμενα, προκεκηρυγμένα ϗ ἀγνοούμενα ἀπέβη, τὸν αὐτὸν τρόπον ϗ

(*e*) Exod. 2. ℣. 11. 12. collat Act. 7. ℣. 23. 24. 25. (*f*) 1. Reg. (al. 1. Sam.) 17. ℣. 26. 32. 45. 46. 47. (*g*) Juſtin. Mart. Apol. 2. pro Chriſtian. pag. (mihi) 87.

πον καὶ τὰ λείποντα, κἂν ἀγνοῆται καὶ ἀπιστῆται, ἀποβήσονται. H. e. *Ad quem namq; modum ea, quæ jam facta ſunt, prænunciata &* (priùs) *non nota evenerunt; ad eundem modum, & quæ reliqua ſunt, quamvis ignorentur, &* (humanitus) *NON CREDANTUR, evenient.* Loquitur in his S. Martyr de illis, quæ ultimo tempore, ſub adventum Domini ſecundum *evenient*: inter quæ eſt etiam *bonum* illud *unitatis Fidei*, & plenioris *ſanctitatis* populi Dei, in quod debet tendere *motus* ille pius, proximè memoratus, & de quo ſubinde loquimur in hoc Libro. Magna certè hîc *fides* & attentiſſima expectatio requiritur, ut quis contra omnem fidem & ſpem humanam animô erectus, credat illa omnia eventura, quæ in Prophetarum ſcriptis juxta datam S. *Juſtini* deſcriptionem, ut adhuc futura, ſunt recondita. Qui autem hujuſmodi fiduciam & ſpem habet prædicto *motui* interno junctam, non poteſt non ille etiam contra propria ſua peccata, proprias miſerias, proprioſq; errores *moveri*, & quidem primariò; (hoc enim innui etiam paulò antè, in *luctu* ſuper *ſuis* quoque *peccatis*;) ita ut talis pugnando contra peccata, & contra omne id quod noxium eſt Eccleſiæ Dei, vel maximè contra ſuos defectus orationibus & aliis piis exercitiis pugnet, ac neceſſariò *bonum* plenioris *ſanctitatis* & veræ *reformationis* Populi Dei in ultima tempora dilatum, in ſe ipſo velit priùs experiri, quàm in aliis experiatur. Sic magnus Propheta *Iſaias*, dum alios corrigere nititur, antequam mittatur ad Populum in Deum refractarium, primùm etiam ſuum deflet defectum, & ſe reformari cupit, dum ſic exlamat: (b) *Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labiis ego ſum.* Sic etiam *Pſaltes* in figura illlorum, qui ultimis temporibus, ſingulare *bonum* S. Eccleſiæ promiſſum conſequentur, in ſingulari numero orat juxta textum Hebræum pro conſecutione *boni* ejuſdem, his verbis: (*i*) זכרני יהוה ברצון עמך פקדני בישועתך H. e. *Memento meî Domine in beneplacito populi tui; VISITA ME in SALUTARI TUO.* Subjungit illico: (*k*) *Ad videndum BONUM electorum tuorum.* &c. Optat hîc ſe in *Salutari* Domini, id eſt, in noſtro *Salvatore* & *ſalute* per eum parta *viſitari*, nos propheticè inſtruens, ut unuſquiſque noſtrûm, totis viribus ad hoc enitatur, & hoc oret ardenter à Deo, ſi vult *boni electorum* particeps fieri, ut *Salvator* noſter, nos totos ſibi occupet, ſuâque in nobis inhabitatione, omnia noſtra peccata, omneſq; noſtros errores à nobis expurget & aboleat.

Satis jam patet ex his ſignum, quô unuſquiſq; ſe noſcat, an eſt jam, aut futurus ſit idoneus hujus ſacræ ſcientiæ ſtudioſus, (ac per conſequens *Prophetiarum* & *Typorum* interpres,) vel minimè: quod ſignum pleniuſculè hîc deſcribere, ad rem, & propoſitum meum in hoc Libro pertinere, quiſque pius, eruditus & diligens hujus Libri lector & perluſtrator facilè perſpiciet.

Scire autem volentibus, unde has hauſerim *Obſervationes*, ſeu, quos in hac *Clavi* concinnanda ſecutus ſim Authores; de eo, hunc ipſum Librum attentè perlegendum conſulo. Ex hoc enim diligens & peritus lector ultrò cognoſcet, me in hujus operis conſcriptione, *primariò* Sacros ac Θεοπνευστοὺς Authores, hoc eſt, Amanuenſes Spiritûs S. ſeu ipſam *Scripturam ſacram* ſecutum fuiſſe; *ſecundariò* autem SS. *Patres*, veteris nempe Eccleſiæ Catholicæ Doctores, authoritate eminentes. Adjungo his *tertiò* in ordine ſubſidii causâ ſubinde, alios etiam eximios & eruditos Authores Catholicos. Alii præter hos, ſi qui citantur, rariùs tamen, (ut præſertim *Rabbini* quidam,) illi non niſi lucis causâ adducuntur. Cauſam enim Chriſtianorum juvat, dum doctrina propugnando, propagando & ampliando Chriſti Regno inſerviens, ex ore quoq; adver-

(*h*) Iſa. 6. ℣. 5. collat. ℣. 6. 7. 8. & 9. ibid. (*i*) Pſal. 106. (juxt. Hebr.) ℣. 4. (*k*) Ibid. ℣. 5.

Digitized by Google

adverſariorum (cum debita accommodatione) illuſtratur. Quod in allegandis Authoribus, SS. *Patrum* dicta nonnunquam ſuſiuſculè hîc refero; ſciat Lector, nihil inutile de illis in medium afferre animus mihi fuit; (etiamſi non illicò cuivis omnium pondus ſententiarum & dictorum allegatorum pateat;) ſed quicquid in iis allegandis feci, ſtudiò & deſtinatò ſcopò feci; ut qui jam ex contracta cum illis familiaritate, compertum habeam, Sanctos illos, non raro etiam in verbis ac dictis primò intuitû noſtrò parvis, & in ſpeciem pondere vacuis, rem aliquam magni momenti includere. Scio celeberrimum *Lipſium*, de *Cruce*, (*l*) *pluſcula* SS. Patrum verba producentem in medium, hanc ſui facti dare rationem; *quia* ipſum ea *inter exſcribendum delectarunt.* Id ego pariter dicere poſſum de iiſdem ſuſiuſculè citatis, & quidem meæ *delectationis* eam aſſignando rationem, quam proximè dedi; quòd nempe novi omnia illa ſuam in hoc ſtudio habere utilitatem. Accedere huc debet etiam ratio juvandi illos, qui alioquin copiâ legendi SS. *Patres*, prorsùs deſtituuntur. Quibus fortè talia non placerent; ipſi viderint, quomodo & unde aliter delicato ſuo guſtui ſatisfacient. Ego certus ſum intra me, quòd quò quis attentiùs, quòve diligentiùs in timore Domini hoc Opus legerit & relegerit, eò magis animadvertet, ſibique perſvaſum habebit, firmiſſimum animi mei propoſitum in hoc eſſe, puriſſimam *veritatem* cum *pietate* junctam, (quod & ſupra aliis verbis inſinuavi,) è Scripturis *Propheticis* & *typicis*, & SS. *Patrum* documentis, unicuique ſalutis ſuæ avido ſic inculcare, eandemq; ſic aſſerere & propugnare, ut nihil prorsùs ſtylò meò excidat aliquid virulentum, ſcommaticum vel illuſorium; quin potiùs modeſtè & pacificè omne id pro viribus agam, quod ad *pacem*, tranquillitatem, & omnimodam Eccleſiæ Dei pertinet utilitatem.

Quibus hoc ſanctum meum ſtudium placet, illos in nomine Domini hortor, ut hôc præſertim tempore, quò in tanta iniquitatis & carnalis ſecuritatis hominum graſſatione, tamque diuturna diverſarum in Chriſtianitate partium contentione virulenta, ſummopere requiritur, ut nos invicem *Tubâ* prophetici ſermonis, ad ea quæ ventura ſunt & jam imminent, præparemus; hortor inquam, ut omnibus aliis ſuis occupationibus, *Prophetici ſermonis* ſcrutationem unà mecum anteponant; ut hoc pactô, tum nobis tum noſtris, de excipiendis debitò modò illis, quæ juxta Prophetarum & Chriſti Domini verba in poſterùm eventura ſunt, feliciùs conſulere valeamus. *Veniet* enim *nobis* brevî *dies ſolennitatis*, (ut verbis S. *Ambroſii* (*m*) utar,) *dies* nempe magnus ille & illuſtris, *dies* plenitudinis Regni Chriſti, *& jam appropinquat. Canamus* ergo *tubâ, tanquam in prælium progredientes; canamus tubâ, ut annunciemus ſolennitatis diem. Simul nobis & certamen imminet, & victoria repromittitur.* (Hæc ille.) Imò *certamen* nobis aliquod (idque non mediocre,) & nunc præſens eſt: *certamen* nempe, (*n*) *adversùs* Mundi *Principes*, & *Rectores tenebrarum* ſeculi præſentis, *adversùs ſpiritualia nequitiæ*, quæ *in cæleſtibus* nos impediunt. Nulla nobis major eſt pugna in Mundo, quàm contra Satanam, (*o*) *Leonem* illum *circumeuntem & quærentem, quem devoret*, ipſumq; opus bonorum in Eccleſia virorum, mirâ arte ſæpe impedientem. Nulla nobis lucta fortior, nec victoria glorioſior, quàm contra propriam carnem, & *ignita* Satanæ (*p*) *tela* in eadem ſubinde hærentia. Hæc penitùs tandem evellemus, vel nobis imminentia repellemus & fruſtrabimus, ubi mente ab omnibus Mundi hujus vanitatibus avocatâ, & ſanctô ab inquinamentis ejus jejuniô nobis indictô, in totum rebus Salvatoris noſtri, in ſecretiori *Prophetiarum* & *Typorum* penu reconditis, piè ſcrutandis & inveſtigandis nosmet conſecraverimus; quod ex ſuperioribus quoq; jam patet.

Vos præ-

(*l*) Lipſ. de Cruc. Lib. 1. cap. 9. (*m*) S. Ambr. Lib. de *Elia & jejunio*, cap. 1. Tom. 1. (*n*) Epheſ. 6. ℣. 12. (*o*) 1. Pet. 5. ℣. 8. (*p*) Epheſ. 6. ℣. 16.

Vos præſertim quondam meos Amicos, *Proteſtantium* Sectis addictos, Populi Ductores, uti aliàs (*q*) feci, ita nunc quoque, ex ſincero ſalutis veſtræ ſtudio in Domino moneo; ut, cum ſitis viri in Scripturis ſacris verſati, eruditi, atq; etiam tales à veſtris habeamini, vaniſſimam illam perſvaſionem animis veſtris excutiatis, quâ ſine ullo ſolido fundamento ſecurè tenetis, quaſi vos jam eſſetis verè *reformati*, & ſanctus ille Dei Populus, è ſuis ruinis in ſtatum Deo acceptum juxta ejus verbum reſtitutus, in quem tot præclara & ampliſſima futurorum bonorum promiſſa in Scripturis ſacris exſtantia, ut proprium hæredem pertinerent. Habetis in Prophetarum Libris; habetis proximè in hoc Libro (in iiſdem fundato) ſufficienter, unde vos de ſtatu S. Eccleſiæ, ac veſtri (circa *Reformationem*) † aberratione palpabili, meliùs informetis, quicunque ſanam informationem faſtuosè non repellitis. Habetis præterea, *Examen* decantatæ veſtræ *Reformationis* Spiritû modeſtiæ & ſanctæ charitatis à me concinnatum: quod ſi in timore Domini (unà cum hoc) ſubinde volveritis, & argumenta perſvaſioni illi veſtræ (& meæ quondam) oppoſita, eodem Spiritû quô à me opus illud ſcriptum eſt, expenderitis, non eſt dubium, quin ſic ex utroq; junctim, certò certiùs ac firmiſſimè de veſtra illa perſvaſione inani, erroreq; palpabili in conſcientia convincamini. Et quanquam benè maturè jam in dicto Opere, modeſtiſſimè, & ſinceræ charitatis affectû, ſtylo validis rationibus ac motivis munitô vos compellaverim, & ad conſcientiam inſtanter (*r*) urſerim, ut illud *Examen* in timore Domini, inque Spiritu ſanctæ pacis, (abſq; ulla præcipitantia vel livore,) modeſtè, & piè volvere, revolvere & expendere ne gravemini; nullus tamen veſtrûm (quod ſciam) hactenùs repertus eſt, qui id feciſſet. Faſtuoſi enim cujuſdam *Illuſoris*, hominisq; furioſi, gloriabundi nimirum veſtri (ſi vobis placet) *Defenſoris*, turbulenter & præcipiti animo opus illud invadentis, nihil verò ad rem dicentis ſcommata, convitia & virulentiam lingvæ, non pro juſta & modeſta meorum argumentorum expenſione, (quod accuratè inſpicienti patet,) ſed pro mero ſtudio turbandæ & impediendæ ſanctæ Chriſtianorum pacis reputo. [De quibus hîc *convitiis* loquar, nôrunt qui viderunt, *Examinis & Examinantis* (ut ille gloriatur) *Examen*, cum præfixa jactabundi ejuſdem Authoris imagine, *Oxonii* an. D. 1699. conceptum, & an. 1700. in lucem editum.] Aperitè quæſo oculos veſtros, & verba noſtra utrinque punctatim expendite, ac utriuſque noſtrûm ſtudia inter ſe conferte. Videbitis, ſi accuratè videre, & rectum ferre judicium vultis, omnia in meo Opere, Spiritû modeſtiæ, & ſtylô ad ſanctam pacem promovendam conformato, abſque ullo livore & convitiis proponi; ab eo verò non niſi ſcommata, calumnias, & maledicta cum inaniſſimis cavillis, ambagibus & excurſionibus furioſiſſimè & faſtuoſiſſimè effundi; qui præ nimio faſtu, nec dignatus eſt opus meum, ubi vel maximè oportebat, integrè & accuratè perlegere; quod aliàs (Deo dante) oſtenſurus ſum. Simulat ſibi *dolere*, quòd *non ſit aliud* (*quantum audivit*) dicti mei Examinis *exemplar in Anglia* præter id, quod ad manus ejuſdem *pervenit*. Sed non dubito, quin magis ei *doleret*, ſi exemplaria mei *Examinis* tum in *Anglia* tum alibi inter *Proteſtantes* copioſe invenirentur. Sic enim moderatiores & doctiores inter illos, atq; ipsô in Veneranda Antiquitate (ut & in Scriptis *Lutheri* ejuſque Sociorum) verſatiores, faciliùs & rectiùs poſſent collationem facere inter meum illud *Examen*, & ejus prætenſam *Defenſionem*. (Ita enim aliter ſuum opus intitulat.) Facite, ſi veritatem & juſtitiam amatis, (quandoquidem vobis in *Anglia*, *Belgio*, *Germania* & *Helvetia*, ampliſſima Libros typis edendi adeſt facultas;) ut Librum illum meum, quem

***

Deriſor

(*q*) In *Exam.* Reform. In *Læto Nunt.* & in *Roma Sanct.* ſub fin. † Vid. hujus Libri *Indicem Rer.* in Lit. *R.* voc, *Reform.* & inde paſſim ipſum Librum. (*r*) In *Alloquio* ad Proteſtant. Spiritual. Directores, *Examini* præfixo; & in *Epilogo* ejuſd. Examinis.

Deriſor ille tantopere floccipendit, & inſtar magni illius Conviciatoris, cujus (r) *os maledictione plenum eſt*, putat ſe vel (s) *flatû* ſolò argumenta in eo contenta diſſipare & evertere poſſe, curetis in medio veſtrî per iterandam impreſſionem magna in copia haberi. Tunc demùm inter utriuſque noſtrûm opera juſtam collationem inſtituite, & videte, an velitis talem hominem, qualem ſe prodidit ille, ſuis convitiis, cavillis & illuſionibus, pro legitimo & idoneo veſtro *Defenſore* habere? Ne autem glorietur ille de *ſilentio* meo, ſciat, dudum me (juxta internam mei Salvatoris inſtructionem) prædixiſſe, tum hoc *ſilentium* ad tempus duraturum, tum etiam *Reſponſionem* ſuo tempore dandam: ut hoc ex ipſo meo *Alloquio*, in fronte dicti mei *Examinis* ad „*Proteſtantium* Doctores ſpecialiter directo, diſcere poterat: ubi hæc habeo: *Ego quid* „*contra hunc vel illum turbulentum meî invaſorem facere debeam, ſatis ſuperq́; poſt Scri*„*pturam S. diſcere poſſum ex ſequenti S.* Juſtini *Martyris inſtructione*: &c. Vide ibid. dicta. Et pauló póſt, ejuſdem Martyris verba hæc refero: *Adversùs clamitantem ſilentium te*„*nendum eſt.* Deinde ſubjicio his hæc mea immediatè: *At ſi quis ſuis clamoribus ſan*„*cta pacis conſilium turbare & evertere moliretur, contra eum quidem ad tempus exem*„*plo & imitatione Sapientis ſilendum eſt; ſed ſuo tempore, ſervatâ pietatis & pruden*„*tiæ lege, loquendum erit, juxta illud* Eccleſiaſtici: (t) *Homo ſapiens, tacebit uſq́; ad tem*„*pus.* Nam *laſcivi & imprudentis eſt non ſervare tempus.* Hæc ibi. Debebam etiam animo volvere illud Iſaiæ: (u) *Qui crediderit, non feſtinet*; ſeu, *non feſtinabit*: more ſcilicet quorundam turbulenter & præcipitanter agentium, ac putantium, ſibi non fore tempus ad loquendum, ſi (v) *cohiberent ſpiritum ſuum*, & non præcipitanter effunderent. Anno etiam 1698. in alio meo Opuſculo, hæc de illo *Examine* poſui: (x) *Quan*„*tumcunq́; vos opus illud contemnatis, -- vel è contra quantumcunq́; gloriemini, futurum* „*eſſe, qui ad illud reſponſurus ſit; ego humillimè in Domino confido, qui me docuit & do*„*cet in dies cæleſtis veritatis*, & *Eccleſiæ defenſionem cum Spiritu pacis faciendam, quòd* „*neq́; contemptum, neq́; reſponſum veſtrum expaveſco.* &c. Et aliquantò pôſt ſubjicio: „(y) *Qui me ipſe ſolus internâ vocatione internâq́; inſtitutione eduxit è medio veſtrî, &* „*qui ſolus excitavit per Spiritum ſuum ſanctum ad detegendos ingentes veſtra larvata Re*„*formationis naves, & ad defendendam in Spiritu pacis Eccleſiam Catholicam, atq́; ſic ad ſvadendam laborioſè ſanctam unionem; idem etiam deinceps juvabit me in ſanctis meis laboribus contra quoslibet adverſarios.* Atque hoc idem nunc quoque pari cum fiducia humillimè in Deo poſita, contra *Defenſorem* illum dico. Præmittendum erat hoc opus Studii *Prophetici*, utpote longè majoris momenti, quàm reſpondere ad illius convitia, calumnias & tergiverſationes. Qui juvit me in eo quod eſt majus, juvabit etiam in eo, quod eſt minus: ſed *tempus* ab ipſo laboribus meis deſtinatum, debeo obſervare. Cavete ergo ſcommata, virulentiam & vanitatem lingvæ dicti *Defenſoris* furioſi & nimis ſibi placentis, ſi mea opera, Spiritû modeſtiæ, ſanctæ pacis & charitatis conſcripta, non in majorem deſtructionem, ſed in ædificationem tum veſtrí tum aliorum vultis expendere, atq́; ſic ignem tot contentionum non plùs ac plùs accendere, ſed extingvere, iramq́; Dei flammantem, non ampliùs provocare, ſed potiùs placare, bonoque totius Chriſtianitatis conſulere, fixum apud vos habetis. Alioquí, furioſi, turbulenti, contentioſi, faſtuoſi, illuſores & indociles, non poſſunt eſſe æqui & juſti operum meorum cenſores & æſtimatores.

Quiſquis verò es benigne Lector, Deum & ejus Eccleſiam amans; habes jam hîc *Clavem* meam *Propheticam* adhuc anno D. 1691. *Oxonii* (ut ſupra quoque dictum) ru-

diorè

(r) Pſal. 10. (juxt. Hebr.) ℣. 7. (s) Ibid. ℣. 5. col. ult. expende juxta text. Hebr. (t) Eccl. 20. ℣. 7. (u) Iſa. 28. ℣. 16. col. ult. (v) Prov. 25. ℣. 28. (x) *Rom. Sanct.* Part. 2. §. 27. pag. 97. (y) Ibid. pag. 98.

Digitized by Google

diori Minervâ conſcriptam, (ac ideo in aliis quoq; operibus (z) antehac à me memoratam,) deinde verò partim *Romæ* an. D. 1657. partim & præcipuè hîc *Tyrnaviæ* poſt reditum, vicibus diverſis, uſque ad an. D. 1703. inter alios continuos labores (inprimis Archivum Venerabilis Capituli *Strigonienſis*, in tot millenis Literarum monumentis excutiendis, ac in ordinem & elenchos redigendis concernentes) longe pleniùs & accuratiùs exornatam, ac ordine meliori diſpoſitam; quâ utere & fruere in Dei gloriam, S. Eccleſiæ bonum, & animæ tuæ ſalutem. Obiter autem hîc moneo; quòd dum in hujus Operis Claſſe *Secunda*, ſub *Regula* 32da, (a) legis hanc vel ſimilem limitationem ſubinde occurrentem: *Natura ex lapſu reparanda convenienter*; ſcito eam ex placito admodùm Reverendi Patris Simonis *Karchne*, *Cancellarii* non ita pridem Univerſitatis *Tyrnavienſis* ac *Cenſoris* Librorum, mutuæ noſtræ in argumento illius loci concordiæ causâ, toties inſertam eſſe.

Deus ex ineffabili ſua bonitate, miſereatur ſuæ *Sionis*, (b) *ædificet muros* ſpiritualis *Jeruſalem*, & (c) *Suſcitet* ipsô rerum eventû jucundiſſimas ſuorum *Prophetarum prædicationes*, quô poſt tot ruinas Populi Chriſtiani jam tandem (d) reſtaurandas, (e) *exultet Jacob, & lætetur Iſraël.* Vale Chriſtiane Lector, meiſque piis in Dei gloriam ſtudiis fave, ac interim (qui Chriſtum amas) meî tuis in orationibus apud Deum memento. Dedi hoc Opus in manus Typographi, an. D. 1703. ſub exitum Menſis Junii; atq; jam nunc unà cum hac ejus *Præfatione* do publicæ luci, *Tyrnaviæ*, [*in* (*f*) *anguſtia temporum*,] die 2. Octobr. An. D. 1704.

(z) In Præfat. *Orig. Hung.* In *Exam.* & *Læto Nunc.* Sed nota; cum alius jam hîc ſit ordo capitum & paragraphorum ab eo, qui in priori forma erat; ideò ea, quæ hinc citantur in *Læt. Nuncio*, §. 48. pag. 103. nunc jam quæri debent Claſſ. 3. cap. 3. §. 3. & Claſſ. 1. cap. 1. §. 12. (a) Pag. 256. 266. 280. 284. & 298. (b) Pſal. 50. (al. 51.) ℣. 20. (c) Eccli, 36. ℣. 17. (d) Juxta Iſa. 61. ℣. 4. Ezech. 36. ℣. 10. 33. Pſal. 59. (al. 60.) ℣. 4. (e) Pſal. 13. (al. 14.) ℣. ult. (f) Phraſis eſt Dan, 9. ℣. 25. col. ult.

Tibi in Chriſto addictiſſimus,

Franciſcus Fóris Otrokocſi,

SS. Theol. Phil. & Jur. Utr. Doctorum minimus.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Correcta.*	*Pag.*	*Lin.*	*Errata.*	*Correcta.*
4.	7.	ἐςιν.	lege ἐςίν.	48.	6.	φιλομαθή	leg. φιλομαθῆ
9.	14.	*Fili*	leg. *Filii*	69.	14.	*illa*	leg. *ille*
13.	15.	(a)]	leg. (c)	72.	24.	illuſtandam	leg. illuſtrandam
19.	6.	*imorem*	leg. *timorem*	Ibid.	30.	*ausem*	leg. *autem*
24.	29.	poſt voc. *viſiones*, dele comma.		87.	22.	capus	leg. caput
28.	4.	*funiculum coccineum* leg. *funiculū coccineus*		92.	24.	*indutum*]	leg. (*m*) *indutum*
39.	18.	ſcutari 3.	leg. ſcrutari 3.	95.	33.	*oculus*	leg. *oculos*

*** 2 *Pag.*

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Correcta.*
97.	19.	memba	*leg.* membra
103.	15.	*Elia*.	leg. *Eliæ*,
112.	20.	לכם	leg. לכם
117.	36.	Spiritûs,	*leg.* Spiritus,
125.	22.	*rasione*	leg. *ratione*
130.	14.	martyrro	*leg.* martyrio
133.	4.	coævi	*leg.* coævi quoad ſæ-
137.	22.	*illè illi*	leg. *illi* (culum
140.	14.	mittantur;	*leg.* mittatur;
142.	1.	(*in marg.*) pro *	pone, (*x*)
169.	2.	2. Tim.	*leg.* 1. Tim.
Ibid.	1.	*in marg.* (*n*) *Iſa.*	leg. (*o*) *Iſa.*
174.	penult.	*in marg.* (*f*) 31.	leg. (*f*) §. 31.
175.	1.	*in marg. Craſſ.*	leg. *Claſſ.*
180.	26.	πρῶτυς	leg. πρώτυς
219.	20.	*Ash*, (ſecundo loco,)	leg. *Aish*,
230.	6.	πίγαμ	leg. πίγμα
242.	2.	*in marg.* ὀδιὰ	leg. ὁ διὰ
256.	28. & 29.	reſuscitandos	*leg.* reſuſcitandos
265.	2.	in marg. *collat.*	leg. *colô*
276.	26.	ἔπι	leg. ἐπι
281.	1.	in marg. (*m*) *Joan.* 8.	leg. (*m*) *Joan.* 11.
288.	1.	in marg. (*s*) *Ezech.*	leg. (*t*) *Ezech.*
302.	1.	nequaqum	*leg.* nequaquam
318.	19.	*Non* eſt	leg. *Nulli* eſt
326.	3.	in marg. *o.*	leg. *10.*
330.	29.	*vedent*	leg. *vident*
360.	2.	Ꝙ	leg. &
370.	11.	atuem	*leg.* autem
376.	1.	in marg. ℣. 13.	*leg.* ℣. 14.
377.	3.	adminitio	*leg.* admonitio
415.	5.	in marg. in fin. ℣. 4.	*leg.* ℣. 6.
429.	4.	*prædcabat.*	leg. *prædicabat.*
443.	13.	Partriatcharum	*leg.* Patriarcharum
450.	14.	poſt voc. fuſa.	*interſere*, (*g*)
450.	ult.	in marg. (*al.* 11.)	leg. (*al.* 119.)
459.	3.	in marg. p. 202.	*leg.* pag. 102.

In *Præfat.* pag. VIII. lin. 18. tmepote *lege* tempore

Reliqua minoris momenti, ut. v. gr. ubi *t* pro *r*, vel *n* pro *m* aut *u*, &c. poſita eſſent, & ſi quæ ſimilia parva ſunt, facilè lector benignus ex ſe corriget. In *Indice* etiam locorum *Scripturæ* S. ſi quid præter intentionem omiſſum eſt, uti inprimis ex pag. 198. lin. 8. id nemo inter tam multa loca citata miretur. Paucula etiam errata in eodem *Indice*, facilè doctus lector corriget.

ADDENDA quædam (imò & minuenda) pro pleniori *Correctione*.

Pag. 58. lin. 5. poſt verba: ſalvâ fidei rectitudine, *adde*: & expoſitionis cum ſcopo textûs congruentia.

Pag. 61. lin. 13. integram ſententiam *lege ſic*: qualis nunquam hactenùs ad plenum fuit:

Pag. 115. lin. ult. in margine, poſt &c. adde: *Confer Jerem. 30. v. 9.*

Pag. 120. lin. 13. poſt voc. infenſum, *adde*: Junge his exemplum *Danielis*, cap. 10. ℣. 7.

Pag. 139. lin. 8. *poſt verba*, non mutat: *adde*: Eſt nempe ordinarius Dei modus, debiles in principio & infirmos ſuos fideles ex Eccleſia, opponere hoſtibus ſuæ Eccleſiæ. Sic &c.

Pag. 154. lin. 2. poſt *voc.* nominantes. *adde*: Porrò quòd ait *Abbas* Joachim, verbis illis poſtremis, *Græcis redeuntibus* &c. *revelabuntur in Eccleſia generali*, &c. per *Eccleſiam generalem*, univerſa Chriſtianitas, in quantum non ſolum in Occidente, ſed & in Oriente, Auſtro & Septentrione eſt diſperſa, debet intelligi, ac per conſequens ipſi quoq; *Doctores* ex ejus mente in ea *revelandi*, de pleniori ſui numero ſunt accipiendi. Nam alioqui, *Doctores* aliqui verè *Evangelici*, in particularibus Occidentis Eccleſiis præcedent ſuâ prædicatione, veram, ſolidam & ſalutarem reunionem *Græcorum* cum S. *Romana* Eccleſia; imò authores erunt unà cum Vicario Chriſti talis eorum reunionis. Atq; ſic deinceps pleniùs paſſim in Orbe Chriſtiano tales Doctores revelabuntur. Hæc pro illuſtratione verborum *Joachim* dicenda erant.

Pag. 214. lin. 21. voci *tempeſtates*, præpone ſtellulam ſic: * & in marg. lin. ult. poſt vocem *utraque*, adde hæc: * *Hinc illud* Virgilii *Æneid.* 1. ℣. 539.--fluctû nimboſus ORION. *Et Æneid.* 4. ℣. 52. 53.-- Hyems & aquoſus ORION; quaſſatæq; rates. &c. *Conf.* Heſiod. *Oper. & dies*, *Lib.* 2. *Verſ.* 236. 237. 238.

Pag. 224. lin. 19. poſt voc. *Vinipotor*, adde: (ſeu, *vinô pingvis*,)

Pag. 225. lin. 18. 19. 20. *omiſſis quibuſdam vocibus in medio lege ſic*: Bohemi etiam voce idem ſignificante ita vertunt.

Pag. 235. lin. 5. ſub fin. *poſt*, ℣. 3. *adde*: 2. Cor. 4. ℣. 17. juxt. Vulg. verſ.

Pag. 258. lin. 16. tanquam &c. *lege ſic*: tanquam ſupremus Author, conſummator & coronator &c.

Pag. 301. lin. 30. poſt voc. documentia, *adde*: tametſi majoris lucis causâ unus vel alter ex recentioribus quoq; adducetur,)

Pag. 311. lin. 22. 23. ac per hoc &c. *lege ſic*: ac per hoc, etiam antequam mundus noſcat Chriſtum ut Judicem cum gloria ſua adeſſe, aptiſſima ſint ad judicandum alios ſubjecta.

Porrò, ſi quis forte pag. 291. lin. 17. 18. 19. 20. non videat quomodo verba S. *Auguſtini* adducta quadrarent illic ad ſcopum, is fruatur altero ejuſdem textû ibidem proximè ſubjectô.

IN-

Digitized by Google

INDEX ET SUMMA CAPITUM.

PRÆCOGNITA

Theologiæ Propheticæ præmittuntur duobus Capitibus.

CAPUT I.

IN quo, *præmiſſô* exordiô, *petitô à prædictione Divinâ* ſcientiæ ultimis temporibus augendæ, *traduntur ex parte* Præcognita Theologiæ Propheticæ; *utpote*, ratio *nominis, ob quam ſic dicitur*; *item*, Definitio *ejuſdem*, Objectum, Neceſſitas, Principium & Finis. Pag. 1. & ſequ.

CAPUT II.

In quo, *Scopus Authoris quoad modum & methodum in hoc Studio procedendi, diſtinctiùs proponitur, quòd hic, per* Regulas *certas trium Claſſium proceſſurus ſit: unde quaſi* tres Partes *hujus Studii fiunt.* Pag. 17. 18.

CLASSIS PRIMA REGULARUM,

Duobus Capitibus conſtans:

In quibus, *Octo* Regulæ generales, *vitam & ſtudia cujusq; ſtudioſi ſcientiæ hujus Propheticæ ſpectantes, traduntur & illuſtrantur.* Pag. 18. & ſequ.

CAPUT I.

In quo, *habentur primæ* quatuor Regulæ *generales Primæ Claſſis*; pietatem, *mentemq;* laborioſam, docilem, humilem, *à contentionibus alienam*, Scripturæ *S. & SS.* Patrum *lectioni deditam, pro hoc Studio prophetico requirentes.* Pag. 18. 19. & ſequ.

CAPUT II.

In quo, *quatuor poſteriores* Regulæ *Claſſis primæ traduntur, inſtruentes, quid in* lectione Authorum (*extra Scripturam S.*) *ſit obſervandum, etiam in iis, quæ* nova *videntur*; *& quæ* Scientiæ *ad hoc Studium requirantur.* Pag. 35. & ſequ.

CLASSIS SECUNDA REGULARUM.

Tredecim Capitibus *conſtans*:

Quorum undecim, Regulas 33. *promiſcuè* Prophetiarum & Typorum naturam, proprietates & ſcopum, *pro vero ex iis ſenſu eruendo pandentes*; *& reliqua duo* (*ſcilicet*, 12mum *ac* 13tium) Tractatum *de* Signis adventûs Domini, *ut* Appendicem Regulæ 33tiæ *tradunt*. Pag. 55. & ſeq. usq; ad 423.

CAPUT I.

In quo, *Regulæ* duæ *de* latitudine *& fœcunditate ſenſûs Prophetiarum & Typorum*, (*ſervatâ ſemper principalitate aliquâ ſcopi Spiritûs S.*) *traduntur & illuſtrantur.* Pag. 55. & ſequ.

CAPUT II.

In quo, *de* ſublimitate *& de* emphaſi *Prophetiarum ac Typorum*; *item*, *de Prophetiis ac typis in ultima tempora ſpectantibus*, Regulæ tres *traduntur & illuſtrantur.* Pag. 77. & ſequ.

CAPUT III.

In quo, *traditur* Regula ſexta *Claſſis* ſecundæ, *quâ docetur, multa loca* Prophetica & Typica *de* Chriſto *edita, in ejus corpore myſticò, ejusq; membris impleri.* Pag. 90. & ſequ.

CAPUT IV.

In quo, *traditâ* Regulâ ſeptimâ, *agitur de* duobus Teſtibus, *juxta* Scripturæ *ſacra & SS.* Patrum teſtimonia *venturis*, (*quibus vera populi Dei* reformatio *ſpecialiter eſt reſervata*;) *& quales illi futuri ſint, ſeu, quomodo veterum de* Elia *ejusq;* Socio [*ſignanter* Enocho] *venturis ſententia debeat intelligi, explicatur; eademq; ex ſcopo Spiritûs S. explicata, tum* teſtimoniis Doctorum *Eccleſiæ, tum etiam* argumentis *in* Scriptura S. *fundatis confirmatur.* Pag. 101. & ſequ.

CAPUT V.

In quo, *de* Luce *majori debinc in Eccleſia, ac* Populi Chriſtiani *in tot Sectas diſcerpti* renovatione; *de* Gentium & Judæorum converſione, *deq; majori quàm nunc eſt, populi Dei* ſanctitate, *veraq; ejuſdem in vita & moribus* Reformatione *futura.* Regulæ tres, (*ſcil. octava, nona & decima Claſſis 2da*) *traduntur & illuſtrantur.* Pag. 150. & ſequ.

CAPUT VI.

In quo, *de* Promiſſorum *etiam* corporalia *ſpectantium impletione aliquando ſecutura: de* Literali *prophetiarum & typorum* ſenſu, *quando & ubi talis admittendus eſt*; *de* ſpiritualitate corporalium *bonorum in Eccleſia certo ſenſu*; *de eo, ubi maximè* ſpiritualis ſenſus *eſt ſpectandus*; *item, de rebus* ingentibus & magnificis *adhuc in Eccleſia & Mundo futuris*, Regulæ ſeptem (*ab undecima usq; ad decimam ſeptimam incluſivè*) *traduntur & illuſtrantur.* Pag. 193. & ſequ.

CAPUT VII.

In quo, *de Libris* Job, Proverbiorum & Eccleſiaſtæ, Regula (*ordine 18va*) *traditur; quâ docetur, hos* Libros, *præter Literalem eorum ſenſum, piis ſcrutatoribus ultrò obvium*, myſteria *etiam futurorum continere, eſſeq; profundè* propheticos. Pag. 208. & ſequ.

CAPUT VIII.

In quo, *de quibuſdam prophetiarum* proprietatibus, methodo, conſonantia, numeris *myſticis, conſuetis quibuſdam* dicendi modis *ſeu* phraſibus *ſubinde* recurrentibus, *& ſimilibus cognitu in hoc ſtudio neceſſariis*, Regulæ tredecim (*ſcilicet à* decima nona, *usq; ad* triceſimam primam *incluſivè*) *traduntur; quarum pleraq; breviter tantùm, aliqua verò, (ut* 20ma *& 28va.) pleniùs ceteris illuſtrantur; at ſignatè circa vigeſimam*, momentum & ordo reſurrectionis *futura, ut &* Tuba *eam præcedens explicantur.* Pag. 227. 228. & ſequ.

CAPUT IX.

In quo, Regula *una, quæ in Claſſe Secunda, eſt ordine* Triceſima-ſecunda, *de futura in hîc terris* omnium Reſtitutione *traditur, quidve ſit illa* Reſtitutio (*per os omnium SS. Prophetarum annunciata*) *explicatur; quâ occaſione indicatur, quòd hæc* Reſtitutio, *in* Sanctis *illis, qui* vivi in adventu Domini *invenientur, erit maximè conſpicua, ut qui ante publicam Judicii apparitionem*, *in* ſtatum integritatis *ſunt reſtituendi. Deinde, ipſa hujus* Reſtitutionis doctrina, *validis argumentis probatur.* Pag. 254. & ſequ.

CAPUT X.

In quo, *de* Adventu Domini, *de* Die Domini, *deq;* Judicio *futuro*, Regula *Secunda Claſſis ordine* Triceſima-tertia *traditur; & explicando, quid* Adventus Domini, *quid* Dies Domini & Dies judicii *ſignificent, quàmve* largô *ſensû hæ phraſes juxta Scripturam S. ſint accipiendæ, fusè illuſtratur.* Adventum Domini *ſecundum, præter ipſius* perſonalem apparitionem *publicam, includere ſub ſe etiam* adventum *ejuſdem* Domini *in ſuis* operibus *glorioſis, ac ſpecialiter* in ſuis Sanctis, *luculenter demonſtratur.* Pag. 302. & ſequ.

CAPUT XI.

In quo, *continuatur* Regulæ Triceſimæ tertiæ *illuſtratio à deſcriptione* rerum *illarum, quæ in futuro illo* judicio *tremendo, ante perſonalem Domini apparitionem publicam* (*juxta S.* Hieronymi *in quædam loca* Ezechielis, Sophoniæ & Joëlis *expoſitionem*) *in terris peragentur: unde etiam principalis infertur Concluſio, de* latitudine Diei Domini, & Diei judicii *futuri. Subnectitur demùm ſalutaris* admonitio *tam tremendo argumento accommodata.* Pag. 358. & ſequ.

CAPUT XII.

In quo, *de* Signis adventûs Domini, *eidem adventui* propioribus, *uſq; ad* decem *enumeratis agitur; quæ dum tractantur & explicantur*, (Signi *interim* quinti, *h. e.* Signi Filii hominis, *Matth.* 24. ℣. 30. *peculiari tractatû in Caput proximè ſequens dilatô,*) *monſtratur occaſione* octavi & noni *Signi futurus* Antichriſti *ex* aurora *lucis & felicitatis ultimi temporis ortus; ejusq;* iniquitatis *detectio &* perſecutio *in Sanctos unà cum magna hominum carnalium ſui temporis* ſecuritate, *pro* decimo *& ultimo* Signo *ponitur.* Pag. 377. & ſequ.

CAPUT XIII.

In quo, *reditur ad* quintum *Adventûs Domini* Signum, *quod* Signum Filii hominis in Cœlo apparriturum *dicitur; idq;* (*juxta proximi capitis promiſſum*) *explicatur.* Literalia *primùm* Signa *huc facientia* (*ut ſunt*, Columna, [*ſeu* Cometa] Iris & Crux) *recenſentur; demùm itur ad* ſpirituale *& principale Signum. Subnectitur aliquid etiam de* tempore *eventurorum bonorum.* Pag. 392. & ſequ.

CLASSIS TERTIA REGULARUM,

Quatuor Capitibus (& octo *Regulis*) conſtans;

De Typica & Prophetica Hiſtoriarum *ſacrarum ratione.*

CAPUT I.

In quo, prima *tertiæ Claſſis traditur & illuſtratur* Regula; *quâ docetur, ipſa quoq; geſta typicæ perſonæ, omnia eſſe* typica. Pag. 423. & ſequ.

CAPUT II.

In quo, Secunda *Claſſis tertiæ* Regula *traditur; quâ docetur (& exemplis illuſtratur,) res in ſacra* Hiſtoria *in ſe* exiguas, *vel* verecundiam *quandam ſecum ferentes, magna in ſe* futurorum *continere myſteria.* Pag. 434. & ſequ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

In quo, Regulæ *quinque, ſcilicet* tertia, quarta, quinta, ſexta & ſeptima *tertiæ Claſſis traduntur: quarum* tertia *ex* magnificentia *etiam* rei *narratæ cognoſci eam eſſe typicam;* quarta, *unius* rei diverſos *eſſe typos;* quinta *unius* typi, varia *in eadem re ſignificata;* ſexta, *unius* typi differentia (*diverſo reſpectû*) *eſſe objecta;* & ſeptima, *qualis potiſſimùm* ſenſus *in* typis *ſit ſpectandus, docet.* Pag. 443. & ſequ.

CAPUT IV.

In quo, Regula *tertiæ Claſſis* octava, *docet, typos Vet. Teſt. ad myſticum Chriſti corpus relatos, ex principali ſuo ſcopo, ad* ultima *ſpectare* tempora: *idemq́; de* cæremoniis *quoq;* Moſaicis *dicendum eſt. Demùm ſubjungitur peculiaris de* Chriſti *Domini* geſtis (*ut myſterio plenis*) Obſervatio. Pag. 447. & ſequ.

EPILOGUS,

Salutarem bujus Clavis Propheticæ uſum, *tum pro* privata *cujusq; verè fidelis animæ* conſolatione, *tum etiam pro* publico *Chriſtianorum* bono, *per ſanctam* pacem & fidei unitatem *conſequendo, monſtrans.* Pag. 455. & ſequ.

CONSENSUS SUPERIORUM

de hoc Libro *typis imprimendo.*

IMPRIMATUR.

Simon Kärchne, Soc. J.
Cancellarius Univerſitatis Tyrnavienſis.
Die 25. Junii, 1703.

Et (poſt illius abitum) ſeorſim pro Præfatione *& iis, quæ eam præcedunt:*

Martinus Szent-Jvány, Soc. J.
Academiæ Tyrnavienſis Cancellarius.
Die 2. Jul. 1704.

THEO-

THEOLOGIA PROPHETICA,

SEU,

CLAVIS PROPHETIARUM

ET

TYPORUM SCRIPTURÆ SACRÆ.

Cujus in limine, primis duobus Capitibus, *præmittuntur ejus*

PRÆCOGNITA.

CAPUT I.

In quo, *præmiſſo* Exordio, *petitô à prædictione Divina* ſcientiæ ultimis temporibus augendæ, *traduntur majori ex parte* Præcognita Theologiæ Propheticæ, *utpote*, ratio *nominis, ob quam ſic dicitur*; *item*, Definitio *ejusdem*, Objectum, Neceſſitas, Principium *&* Finis.

I.

COEleſtis ille (a) *Viri deſideriorum* Danielis inſtructor, de ultimi temporis fidelium ſtrenuo in acquirendis ſibi variis ſcientiis, ac inprimis circa Scripturam S. labore, & arcanorum in ea reconditorum augenda ipſis cognitione, hunc in modum vaticinatus eſt: (b) *Tu Daniel, claude ſermones* iſtos, *& obſigna Librum* hunc, עַד עֵת קֵץ, *usq; ad tempus finis*, ſeu *ad tempus ſtatutum*, juxta Vulgatam; (quod *tempus* rectè

(a) *Dan. 10.v.11.&9.v.23.* (b) *Ibid. cap. 12.v.4.*

Digitized by Google

S.*Gregorius* M. de (c) *fine Mundi* intelligit, uti etiam LXX. Interpretes habent, ἕως καιρῦ συντελείας, h. e. *usq; ad tempus conſummationis*, Mundi ſcilicet in malo poſiti;) quò *plurimi pertranſibunt*, ſcilicet causâ ſcientiæ & experientiæ uberioris, longinquas & varias regiones peragrando; vel etiam juxta *Pagnini* & Ariæ *Montani* verſionem: *Diſcurrent multi*, videlicet ingeniis ſuis, de rebus arduis inquirendo, diſſerendo, & profunda penetrando: *Et multiplex erit ſcientia*; nimirùm, quia non ſolum multa de multis de novo homines ingenioſiſſimi inventuri & in lucem producturi ſunt; ſed etiam, quia *multiplicabitur* (ut Pagninus vertit) *ſcientia*, ſeu augebitur de quacunq; re ſcibili, imprimis de rebus Divinis, & *largiùs cum tempore exreſcet*; ut pauló ante memoratus S. *Gregorius* (d) eruditè exponit. Jeremias quoque binis in locis etiam conſignavit, quòd (e) *in noviſſimis diebus* ipſius Prophetia eſſet exactiùs *intelligenda*. Quapropter cum hæc & ſimilia legimus, incumbit nobis, (f) *in quos* multò magis jam quàm in Apoſtolos, *fines ſæculorum devenerunt*, ut ad ſcrutandas ſacras Prophetias, & myſteria in iis recondita, implorato auxilio cœleſti, nos ſtrenuos & indefeſſos exhibeamus, atq; huic piæ occupationi nos totos conſecremus. Quod ſanè me maximè movit, ut non ſolùm ipſe Divinas ſcrutarer Prophetias, ſed etiam operam darem, ut aliis quoq; in tot animorum diſſidiis, tantaque populi Chriſtiani dilaceratione, aliquid luminis, quô eas feliciùs ſcrutari poſſent, pro menſura gratiæ à Deo acceptæ ſuppeditarem.

II. Ut autem aliis in hoc ſacro labore, illis imprimis, qui hanc ſacram exercitationem pro deliciis ducunt, & qui gemunt ſuper tot Mundi iniquitatibus, quive bonum S. Eccleſiæ curandum altè pectoribus infixum habent, talentum mihi indigno divinitùs concreditum, majori cum fructu diſpenſare, ſubſidiumq; efficacius conferre poſſim; conſtitui hîc brevem exponendarum *Prophetiarum* ac *Typorum* Scripturæ Sacræ, & aperiendorum (ſucceſſu temporis) ejus arcanorum *Clavem* conſtruere, ac in uſum piis & ſedulis Scripturæ S. lectoribus & ſcrutatoribus concedere.

III. Hanc verò *Clavem*, meritò voco etiam *Theologiam Propheticam*: eò quòd docet & aperit nobis partem illam τῦ λόγυ τῦ Θεῦ, *Verbi Dei*, quæ eſt Prophetica.

IV. Et cum hanc denominationem huic *Clavi* damus, quòd ſit Theologia *Prophetica*; ſciendum eſt, *Prophetiam* non unius tantùm eſſe ſignificationis in Scriptura Sacra. Omitto nunc latiſſimam illam *Prophetiæ* ſignificationem, quâ *Propheta* ſignificat in genere interpretem Divinæ voluntatis; (Exod.

(c) *Expoſit. Moral. in Job. Lib. 9. cap. 8. (al. c. 6.) in Cap. 9. Job.* (d) *Loc. cit. in Job.* (e) *Jerem. 23. v. 20. & cap. 30. v. ult.* (f) *1. Cor. 10. v. 11.*

(Exod. 7. ℣. 1.) Omitto etiam, quòd lumen propheticum aliquando etiam ad præterita, vel præſentia occulta extenditur; (qua de re vide D. *Thom.* Aquin. (*g*) & hîc Paragraph. XII. hujus Cap.) ſed ea hîc tantùm dicemus, quæ maximè ad noſtrum ſcopum faciunt. Videlicet; *Prophetia* in Scripturis aliquando ſignificat; (1.) futurorum prædictionem ex revelatione Dei, ejuſdem nomine & authoritate factam. Vide 2. Paral. 15. ℣. 8. 1. Eſdr. 6. ℣. 14. Dan. 9. ℣. 24. Matt. 13. ℣. 14. 2. Pet. 1. ℣. 20. 21. Sic alibi etiam paſſim multis in locis ſub verbo *prophetandi*, præprimis in Codice Vet. Teſtam. Hinc illa definitio Prophetiæ apud D. *Thomam* ex Caſſiodoro: (*h*) *Prophetia eſt inſpiratio vel revelatio divina, rerum eventus immobili veritate denuncians.* Vocatur hæc prophetia etiam *Viſio*; Iſa. 1. ℣. 1. Abd. ℣. 1. Ezech. 12. ℣. 27. Dan. 8. ℣. 13. 26. & alibi frequenter. Quia verò *viſio* prophetica, primariò in mente debet eſſe, juxta illud D. Thomæ: (*i*) *Prophetia primò & principaliter in cognitione conſiſtit, ſecundariò in locutione*; hinc unusquisque internè ſeu in mente debet priùs eſſe *Propheta* inſtructus cœleſti lumine, antequam dicere poſſit aliquid de futuris: atque inde interna quoq; *viſio* futurorum, rectè poteſt vocari *prophetica* præcognitio. Uterq; prophetiæ actus (tum internus tum externus) ſubintelligitur Prov. 29. ℣. 18. (*k*) in veteri Latina verſione, ſub notione *prophetia*; quæ vox ibi quoad ſenſum rectè tranſlata eſt ex Hebræo חזון, *Viſionem* propriè ſignificante: ut excuſſio textûs liquidò oſtendit. Juxta hactenùs explicatam *prophetiæ* ſignificationem, *prophetabant* olim non ſolùm *Prophetæ* (ſpecialiùs ſic dicti) in Vet. Teſtamento, ſed etiam in Novo quidam; (*l*) ut *Agabus*; item, S. *Paulus* & S. *Petrus* paſſim: item *Judas* in Epiſtola Canonica; ac præſertim S. *Joannes*, qui (*m*) *infinita futurorum myſteria* vidit in Divina ſua Apocalypſi, quam etiam κατ' ἐξοχὴν *Prophetiam* vocat. Apoc. 1. ℣. 3. collat. ibid. cap. 22. ℣. 7. 9. 10. 18. 19. Atq; hæc ſignificatio *prophetiæ* (nunc ſub hoc, nunc ſub cognatis terminis) eſt maximè uſitata & frequentiſſima in Scripturis ſacris, imprimis in Codice Vet. Teſtamenti; cumq; tali *prophetia*, etiam donum explicandi Prophetias exſtantes, (de quo ſtatim dicturi ſumus,) adeſt nonnunquam, ſcilicet ex ſpeciali & ulteriori illuminatione ac informatione cœleſti; (ut patet, Dan. 2. ℣. 28. 29. usq; ad 45. & cap. 4. ℣. 16. -- 23. & 5. ℣. 25. 26. 27. 28. Ubi partim ſomnia, partim ſigna prophetica explicat *Daniel*; cui exemplo jungatur etiam illud *Joſephi*, Gen. 40. ℣. 18. 19. 20. & cap. 41. ℣. 25. 26. . 32.)

(*g*) *Secund. 2dæ, Qu. 171. Art. 3.* (*h*) *Loc. cit. Obj. 1.* (*i*) *Loc. cit. Art. 1. in Concl.* (*k*) *Textus ibi ſic ſonat:* Cum prophetia defecerit, diſſipabitur populus. (*l*) *Act. 11. v. 28.* (*m*) *Dictum S.* Hieronymi *Lib. 1. adverſ. Jovinian. Tom. 2. Epiſt.*

aliquando verò deeſt eidem; ita ut hoc non ſemper jungatur neceſſariò cum lumine prædicendi futura: ut clarum eſt ex Dan. 12. ℣. 8. *Et ego* (inquit Daniel) *audivi & NON INTELLEXI.* Quædam *Prophetiæ* hujus generis per excellentiam ſic dictæ veſtigia, manſerunt aliquamdiù etiam poſt exceſſum Apoſtolorum in Eccleſia primitiva: quod docent nos illa S. *Juſtini* Martyris verba: (*n*) Παρὰ γὰρ ἡμῖν, καὶ μέχρι νῦν, Προφητικὰ χαρίσματά ἐστιν. *Apud nos enim, huc usq; etiam* (h. e. ad an. D. 150.) *prophetica exſtant dona.* Et apud S. *Irenæum* (an. D. 180.) hæc ſequentia: (*o*) *Alii, & præſcientiam habent futurorum; & viſiones.* Item: (*p*) *Multos audivimus fratres in Eccleſia, prophetica habentes chariſmata.* Taceo hîc (*q*) *Origenis*, (an. D. 230.) (*r*) *Cypriani*, (eodem ſeculo,) & (*ſ*) *Theodoreti* (an. D. 440.) de ſuis temporibus in hanc rem teſtimonia. Hæc de primo ſignificatu *prophetiæ.*

V. Aliquando verò *prophetia*, ſignificat (2.) donum illud præclarum, quô quis Scripturam ſacram, ac præſertim *Prophetias* & *Typos* (ſeu umbras) in Scripturis exſtantes (pleniùs vel parciùs pro menſura doni) intelligit, & in aliorum uſum explicare poteſt. Hoc ſenſû accipitur *Prophetia* ſubinde apud S. *Paulum*; imprimis 1. Cor. 14. nunc ſub eodem termino, nunc ſub ejus cognatis. Vide ibid. ℣. 1. 3. 4. 5. 6. 22. 24. 29. 30. 31. 32. 37. 39. Ubi ſtatim ℣. 1. hæc leguntur: *Æmulamini ſpiritualia; magis autem ut PROPHETETIS*; ſenſû nimirùm nunc explicato: quem illuſtrant nobis ſequentia *Lyrani* in eundem verſum verba: (*s*) *Sic accipitur hîc prophetare; ſcilicet, viſiones ſibi vel aliis factas, per lumen intellectuale ſibi datum EXPONERE.* Ita etiam *Gloſſa* Ordin. hoc loco, *prophetiam* explicat per (*t*) τὸ *exponere Scripturas, quæ de futuris agunt.* Et Commentator ſub nomine S. *Ambroſii* ad verſum 4tum dicti capitis ſic ſcribit: *Prophetas interpretes dicit Scripturarum. Sicut enim Propheta futura prædicit, quæ neſciuntur; ita & hic dum Scripturarum ſenſum, qui multis occultus eſt, manifeſtat, dicitur prophetare.* Notari autem hîc velim, quòd qui Apoſtolorum tempore, hoc dono interpretandi Scripturas propheticas in menſura excellentiori (quâ ſcilicet, etiam de futuris [quibusdam ſaltem] eventibus *Prophetias* & *Typos* aliquatenùs intelligerent) inſtructi cælitùs erant, illi ſimul virtute ejuſdem doni, etiam de prioris generis *prophetiæ* dono, (h. e. de lumine prævidendi & prædicendi futura) aliquid participârunt: uti Apoſtoli ipſi, ac præſertim inſigniores inter eos. Talem cenſeo fuiſſe etiam S. *Stephanum* Protomartyrem; Act.

(*n*) *Dial. cum Tryphon. pag.* (*mihi*) 308. (*o*) *Iren. Lib.* 2. *c.* 57. (*p*) *Lib.* 5. *c.* 6. (*q*) *Lib.* 1. *contr. Celſ.* (*r*) *Epiſt.* 8. & 10. *juxt. edit. Pamel.* (*ſ*) *Theodoret. Comment. in Joël. c.* 2. (*s*) *In* 1. *ad Cor.* 14. *v.* 1. (*t*) *Ibid. ad v.* 6. *Confer in eund. loc. etiam* Primaſium.

Act.6. & 7. item, *Philippum* illum Diaconum & Evangeliſtam unà cum quatuor filiabus, de quibus Scriptura S. diſertè dicit, quòd fuerint (*u*) *Virgines prophetantes.* Hoc ipſo enim quòd *Prophetiarum* ac *Typorum* ſenſum etiam de futuris (quibusdam ſaltem) eventibus intellexerunt, & quidem lumine extraordinario, de facto etiam donum prævidendi ac prædicendi aliqua futura, habuerunt. Poterant tamen tunc donum prævidendi & prædicendi futura, etiam ex alia ſpeciali gratia habere: uti habuerunt *Prophetæ*, S. *Joannes* Evangeliſta, & alij quidam ipſius ævo. Nec erat neceſſe, ut iſtud in omnibus perſonis & ſemper (quod jam ſupra (*v*) monuimus) jungeretur cum dono explicandi prophetias. Sed hæc obiter & velut in digreſſu.

VI. Præmiſsâ hâc *Prophetiæ* diſtinctione jam explicatâ; dicimus, hanc *Theologiam*, ſeu *Clavem*, ab utraque ſignificatione *Prophetiæ*, rectè denominari *Propheticam.* Si enim objectum immediatum & principium hujus ſpectetur; verſatur hæc circa *Prophetias* Scripturæ S. unà cum *Typis* (utpote Propheticis) explicandas; ex iisdemq; tanquam principiis ſuas concluſiones deducit; ideoq; ab hoc ſuo objecto ſimul & principio (ſcil. à Scripturis propheticis) rectè dicitur *Prophetica*, (hoc eſt, ſic denominata,) quantum ad primam ſignificationem *prophetiæ.* Si verò à munere & actu hujus eſſentiali, vel ab habitu qui per hanc ſcientiam acquiritur, eam denominemus; jam ſic poſteriori ſensû venit hîc *Prophetia* in conſiderationem. Nam munus & actus hujus eſt, *Prophetias* ac *Typos* explicare; quod fit per donum illud prophetias interpretandi jam memoratum: ac pariter habitus qui hîc acquiritur, eſt ipſiſſimum lumen vel facultas interpretandi prophetias & typos. Atq; hæc poſterior denominatio ab actu & habitu, eſt hîc potior; utpote, huic ſcientiæ intrinſeca: & per hanc ſcientiam proximè & immediatè homo, non priori, ſed poſteriori ſenſu fit *Propheta*; h. e. qui intelligit, & (pro re nata) exponere poteſt *prophetias* & *typos.* Hâc tamen poſitione non negamus, quin aliquis poſt piam, diligentem & indefeſſam Scripturarum ſcrutationem, poſſit tandem aliquando Deo ulteriùs gratioſè ipſum illuminante, in eum donorum cœleſtium ſublimari gradum, (præſertim ultimis jam temporibus, juxta Dan.12.℣.4.& Joël.2.℣.28.29. coll. Act.2.℣.17.) ut eorum virtute etiam futura aliqua prævideat. Si quis enim v. gr. in intelligendis *prophetiis* & *typis* eximiam aliquam (ſupra alios) perfectionem eſt conſecutus, hoc ipsô etiam futura aliqua prævidere poteſt; (eâdem ratione, quâ dictum eſt ſupra de veterum dono extraordinario intelligendi prophetias excellentiore;) at non alia, ſed quæ latent in Verbo prophetico hactenùs ſcriptis conſignato. Unde fit, ut quò quis dili-

(*u*) *Act.* 21.v.9. (*v*) *Paragr. IV.*

diligentiùs in timore Domini ſacro huic labori incumbit, eò majorem hîc cum tempore aſſequatur perfectionem; ita ut poſſint demùm in eo dona ordinaria in eam à Deo provehi excellentiam, ut ea comparatè ad aliorum dona, quodammodo ſint extraordinaria: imò ſi talis in ardentiſſimis precibus & veræ pietatis exercitio, juxta indefeſſos labores ſacros perſtiterit, re verâ etiam conſequetur lumen extraordinarium (ſupra ſua ordinaria dona) pro intelligendis Scripturæ S. arcanis. Nec enim negandum eſt, poſſe etiam hodie eos dona extraordinaria conſequi à Deo, qui ſe ſe totos eidem conſecrârunt; ſicut negari non poteſt etiam poſterioribus jam ſeculis adfuiſſe quibusdam piis ac Deum timentibus, lumen extraordinarium in intelligendis ac percipiendis rebus divinis: quod exemplis demonſtrare non eſſet operoſum. Non eſt ergò abſonum dicere, quòd diligens aliquis Prophetiarum ſcrutator, poſſit demùm virtute luminis excellentis ſibi à Deo ad intelligendas Scripturas Propheticas communicati, etiam futura quædam clarè & certò prævidere. Ex quo, eò magis patet, quàm recte hæc ſcientia intituletur *Prophetica Theologia*.

VII. Opportunè autem hoc loco tenendum eſt de modo, quô Deus in revelandis ad homines (inprimis ad ſuos) Prophetiarum & Typorum arcanis utitur. Nimirùm Deus aſſiduis ac fidelibus Scripturæ Sacræ ſcrutatoribus, hujus vel illius *Prophetiæ* aut *Typi* ſenſum integrum & plenum, non ſimul & ſemel, nec intra breve aliquod tempus, ſed in dies, pedetentim & gradatim (*x*) ſolet revelare; (quod & de Eccleſia obſervandum;) ita ut hâc vice aliqua pars ſensûs detegatur; mox aliâ vice ulterior ac plenior pars, usq; dum integrè tandem intelligatur, ſi non ab ejusdem ævi Doctoribus & fidelibus, ſaltem à ſucceſſoribus eorum aliquando. Quicunque novit ex Scriptura, Deum ſuam Eccleſiam militantem, gradatim ducere ad perfectionem, ut tandem omnia ejus vera ac viva membra evadant (*y*) *in virum perfectum*, is nîl dubitat de veritate hujus axiomatis. Quod obſervatum, nos docet, Doctores Eccleſiæ poſteriorum temporum, ſi piè & diligenter Scripturas rimentur, longè plura poſſe jam intelligere de myſteriis *Prophetiarum* & *Typorum*, quàm ſuperiorum ſæculorum Doctores intellexerunt. Nam Doctores poſterioris ævi, poſſunt conſulere etiam ſcripta præcedentium Doctorum, ex iisq; lumen aliquod ſibi pro intelligendis Scripturis acquirere; ac inſuper *ſcientia* in dies creſcere debet, præſertim ultimis jam temporibus, juxta *Danielis* vaticinium (cap. 12. ℣. 4.) ſupra (*z*) à nobis illuſtratum. Et certè vel ipſa experientia plurium temporum, auget ſcientiam Doctorum poſteriorum.

VIII. Cum

(*x*) *Colliges hoc faciliè ex Philip. 3. v. 15.* (*y*) *Eph. 4. v. 13.* (*z*) *Paragr. I. huj. Cap.*

Digitized by Google

VIII. Cum etiam conſtet, Deum dona ſua diſtribuere hominibus (*a*) *ut vult*, huic nempe hanc partem donorum ſuorum, alteri alteram; huic hôc modo, alteri illô modo; uni plus, alteri minus; hinc proclive eſt & hoc intelligere, quòd Deus nonnunquam hanc partem veri ſensûs per hunc Doctorem, alteram per alterum, tertiam per tertium aliquem facit exponi, & Eccleſiæ manifeſtari: quamvis non raró iidem Doctores, eodem Spiritû Dei ferventes, easdem partes ſensûs, ferè æqualiter & uniformiter tangere ſoleant.

IX. Obſervandum & hoc pio Prophetiarum ſcrutatori; quòd Deus aliquando adducit aliquem Prophetiæ hujus vel illius eventum, quem tamen primùm & illicò (juſto præſertim Dei adversùs ingratos homines judiciô, & benigno erga ſuos favore,) non niſi rariſſimi, iiq; Deo fideliſſimi animadvertunt; quibus nempè ipſe Deus ex ſua miſericordia (eâ quâ ei placet viâ & modo) revelat & ſignificat: ut hoc ex primo Salvatoris noſtri in Mundum adventu (*b*) diſcere poſſumus. In aliis etiam habet Deus ſapientiſſimas rationes, cur aliquem prædictionis eventum, non illicò clarè manifeſtet promiſcuè hominibus, ſed cum tempore. Quod inſtruendo monet fideles, inprimis in ſpecula ſtantes; ut ita ſecundùm Dei verbum vigilent, ne fortè jam aliquid adſit ex ſignis temporum ultimorum, & Adventûs Domini, quod ipſi non animadvertunt. Uno verbo: qui Deum amat, ſtudeat eſſe è numerò illorum *intelligentium* ac prudentium ultimi temporis, de quibus prophetat Daniel, cap. 12. ℣. 10. col. ult. collat. Matt. 25. ℣. 4. 9. 10. Atq; interim dum quiſpiam exiſtimat ſe è numero talium eſſe, aut ſaltem ſtudium ſe adhibere, ut talis inveniatur, benè videat, ne ratione apprehenſorum à ſe eventuum in aliud hîc extremum incidat; nec illicò ex quibusdam præludiis ſeu prodromis concludat, hanc vel illam prophetiam plenum & adæquatum ſuum implementum jam ſortitam eſſe. Qua de re alibi hoc in Libro (*c*) erit nobis plenior dicendi locus. Hæc occaſione denominationis hujus *Theologiæ propheticæ*, pro majori ad ulteriora luce, dicta ſufficiant. Nunc ad definitionem ejuſdem progrediamur.

X. Cum Theologia (ſupernaturalis) in genere ſatis rectè definiatur, quòd ſit *doctrina ex verbo Dei revelato, de Deo rebusq; divinis*; vel pleniùs, *de credendis & faciendis in ejus gloriam & noſtram ſalutem*; (ubi in objecto, *de credendis*, comprehenduntur etiam *futura* verbo Dei prænunciata;) hinc etiam hæc propago Theologiæ, quæ eſt *Prophetica*, optimè definiri poteſt, quòd ſit *doctrina ex verbo Dei revelato de futuris* (ſeu de implementis Prophetia-

(*a*) 1. *Cor.* 12. *v.* 11. (*b*) *Luc.* 2. *v.* 7. 8. 25. 36. 38. *Conf. Luc.* 1. *v.* 40. 41, 67. 68. *& ſeqv.* *& Matt:* 2. *v.* 1. 2. (*c*) *Infr. Claſſ.* 2. *cap.* 1. (*ſub Reg.* 1.) §. 16.

phetiarum ac Typorum) *inveſtigandis , in ipſius Dei gloriam, & noſtram conſolationem , ſalutemq́, æternam.*

XI. *Futurorum* mentione , æquè hîc includuntur ea quæ jam ſunt impleta de prophetiis vel typis , ac quidem implenda ; ita ut eâ voce nunc ſolummodò indicetur, rem in objecto hujus Theologiæ *prophetica*, eò reſpectû conſiderari, quo eſt , vel fuit aliquando *futura*.

XII. Non etiam ignoro *Propheticam* ſcientiam in pleniori ſenſu , ac menſura luminis perfectiore , extendi etiam ad præſentia & præterita latentia ; (quod & ſupra (*d*) jam eſt à nobis inſinuatum ;) ut patet ex 4. (al. 2.) Reg. 5. ℣. 25. 26. & Joan. 4. ℣. 18. 19. & ex *ſomnio* illo per *Danielem* revocato, Dan. 2. ℣. 5. 31. - 36; (unde, creſcentibus in dies donis in Eccleſia , non impoſſibile judico , quin aliquando ſciri & illud poſſit , utpote ad Dei gloriam ſpectans , quænam fuerint *ter mille* ſententiæ *parabolica* , & *carmina* ſeu *cantica quinquè & mille* Salomonis , nec non dicta ejus de *arboribus* , de *plantis* minoribus , de *jumentis* , aliisq́; animalibus , de quibus eſt mentio , 3. (al. 1.) Reg. 4. ℣. 32. 33.) verùm quia præſentia & præterita occulta nôſſe , non tam ad eſſentiam , quàm ad pleniorem communicatæ hominibus *prophetia* κατ' ἐξοχὴν ſic dictæ , gradum pertinet; quod ex omnium Prophetarum veterum munere ac prædicatione facilè colligi poteſt , ac imprimis ex loco Iſa. 41. ℣. 21. 22. 23. ; nec etiam per hoc ſtudium Propheticum , quà ordinarium eſt , præteriti vel præſentis occulti , ſed *futurorum* in prophetiis ac typis occultatorũ ſcientiam , nobis comparare poſſumus , in idq́; ſolùm hujus adminiculo enitimur ; ideò *futuri* ut potioris imò proprii objecti Prophetiarum ac typorum habitâ ratione, rectè & ſufficienter à nobis pro objecto ſcientiæ hujus propheticæ , ponitur *futurum*, ex verbo Dei inveſtigandum ; quod videlicet eſt adhuc , vel fuit aliquando futurum. *Futurum* porrò tam latum & vaſtum hîc eſt, ut omne quod in æternitate homini futurum eſt , comprehendat.

XIII. Sed fortè contra hoc , quod objectum hujus ſtudij Prophetici , ſtatuimus non ſolùm illud *futurum* quod aliquando fuit futurum , ſed etiam id quod adhuc eſt *futurum* ac deinceps eventurum , objiciet aliquis illud S. Irenæi : (*e*) *Omnis Prophetia , prinſquam habeat effectum , ænigmata & ambiguitates ſunt hominibus. Cum autem venerit tempus, & evenerit quod prophetatum eſt, tunc Prophetiæ habent liquidam & certam expoſitionem.* Hinc „ poſſet quiſpiam hoc modo argumentari: Quod nobis ſcire eſt negatũ, illud „ fruſtra inveſtigatur: Atqui Prophetiarum & typorum objectum , quà adhuc „ *futurum* eſt , ſcire nobis eſt negatum : fruſtra ergo inveſtigatur. Et per conſe-

(*d*) §. *IV.* (*e*) *Lib. 4. adverſ. Hær. c. 43.*

„conſequens, ſtudium circa *Prophetias* & *typos* pro noſcendis *futuris* eſt fruſtraneum. Verùm nego aſſumptionem, ſi ſimpliciter eam & ſine limitatione quiſpiam intelligat. Non enim hoc vult indicare *S. Irenæus*, quaſi ſimpliciter & abſolutè omnibus hominibus *ænigmata & ambiguitates* eſſent *Prophetiæ* ante ſuum implementum; ut ſtatim patebit. *Prophetia* ergo & *typus*, (1.) antequam effectum ſeu implementum ſortiantur, ſunt *ænigmata* & meræ *ambiguitates hominibus*, ſcilicet in purè naturali ſuo ſtatu corrupto conſideratis, & Spiritû Dei ad arcana Scripturarum intelligenda illuminante adhuc vacuis, (de talibus enim pronunciat illud effatum preſſiùs intellectum S. *Irenæus*, ut ſtatim oſtendetur;) non verò hominibus per Spiritum Dei illuminatis & ſanctificatis, ut nihil penitùs ex iis ante eventum, poſſent intelligere. Hinc illi dicto, (nunc allegato,) illicò ſubjicit hoc pro confirmatione Irenæus: *(f) Et propter hoc quidem, Judæis cum legitur Lex, in hoc nunc tempore fabulæ ſimilis eſt. Non enim habent expoſitionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filii Dei, qui eſt ſecundùm hominem.* At verò de Chriſtianis (quod inprimis de veris ac in fide vivis, & Spiritû Dei ad cœleſtia ardenter quærenda excitatis Chriſtianis intelligendum eſt,) immediatè ſubjungit: *(g) Chriſtianis verò cum legitur, theſaurus † eſt abſconſus in agro, cruce verò Chriſti revelatus eſt, & explanatus, & ditans ſenſum hominum, & oſtendens ſapientiam Dei, & quæ ſunt erga hominem DISPOSITIONES ejus MANIFESTANS, & CHRISTI REGNUM PRÆFORMANS, & hæreditatem ſanctæ Hieruſalem præevangelizans & prænuncians.* Ceteroquin, ſi ſimpliciter omnibus noſtrûm *ænigmata* & meræ *ambiguitates* eſſent omnes *prophetiæ* & *typi* ante implementum, fruſtra nobis commendaretur hoc in paſſu *(h) ſermo propheticus, tanquam lucerna lucens in caliginoſo loco*; fruſtra etiam laudarentur illi, qui ejus lumini ſe exhibent *(i) attentos*; fruſtrà etiam Spiritus Dei per *Iſaiam* maturè nos moneret de rebus certò eventuris antè earum eventum, ut *(k) quæramus* eas *in* (vel *ex*) *Libro Domini*. At abſit, ut vel cogitemus hæc fruſtranea eſſe. (2.) Etiam fidelibus Spiritû Dei illuminatis & ſanctificatis, *prophetiæ* & *typi* ante eventum, quoad particulares in iis prædictorum vel præfiguratorum determinationes & circumſtantias, ſunt quidem inſtar *ænigmatum* obſcuri & obſcuræ, *(l) clauſa* & *obſignata*; (ut Danielis inſtructor loquitur;) at quoad generaliorem ſenſum & ſcopum, poſt Chriſti adventum, poſt Apoſtolorum prædicationem, atq; inprimis poſt tot expoſitiones SS. Patrum, & Doctorum recentiorum, hoc jam tempore, nequaquam ſunt illis nuda *ænigmata* & meræ *ambiguitates*, qui *(m) ſenſus habent* in Scripturis *exercitatos*, & qui juxta monitum pauló antè memoratum, *quærunt* quærenda indefeſſè *(n) in Libro Domini*, in ejuſdemq; vero timore ſe exercent. Hinc eſt, quòd ipſemet etiam

(f) Ibid. (g) † Phraſis eſt ex Matt. 13. 44. *(h)* 2. *Pet.* 1. *v.* 19. *(i) Ibid. (k) Iſa.* 34. *v.* 16. 6. *(l) Dan.* 12. *v.* 4. & 9. *(m) Juxta Hebr.* 5. *v.* 14. *(n) Iſa.* 34. *v.* 16.

S. *Irenæus*, & alii SS. Patres, quanquam remoti ab hoc noſtro ævo, multa viderunt ex *Prophetiis* & *typis* futura, in Eccleſia & circa Eccleſiam. Quò autem magis aliquis appropinquat tempori implendarum *Prophetiarum* ac *typorum*, eò clariùs generalem earum (eorumq;) ſcopum intelligere poteſt, (adhibito pio ſtudiô,) & eò feliciùs etiam ad particularia quædam imminentis implementi collimare.

XIV. Addendum hîc, quòd cum *myſteria Chriſti*, docente S. Cyrillo, (juxta verba Salvatoris,) (*o*) ſine *ſuperna* Spiritûs S. *inſtructione* & *revelatione* non intelligantur; (ubi *revelationem* pro excellentiori quadam luminis cœleſtis menſura accipit;) hinc è contra, qui habet donum Spiritûs in majori præ aliis menſura, is eò feliciùs duce Spiritû Dei, in hoc ſacro ſtudio progredi poteſt. Neminem ergò vel doni ejuſmodi raritas, vel ſtudii hujus difficultas primâ fronte apparens, ab hoc ſtudio deterreat, multoq; minùs ei infenſum reddat, [juxta illud Ptolemæi: (*p*) *Solet fieri, ut quicquid pauci aſſequi poſſunt, id in multorum reprehenſionem incurrat*;] ſed potiùs alliciat quemq; monitum illud Apoſtolicum: (*q*) *Prophetias nolite ſpernere*; & alterum iſtud: (*r*) *Æmulamini ſpiritualia; magis autem ut propheteтis.* Deus ſuos fidos cultores, in hoc ſtudio ampliſſimâ luce cœleſti juvabit, imò *docebit*. juxtà promiſſum, Iſa. 54. ℣. 13. [Cognitô jam in ſuperioribus (ut obiter hîc inſinuem) *materiali* hujus ſcientiæ objectô, ultrò cognoſcitur etiam *formale*; videlicet, confirmitas ſeu convenientia *futuri* (quod fuit vel eſt tale) cum *Prophetiis* & *typis* per nos iiſdem applicati.]

XV. Quanta verò ſit utilitas ac jucunditas, vel, ut junctim dicam, jucunda utilitas hujus ſcientiæ; non eſt illis ignotum, qui jam hujus guſtum aliquem, avidâ S. Codicis, nec non SS. Patrum, aliorumq; celebrium Scripturæ S. interpretum lectione delibârunt. Quis enim neſcit, *Prophetiarum* ac *typorum* ſcrutatorem ſobrium, penitiores planè & reconditiores ſcientiæ Scripturariæ theſauros rimari, percontari & pertractare? Quis ignorat, ab eo Chriſtum Dominum, factaq; per eum redemptionis arcana, nec non fata Eccleſiæ ac futurum ejus ſtatum, Deiq; admirandam circa eandem providentiam, accuratiùs quàm ab aliis noſci & penetrari, qui in timore Domini, magna cum induſtria *Prophetiarum* ac *typorum* ſenſum perſcrutatur? Pro nobis hîc multum faciunt ſequentia S. *Hieronymi* verba: (*ſ*) *Sciant, qui Prophetas non intelligunt, nec ſcire deſiderant, aſſerentes ſe tantùm Evangelio eſſe contentos, Chriſti*

(*o*) *Glaphyr. in Exod. lib. 3. pag. 321. ed. Paris. A. 1638. Conſ. Matt. 16. v. 17.* (*p*) *Ptolem. Quadripart. (de Judic. Aſtror.) Lib. 1. fol. 1. ſub initium.* ἐπεὶ δὲ πᾶν μὲν τὸ δυσέφικτον παρὰ τοῖς πολλοῖς εὐδιάβλητον ἔχει φύσιν. *Floruit hic Ptolem. an. D. 140.* (*q*) *1. Theſſ. 5. v. 20.* (*r*) *1. Cor. 14. v. 1. coll. v. 39.* (*ſ*) *Tom. 6. Comment. in Epiſt. ad Epheſ. cap. 3. v. 5.*

Chriſti neſcire myſterium, quod temporibus æternis, gentibus cunctis fuerit ignoratum. Præterea, ſtudium Propheticum, profunditate rerum quas tractat, excitatiores nos reddit ad majorem atq; majorem in dies acquirendam rerum ſpiritualium intelligentiam. Hinc illud modo memorati Patris S. Hieronymi: (*s*) *Vehementer miror eos, qui fidem noſtram*, & *ſpem Chriſtianam arbitrantur* „*ſimplicitate contentam*; *quia ſcriptum eſt*: (*t*) Mandatum Dei lucidum, il„luminans oculos; *nec plus debere nos quærere, quàm ut fiant quæ præcepta ſunt; cum idcircò & omnis Scriptura &* **PROPHETÆ SPECIALITER futurorum myſteriis involuti ſint, ut PROVOCENT NOS AD INTELLI„GENTIAM*, *& ad illud quod in Evangelio dicitur:* (*u*) *Petite & accipietis;* „*quærite & invenietis; pulſate & aperietur vobis.* Sed vel maximè ipſius S. *Pauli* inſtructio nos doceat, quàm ſit utile, imò ad ſolidiora & altiora tendentibus, planè neceſſarium hoc ſtudium propheticum. Cum enim monuiſſet Corinthios, ut *æmulentur ſpiritualia*; illicò tanquam majus ac ſublimius requiſitum ſubjicit: *magis autem* (inquit) *ut prophetetis*; (1. Cor. 14. ℣. 1.) ut jam † pluſquàm ſemel hunc locum memoravimus. Hoc nimirùm vult, ut inter ſpiritualia dona, præcipuè donum intelligendi ſcripta *Prophetarum* conſequi ſtudeant, Eccleſiæ Dei ædificandæ utiliſſimum. (Confer hîc ea quæ ſupra de hoc loco ſunt jam dicta.) Ut verò excellentiam hujus ſtudii eò magis perſpectam habeas, præter verſum Apoſtoli citatum, excute bene ibidem, ℣. 3. 4. 5. 6. 22. 24. & 39. His excuſſis, non dubitabis quàm ſit utilis, quàmve neceſſaria hæc propago Theologiæ aſpirantibus ad ſolidiora, iis inprimis, quibus ex officio incumbit tractare Theologica. Et ſanè quis dicat illum accuratum Theologum, qui *Prophetias* de de Chriſto & Eccleſia ſonantes haud magis quàm indoctus idiota intelligit? Si autem intelligit, hoc ipſo utilitatem hujus ſtudii in ſe ipſo experitur. Ad commendandum hoc ſtudium facit etiam votum illud Moſis: (*v*) *Quis tribuat ut omnis populus* [*Domini*] *prophetet?* Adjunge hîc, 1. Theſ. 5. ℣. 20. & 2. Pet. 1. ℣. 19. Non mediocrem etiam in vera pietate profectum ille capiet, quicunque invocatô numine cœleſti, ardenti animo ſe huic ſtudio addixerit. Profunditas enim & inexhauſta ubertas rerum jucundiſſimarum, quæ in *prophetiarum* ac *typorum* ſcrutatione occurrunt, rapit animum pii ſcrutatoris, ut magis ac magis abdicatis à ſe terrenis curis, eò arctiùs ſe cœleſtibus quærendis & contemplandis devinciat. Fac experimentum hujus rei, diſces verum eſſe, quod hîc pro dignitate hujus ſtudii dicitur.

 XVI. Cum

(*s*) *Comment. in Iſa. lib. 7. in cap. 18. v. 1.* (*t*) *Pſal. 18. (al. 19.) v. 9.* * *Conſona his habet* S. Juſtinus *M. Dialog. cùm Tryph. p. (mihi) 317.* (*u*) *Luc. 11. v. 9 & Matt. 7. v. 7.* † *§. 5. & 14. h. cap.* (*v*) *Num. 11, v. 29.*

XVI. Cum autem *Prophetica* hujus ſcientiæ (æquè ac reliquæ Theologiæ) *Verbum Dei* revelatum dicitur eſſe *principium*, unde futura inveſtigari debent; ſciendum eſt, *Verbum Dei* hîc primariò quidem ſumi pro illa parte *Verbi*, (utpote notiore & apertiore,) quæ expreſsè continet prædictiones; nempe vel promiſſiones pro diligentibus Deum, vel minas & varia Dei judicia contra peccatores impœnitentes: ſecundariò tamen etiam ea hac in *Clavi* principii locum tenent, quæ typos & umbras futurorum in ſe includunt. Pro quorum illuſtratione ſerviunt illa, quæ apertas habent prædictiones. Sicq; *locis apertioribus fami* noſtræ Spiritus S. *occurrit*, (ut alicubi (x) Auguſtinus loquitur,) *obſcurioribus autem faſtidia detergit*, ne unquam deſit nobis in Scripturis, cujus jucundum ſenſum cum voluptate animi deſideremus: quod facientes, experiemur tandem admirabilem hanc & ſapientem Dei in Scripturis diſpoſitionem, ut poſt pios & aſſiduos labores, (y) *nihil ferè ex obſcuritatibus eruamus, quod non alibi planiſſimè dictum reperiatur.* Interim cum de *principio* hujus ſcientiæ quæritur, poſſumus id etiam contractiùs exprimere, ſi dicamus illud eſſe, Scripturam propheticam. Nam ſub *prophetia* (ut prædictionem ſignificat) latiori ſenſu accepta, etiam *typi* comprehenduntur; eò quòd latentes in ſe continent prophêtias.

XVII. Ea autem Scripturæ S. loca, quæ *typos* & umbras continent, ſunt duorum generum. Quædam enim ſunt talia, quæ ob inſinuatum aliquod de iis in Scriptura N. Teſt. lumen, apud omnes Chriſtianos pro typicis & umbris habentur: ut ſunt, *Ceremoniæ* Legales, & perſonæ quædam myſticæ; v. gr. *Adam, Melchiſedech, Sara, Agar, Iſaac, Iſmaël, Jacob, Eſau, David, Jonas, Jezabel,* &c. uti etiam loca quædam myſtica; ut *Sion, Hieruſalem, Sodoma, Ægyptus, Babylon.* &c. Quædam verò ejuſmodi ſunt, quæ (quia latentiùs tenent *typos*) in dies per collationem cum ſimilibus, & per evidentem conſequentiam demonſtrantur, quòd ſint *typica* futurorum. (In quibus tamen, ſicut & in reliquis *typicis*, non negatur rei literaliter geſtæ veritas, ſed firmiſſimè ſupponitur & creditur; & poſt literam id quod myſticum eſt, in eis inquiritur.) Talia ſunt, v. gr. clariſſimæ *Hiſtoriæ* ſacræ; quæ poſt indefeſſam earum ſcrutationem, piis Lectoribus, ultrò ſe oſtendunt, (Spiritû Dei mentem intùs illuminante,) non terminari ſe tantùm in litera, ſed etiam altiùs quippiam intra ſe reconditum habere. Etſi verò non illicò, nec facili labore poſſumus ſigillatim recenſere ejuſmodi *Hiſtorias* ſacrorum Librorum, quæ ex evidentibus indiciis declarant ſe eſſe *propheticas*; (cum & ipſi in re tam ardua in dies proficiamus, ac inſuper maxima pars talium propheticarum hiſtoriarum nondum ſit impleta;) hoc tamen in genere auſim dicere, nullam eſſe *hiſtoriam* ſacram, de qua abſolutè negari poſſet,

(x) *Lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. c. 6.* (y) *Verba ſunt S. Auguſtin. loco nunc citat.*

poſſet, quòd aliquid *propheticum* in ſe contineat. Quomodo autem cum tempore certò dignoſci poſſint *Hiſtoria* ſacræ, quòd ſint *Prophetica*; infra ſuo loco (z) Deo nos juvante, aliquas hac de re *regulas* daturi ſumus; atq; etiam exempla quædam talium propheticarum Hiſtoriarum cum brevi illuſtratione ſubjiciemus.

XVIII. Quòd verò etiam *Hiſtoria* ſacræ, (præter jam communiter notos *typos*,) ſint *prophetica* ac futurorum myſteriis refertæ; id (præter indicia infra † adducenda) geminô hîc in limine argumentô probamus. (1.) Primô è perſpicuis Scripturæ S. verbis petitô. Sic enim S. *Jacob* Patriarcha, morti vicinus, de futuro ultimis temporibus, poſteritatis ſuæ myſticæ ſtatu & eventu propheraturus, filios ſuos alloquitur: (a) *Congregamini, ut annuntiem vobis, qua ventura ſunt vobis* באחרית הימים *in noviſſimis diebus*: at verò mox ubi pergit prophetare ordine de ſuis filiis, eorumq; poſteris; de *Rubene*, de *Simeone* & *Levi*, ea potiſſimùm refert, quæ jam erant geſta & præterita; ut cum dicit: (b) *Ruben primogenitus meus*; - - (c) *aſcendiſti cubile Patris tui.* &c. Item: (d) *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis*, (ſeu *violentia.*) &c. *In furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* (Vel juxta alios, *extirpârunt bovem.*) In principio autem verborum, ſatis innuit, omnia ſua hîc verba plena ponderis eſſe de futuris, cum ſic ad attentionem ſuos excitat filios: (e) *Audite filii Jacob, audite Iſraël patrem veſtrum.* Firmiſſimum ſanè hinc necti poteſt argu„mentum hunc in modum: Qui prophetando de futuris, res geſtas ita e„narrat, tanquam prophetiam de ultimis temporibus, is in rebus geſtis agno„ſcit umbram & imaginem futurorum; ſeu, quod idem eſt, agnoſcit aliquam „*hiſtoriam* eſſe *propheticam*: Atqui *Jacob* Patriarcha hoc facit. Ergo &c. Jam verò hinc quàm facile ſit ad ſimilia quoq; argumentari, unusquisq; judicioſus videt. Confer hîc pro adjumento Scripturarii argumenti, 1. Cor. 10. ℣. 6. 11. Ubi diſertè docetur, quod judicia Dei ſuper Iſraëlitas in deſerto, *in figura contigerunt* in reſpectu ad Chriſtianos.

XIX. (2.) Alterum noſtrum argumentum ſumitur à conſenſu SS. Patrum, nullâ ratione contemnendo. Sic S. *Irenaus* (an. D. 180.) poſtquam ex Geneſi retuliſſet, quòd (f) *conſummavit Deus in die ſexto omnia opera ſua qua fecit, & requievit die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis*; illicò ſubjicit: (g) *Hoc autem eſt & antefactorum narratio, quemadmodum facta ſunt, & FUTURORUM PROPHETIA.* Sic etiam (an. D. 380.) S. Ambroſius: (h) *Geſta* (inquit) *Patriarcharum, FUTURORUM MYSTERIA ſunt.* Item, S. *Hieronymus* (qui an. D. 420. migravit ad Dominum,) de Libro

 Joſue

(z) *Claſs* 3. † *Cit. Claſs.* 3. (a) *Gen.* 49. *v.* 1. (b) *Ibid. v.* 3. 4. (c) *Conf Gen* 35. *v* 22. (d) *Ibid Gen* 49. *v* 5. 6. *Conf Gen.* 34 *v.* 25. (e) *Cap. cit. v.* 2. (f) *Gen.* 1. *v.* 31. (g) *Iren. Lib.* 5. *c.* 28. (h) *Lib. de Joſeph Patriarch. c* 14 *ſub fin.*

Joſue ita ſcribit: (i) *Veniam ad Jeſum Nave, TYPUM DOMINI, non ſolùm geſtis, ſed etiam nomine. Tranſit Jordanem; hoſtium Regna ſubvertit; dividit terram victori populo, & per ſingulas Urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atq; confinia, Eccleſia cœleſtisq; Hieruſalem SPIRITUALIA REGNA DESCRIBIT.* Et de Libro Judicum: (k) *In Judicum Libro* (inquit,) *quot Principes populi, tot FIGURÆ ſunt.* Et paulo poſt: *Samuel in Heli mortuo & in occiſo Saul, veterem Legem abolitam monſtrat. Porrò in Sadoch atq; David, NOVI SACERDOTII, NOVIQUE IMPERII SACRAMENTA teſtatur.* De Libris, Tertio & Quarto Regum ſic ſcribit: (l) *Si hiſtoriam reſpicias, verba ſimplicia ſunt; ſi in literis SENSUM LATENTEM inſpexeris, Eccleſia paucitas, & Hæreticorum contra Eccleſiam bella narrantur.* Item S. *Auguſtinus* (qui an. D. 430. obiit in Domino,) poſtquam de myſterio retectæ nuditatis *Noë*, & figura filiorum ejus diſſeruiſſet, tandem ſubjungit: (m) *Hæc Scriptura ſecreta Divina indagamus ut poſſumus; alius aliè, magis minusq; congruenter, veruntamen fideliter; certum tenentes, non ea ſine aliqua PRÆFIGURATIONE FUTURORUM geſta atq; conſcripta, neq; niſi ad Chriſtum & ejus Eccleſiam, quæ Civitas Dei eſt, eſſe referenda.* Item: *Illa itaq; exequitur Literarum ſacrarum Scriptor iſtarum, vel potiùs per eum Dei Spiritus, quibus non ſolùm narrentur præterita, verùm etiam PRÆNUNCIENTUR FUTURA.* Et paulò infrà, apertè (n) *PROPHETICAM HISTORIAM* vocat Hiſtoriam in ſacris, futura ſignificantem. Similiter S *Gregorius* M. (an. D. 600.) in *Proœmio* Expoſitionis primi *Samuelis* ſive *Regum* Libri, ubi quædam in hunc noſtrum ſcopum ſpectantia, ex Auguſtino & Hieronymo (illô nimirùm, duas uxores *Elcana* pro figura Synagogæ & Eccleſiæ N. T. hôc verò *Heli* & *Saulis* mortem, in typum antiquæ Legis & Sacerdotii abolendi, exponente) præmiſiſſet, tandem paulò poſt ſuam quoq; hac de re mentem ſic conſignat: *Hiſtoria Regum, quia eô Spiritû condita, quô & cætera Scripturæ ſanctæ volumina cogneſcuntur, non debet credi eis eſſe minor Sacramentis, quibus non eſt inferior titulo authoris. Nam omnes Scriptores ejus, Prophetæ fuiſſe referuntur; qui cum HISTORICA narrant, SPIRITUALIA SIGNANT; exteriora loquuntur, & intima innuunt; terrena proponunt, ut cœleſtia exequantur. Unde & hic Liber primus & ſecundus ejuſdem Hiſtoriæ, ad hoc Prophetæ Samueli adſcribitur, ut ex authoris titulo, ſentiatur Hiſtoria, quam ſcribit, NON TAM HISTORIA, QUAM PROPHETIA; ſimplex veraq; litera, ſed ALTA nimis, & MULTIPLICITATE OCCULTORUM SENSUUM PROFUNDA.*

XX. *Rupertus* autem Tuitienſis, (an. D. 1117.) ita hanc ſententiam urget, ut ſimul etiam efficax de ea perſvadenda, ſuis in verbis includat argumen-

(i) *Epiſt 103. ad Paulin. Presb. Vide proximè hanc Ep. præfix. S. Bibl.* (k) *Ibid.* (l) *Ibid.* (m) *Lib. 16. de Civ. Dei, c. 2.* (n) *Ibid. in fin. cap.*

gumentum. (*o*) *Quid enim* (inquit) *magnum avido apponeretur conviva, id eſt, Philoſopho vel Oratori, vocato & ſedenti ad menſam Chriſti, cum non niſi ſecundùm Literam legeretur illi, quia Abraham duos habuit filios, unum de Ancilla, & unum de Libera; vel quia minor ex filiis Iſaac, ſcilicet Jacob, aſtû matris, majori filio, benedictionem præripuit, contectus hirſutis hædorum pelliculis? Sic & in plerisq́; geſtis, mandatis, ſive holocauſtis, adeò macra Litera eſt, ut quamlibet eſurienti, vel Dei verbum deſideranti, in ipſo deſiderio faſtidium generare poſſet, niſi ad CHRISTI manus IMPLENDA hæc Scriptura perveniſſet.* Mox illicò explicat ibidem, ex Apoc. 5. quòd Chriſtus *ſuſcepit in ſe univerſam Scripturam complendam.* Hoc autem quomodò intelligendum ſit de Chriſto, ſuo loco † explanaturi ſumus. Potuiſſem hîc confertim adducere SS. Patres; ſed horum (qui adducti ſunt) teſtimoniis, vicem omnium, causâ brevitatis ſuppleri volo. Certè qui SS. Patres ſedulò legerit, (incipiendo à S. *Juſtino* Martyre,) nîl ille dubitabit, quin communiter illi teneant, etiam *Hiſtorias* in ſacris, eſſe propheticas. [Ex recentioribus quoque lumen & robur in hanc rem ſuppeditabit lectori P. Franc. *Mendoza* Soc. Jes. in ſuis *Annotationibus Proœmial.* in 4. Regum Libros; Annot. 2. Proœm. Sect. 4. n. 7. usq́; ad n. 12. incluſivè, pag. 50. & 51.] Quod hîc aſſero de ſacris *Hiſtoriis*, adeò verum eſt, ut non ſolùm in Veteris, ſed & in Novi Teſt. Hiſtoria Sacra & Evangelicâ, pius & diligens Scripturæ ſcrutator, ejus veritatem cum tempore animadvertat. Diſcet inprimis in *Parabolis* omnibus à Chriſto narratis, momentoſas eſſe Prophetias de futuris. Memoratû ſanè dignum eſt hîc illud S. *Ambroſii* de Parabola *Divitis* & *Lazari*, (ut inde de aliis etiam meditandi occaſionem ſumamus,) Comment. in Luc. cap. 16: *Mica* (cadentes de menſa Divitis) *ſermones ſunt Scripturarum, de „quibus dicitur:* (*p*) Et projeciſti ſermones meos poſt te. *Abjiciebat vos Scriba, ſed Paulus diligentiſſimè colligebat, injuriis ſuis colligens Plebem. Lambebant ulcera ejus, qui morſû ſerpentis intrepidum, excuſsô ſerpente* (*q*) *viderunt, & crediderunt. Lambebat ille carceris* (*r*) *cuſtos, qui vulnera Pauli lavit, & credidit. Beati canes in quos ulcerum talium diſtillat humor, ut adimpleat cor, & impinguet fauces eorum.* Ubi ſic pius ſcrutator in una vel altera *parabola* lumen ſibi de reconditiori ſenſu acquirit, facilè colliget apud ſe in reliquis etiam ſacris *parabolis*, (præter commodam pro quolibet tempore inſtructionem moralem,) futurorum myſteria quærenda eſſe. Imò animadvertet in dies, ipſas quoq́; admonitiones, exhortationes, reprehenſiones & conſolationes Dominicas & Apoſtolicas in N. T. ita docere de præſenti fideles, ut ſimul etiam aliquam futurorum imaginem implicitam intra ſe contineant.

XXI. Poſ-

(*o*) *Lib. 5. in Joan. Tom. 2. Oper. pag. 193. edit. An. 1602.* † *Infr. Claſs. 2 cap 2. § 18, & cap. 3. ibid. §. 2.* (*p*) *Pſal. 49. (al. 50.) v. 17.* (*q*) *Act 28, v. 5. 6.* (*r*) *Act. 16. v. 33. 34.*

XXI. Poſſet hîc quærere aliquis: *Hiſtoria* illa ſacra, in qua eſt implementum alicujus prophetiæ, (uti non pauca ad implementum prophetiarum quarundam ſpectantia ſunt conſignata in Codice Sacro, de quibus mox infra dabimus exemplum,) quomodo ſe habet ad inveſtiganda futura? An per modum *principii*, vel ſecùs? Ad quod reſpondeo. Talis *hiſtoria* ſacra formaliter conſiderata, ſeu, in quantum narratio quædam eſt ordine digeſta, & adminiculum ad cognoſcendas res aliquas nobis priùs ignotas, ac per hoc ſcientiam augens; hôc inquam modô conſiderata, non principium, ſed potiùs via & medium eſt inveſtigandi illud futurum, quod fuit per correſpondentem ei prophetiam prædictum: eodem ſcilicet modo, quô aliæ etiam extra Scripturam ſacram hiſtoriæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive merè profanæ ac mundanæ, mediorum inſtar in inveſtigandis futuris nobis inſerviunt: ut infra † ſuo loco diſcemus, ubi de inſigni utilitate imò neceſſitate *Hiſtoricæ* ſcientiæ ad exponendas Prophetias, dicturi ſumus. Materialiter autem conſiderata ſacra illa *hiſtoria* de qua quæſtio ſonat, hoc eſt, in quantum res quædam eſt deſcripta; ſi ad prophetiam illam referatur, cujus implementum eſt, eatenùs etiam, non *principii*, ſed potiùs *objecti* loco ſe habet ad eandem prophetiam. In rem enim illam, hiſtoriâ tali contentam, ut in ſuum *objectum* tendit prophetia eidem correſpondens. Et quia ipſa Scriptura S. monſtrat hoc in paſſu talem eventum tali prophetiæ reſpondere; ex eo etiam applicatio eventûs hîc ad ſuam prophetiam, ejuſdem eſt firmitatis, cujus ipſa prophetia; hoc eſt, Divinæ. Si porrò eadem res in ſacris literis *hiſtoricè* deſcripta, conſideretur ut nondum totale & adæquatum implementum prophetiæ ſibi correſpondentis, ſed potiùs ut imago vel umbra quædam rerum adhuc majorum, eatenus in reſpectu ad ulteriora, omninò *principii* loco ſe habet, illô modo nimirùm, quô etiam aliæ *hiſtoriæ* propheticæ in Scripturis in ordine ad futura inveſtiganda. Uſquequò enim impleatur illud, quod habetur Apoc. 10. ℣. 7. [*In diebus vocis ſeptimi Angeli,.. conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit per Servos ſuos Prophetas,*] poteſt aliqua *hiſtoria* ſacra implementum partiale (& quaſi primordiale) alicujus Prophetiæ in ſe continere; nihilominus adhuc in eadam *hiſtoria*, typicum & propheticum aliquid, quoad ampliorem nempe ac remotiorem ſenſum prophetiæ myſticum, rectè quæritur: ac per conſequens talis *hiſtoria* hoc in reſpectu, æquè ut reliquæ ſacræ *hiſtoriæ* typicæ, principii locum habet in hac ſcientia. Exemplo clariſſimo rem illuſtremus. Sic v. gr. *Hiſtoria*, quæ narratur apud *Eſdram* & *Nehemiam* de reditu populi Dei ex Babylone, eſt implementum literale prophetiæ præcedentis (inprimis Jerem. 29. ℣. 10.) de liberando eodem populo ex captivitate Babylonica. Atqui ratione ſublimioris ſenſûs, illa quoq; reditûs

† *Claſſ. 2. Reg. 8.*

reditûs *hiſtoria* eſt prophetica; ut eruditè & more ſuo nervosè nos docet S. *Hieronymus* in ſequentibus: (*ſ*) *Eſdras* (inquit) *& Nehemias, adjutor videlicet & conſolator à Domino, -- inſtaurant templum, muros extruunt Civitatis; omniſq; illa turba populi redeuntis in patriam, & deſcriptio Sacerdotum, Levitarum Iſraëlis, proſelytorum, ac per ſingulas familias murorum ac turrium opera diviſa, aliud in CORTICE praeferunt, aliud retinent in MEDULLA.* Ubi per *corticem* (ut nôrunt Docti,) intelligit nudè literalem eventum in libris *Eſdrae* & *Nehemiae* hiſtoricè deſcriptum; per *medullam* autem typicum ac propheticum ejuſdem hiſtoriæ ſenſum de futuris. Unde facilè perſpicere poſſumus, etiam prophetias de literali illa captivitate ac ſubſecuta liberatione ſonantes, adhuc ſublimiorem in ſe continere ſcopum, præter literalem eventum. Sic jam patet reſponſio ad Quæſtionem occaſione explicati *principii* hujus ſcientiæ natam. Nunc ad reſidua hujus capitis progrediamur.

XXII. Finis Theologiæ *Propheticae* in ipſa ejuſdem definitione geminus eſt; nimirùm *Dei gloria*, & animarum noſtrarum *conſolatio* inter varia mundi hujus adverſa, ac æterna *ſalus*. Hanc in rem, vide (inter multa) Pſal. 101. (al. 102:) ℣. 19. *Scribantur hac in generatione altera*; (vel, ut *Pagninus* vertit: *pro generatione noviſſima*;) *& populus qui creabitur, LAUDABIT DOMINUM.* Habes hîc Dei *laudem* ejuſq; *gloriam* ex deſcriptione magnalium Dei, vel in genere, ex Scriptis Prophetarum, ac per conſequens etiam ex ſtudio eorundem, reſultantem. Item, Rom. 15. ℣. 4. *Quecunq; ſcripta ſunt, ad NOSTRAM DOCTRINAM ſcripta ſunt; ut per patientiam & conſolationem Scripturarum SPEM HABEAMUS.* In his ipſa *conſolatio* apertè habetur, *ſalus* autem noſtra implicitè includitur. *Doctrina* enim ſalutis, & *ſpes* ejuſdem ſalutis æternæ hîc intelligitur; ac ipſa quoq; *conſolatio* in eandem *ſalutem* tendit. Jam ſi omnis Scriptura ſacra in hunc finem, qui hîc indicatur, eſt ordinata; certò ac evidenter ſequitur, quòd etiam Scriptura Prophetica in eundem finem eſt exarata. Unde per conſequens etiam *ſtudium Propheticum*, in eundem finem (ut Dei gloriæ ſubordinatum) tendere debet.

CAPUT II.

In quo, *Scopus Authoris quoad modum & methodum in hoc ſtudio procedendi, diſtinctiùs proponitur, quòd hîc per* Regulas *certas Trium Claſſium, proceſſurus ſit; unde quaſi* tres partes *hujus ſtudii fiunt.*

I.

UT autem feliciùs in hoc noſtro inſtituto progredi poſſimus, ſtatui certas quaſdam *Regulas* ſeu obſervationes directorias hîc tradere; quarum

(*ſ*) *Epiſt. ad Paulin. Vulg. edit. S. Biblior. praefix.*

rum ductû pius & avidus myſteriorum Scripturæ S. ſcrutator, veram, compendioſam & planam terere viam, ad inveſtigandum & eruendum cum tempore genuinum *Prophetiarum* & *typorum* ſenſum, atq; ſic ſolidum in hac divina ſcientia fundamentum ſibi ponere poſſit.

II Sunt autem *Regulæ* illæ duorum generum. *Primi* generis ſunt, extrinſecùs ſe habentes ad *Prophetiarum* ac *typorum* expoſitionem, & ante actualem *prophetiarum* ac *typorum* expoſitionem in expoſitore requiſitæ: quæ etiam generales vocari poſſunt. *Secundi* generis ſunt connexæ & quaſi intimæ ipſis *Prophetiis* vel *typis*; eò quòd naturam earum explicant, certaq; ex iiſdem indicia eruunt, quibus hic vel ille eſſe earum eorumq; ſenſus, oſtenditur. Hæ *ſecundi* generis erunt iterum *duarum* Claſſium. Aut enim promiſcuè ac indifferenter de *Prophetiis* & *Typis* ſonabunt; aut verò ſpecialiùs de ſacris *hiſtoriis*, quomodo nimirum iſtæ agnoſcendæ ſint, quòd ſint *propheticæ*, & quò circiter tendant ſuis typis ac myſteriis. Atq; ſic in univerſum *Regulæ* illæ in *tres Claſſes* (quæ veluti totidem *partes* hujus *Clavis* dici poſſunt) diſtribuentur.

III. Poſt haſce Regulas, vice *Concluſionis*, ad hoc etiam viam paucis oſtendemus, quomodo quis verè practicus hìc evadere, uſumq; hujus Libri ſalutarem conſequi, ac tandem (*z*) *bonô electorum* in Prophetiis & typis recondito, frui poſſit.

CLASSIS PRIMA REGULARUM,

Duobus Capitibus conſtans;

In quibus, *Octo* Regulæ Generales, *vitam & ſtudia cujusq; ſtudioſi ſcientiæ hujus Propheticæ, ſpectantes, traduntur & illuſtrantur.*

CAPUT I.

In quo, *habentur prima* quatuor Regulæ *generales dictæ Primæ Claſſis*; pietatem, *mentemq;* laborioſam, docilem, humilem, *à contentionibus alienam*, Scripturæ *S. & SS.* Patrum *lectioni deditam*, *pro hoc ſtudio prophetico requirentes.*

REGULA I.

I. PRincipium *Regularum* ſcientiæ Propheticæ, inde nobis petendum eſt, unde ortum habet Prophetia ſacra, & unde omne bonum, (*a*) *omneq; donum perfectum* ad nos *deſcendit.*

Regula

(*z*) *Pſal.* 105. (*al.* 106.) *v.* 5. (*a*) *Jac.* 1. *v.* 17.

Regula ergo *prima* primæ *Claſſis* hæc eſto:

„ *Quicunq; in divina hac ſcientia Prophetica, ſolidum ſibi figere funda-„mentum, & optatum conſequi ſucceſſum deſiderat, primùm & ante omnia re-„quiritur neceſſariò in eo, ut mente ſuâ à Mundi vanitatibus & illecebris ſeque-„ſtratâ, ſe totum ex corde reſoluto ac ſincero, in Dei cultum, ejusq; amorem & „timorem omni praxi comprobandum, tradat*; firmiter illud ſemper animo infixum tenens: (*b*) תחלת חכמה יראת יהוה. *Principium ſapientiæ, timor Domini.* Item: (*c*) *Secretum Domini, timentibus ipſum:* ut eſt quorundam magni nominis interpretum Catholicorum verſio. Secùs enim, eſt tantùm fumus, eſt umbra veræ ſapientiæ, non verò ſolida ſapientia vel ſcientia, omnis ea, quæ in aliquo, ex quibusdam ingenii ſpeciminibus videtur eſſe, ſine fixo & ſincero Dei timore, ipsâ praxi comprobato. Talis enim ſcientia vel ſapientia, multo fumo vanitatis & jactantiæ mentis eſt obnubilata & adulterata; ideoque, quantacunq; ſit, non meretur nomen veræ ſapientiæ,& ſolidæ ſcientiæ. Scribat quis quantacunq; volumina; eruat ſanè multa rara, indeq; doctus valdè & ſapiens apud homines habeatur; nunquam tamen nucleum ſolidæ ſapientiæ attinget, quoad usq; vacuus erit vero Dei amore & timore minimè fucato. Vid. Sap. 1. ℣. 4. 5. *Malevolam* (ſeu *malitioſam*) *animam non introibit ſapientia.* &c. Non autem ſufficit ad verum Dei timorem & amorem, ſi tantùm ab externis fortè peccatorum in Mundo graſſantium actibus te abſtineas, & cum aliis externum cultum, externaq; ſacra frequentes, atq; ita te componas, ut pius coram hominibus appareas; ſed requiritur, ut pugnes ſtrenuò tum contra externas Mundi illecebras, tum verò contra internos & domeſticos hoſtes; carnem ſcilicet, & varias mentis vanitates; atq; contra hæc omnia bellum irreconciliabile indicas; Numenq; cœleſte ita tàm in publico quàm in ſecreto colas, ut tum internè conſcientia tibi atteſtetur, te ſine fuco Deo te-ipſum devoviſſe, tum etiam externè, ubi occaſio requirit, & facultas permittit, charitatem tuam ex fide manantem conteſteris.

II. Porrò in hoc pietatis exercitio, pro ſcopo præſenti, maximè requiritur, ut in orationibus, præſertim privatis, cum humili ſemper fiducia junctis, ſis indefeſſus, & quidem, quantùm fieri poteſt, ſtatis horis, ſæpè genua & cordis & totius corporis coram Deo flectendo; quibus ardenter & humillimè ad Thronum Divinæ ſupplices clementiæ, ut mentem tuam cœlitùs magis ac magis in dies illuminet; aperiat tibi arcana verbi ſui, in nominis ſui gloriam tuamq; ſalutem, & te verâ ac ſolidâ ſapientiâ ſupernè imbuat. Hinc S. Jacobus Apoſtolus: (*d*) *Si quis veſtrûm* (inquit) *indiget ſapientiâ,*

poſtulet

(*b*) *Prov. 9. v. 10, & cap. 1. v. 7. Item: Pſal. 110. (al. 111,) v. 10. & Job. 28, 28,* (*c*) *Pſal. 25. juxt. Hebr. v. 14.* (*d*) *Jac. 1. v. 5. 6.*

poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Et ipſe Chriſtus Dominus pollicetur, quòd *Pater* noſter cœleſtis (*e*) *daturus ſit Spiritum bonum petentibus eum.* Exempla quoq; id ſvadent. Sic S. David: (*f*) *Revela* (inquit) *oculos meos*, *& conſiderabo mirabilia de Lege tua.* Quàm aſſiduus autem in hujusmodi ſupplicatione fuerit, colligere poſſumus, ex Pſal. 54. (al. 55.) ℣. 18. atq; etiam ex Pſal. 118. (al. 119.) ℣. 164. Conferatur hîc etiam exemplum Salomonis. 3. Reg. (al. 1.) 3. ℣. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Quàm etiam fervidè debeas pro cœleſti ſapientia clamare, intelligendum tibi reliquit idem Salomon, Prov. 2. ℣. 3. 4. Secùs, ſi tantùm utcunque, non autem ferventer & indefeſsè oraveris, ne putes te veri ſupplicis munus apud Deum pro hac ſapientia explere. Imò ſi negligas hîc fervidam & indefeſſam orationem, metue, ne ingenium & doctrina tua in majorem tibi cedat condemnationem. Sunt enim multi, quibus præclarum Deus largitus eſt ingenium, & dona quædam communia non exigua, ut iis benè utantur in ejus gloriam; qui cum hoc negligant, (utpote ſocordes in Divino cultu,) meritò majori tandem pœnâ plectentur. Atq; ex numero horum ſunt illi, qui quò nobiliora habent ingenia, eò perniciosiùs labuntur, (quamvis ipſi non videant ſuum lapſum,) dum videlicet ſine exercitio fervidæ orationis, quaſi ſuis tantùm ingenii viribus currere præſumunt. De his ſcribit S. Auguſtinus: (*g*) *Quædam* (inquit) *acutiſſima & excellentiſſima ingenia, tantò in majores errores ierunt, quantò præfidentiùs tanquam ſuis viribus cucurrerunt, NEC SUPPLICITER AC VERACITER DEUM, ut ſibi viam oſtenderet, PETIVERUNT.* Hæc dum legis, eò ferventiùs ac diligentiùs ſacris inſtes orationibus, ut Dominus Deus (*h*) *emittat* tibi *lucem* ſuam *ac veritatem* ſuam, teq; Spiritu ſuo ſancto perpetuò dirigat ac (*i*) *ducat in via* ſua, ut ſic optato tandem votô, in acquiſitione verè cœleſtis ſapientiæ, frui poſſis. Si non illicò deſideratum hîc conſequaris progreſſum; ſi non ſtatim pro voto res tuæ fluant, quin potiùs, variis obſtaculis externis & internis, in cœpto hoc labore turberis; ne ſpem abjicito, nec deſiſte à ſancto propoſito, ſed rursùm ad fervidæ orationis ſubſidium recurre, atq; inceſſanter inſta & pulſa ad oſtium Divinæ clementiæ, ut amotis omnibus obſtaculis, vel tandem ſuperatis, voto tibi frui liceat. Si porrò, in frequentium etiam orationum curſu difficultatibus hîc premaris; ſcito hoc pro ulteriori tuî confortatione; quòd quò majori conatû & fervore, pietati ex corde intentus, allabores ſolidam hanc conſequi ſapientiam, & per eam Dei promovere gloriam, eò infenſiùs tibi ad tempus adverſarium ſenties Satanam, & eò pluribus obrueris adverſitatibus; ſed iterùm reſume vires; iterùm ſpe corrobora cor tuum; frequenta humiliter

Thronum

(*e*) *Luc.* 11. *v.* 13. (*f*) *Pſal.* 118. (*al.* 119.) *v.* 18. (*g*) *Epiſt.* 52. *ad Maced.* (*h*) *Pſal.* 42. (*al.* 43.) *v.* 3. (*i*) *Pſal.* 85. (*al.* 86.) *v.* 11.

Digitized by Google

Thronum miſericordiæ, & fortiter confidito. Deus te tandem juvabit, & victorem ſuper adverſitatibus efficiet. Perinde huc, ut in omnes alias neceſſitates noſtras, pertinet illud Salvatoris: (*k*) *Pulſate, & aperietur vobis*; ab eodem nempe Salvatore, omnium Prophetarum & Apoſtolorum Magiſtro. Certè ſicut (*l*) *violenti* ſoli *rapiunt Regnum Cœlorum*; ſic etiam ſapientiam hanc ſolidam (*m*) *Regni Cœlorum* in Prophetiis & typis reconditam, non alii conſequentur, quàm qui ſanctâ quadam velut violentiâ ſuis in precibus utuntur, & quodam modo luctantur cum Deo, ut eis juxta promiſſum ſuum, arcana verbi ſui aperiat. Sic experieris tandem nihil eſſe, quod fides & pia oratio non impetret. Porrò, dum hîc pietatem ejusq; ardens ac indefinens exercitium, tanquam primarium in hoc ſtudio Prophetico requiſitum commendo, non poſſum non hoc in loco cautelæ gratiâ illam S. *Hieronymi* de cauſa difficultatis intelligendi Scripturas ſacras, inprimis propheticas, eruditam obſervationem in medium adducere: † *Dicimus* (inquit,) *ideò Scripturam ſanctam, difficultatibus eſſe contextam, & maximè Prophetas, (qui ænigmatibus pleni ſunt, ut difficultatem ſenſuum difficultas quoq; ſermonis involvat,) UT NON FACILE PATEAT SANCTUM CANIBUS, & margarita porcis, & PROFANIS SANCTA Sanctorum.* Hæc legentes, qui & ipſi ex natura noſtra corrupta tales *profani* ſumus, (omni ſcilicet cœleſtium intelligentiâ indigni,) quales hîc memorantur, tantò majori cum ſollicitudine operam demus, per aſſiduum veræ pietatis exercitium, perq; indeſinentes preces, ne nos tanquam impuros & profanos Deus à myſteriis verbi ſui intelligendis repellat, ſed potiùs in Chriſto gratos & acceptos habeat, quibus omnes difficultates ſui verbi complanet, & jucundiſſima ejuſdem ſecreta gratioſè pandere dignetur.

REGULA II.

III. Quod jam ſuperiori monito cognatum eſt, & ex eo velut rivulus „fluit, ſit hîc pro *Regula* ſecunda: ſcilicet; *Studium ſerium, labor indefeſſus, „deſiderium ardens, docilitati junctum, mens humilis & pacis amans, alienaq; „à contentione, requiritur in eo, qui ad veram & ſolidam arcanorum Prophetiæ „ſacræ cognitionem pervenire nititur.* De *ſtudio, labore* ac *deſiderio ardenti*, in præſentem ſcopum perſpicuus eſt locus, Prov. 2. ℣. 2. 3. 4. 5. 6. Hoc enim in loco, ſolis illis promittitur *intelligentia timoris Domini*, item, *ſcientia* (ſeu *cognitio*) *Dei* ſalutaris, & *ſapientia* cœleſtis, qui *aures* atq; *cor inclinant* ad *ſapientiam* & *prudentiam*, & *quaſi pecuniam quærunt* ſapientiam cum prudentia, eamque *ut* abſconditos *theſauros fodiendo* ſcrutantur. Confer hîc Matt. 13. ℣. 44. 45. 46. & Sap. 6. ℣. 13. Ubi (loco poſtremo) diſertè dicitur,

(*k*) *Matt. 7. v. 7. & Luc. 11. v. 9.* (*l*) *Matt. 11. v. 12.* (*m*) *Matt. 13. v. 11.* † *S. Hieron. Comm. in Nahum, cap. 3. v. 8.*

tur, quòd *ſapientia invenitur ab his qui quærunt illam.* Eximius eſt in hoc membrum hujus *Regula* locus, apud S. *Cyrillum* Alexandrinum, dum de *Pane* aſflictionis & *aqua* vivifica, h. e. Chriſto, ſudore & laboribus inveniendo, agit. (*n*) Τὰ γὰρ τοι μεγάλα, (inquit,) καὶ ἐξαίρετα τῶν ἀγαθῶν, οὐ τοῖς ἀναπίπτουσι καὶ τρυφῶσιν ἁλώσιμα γένοιτ' ἄν, ἀλλ' εἰ τοῖς εἰωθόσι παρ' οὐδὲν ἡγεῖσθαι τοὺς ἐπ' αὐτοῖς δὴ τούτοις καὶ ἱδρῶτας καὶ πόνους. οὕτως ἐζήτει τὸ χριστοῦ μυστήριον ἀναμαθεῖν καὶ ὁ θεσπέσιος Δαβίδ. H. e. *Magna enim & eximia bona, non percipiuntur ab his, qui jacent & deliciantur; ſed ab iis, qui SUDORES & LABORES in hac re collocandos contemnere ſolent.* (Hoc eſt, non parcunt ſibi, & ab arduis laboribus, etiam cum ſui corporis detrimento, non ſibi temperant.) *Sic etiam divinus David myſterium Chriſti ſcrutatus eſt.* &c. Ubi illicò ſubjicit de Davide locum Pſalmi, 131. (al. 132.) ℣. 3. 4. 5. *Si introiero in tabernaculum domûs mea, --- donec inveniam locum Domino.* &c. Certè *Dii laboribus omnia vendunt*; (liceat nunc Vulgatum illud huc transferre;) quantò magis, inter *omnia*, (quæ & parva comprehendunt,) ſapientiam hanc cœleſtem, omni auro chariorem, in *Propheciarum* & *Typorum* myſteriis occluſam, non niſi magnis laboribus, curis & ſtudiis conſequi poſſumus? Facilè Deus in hac etiam vita, id quod corpori in præſenti laborum palæſtra & ergaſtulo ad tempus decedit, reſtituet, dummodò adſit fides: (*o*) *Credenti* enim *omnia poſſibilia ſunt*: ac demùm dabit eam quoque laborandi cum quiete felicitatem, quâ ſine magnis etiam ſudoribus, magna è Scripturis eruantur. Cum autem *deſiderii ardentis* hîc fit mentio; non ignoro preces quoq; ardentes ſub eo includi; ſed quia de his, quà ad timorem & cultum Domini referuntur, jam ſupra (*p*) dixi; ideo nunc lectorem ad ea quæ de iis dicta ſunt, remitto.

IV. Eidem *deſiderio ardenti* jungitur in Regula etiam *docilitas.* Neq; enim eſſet in quopiam verè *ardens deſiderium* ſolidæ cognitionis arcanorum Scripturæ S. conſequendæ, niſi mentis *docilitatem* haberet ſibi junctam. Quàm autem ſit neceſſaria in hoc ſacro ſtudio *docilitas*, (quâ quis omni occaſione libenter diſcit & proficit in bono,) apparet ex illo Divino monito: (*q*) *AUDI conſilium*, & *SUSCIPE diſciplinam*, (ſeu *eruditionem*, *inſtructionem*,) *ut ſis ſapiens in noviſſimis tuis.* Salomon quoq; (*r*) *cor docile* ſibi *dari* petit à Deo. Nihil verò magis adverſatur huic *docilitati*, quàm (1.) animus *præjudiciis* erroneis præoccupatus; dum quis pertinaciter inhæret eis, quæ ſemel abſq; ullo ſolido fundamento inde ferè à teneris annis imbibit: quod vitium à S. *Auguſtino* in verbis paulò pòſt (*ſ*) adducendis, *præoccupa-*

(*n*) *Comment. in Iſa. Lib. 3. in cap. 30 v. 20. Tom. 2. p. 427. edit. Par. 1638.* (*o*) *Marc. 9. v. 22. (al. v. 23.)* (*p*) *Sub Regul. 1. hui. C aſs. p. 19. 20.* (*q*) *Prov. 19. v. 20. Conf. Eccl. 21. v. 18.* (*r*) *3. (al. 1.) Reg. 3. v. 9.* (*ſ*) *S. V. b. cap.*

occupatio diuturni erroris dicitur. (2.) Αὐθάδεια, *ſui complacentia*; quâ quis ſibi adeò pertinaciter placet, ut planè nolit ſuos ſeriò agnoſcere & deflere defectus, nec putat ſe indigere ulteriori in cœleſtibus inſtructione: non obſtante quòd ex conſvetudine quadam externa, comparet & ipſe in loco publicæ inſtructionis, imò & libros privatim quoq; legit perfunctoriè. In tales pleniùs deſcribendos quadrat illud S. *Gregorii* Magni: (*s*) *Sunt nonnulli, qui vitam ſuam negligunt, & dum tranſitoria appetunt, dum æterna vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem* [de præſentibus] *ſentiunt, nec habere conſilium ſciunt. Cumq; ſuperna, quæ amiſerunt, NON CONSIDERANT, eſſe ſe (heu miſeri!) in bonis felices PUTANT. Nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt; nequaquam ad contemplationem patriæ æternæ, deſiderii aciem tendunt; ſed ſemetipſos in his, ad quæ projecti ſunt deſerentes, VICE PATRIÆ DILIGUNT EXILIUM, quod patiuntur, & in CÆCITATE, quam tolerant, quaſi in claritate luminis exultant.* Qui tales ſunt, omni prorsùs ſalutari *docilitate* deſtituuntur; nec etiam veram & ſalutarem conſequentur unquam ſapientiam, donec tales manent. De *electis* verò idem S. Doctor ea ſubjungit ibidem immediatè, quæ digna ſunt, ut hîc quoq; cum ſuperioribus jungamus. *At* (inquit,) *contrà electorum mentes, dum tranſitoria nulla eſſe conſpiciunt, ad quæ ſint condita, exquirunt: cumq; eorum ſatisfactioni nihil extra Deum ſufficit, ipſâ INQUISITIONIS EXERCITATIONE fatigata illorum cogitatio, in Conditoris ſui ſpe & contemplatione requieſcit; ſupernis interſeri civibus appetit; & unusquisq; eorum adhuc in Mundo corpore poſitus, mente tamen extra Mundum ſurgit; ÆRUMNAM exilii quam tolerat, DEPLORAT, & ad ſublimem patriam, inceſſanter ſe amoris ſtimulis excitat.* Hæc ille. Noſce ergo † homo, tuas hîc mentis & corporis ærumnas, ac dole ſuper iis aſſiduè, animumq; in æternæ patriæ contemplationem defige; ſic non eſt dubium, quin verum habeas *deſiderium*, veramq; *docilitatem* conſequendi cœleſtem ſapientiam.

V. Porrò, quod requiſitum ſanctæ *humilitatis* attinet; cum *Deus humilibus* ſolùm promittat ſuam *gratiam*; (juxta, Jac.4. ℣.6. & 1.Pet.5. ℣.5. coll. Prov.3. ℣.34.) ſimiliter gratia *ſapientiæ* cœleſtis, non aliis certè quàm *humilibus* confertur; juxta Prov. 11. ℣.2. col. 2. *Ubi eſt humilitas, ibi & ſapientia.* Conf. Pſal. 24. (al.25.) ℣.9. Huc quadrat illud etiam Magni Gregorii: (*t*) *Superbas mentes, veritatis doctrina deſerit*: Quod autem neq; cum *contentioſis* commoretur vera ſapientia; ſatis apparet ex eo, quòd *ſapientia quæ deſursùm* deſcendit, non ſolùm dicitur eſſe *pudica*, ſed & *PACIFICA*,

(*s*) *Moral. in Job. Lib.* 1. *cap.* 10. (*al c.* 26.) *in cap.* 1. *Job. v.* 1. † *De hominis* ſua *ipſius* cognitione, *quo ſuo in* Aſcetico *Hungaricè à me edito* (*ex Gen.*17. *v.*1.) *cap.* 5. *ejusq; neceſſitate ad* Divina *ſalutariter cognoſcenda, ibid. c.* 6. §. 3. & 4. (*t*) *Homil.* 20. *in Evang.*

Digitized by Google

FICA, *modeſta*, nec non. *plena miſericordiâ & bonis operibus.* Jac. 3. ℣. 17. *Pacificos* ergò & *modeſtos* poſſeſſores requirit. Confer hîc Sap. 1. ℣. 4. 5. Et illud S. Auguſtini: (*u*) *Licet acutè* (quidam) *moveantur*, *CONTENTIOSUM tamen ſtudium, & praeoccupatio diuturni erroris, ab intelligendo impedit.*

REGULA III.

VI. *POſt Divini nominis invocationem, inter ſtudia & labores, deſiderantis penetrare in arcana Prophetiarum & typorum, pracipuus & primarius labor ſit, diligens & attenta Scriptura S. lectio, auditio, ejusq; meditatio.* 1. Tim. 4. ℣. 13. 2. Pet. 1. ℣. 19. Iſa. 34. ℣. 16. *Requirite diligenter in Libro Domini, & legite.* (Quod monitum ſpecialiter in hunc finem illic datur, ut ſciamus prædictiones Divinas cum eventibus earum rectè conferre, & vice verſâ.) Item, Dan. 9. ℣. 2. Confer præclarum locum Eccleſiaſtici, cap. 39. ℣. 1. 2. 3. 11. 14. Adjunge hîc illud S. Hieronymi: (*v*) *Qui neſcit Scripturas, neſcit Dei virtutem, ejusq; SAPIENTIAM. Ignoratio Scripturarum, ignoratio Chriſti eſt.* Tene & iſtud S. Cypriani: (*x*) *Sit tibi vel oratio aſſidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum.* Inprimis autem loca *parallela* de hoc vel illo ſubjecto, & ex iis, ea vel maximè, quæ ſingulare aliquod bonum de futuro Eccleſiæ Dei promittunt, ſedulus Prophetiarum ſcrutator benè obſervet, & quantùm fieri poteſt, velut in ſuccum & ſangvinem (ut ajunt) ſibi convertat. Præterea, quidquid in *Scripturis* ſacris, ut jam ad literam *geſtum*, factum, vel per *ſpecies viſum* pro futurorum myſteriis traditur, vel etiam quæ talia ſunt, quorum literale *implementum* aliquod, ſive ex ipſa *Scriptura* ſacra, ſive ex aliis *hiſtoriis* fide dignis ſciri poteſt, in omnibus iis, ſenſum literalem & hiſtoricum priùs rectè inveſtiget ac probè teneat, quàm myſticum ſenſum inde eruat. Absq; eo enim nunquam rectè myſterium literæ eruet. *Primi* generis ſunt omnia *hiſtorica* typica, item, ſtructura *Tabernaculi*, vel *Templi* Salomonis, & Leges ritusq; *Moſaici*: *ſecundi* generis ſunt *viſiones*, Propheticæ; ut apud Ezechielem (cap. 1. 10. 40. & ſequ.) & alios: *tertii* ordinis ſunt prophetiæ in *Judæis* & apud *Judæos* olim, vel etiam in *Gentibus* ad literam (pleniùs vel parciùs) impletæ. Imò in omnibus etiam aliis eloquiis ſacris, ſimplex terminorum intelligentia, eorundemq; nexûs & ſenſûs Grammatici primâ fronte obvii recta perceptio prærequiritur, antequam quis ſenſum à Spiritu S. intentum in iis quærat. Obſervabit etiam diligenter (cultor hujus ſtudii) in lectione & expoſitione *Scriptura* Propheticæ ac typicæ, id quod & in aliis ſcientiis methodicè hauriendis obſervandum eſt, nempe; ut ſemper *à notioribus, facilioribus & clarioribus Scriptura locis, ad ignotiora, difficiliora & obſcuriora procedat.* Cum enim nihil

(*u*) *Epiſt. 5. ad Marcell.* (*v*) *Prolog. in Iſa. ad Euſtoch. ſub initium, Tom. 4.* (*x*) *Epiſt. 2. ad Donat.*

Digitized by Google

nihil ferè de obſcuritatibus Scripturæ *eruatur, quod non alibi planiſſimè dictum reperiatur*; (ut jam olim obſervavit S. (*y*) *Auguſtinus*, & nos quoq; ex eo ſupra (*z*) notavimus;) ipſa ratio naturalis dictat, eâ parte nos debere primùm rimari Scripturas, quâ non ſolùm faciliùs patent, ſed etiam lucem parti obſcuriori ſubminiſtrant. Legenda quidem nobis ſunt ſubinde etiam obſcuriora; ſed antequam ea penitiùs exponenda aggrederemur, neceſſarium eſt, ut in clarioribus dextrè intelligendis bonum nobis jaciamus fundamentum; nec pudeat nos recognoſcere noſtram infirmitatem & ignorantiam, ſicubi etiam poſt longos ac ſæpiùs reiteratos labores, necdum quicquam certi ac fixi, ad ſatisfaciendum tum nobis tum aliis, invenire potuimus. Sic v. gr. quis ſit genuinus ſenſus loci, (*a*) de *numero nominis Beſtiæ*, 666. non me pudet fateri, me adhuc ignorare. Non quòd ignorem doctiſſimorum interpretum, ſuper illum locum expoſitiones; (inter quas, antiqua S. *Irenæi*, videtur mihi veritati præ ceteris eſſe propinquior,) ſed quia illæ conſcientiæ meæ, & deſiderio intelligendi Scripturas ad præcipuum Spiritûs S. ſcopum avidiſſimo, non ſatisfaciunt; non aliud hîc poſſum dicere, quàm me adhuc ignorare pleniorem & adæquatum ejus loci ac *numeri* ſenſum. Fateri autem in hoc, & ſimilibus multis meam ignorantiam, non mihi obeſt, ſed potiùs multùm prodeſt; quoniam ſeriò agnitâ hujuſmodi meâ imperfectione, eò ardentiùs enitor, laborando, (ſpe nunquam abjectâ,) ut etiam obſcuriora ac difficiliora aliquando intelligam. Svadeo autem hîc unicuique induſtrio Propheticæ ſcientiæ ſtudioſo, ac in lectione & doctrina Novi Teſt. benè verſato, ut inter Prophetas, primùm (*b*) *Iſaiam*, (*c*) *Jeremiam* & (*d*) *Pſalmos* legat ac rimetur, antequam in abditiora & magis ænigmatica aliorum Librorum ſecreta, penetrare poſſit. Conſulo etiam, ut ex iis Libris, quos Hebræi in Canone non habent, præprimis Librum *Sapientiæ* & *Eccleſiaſticum*, ſobriè, diligenter & attentè, iterùm atque iterùm evolvat; experietur ſanè, admirandam planè in iis reconditam eſſe ſapientiam etiam in futurum. Lege inter alia capita, cap. 3. & 5. Sapientiæ; item, c. 24. & 36. Eccleſiaſtici; eaq; confer cum innumeris Prophetarum dictis emphaticis de ſtatu Eccleſiæ ultimi temporis, nihil habebis, quod verè huic meæ aſſertioni opponere poſſis.

(*y*) *De Doct. Chriſtian. Lib. 2. c. 6.* (*z*) *Præcognit. Cap. 1 Parag XVI.* (*a*) *Apoc. 13. v. 17. 18* (*b*) *De encomio* Iſaiæ *in hunc ſcopum, vide Proœm. S* Hieron. *Comm. in Iſaiam. Ubi inter alia hæc leguntur:* Univerſa Domini Sacramenta præſens Scriptura (*Iſaia*) continet. (*c*) De Jeremia *vide eund Præfat in Jerem. Ubi ait* Jeremiam Iſaiæ & Oſeæ ſenſibus parem eſſe. (*d*) De Pſalmis *vid Prolog. Enarrationib. S. Aug. in Pſalm. præfixum.* Pſalmorum (*inquit*) Liber, quæcunq; utilia ſunt, ex omnibus continet. Futura prædicit, veterum geſta commemorat, *&c.* Incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis ſtabile firmamentum.

REGULA IV.

VII. „*Poſt Scripturam ſacram, & unà cum eadem, legendi ſunt Doctores Ec-„cleſiaſtici & Commentatores eruditi, inprimis veteres Sancti Patres, ſancti-„tate, doctrinâ & zelo pro gloria Dei & Fide Catholica celebres: qui (exceptis „iis, quæ ex uberiori lingvarum ſcientia, & plurium temporum experientia „promanant) hactenùs ſemper præferendi ſunt recentioribus.* Hos ego *Sanctos* non dubito intelligi unâ cum aliis altioris ævi Sanctis Dei, apud Salomonem in Proverbiis, dum dicit, (*e*) *Scientiam Sanctorum* eſſe *prudentiam*. Horum item piam doctrinam ſubincludi vocabulo *veterum*, certò teneo, in illo prophetico Chriſti dicto: (*f*) *Omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum, ſimilis eſt homini patri-familias, qui profert de theſauro ſuo nova & VETERA.* Item, in illo Eccleſiaſtici: (*g*) *Sapientiam omnium ANTIQUORUM exquiret ſapiens; -- narrationem virorum nominatorum conſervabit.* Conf. Deut. 32. ℣. 7. *Interroga majores tuos, & dicent tibi.* S. *Athanaſius* (qui obiit an. D. 371.) unus fuit (ut notum) ex antiquis, orthodoxis & celeberrimis SS. *Patribus*; ipſe tamen adhuc antiquiorum ſe Sanctorum *Patrum* expoſitionem, ad mentem Scripturæ S. intelligendam, multum conferre docet. Verba ejus ſunt: (*h*) Αὐτάρκεις μὲν εἰσὶν αἱ ἁγίαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. εἰσὶ δὲ καὶ πολλοὶ τῶν μακαρίων ἡμῶν διδασκάλων, εἰς ταῦτα συνταχθέντες λόγοι. οἷς ἐάν τις ἐντύχοι, εἴσεται μέν πως τὴν τῶν γραφῶν ἑρμηνείαν, ἧς δὲ ὀρέγεται γνώσεως τυχεῖν δυνήσεται. H. e. *Sufficiunt quidem per ſe, ſacræ & divinitus inſpiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem. Sunt autem etiam beatorum noſtrorum Doctorum, multi in eam conſcripti libri: quos ſi quis evolvat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem, & eam quam cupit COGNITIONEM ADIPISCI POTERIT.* Hæc S. Athanaſius. Quantò magis poſt tot jam ſecula, inde ab *Athanaſii* ævo, hoc de utilitate lectionis SS. *Patrum* dicere poſſumus? Certè quicquid præclari in antiquis typis & prophetiis reconditioris ſensûs explicandis apud recentiores hactenùs habemus, id omne vel ſaltem ſeminaliter, in SS. *Patrum* voluminibus reperimus. In dies verò adhibito diligenti labore, plura etiam ex iis, ad divinam Scripturam collatis, eruere poſſumus.

VIII. Dabimus hîc ſpeciminis loco pauca quædam exempla, (antequam Lector plura ſuis locis infra ſub diverſis *Regulis* videat,) quæ commendent acumen & induſtriam veterum SS. *Patrum*, in *typis* ac *prophetiis* ſcrutandis & illuſtrandis. Sic S. *Juſtinus* Martyr, diſputans cum Tryphone Judæo, (circa an. D. 150.) egregiè exponit myſterium *Agni* Paſchalis. (*i*) Τὸ μυστήριον (inquit)

(*e*) *Prov.* 9. *v.* 10. (*f*) *Matt.* 13. *v.* 52. (*g*) *Eccli.* 39. *v.* 1. 2. (*h*). *Athan. Orat. Contr. Gent.* *Tom.* 1 *pag.* 1. (*i*) *Dialog. cum Tryphon. pag.* (*mihi*) 259.

(inquit) τῦ προβάτυ, ὁ τὸ πάσχα θύειν ἐντέταλται ὁ Θεὸς, τύπος ἦν τῦ χριςῦ· ῦ τῷ αἵματι, κατα τὸν λόγον τῆς εἰς αὐτὸν πίςεως, χρίονται τὺς οἴκυς ἑαυτῶν, τυτέςιν, ἑαυτὺς, οἱ πιςεύοντες εἰς αὐτόν. H. e. *Myſterium †Agni, quem* (ut) *Paſcha immolare Deus mandavit, typus erat Chriſti, cujus ſanguine, juxta rationem noſtra in illum fidei, * aſpergunt ædes ſuas, hoc eſt, ſe ipſos, in eum credentes.* Ædes ſeu domos, nos ipſos vocat; quia ſumus domicilia (*k*) Spiritûs ſancti. Ibidem pauló poſt ſubjungit, quo modô olim *Agnus* ille, *in formam crucı ſimilem* in veru *conformatus ad ignem torrebatur*; quo ſitû, *ſupplicii crucis* Chriſti *ſymbolum fuit.* Deinde verò pergit ad explicationem duorum (*l*) *hircorum* (*m*) diei expiationis. ϰ̀ οἱ ἐν τῇ νηςείᾳ δὲ τράγοι δύο ὅμοιοι &c. *Et qui in jejunio* (inquit) *Hirci duo ſimiles, accipi jubebantur; quorum alter † emiſſarius* (malorumq; depulſor) *fiebat, alter autem in oblationem ſumebatur, DUORUM CHRISTI ADVENTUUM deſignatio erant; prioris quidem, cum eum velut emiſſarium emiſerunt Seniores veſtri & Sacerdotes, manus illi inferentes, & morte eum mulctantes; poſterioris autem cum in eodem loco Hieroſolymorum ipſum agnoſcetis ignominiâ a vobis affectum. Et oblatio is factus pro cunctis per pœnitentiam reſipiſcere volentibus peccatoribus, & jejunium quod Eſaias* (*n*) *recenſuit jejunantibus.* (Hunc eundem *typum* adhuc clariùs explicatum videre potes (*o*) apud Tertullianum.) Idem Juſtinus (*p*) *ſimile oblationem,* (*q*) *pro iis, qui à lepra purgabantur,* docet * *figuram fuiſſe Panis Eucharistici, quem in recordationem paſſionis, quam pro his ſuſtinuit hominibus, quorum anima ab omni purificantur pravitate, Jeſus Chriſtus Dominus noſter facere præcepit.* Et pauló pòſt *circumciſionis* etiam vetuſtæ, ſi non plenum, certè principale & originale myſterium aperit, dum hæc ſcribit: (*r*) ἡ δὲ ἐντολὴ τῆς περιτομῆς. &c. *Præceptum autem Circumciſionis, octavâ die omninò circumcidere jubentis infantes natos, nota erat vera Circumciſionis, quâ circumciſi ſumus ab errore & pravitate, per eum, qui à mortuis reſurrexit, unâ Sabbatorum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Unâ Sabbatorum; h. e. ut ſtatim explicat, *die octavâ.* Subjicit illicò: *Quin illud etiam, quòd traditum eſt, TINTINNABULA è veſte PONTIFICIS talari ſuſpenſa eſſe, duodecim APOSTOLORUM, à virtute æterni Sacerdotis Chriſti dependentium,* (*quorum voce univerſa terra, gloriâ & gratiâ Dei & Chriſti ejus repleta eſt,*) *ſymbolum fuit.* Item, quòd (*ſ*) *Moyſes manibus expanſis*

† *Propr.* ovis; *ſed ſenſus idem.* * *Propr.* ungunt. (*k*) *1. Cor. 6. v. 19.* (*l*) *Loc. cit* (*m*) *Lev. 16. v. 5. 7. 8. 9. 10.* †. *Græc.* ἀποπομπαῖος. (*n*) *Iſa 58. v 6. 7.* (*o*) *Lib. adver. Jud. c. 14. & Lib. 3. contr. Marcion. c 7.* (*p*, *Loc. cit. in Dialog.* (*q*, *Lev. 14. v. 10.* * (Τύπος ἦν τῦ ἄρτυ τῆς ἐυχαριςίας. (*r*) *Ibid. Dial, cum Tryphon. pag. 260.* (*ſ*, *Eod. Dialog. cum Tryph. p. 338. 339.*

Digitized by Google

expanſis orans, Jeſu Chriſti *crucifixi*; *Joſue* (*s*) populum in terram Canaan introducens, ejuſdem *Jeſu* Domini, populum ſuum diſperſum, in Canaan myſticam, & hæreditatem perpetuam tandem introducturi typus; atq; etiam (*t*) *funiculum coccineum* (*u*) Rahab, (in cujus explicatione jam præiverat aliis *Clemens* (*v*) *Romanus*,) *ſanguinis Jeſu Chriſti* fuerit *ſymbolum, per quem vetuſti fornicatores & iniqui homines ex Gentibus omnibus ſalvantur*; & alia plura ejuſdem generis apud eundem reperimus. Idem, poſtquam Pſalmum (juxt. Vulg.) LXXI mum, (h. e. juxt. Hebr. LXXII dum,) *Deus judicium tuum Regi da*, &c. recitaſſet, mox contra Judæum exponendo eundem Pſalmum, ſubjicit: (*x*) *Salomonem quidem Regem illuſtrem & magnum fuiſſe, ſub quo Templum, quod vocatur Hieroſolymitanum, eſt conſtructum, ſcio*; (ὅτι δὲ ὀδὲν τῶν ἐν τῷ ψαλμῷ εἰρημένων συνέβη αὐτῷ, φαίνεται.) *Quòd verò nihil eorum quæ in Pſalmo recenſentur, ei evenerit, in propatulo eſt. Neq; enim Reges cuncti adoraverunt eum, neq; usq; ad fines Orbis imperavit, neq; inimici ad pedes ejus provoluti, pulverem linxerunt.* Sic etiam pauló pòſt, Pſalmum 23tium, (al. 24tum,) *Domini eſt terra*, &c. explicat rectè in Domino Jeſu Chriſto impleri. Multa & alia præclara, talium expoſitionum ſpecimina, Lector apud eum inveniet.

IX. *Theophilus* etiam Antiochenus * Epiſcopus, (circ. an. D. 182.) in paucis verbis, & quidem ex locis primâ fronte conſiderationem noſtram minùs attentam fugientibus, myſterium non parvi momenti profert in medium. Verba ejus ſunt: (*y*) Πλασθέντος ἀνθρώπυ ἐν τῷ κόσμῳ τότῳ, μυστηριωδῶς ἐν τῇ Γενέσει γέγραπται, ὡς δὶς αὐτῦ ἐν τῷ παραδείσῳ τεθέντος. ἵνα τὸ μὲν ἅπαξ ᾖ πεπληρωμένον πότε ἐτέθη, τὸ δὲ δεύτερον μέλλει πληρῦσθαι μετὰ τὴν ἀνάστασιν κ̀ κρίσιν. H. e. *Cum homo conditus eſſet in hoc Mundo, myſticè in Geneſi ſcriptum eſt, quaſi bis* (*z*) *ipſe in Paradiſo fuerit poſitus: ut quidem illud SEMEL ſit impletum, quando* (illic) *poſitus eſt. ALTERUM autem implebitur poſt* † *reſurrectionem & judicium* Similiter *Clemens* Alexandrinus, circa an. D. 194. Sabbati veteris *Sabbatiſmum* futurum, (ut ſtylô Apoſtoli (*a*) loquar) *populo Dei relictum*, in aliquot lineolis ad rem planè explicat. (*b*) Ἡ ἑβδόμη τοίνυν ἡμέρα, (inquit,) ἀνάπαυσις κηρύσσεται ἀποχὴ κακῶν,

(*s*) *Pag.* 340. (*t*) *Pag.* 338. *ibid.* (*u*) *Joſ.* 2. *v.* 28. (*v*) *In Epiſt. ad Corinth Floruit Clem. Rom. ſecul. primo. Vid. de eo, Philip.* 4. *v.* 3. (*x*) *Eod. Dial. cum Tryph. pag.* (*mihi*) 252. * *Hic factus eſt Epiſcopus circa an. D.* 170. *& ſcripſit ad* Autolicum. *circ. an.* 182. (*y*) *Lib.* 2. *ad Autolic. pag.* (*mihi*) 103. (*z*) *Vid. Gen.* 2. *v.* 8. *&* 15. † *Quia ſcilicet, tunc pleniſſimè & conſummatiſſimè experiemur, quid literalis* Paradiſus *præfiguraverit.* (*a*) *Hebr.* 4, *v.* 9. (*b*) *Clem. Stromat. Lib.* 6. *pag.* (*mihi*) 682.

κακῶν, ἑτοιμάζουσα τὴν ἀρχίγονον ἡμέραν τὴν † τῷ ὄντι ἀνάπαυσιν ἡμῶν. ἣν δὴ καὶ πρώτην τῷ ὄντι φωτὸς γένεσιν, ἐν ᾧ τὰ πάντα συνθεωρεῖται, καὶ πάντα κληρονομεῖται. H. e. *Septimus ergò dies prædicatur* (ſeu *dicitur*) *quies, abſtinentia* (nimirùm) *à malis; præparans primarium illum diem, qui eſt verè requies noſtra; qui quidem prima quoq; eſt reverà lucis generatio; in qua* (luce nempe vera) *omnia ſimul cernuntur, & omnia poſſidentur.* Hæc ille. Verbis illis, *præparans primarium illum* (ſeu *principalem* in *ortu* rerum) *diem*, &c. (quantum ejus mentem percipio) hoc vult innuere: quòd per *ſeptimi* diei *quietem* olim præfigurata *abſtinentia à malis*, (ultimo tempori potiſſimùm reſervata,) præparat in electis *diem* illum veræ & ſummæ *quietis*, qui per *primum* illum *diem*, quo *lux* olim (juxta Gen. 1. ℣. 3.) creata eſt, & in quo etiam Dominus reſurrexit, (qui alias *octavus* eſt,) fuit præfiguratus. Hæc ex mente ejus. [Interim de *ſeptenario & octonario* dierum myſticorum *numero*, conſulat Lector S. *Hieronymum*, Epiſt. 139. in Pſal. 89. (al. 90.) ℣. 4. infra Claſs. 2. cap. 10. §. 15. citat.]

X. Delibemus adhuc aliqua ex aliis quibusdam, utilitatem noſtræ *Regulæ* monſtrantia. Sanctus *Irenæus* Lugdunenſis Epiſcopus & Martyr, (*Clementi* Alexandrino partim coævus, partim eô aliquantò antiquior,) quomodò Moyſes adventum Chriſti, & tempus paſſionis ejus, & locum etiam in quo paſſus eſt, in typis præſignificaverit, ſic oſtendit: (c) *De me enim ille ſcripſit*; (Chriſti verba de Moſe (*d*) refert,) *ſcilicet, quòd inſeminatus eſt ubiq; in Scripturis ejus, Filius Dei. Aliquando quidem cum Abraham* (*e*) *loquens, cum eodem comeſurus. Aliquando* (*f*) *cum Noë, dans ei menſuras: aliquando autem quærens* (*g*) *Adam. Aliquando autem* (*h*) *Sodomitis inducens judicium; & rursùs cum videretur, & in viam dirigit* (*i*) *Jacob, & de rubo loquitur* (*k*) *cum Moyſe. Et non eſt numerum dicere, in quibus à Moyſe oſtenditur Filius Dei, cujus & diem paſſionis* (*l*) *non ignoravit; ſed figuratim prænuntiavit, eum Paſcha nominans; & in eadem ipſa* (die) *quæ ante tantum temporis à Moyſe* (*m*) *prædicata eſt, paſſus eſt Dominus adimplens Paſcha. Non ſolùm autem diem deſcripſit, ſed & locum, & extremitatem temporum, & ſignum occaſûs Solis dicens: (n) Non poteris immolare Paſcha in ulla alia Civitatum tuarum, quas Dominus Deus dat tibi, niſi in eo loco,* * *quem delegerit Dominus Deus tuus, invocari nomen ſuum ibi. Immolabis Paſcha veſpere ad occaſum Solis. Jam autem & manifeſtaverat ejus adventum, dicens:* (o) *Non de-*

erit

† *Phraſis* τῷ ὄντι, *idem nunc ſignificat, quod* ὄντως, *h. e.* verè. (c) *Lib. 4 advers. Hær. c. 23.* (d) *Joan. 5. v. 46.* (e) *Gen 18. v. 1 & ſequ.* (f) *Gen. 6 v. 14.* (g) *Gen. 3 v. 10.* (h) *Gen. 19. v 24.* (i) *Gen. 28 v. 18.* (k) *Exod. 3. v 14.* (l) *Nempe, in circuio dierum* (*intra menſem*) *quis vel quotus dies futurus eſſet.* (m) *Exod. 12. v. 6. Confer Matt. 26. & 27.* (n) *Deut. 16. v. 5. 6.* * Hieroſolymam *intelligit.* (o) *Gen. 49, 10.*

erit Princeps in Juda. &c. Item, alibi ultimi temporis ſtatum Eccleſiæ ex Daniele exponens, ſcribit: *(p) Cum in fine repente † hinc Eccleſia aſſumetur; Erit* (inquit) *tribulatio, qualis non eſt facta* [*ab initio*] *neq; fiet. Noviſſimus enim agon* (eſt) *juſtorum, in quo vincentes coronantur incorruptelâ. Et propter hoc in Beſtia veniente, recapitulatio fit univerſæ iniquitatis & omnis doli; ut in ea confluens & concluſa omnis virtus apoſtatica, in caminum mittatur ignis.* Et aliquantò pòſt: *Ananias & Azarias, & Miſaël, non adorantes eam imaginem*, (ſcil. Nabuchodonoſoris,) *in caminum miſſi ſunt ignis; per id quod eis evenit, prophetantes eam, quæ in finem futura eſt juſtorum (q) ſuccenſio.* Item, Arcæ fœderis typum exponens: *(r) Sicut* (inquit) *Arca* (Teſtamenti) *inaurata intùs & foris auro purô erat; ita & Chriſti corpus purùm erat ac ſplendidum; intùs quidem Verbo ornatum, foris † autem Spiritû communitum: ut ex ambobus naturarum ſplendor commonſtraretur.* Plurima & alia hujuſmodi doctè è Scripturis eruta, apud hunc S. Patrem habemus.

XI. Sed & *Tertullianus* non pauca nobis talia reliquit, è quibus magnam ad ulteriora etiam myſteria eruenda, lucem mutuari poſſumus. Sic inter alia, de duodenario Apoſtolorum numero: *(ſ) Cur* (inquit) *duodecim Apoſtolos Chriſtus elegit, & non alium quemlibet numerum? Nā & ex hoc meum Chriſtum interpretari poſſem, non tantùm vocibus Prophetarum, ſed & argumentis rerum prædicatum. Hujus enim numeri (s) figuras apud Creatorem deprehendo: Duodecim fontes (t) Elim; & duodecim gemmas in tunica (u) ſacerdotali Aaronis; & duodecim (v) lapides ab Jeſu de Jordane electos, & in † Arcam Teſtamenti conditos. Totidem enim Apoſtoli portendebantur. proinde ut fontes & amnes, rigaturi aridum retrò & deſertum à notitia Orbem Nationum; ſicut & per Eſaiam:* (x) Ponam in terra inaquoſa flumina. *Proinde ut gemmæ, illuminaturi ſacram Eccleſiæ veſtem, quam induit Chriſtus Pontifex Patris. Proinde ut & lapides, ſolidi fide, quos de lavacro Jordanis Jeſus verus*

(p) *Lib. 5. c. 29.* † *Mens eſt Irenæi; cum* Eccleſia *jam jam citò liberanda erit ex horrendis hujus ſeculi preſſuris, ut evehatur in plenam libertatem filiorum Dei, juxta Rom. 8 v. 21. 23. Atq; hoc requirit etiam ſcopus Danielis. cap. 12. v. 1.* (q) *Mal. 3. v. 2. 3. 1. Cor. 3 v 13 14 15.* (r) *In Fragment. Iren. à Feuardent. edit. in fine.* Ὥσπερ ἡ κιβωτὸς κεχρυσωμένη ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν χρυσῷ καθαρῷ ἦν· οὕτω καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα, καθαρὸν ἦν καὶ διαυγές. ἔσωθεν μὲν τῷ λόγῳ κοσμούμενον, ἔξωθεν δὲ τῷ πνεύματι φρουρούμενον. &c. † *Radiantibus nempe ex ipſo externè Spiritûs æterni operibus.* (ſ) *Contr. Marcion. Lib 4. c. 13.* (s) *H. e. typos & umbras.* (t) *Exod. 15. v. ult.* (*al 16. v. 1*) *Item, Num. 33 v 9* (u) *Exod 28. v. 17.--21.* (v) *Jos. 4. v. 3. 5 8.* † *Ita apud* Tertullianum: *ſed in textu ſacro longè aliter; juxta quem potiùs dici poteſt, quòd* ſub arca *ſunt poſiti, tunc ſcilicet, dum adhuc ſtarent pedes Sacerdotum* portantium arcam foederis *in ſicco alveo Jordanis; ubi etiam (præter alios 12 in* Galgalis *v. 20, relictos)* duodecim lapides *poſiti ſunt. Vid. Jos. 4. v. 9.* (x) *Iſa. 43. v. 19.* (*al. v. 6.*)

rus elegit, & in ſacrarium Teſtamenti ſui recepit. Hircos quoq; geminos, eodem modo, ut *Juſtinus*, (ſed ipsô clariùs & uberiùs,) orthodoxè explicat. Pariter etiam ad imitationem *Juſtini*, Danielis locum cap. 7. de *Filio hominis* (y) veniente ad *antiquum dierum*, ut & (z) Pſal. 44. (al. 45.) de ſecundo & glorioſo Chriſti, Mundi Regna in plenitudine occupaturi, adventu, exponit. Hæc ex multis ejus eruditè conceptis expoſitionibus. Taceo hîc S. *Cyprianum*, S. *Ambroſium*, *Hieronymum*, *Auguſtinum*, *Gregorium* M. & alios, tum è Latinis, tum è Græcis; apud quos Lector induſtrius (ſi copiam eorum habeat,) abundè talia pro ſuo ſcopo invenire poterit. Qui deſtituuntur copiâ talium Authorum, fruantur nunc his, (junctim cum iis, quæ infra ſub diverſis *Regulis* adducentur,) usq; dum vel in Authoribus ipſis, vel apud Antiquarios hujus ævi, alia quoq; huc ſpectantia legere poſſint.

XII. Unum adhuc memoratû digniſſimum, (quod ſuo tempore (a) nobis uſui futurum eſt,) ex Authore Commentarii in Apocalypſin, inter opera S. *Ambroſii*, Scriptore non indocto, hîc apponere non gravabor. Is typicum *Joſue* factum ad *Hierichunta*, exponens, inter alia hæc ſcribit: *(b) Jericho omne corpus reproborum, quod eſt Civitas Diaboli ſignificat; per filios verò Iſraël, electi deſignantur: per Sacerdotes, Prædicatores; per tubas, doctrina prædicationis: per populum verò, qui eos ſequebantur omnes juſti deſignantur, qui eorum doctrinam ſequebantur & actus imitabantur; per arcam autem, Chriſtus intelligitur, qui in ſanctis cordibus eorum habitans portabatur.* Tandem, poſtquam *quatuor* circuitus Joſuanos cum *tubis* factos, de Sanctis Vet. Teſtamenti, *quintum* autem & *ſextum* de N. Teſt. Eccleſia (ad ſuum usque tempus) ex Judæis primùm ac deinde ex Gentibus collecta, expoſuiſſet; mox *ſeptimum* circuitum hunc in modum exponit: *Septimus verò circuitus ad eos, qui temporibus Antichriſti futuri ſunt, pertinet. Sed & illi, quomodò Antichriſti, miniſtrorumq; ejus † refutabunt perfidiam, hic Liber* (Joſuæ) *manifeſtat. Septimo ergo die, circumeuntibus Sacerdotibus cum Arca Jericho, atq; vociferantibus, muri* Jericho *ceciderunt, omnisq; populus cum Rege ſuo interfectus eſt: quia prædicantibus in fine Mundi Prædicatoribus veritatis, finemq; Mundi annunciantibus, ſubitò finis Mundi adveniet, omnisq; Civitas Diaboli deſtruetur, atq; cum ipſo Capite ſuo Diabolo, perpetuâ nocte damnabitur.* Hæc nunc ſpeciminis loco ſufficiant; è quibus pateat, quàm ſolidè & nervoſè ſubinde SS. Patres, difficiliora Scripturarum typicarum & propheticarum loca, exponant. Quod pudorem meritò incutere debet illis, eosq; ad majorem excitare induſtriam & diſcretionem, qui cum velint magni Scripturarum, inprimis etiam Prophetiarum Expoſitores haberi, attamen vix unquam SS. *Patrum*

(y) *Tertull. adv. Marc. Lib. 3. c. 7.* (z) *Ibid.* (a) *Infra Claſs. 3. ſub Reg. 3.* (b) *Comment. in Apoc. cap. 1. Tom. 5. inter opera S. Ambros. col. 872. edit. Paris. an. 1614* † *Ita editio Colon. an. 1616. At alibi legitur,* defutabunt.

Patrum ſcripta cum aliqua mora & attentione debita inſpiciunt, etiamſi fortè multa ex iis, præ manibus, aut propè ſe habeant; vel ſi inſpiciant, contemnunt ea, & pro libitu ſuo traducunt; malunt autem, recentiorum tantummódò vitulâ arare, atq; hoc labore contenti eſſe.

XIII. Accedat etiam hoc ad commendandam Venerandæ Antiquitatis in hoc ſtudio prophetico lectionem; quòd is qui legit diligenter SS. *Patres*, ceterosq; ſuperioris ævi Doctores probatæ eruditionis & authoritatis, atq; ex iis, vel verbis diſertis, vel per bonam conſequentiam, ſuas fulcit expoſitiones, tutus eſſe poteſt dum ſua examinatur ſententia; ſecùs quàm illi, qui nequaquam SS. *Patres*, vel alios eximii candoris, pietatis, probatæq; authoritatis Doctores Catholicos, pro ſe allegare poſſunt. Ut enim in aliis Quæſtionibus Theologicis; ſic in exponendis Prophetiis ac typis multùm juvat, SS. *Patres*, vel etiam alios probatos Doctores Catholicos pro noſtra expo„ſitione ſtare. Ita v. gr. dum Quæſtio movetur, An hic vel ille eventus, „ſeu hæc vel illa res, his vel illis prophetiis ac typis rectè applicetur nec ne? „ſive quod idem eſt, An rectè pro implemento hujus vel illius prophetiæ ac „typi hoc vel illud aſſumatur, an ſecùs? Certum eſt, inſigne ad dubium hujuſmodi, lumen & ſubſidium eſt nobis, ſi SS. *Patres*, vel etiam recentioris ævi Doctores ab omni partium ſtudio alienos (qui nempe ſuam doctrinam in ipſa Eccleſia Catholica cum ſpiritu pacis & manſvetudinis ex officio ſibi commiſſo propoſuerunt,) nobis conſentientes habeamus. Unde ultrò patet, quàm invalida hìc ſint, quæ in ipſam *Eccleſiam Romanam*, quà talem, atque etiam in Eccleſiæ *Primatum*, ex Propheticis Scripturis, ſub expoſitione terminorum, *Ægypti*, *Babylonis*, *Tyri*, *Beſtiæ*, *Antichriſti*, &c. à quibusdam congeruntur; utpote inde à principio profecta à Teſtibus ſuſpectis; h. e. à perſonis de vera Eccleſiæ pace & unitate haud ſollicitis, atq; inſuper, abſq; ulla ſpeciali miſſione & inſtructione divina, munus corripiendi & corrigendi ſuos Superiores ſibi arrogantibus.

XIV. Placet hìc & illud (antequam ultra progrediar) pro directione in SS. *Patribus* legendis notare: eſſe nimirum multa in eorum ſcriptis, quæ, ſi ad tempus judiciô de illis ſuſpenſo, modeſtè & in ſilentio rimemur, quid ipſi talibus dictis voluerint, vel quid potiùs Divina directio in iis intenderit, ſucceſsû tandem temporis meliùs eorum mentem intelligemus. Sunt etiam multa prophetica (ex Dei directione) in eorum ſcriptis; nunc quidem abſq; etiam ſcitu & intentione ipſorum, (qua de re infra (*c*) dicturi ſumus;) nunc verò cum intentione eorundem; (ut de *Antichriſto*, & de aliis quibusdam;) quæ ſi aliter ipſi (quantum ad ſe) quàm eventus oſtendit vel oſtenſurus eſt, intellexerint, aut fortè minùs clarè mentem ſuam in iis expoſitam nobis relique-

(*c*) *Claſ. 3. ſub Reg. 8. cap. 4. §. 2.*

Digitized by Google

reliquerint, ne miremur, nec ob id eis ſuccenſeamus; cum & ipſi SS. Prophetæ olim ſuas in remota ſpectantes tempora prophetias (ſolâ vi luminis prædicendi futura) de ſenſu earum ſpeciali non intellexerint, ſeu, quod idem eſt, diſtinctè earum ſcopum non aſſecuti fuerint; [ſalvô hôc, quòd ſciverunt in genere, ſe de futuris rebus magnis in S. Eccleſiæ bonum propheta-re:] quod perſpicuè colligitur ex Dan. 12. ℣. 8. Ubi Propheta diſertè fatetur ſe ſuam prophetiam capite illo exſtantem *non intelligere*: qui locus infra (*d*) iterùm reſumendus pleniùs illuſtrabitur. Imò aliquandò (Deo permittente) privatâ & humanâ ſuâ opinione, putârunt Prophetæ planè aliud eventurum eſſe, aut ſaltem aliô modo quippiam eventurum, quàm erat in conſilio Dei; idq; vel anticipatè ſic putârunt, ante acceptum nempe de re futura Dei verbum, vel verò etiam poſt acceptum illud, at nondum à Deo illuſtratum & explicatum; ſubſecutâ ſemper in hujuſmodi opinione, Prophetarum correctione. Utriuſq; modi dabimus exempla. Sic *Nathan* † ante acceptum de ædificando Templo Dei verbum, putabat confidenter ex ſuo ſenſu (abſq; ulla culpabili nota) *Davidem* ædificaturum Deo Templum, eò quòd videret magnam ad hoc opus ejuſdem promptitudinem, ideoq; abſq; hæſitatione ſvaſit ei, (*e*) ut *faceret* hac in re *omne quod in corde* ſuo *eſſet*; cum tamen aliud fuerit Dei conſilium, (*f*) aliterq; res evenerit. *Salomon* enim (non *David*) debuit Deo ædificare Templum. Sic etiam *Eliſæus* (*g*) putabat ex ſe, famulum ſuum, per *baculum* ſuum juxta datam ei inſtructionem ſuſcitaturum è morte filium *Sunamitidis*; at hoc (*h*) non ita evenit. Ipſemet enim debuit demùm ad ſollicitam mulieris inſtantiam (*i*) ire ad puerum mortuum, (abſq; dubio, interno Dei verbo ſeu lumine occaſione illius inſtantiæ aliter informatus,) atq; ſic ad propriam ejus præſentiam, propriaſq; preces (*k*) ſurrexit puer ex mortuis. De altero dictæ opinionis modo exempla ſunt *Samuel* & *Jonas*. *Samuel* enim poſtquam accepiſſet Dei verbum de (*l*) *ungendo* alio in *Regem* loco *Saul*, è *filiis Iſai*; profectus in (*m*) *Bethlehem*, & videns primogenitum dicti Iſai, nomine *Eliab*, (procul dubio (*n*) *ſtaturâ* ſuâ ad placitum humanum mediocriter & decenter eminentem, totoq; corpore ſpecioſum,) putabat illicò eum eſſe quem Deus vult ungi in Regem; ut hoc (*o*) clarè patet ex textu Hebræo. Imò & reliquos (*p*) ordine primùm oculis ſuis perluſtravit, antequam in ultimo & (*q*) minimo ut à Deo in Regem electo, h. e. in *David*, (juxta ejuſdem inſtructionem noviter acceptam) certò acquieſceret; ideo ſcribit ſic de eo S. Hieronymus: (*r*) *Pergit* Samuel *Bethle-*

E

(*d*) *Claſs. 2. ſub Regul. 2. cap. 1. §. XIX.* † *Conſule de hoc* S. Gregor. *M. in Ezechiel. Lib. 1. Homil. 1. Op. Tom. 2.* (*e*) *2. Reg. (al. 2. Sam.) 7. v. 3.* (*f*) *Ibid v. 5. & ſequ. collat. 1. Paral. 17. v 4 & ſequ.* (*g*) *4. (al. 2. Reg 4. v. 29.* (*h*) *Ibid. v. 31.* (*i* *Ibid v. 30. 32.* (*k*) *Ibid v. 33 34. & ſequ.* (*l*) *1. Reg (al 1. Sam.) 16. v. 1.* (*m*) *Ibid v. 4.* (*n*) *Colligitur hoc ex v. 7 ibid* (*o*) *Ibid. v. 6.* (*p*) *Ibid. v. 8. 9. 10.* (*q*) *Ibid. v. 11. 12. 13.* (*r*) *Lib. 1. advers. Pelagian. ſub fin. ſcil. c. 12.*

Bethlehem, ſingulos filiorum Jeſſe putat ipſos eſſe, quos Dominus requirebat: „cumq́; vidiſſet Eliab, ait: (ſ) Ecce in conſpectu Domini Chriſtus ejus. Et ait „Dominus ad eum: Ne reſpicias ad vultum & ad ſtaturam corporis illius.-- Atq́; in hunc modum per omnes † ERRAT, per omnes CORRIGITUR, ut pateat humanæ mentis infirmitas. Ita & Propheta *Jonas*, poſt acceptum Dei verbum contra (*s*) *Niniven* promulgandum, putabat primitùs eandem Urbem ſtatim poſt ſuam in ea prædicationem ſubverſum iri; quod tamen aliter evenit. Vide Jon. 4. ℣. 1. 2. 3. 5. collat. ibid. ℣. 10. & 11. Si magni *Prophetæ* ſic nonnunquam ex ſe ſe humanitùs errârunt, (errore ſaltem levi,) non eſt itaq́; mirum, ſi in Sanctorum etiam N. T. *Patrum*, vel aliorum eximiorum Doctorum Libris & expoſitionibus aliquid erroneum, fidem tamen minimè evertens, vel etiam haud ab ipſis intellectum occurrat. Unde obiter monendi hîc ſumus, quòd ſi quando in Doctorum verè piorum & Catholicorum, ſacras prophetias ardenter amantium ſcriptis & dictis, dum de futuris ſuam aperiunt mentem, inveniatur aliquid, quod ſalvâ fide cum eventu rerum non concordat, non debere nos propter hoc ſolùm, viros ejuſmodi pios & doctos traducere ac contemnere, quaſi falſos Prophetas. Toleremus potiùs cum charitate talium leves lapſus, & quæ bona ſunt in eorum ſcriptis, in uſum liberè convertamus. Celebris Abbas *Joachim* (an. D 1197. & ſequ.) exemplo hîc eſſe poteſt. Sed ab hoc digreſſu ad ſcopum de SS. *Patribus* redeamus.

XV. Dum ergo experimur, SS. *Patres* ſcripſiſſe quædam, in quibus ipſi ſcopum Divinæ mentis, exemplo Prophetarum, haud ſunt aſſecuti; tunc meminerimus, diſtingvendum eſſe in ejuſmodi ſcriptis ſcopum Dei cum tempore manifeſtandum, à privata hominum opinione. Aureum verò illud monitum S. *Auguſtini* ad S. Hieronymum, quod etiam *Gloſſa Ordinaria* SS. Bibliorum in Præfatione eſt præfixum, in omnibus SS. *Patrum* & aliorum Eccleſiæ Doctorum ſententiis legendis & allegandis, dignum eſt ut obſervetur: (*t*) *Ego* (inquit) *fateor caritati tuæ, ſolis eis Scripturarum Libris, qui jam CANONICI appellantur, didici hunc timorem honoremq́; deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendoſum eſſe Codicem, vel Interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinâve præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed*

(*ſ*) *Cit. loc. v. 6. 7.* † *Scil. quia non priùs ſcire certò poterat, quis eſſet ungendus, niſi poſtquam v. 7. admonitus, ſingulos viſû perluſtravit, quis eorum eſſet ſimilis formæ divinitùs ipſi poſt admonitionem in mente oſtenſæ, & quem dignaretur Deus novâ voce internâ ei commendare. juxta v. 12.* (*s*) *Jon. 3. v. 2. collat. v. 4.* (*t*) *S. Aug. Epiſt. 19. (al. Ep. 82. in edit. nov. Par. an. 1679.) ad Hieron. Conf. Epiſt. 112 (al. 147.) ad Paulin. ſub fin. Huc facit etiam illud S. Hieronymi Epiſt. 62. advers. Joan. Hieros. ad Theophil. c. 2.* Scio me aliter habere Apoſtolos, aliter reliquos Tractatores: illos ſemper vera dicere, iſtos in quibuſdam ut homines aberrare.

ſed quia mihi, vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſvadere potuerunt. Nec te mi Frater ſentire aliud exiſtimo. Hôc obſervatô tuti erimus in allegandis pro noſtra ſententia SS. *Patribus*, & aliis Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus.

CAPUT II.

In quo, *quatuor poſteriores* Regulæ *Claſſis primæ traduntur, inſtruentes, quid in* lectione Auctorum *extra Scripturam S. ſit obſervandum, etiam in iis, quæ nova videntur; & quæ* ſcientiæ *ad hoc ſtudium requirantur?*

REGULA V.

I. SUccedat jam alia obſervatio; hæc videlicet: *Veritatis inveniendæ avidè „ſtudioſus, uti in omnibus ſuis ſtudiis, ſic etiam in ſcrutatione Propbe„tiarum ac typorum, lectioneq; vel auditione de his Authorum, omnia (extra „formalia Scripturæ S. verba) quæcunq; tanquam ex communiore vel receptio„re hominum ſententia legit vel audit, antequam in iis benè fundatum ſe ſen„tiat, & ab interiori cognitionis lumine de veritate eorum convincatur, debito „priùs examini apud ſe ſubjiciat.* Dum addo limitationem, (*antequam in iis benè fundatum ſe ſentiat*;) ſatis innuo, me ſupponere, verum Chriſtianum, (cui hæ *Regulæ* traduntur,) in ſuæ Fidei articulis benè fundatum eſſe; ideoq; in iis talem non indigere hoc examine; niſi fortè modificationes quaſdam, & expoſitiones Doctorum circa illos articulos, (quæ jam ſanè multùm increverunt,) velit examini ſubjicere. Præterea, neq; etiam eſt proprium munus *ſtudii Prophetici*, tradere Fidei articulos, quanquam illos, ut jam ſuppoſitos & traditos in Theologia Didactica ac Polemica, (vel in ipſa Catecheſi,) eximiè illuſtrat, & hominem in eorum conſtanti profeſſione valdè roborat; ſed ut dictum, † munus hujus eſt, *futura* è verbo Dei inveſtigare; atq; ſic fideles in variis hujus Mundi adverſis, certâ futurorum bonorum ampliſſimorum & jucundiſſimorum ſpe & expectatione erigere ac conſolari. Quapropter abſq; ullo in Fidei articulos præjudicio, poteſt quiſpiam, imo debet *examen* in *Regulâ* poſitum & limitatum adhibere, ſi ſolidè vult in hoc ſtudio proficere.

II. Ut autem in Scientiis Philoſophicis, ipſa principia uniuscujusque ſcientiæ ſunt norma & regula examinandorum; ſic etiam in rebus Theologicis, & per conſequens etiam in Propheticis expoſitionibus, ipſum Theologiæ principium, h. e. Scriptura ſacra authoritate Eccleſiæ vallata, eſt illa norma, ad quam primariò (primatû dignitatis, non temporis) noſtra hîc dubia examinare debemus. Dixi *primariò*; nam *ſecundariò* ad conſenſum etiam Doctorum Eccleſiæ, maximè veteris, noſtra ſtudia Theologica, examinanda habemus. Non eſt autem neceſſe in omnibus Prophetiarum ac Typorum expoſitionibus, vel etiam in illuſtrationibus Fidei articulorum, ex-

† *In Præcognit. cap. 1. §. X. & XII. pag. 8.*

Digitized by Google

preſſum quærere Doctorum veteris Eccleſiæ (vel etiam præſentis) conſenſum; ſed pro nobis tunc veterem ſtare Eccleſiam (in ſuis Doctoribus) credendum eſt, cum adeò nihil in noſtris ſtudiis admittimus tale quod pugnaret cum veteris Eccleſiæ Catholicæ doctrina aut ſtatutis, ut potiùs Eccleſiæ veteris & Doctorum ejus monumenta poſteris tradita, hoc eſt, ipſam doctrinam Catholicam ad nos usq; tranſmiſſam, noſtris expoſitionibus illuſtremus & exornemus, idq; lumine ex ipſis approbatis ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus petitò. Hîc verò (ut obiter moneam,) ſubſidii loco poſſumus uti etiam rectæ rationis argumentis, cum dubia aliqua apud nos examinamus.

REGULA VI.

III. ,,*Dum veritatis amans, legit, vel audit, vel intra ſe meditando percipit talia, quæ ſibi nova & inaudita videntur eſſe, illa omnia, (niſi manifeſtam ſaperent heterodoxiam, blaſphemiam, vel impietatem) ad tempus patienter excipiat, & memoria infigat, donec ea ſufficienter examinare poſſit; (docilem ſe hâc etiam viâ in ſtudio veritatis declarando;) cohibendo interim aſſenſum vel diſſenſum in hanc vel illam partem: ubi verò paulatim ac dietim ſentit ſe jam maturioris & limatioris eſſe judicii pro talibus diſcernendis, ipſeq; media examinandi in promptu habet; illicò recenter audita illa vel lecta, vel intùs percepta examini accurato ac ſubinde repetito ſubjiciat; ſicut jam in præcedenti Regula dictum: &, ſi qua Theologica ac Prophetica, videt à Scriptura ſacra, & SS. Patrum Eccleſia Catholica doctrina diſſentire, ea omninò rejiciat; firmiſſimè è contra tenendo illa, quæ ſecundùm eam claritatem, quæ in hac vita dari poteſt, clarè & diſtinctè ſibi ut vera cognita eſſe (juxta normam prædictam) internè ſentit.*

IV. Ne autem quis hîc decipiatur, & tantùm putet ſe habere claram & diſtinctam alicujus rei apprehenſionem, cum tamen talem nondùm habeat, opus eſt juſtâ morâ pro rei diſcuſſione, ut examen (ſicut in præmiſſis monuimus,) ſubinde repetatur; atq; res quò intricatior, & quò magis ardua eſt, eò frequentiùs intra mentem ſtudentis, ad examen iterùm pertrahatur. Inprimis Tyrones diligenter hîc illud *Philonis* obſervent: (*a*) Γνησίων τῶν εἰς ἐπιστήμην ὠφελιμωτάτων ἔργον εἶναι, ζητεῖν, ἐρωτᾶν, πυνθάνεσθαι, μηδὲν δοκεῖν εἰδέναι, μηδὲ τι οἴεσθαι παγίως καταληφέναι. Quæ ſic Gelenius vertit: *Diſcentibus nihil tam proprium ac utile, quàm quærere, rogare, ſciſcitari, non videri ſibi ſcire aliquid, vel ſolidè percepiſſe.* Scit unuſquisq; in quo ſe ſentit adhuc eſſe Tyronem. Certè etiamſi quis fortè perfectior ſibi videatur; niſi tamen priùs ſuam hîc modeſtè cum *Daniele* (*b*) fateatur in multis ignorantiam, multa ardua & profunda (ut, *Canticum Canticorum*, *Templum Ezechielis* & ſimilia) penitùs non intelliget. Pedetentim ergo cum humillima

(*a*) *Phil. Tract.* Quis rerum Divin. hæres. *p.* 378. *edit. Gen.* 1613. (*b*) *Dan.* 12. *v.* 8.

humillima noſtræ imperfectionis recognitione, & cum frequenti lectorum, auditorum, intusque perceptorum *examine* ac diſcuſſione, in Prophetiarum ſcrutatione eſt procedendum. Sic implebimus in hoc quoq; ſtudio Prophetico illud, quod monet Apoſtolus: (*c*) *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Et vel maximè huc pertinet illud monitum Salvatoris, per Traditionem Apoſtolicam ad manus Doctorum primitivæ Eccleſiæ devolutum, quod inter ceteros refertur à S. *Dionyſio* (an. D. 257.) Epiſcopo Alexandrino apud Euſebium his verbis: (*d*) Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται. H. e. *Eſtote boni nummularii*, ſeu *Trapezitæ*: quod planè ſensû ad ſcopum *Regulæ* noſtræ quadrante à *Dionyſio* allegatum eſt. *Numularii* periti & experti, benè omnem monetam inſpiciunt & explorant; aliquando etiam eam, quam alii imperitiores, vel arti quæſtuoſæ minùs apti, ut vilem & nullius momenti æſtimant, prudenter ſciunt in aliquem bonum uſum convertere. Periti quoq; Medici & pharmacopolæ, ſciunt etiam ex veneno medicamentum bonum parare. Sic debet ergò etiam ſpiritualis *trapezita*, hoc eſt, Theſauri ſapientiæ Chriſti quæſitor, & Medicus animarum, benè omnia priùs examinare, num ſibi conducant in Dei gloriam, & ſuam aliorumq; ſalutem, nec ne, antequam ea vel repudiet, vel amplectatur.

V. Et ſanè his præcipuè temporibus ultimis, in multis ſcrutatoribus veritatis, (de quibus Daniel (*e*) vaticinatur,) implebitur ſensû ſpirituali magnum illud miraculum, quod Dominus Salvator his verbis prædixit apud S. Marcum: (*f*) *Si mortiferum quid biberint*, nempe credentes, *non eis nocebit.* Hoc eſt, fortes in fide, venenatam & (*g*) *peſtiferam* doctrinam audire, legere ac relegere poſſunt, ex eaq; variè ac variè (pro menſura gratiæ cœleſtis) caſtigata, temperata & modificata, doctrinam bonam & ſalutiferam formare, eâq; uti in Dei gloriam; ita tamen ut ipſis, & eorum diſcipulis, verâ & vivâ fide Chriſto adhærentibus, nihil noceat.

VI. Porrò, mentionem *intùs perceptorum* ideò Regulæ inſerui; quia non ſolùm contra extrinſecùs audita vel lecta nova, ſed etiam contra internas cogitationes debemus vigilare, & ſubinde ſollicitò luctari examine adverſùm eas, ne quô pacto Diabolus (*h*) *in Angelum lucis* ſe intra nos doloſè *transfiguret*. Illud enim Apoſtoli monitum, (*i*) *Omnia probate*; tam latè extenditur, ut etiam ea complectatur, quæ intrinſecùs † nobis adveniunt. Et, ſi cui locus ille ad hoc non ſufficiat, adeſt aliud etiam clariſſimum monitum, contra quamlibet mentis (noſtræ vel alienæ) novam lucem; 1. Joan.4. ℣. 1.

(*c*) *1. Theſs. 5 v. 21.* (*d*) *Euſeb. Lib. 7. Hiſt. Eccl. c. 7. Ubi confer etiam Notas Valeſii.* (*e*) *Cap 12. v. 4.* (*f*) *Marc. 16, v. 18.* (*g*) *Viae fundamentum hujus expoſitionis apud S. Gregorium Magn. Homil. 29 in Evang.* (*h*) *Juxta 2. Cor. 11. v 14.* (*i*) *1. Theſs, 5. v. 21.* † *Unde quis certò ſcire poſſit in hujuſmodi examine,* internam *apud ſe* vocem, *ſeu inſtinctum, eſſe à Deo* *tradd in* Aſcetico *meo* (*ex Gen. 17. v. 1.*) *idiomate Hung. edito: cap. 4.5.14.15.16.19.20.*

✠. 1. *Ἀγαπητοὶ, μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν.* H. e. *Dilecti, ne omni Spiritui credite; ſed PROBATE SPIRITUS, ſi ex Deo ſint.* Quod benè obſervandum eſt illis, qui vulgò *Quakeri* dicuntur, ne ſuis ſe cogitationibus & phantaſiis admodùm decipiant, dum nolunt internum lumen, ſeu Spiritum ſuum, (*k*) *ad Scripturam ſacram, tanquam nobiliorem ac certiorem normam, examinare*; (multò minùs ad doctrinam Eccleſiæ Catholicæ;) ſed in eo ſine ulteriori examine, volunt acquieſcere. Quid ipſi habeant, ipſi viderint: certè veri fideles cœleſtis gratiæ in Eccleſia Catholica participes, poſſunt rectè dicere poſt Apoſtoli verba: (*l*) *Et nos Spiritum Dei habemus*; habent inprimis, cœleſtium contemplationi in jugi pietatis exercitio addicti; quem tamen non jactare, (quantuſcunq; eſſet) ſed in humilitate poſſidere, atq; illâ Apoſtolicâ cautelâ, tum apud ſe in conſcientia, tum apud alios muniri volunt & debent: (*m*) *Spiritus Prophetarum, Prophetis SUBJECTI ſunt*, ſeu *ſubjiciuntur*. H. e. Qui ſunt præditi donô ſeu *Spiritû* verè Divino pro intelligendis *Prophetarum* ſcriptis, & aperiendis Regni Dei myſteriis, illi libenter & pacificè ſe ſe mutuò audiunt, & id quod docent, ſubmittunt aliorum verè *prophetico* Dei *Spiritû* inſtructorum judicio, ut illud ſecundùm Scripturam S. & Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, expendant. Hinc magnus ille quoque *Taulerus*, piiſſimus & doctiſſimus ſui ſeculi Monachus, circa an. D. 1350. ad hoc, ut quis (*n*) *lumen ſuum* internum, noſcat immediatè à Deo eſſe, requirit, ut *aſſumatur etiam teſtimonium aliquod Scripturæ S. & communis Eccleſiæ doctrina*; quibus ſi ſit conforme, ſciat illud verè divinum eſſe. Atq; hoc modo ſemper ad priora & antiquiora recurrendum eſt. ut nempe Prophetæ minores ac juniores, (ut ita loquar,) Prophetis majoribus & antiquioribus, hoc eſt, Sacris Dei Amanuenſibus, & poſt hos SS. Patribus ſubjiciantur. Hinc ipſe quoq; ſummus Prophetarum Doctor, Chriſtus Dominus, ſemper ad Moyſen & Prophetas de ſe provocavit. Hoc qui obſervat, dum interim in timore Domini & ſancta humilitate quærit ardenter veritatem, experietur tandem, ſuum Spiritum, & veterum Prophetarum (qui per eorum ſermonem nobis loquitur,) eundem eſſe; ſuumq; animum veteris verbi Divini tenore, per Spiritum S. ſibi communicatum illuſtratô, ad aſſentiendum eſſe inductum.

VII. Non ſolùm autem *Quakeri*, ſed & omnes alii erudiantur hinc, quicunq; ſine legitima vocatione & inſtructione, illicò de rebus arduis & abſtruſis, ſe ſe, ex quocunq; afflatu, Prophetas eſſe (vel apertè vel implicitè) jactitant; & ſua, ſi ſecùs fieri non poſſit, ſaltem furtim & in abſcondito typis vulgata,

(*k* *Vide Robert.* Barclajum è *Grege talium Enthuſiaſtarum, in Apologia ſua, ad Carol. 2dum, Angl. Reg. Theſ. 2. pag. 32.* (*l*) 1 *Cor 7. v. 40.* (*m*) 1 *Cor. 14. v 32.* (*n*) *Taul. in Libello Germanic. de* Imitatione pauperis vitæ Chriſti; *Part. 1 paragr. 172.*

vulgata, aliis, ut verè Divina, propinant; non Chriſti, ſed ſuam quærentes gloriam. Poſſunt quidem aliqui ſentire intra ſe lumen inſolitum; imò poſſunt juxta verba Apoſtoli, *(o) guſtare donum* illud *cæleſte, & participes fieri Spiritûs ſancti*; non tamen per hoc erunt ſtatim veri Prophetæ à Deo excitati. Qui igitur ſentit ſe habere dona egregia, is prudenter ac circumſpectè agat, & benè videat, ne donis ſuis abutatur, ſed potiùs utatur iis rectè in Dei gloriam, Eccleſiæ Catholicæ bonum, & propriæ animæ ſalutem.

REGULA VII.

VIII. „*Solido Prophetiarum & Typorum ſcrutatori, Linguarum etiam* „*ſcientia, inprimis Hebraica, Chaldaica, Græca & Latina eſt neceſſaria.* Dixi, „*Solido ſcrutatori*; nam teneriores in Chriſto, etiam in una tantùm lingva legentes Sacra Biblia & bonos authores, vel audientes Doctorum prædicationes, poſſunt pro menſura doni ſibi collati, multa de Prophetiis & typis intelligere & illuſtrare. Sed pro adultioribus, ac præprimis Ducibus Gregis Dominici, ad profundiora penetranda, omninò ſcientia aliquot lingvarum requiritur. Hoc apud omnes peritiores cum ſit ipſo experimentô clarum, non eſt neceſſe ut in eo muniendo laboremus. Certè ſi quis ſine Lingvarum notitia aggrediatur profundiorem aliquem Scripturæ S. locum ſcutari; illicò in parva voce ita hærebit, ut nihil ad rem pro voto efficere poſſit. At ſi lingvas ſpecificatas novit, mox quod in verſione aliqua non percipit, per collationem aliarum verſionum, inprimis per recurſum ad fontes, (*Hebraicum* nempe, & ex parte *Chaldaicum* in Vet. Teſt. in Novo autem ad *Græcum*) clariùs intelliget. Lingvarum etiam notitia docet nativam & originalem nominum propriorum in Sacro Codice ſignificationem: quod etiam non parùm nos aliquando juvat in quibuſdam Prophetiis & typis explicandis. Sed ipſi peritiſſimi Scripturæ S. interpretes atteſtentur, quanta ſit utilitas ſcientiæ lingvarum, inprimis præcipuarum, in explicatione textuum Codicis ſacri.

IX. Moneo autem hîc, notandum de Græca LXX. (vulgò) Interpretum verſione; quòd ſi quando ea ab Hebraico (vel etiam à Vulgato Latino) textu diſſentiat, (quod ſæpiſſimè fit,) non ideò ſtatim repudiari debet, tanquam Spiritui Dei contraria; ſed expectandum, donec Deo in nobis operante, rectum ſenſum etiam ejuſmodi diſſensûs percipiamus. Quantæ fuerit authoritatis hæc verſio olim apud multos SS. Patres, notum eſt ver...tis in lectione Venerandæ antiquitatis. Menſura quidem Spiritûs, qui erat in Prophetis, longo intervallo ſuperat menſuram ilam, quæ fuit in Translatoribus Græcis; attamen è Novo Teſtamento colligere poſſumus, Deum illos quoq; Translatores ita direxiſſe, ut quæ nobis in eorum verſione, videntur eſſe ἀσύςατα, & haud conciliabilia cum textu Hebraico, omnium eorum admirabilem ex Divina

(o) *Heb.6.v.4.*

Digitized by Google

Divina eventuum directione concordantiam cum Hebræo, ſuo tempore ac ſucceſſivè experiemur. Ita ut quod in uno loco diſſonum eſt, mox ejus diſſonantiæ apparentis conſonantia cum textu Hebræo, ex alio loco elici poſſit. Profundioribus nunc diſſonantiis temporum ſuccedentium pleniori lumini ac ſcientiæ relictis, dabo hîc pauca exempla, quorum diſſonantia à textu Hebræo, facilè conciliari poteſt. Sic v. gr. Iſa. 59. ℣. 20. habetur in Hebræo: ובא לציון גואל ולשבי פשע ביעקב H. e. *Et veniet Sioni Redemptor,* (ſeu *Vindex,*) *& iis qui redeunt ab iniquitate in Jacob*: (vel brevius: *& converſis à pravaricatione in Jacob.*) In Græco autem ſic legimus: ϰ ἥξει [ἕνεκεν] Σιὼν[] ὁ [ῥυόμενος, ϰ ἀποςρέψει ἀσεβείας ἀπὸ] Ἰακώβ. H. e. *Et veniet causâ Sionis Liberator, & avertet impietates à Jacob.* Vides in priori textu, verbis illis, *& converſis à pravaricatione in Jacob*, innuitur *Redemptoris* noſtri beneficia ultimi temporis ad illos pertinere, qui *convertuntur*, vel qui tunc invenientur *converſi in Jacob*; at in poſteriori, ut videmus, alio planè ſenſû, ſed in eundem ſcopum tendente, verba Hebraica transferuntur: ut nempe ſenſus ſit; ita venturum *Liberatorem* Meſſiam ſuæ *Sioni*, ut antequam hæc plenè liberetur, ſimul etiam convertat prævaricatores in *Jacob*, per Servos ſuos fideliſſimos ac zeloſiſſimos; & convertendo, *avertat* ab iis iniquitates, & ſanctificet eos. Jam verò hunc ſenſum planè congruere cum ſcopo Spiritûs Sancti, apparet, non ſolùm ex Mal. 4. ℣. 5. 6. ſed etiam ex Apoſtoli Pauli comprobatione. Is enim cum pro Judæorum futura ultimis temporibus converſione, prætactum *Iſaiæ* locum allegaret, poſtremum ejus membrum, de verbo ad verbum, juxta Græcum LXX. Interp. textum allegat; Rom. 11. ℣. 26. col. ult.

X. Similiter Pſalm. 40. (juxt. Hebr.) ℣. 7. in Hebræo habetur. אזנים כרית לי *Aures fodiſti* (ſeu *perforaſti*) *mihi*: cui planè congruit, quod verbis paulò aliter dictum eſt ab Iſaia, cap. 50. ℣. 4. col. ult. At in Græco Pſalmi textu, ſic legitur: *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοὶ. Corpus autem formâſti mihi.* Iſta, *Aures perforare* (h. e. obedientem reddere aliquem,) & *corpus formare* alicui, ſanè inter ſe & verbis & ſenſû diverſa ſunt: utrumq; tamen in allegato verſu eſt ſecundùm Spiritûs S. ſcopum: quod patet de poſteriori, non ſolùm ex Iſa. 7. ℣. 14. ſed etiam ex apertiſſimo S. Apoſtoli teſtimonio; qui ad Hebr. 10. ℣. 5. locum illum Pſalmi (ut notum eſt,) ſecundùm Græcum textum citat. Pariter, Pſal. 18. (al. 19.) ℣. 4. col. ult. (al. 5. & in Vulg. 6.) habetur in Græco: *ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτȣ̃. In Sole poſuit tabernaculum ſuum*; ut & Vulgata Latina editio habet. At in Hebræo paulò aliter, in eundem tamen ſcopum: לשמש שם אהל בהם H. e. *Soli poſuit tabernaculum in ipſis.* Quàm benè hîc illa cum iſta lectione conciliari poſſit, SS. Patrum interpretationes ſuper his exſtantes, fundatæ nimirùm in ipſa

Scriptura

Scriptura S. nos docent. Hebrææ lectionis quoad literam ſenſus eſt; quòd Deus *Soli* in Cœlis, ac inter ſidera Cœli ſtatuit locum. Eſt tamen & alter ſublimior ejus ſenſus, de *Sole juſtitia* in ſuis Sanctis habitante. Græcæ, ac inde Latinæ verſionis ſenſum hunc dat S. *Auguſtinus*; (*p*) quòd Chriſtus *in Sole, hoc eſt, in manifeſtatione poſuit tabernaculum ſuum, hoc eſt, ſanctam Eccleſiam ſuam:* quaſi diceret: Viſibilem eam fieri voluit, non occultatam in angulis. Sanctus autem *Gregorius* M. ſic eundem locum exponit: (*q*) *In Sole poſuit tabernaculum ſuum: ac ſi diceret: Humanitatis aſſumpta Sacramentum in lumine manifeſta viſionis oſtendit.* (Scilicet apud utrumq; *Sol* in hoc loco, figuratè, pro eo quod manifeſtum & clarum eſt, accipitur.) Sanctus verò *Ambroſius* hunc locum ad futuram Chriſti in gloria & fulgidiſſima ſerenitate Cœli manifeſtationem refert in his verbis: (*r*) *Non quidem puto*, (inquit,) *quòd in caligine tenebroſa, & horrore pluviali Chriſtus adveniat. Nubes enim quæ videntur, Cœlum utiq; caliganti horrore ſubtexunt. Et quomodo IN SOLE POSUIT TABERNACULUM ſuum, ſi pluvialis erit ejus adventus?* Non negat in his S. *Ambroſius* Chriſtum venturum in (*ſ*) *nubibus* ſensû ſpirituali acceptis; neq; negat *nubes* lugubri horrore plenas, & diras atq; extraordinarias tempeſtates etiam ſensû literali, præceſſuras adventum Domini; ſed ſolummodò inſinuat, ipſum tempus perſonalis apparitionis Domini fulgidiſſimâ luce fore clariſſimum: (quod & D. *Thomas* quodam in loco (*s*) non obſcurè innuit;) ita ut Chriſtus Dominus videatur tunc (ex mente S. *Ambroſii*, vi loci præ manibus exiſtentis) quaſi potentiſſimè fulgentis ac radiantis *Solis* claritate totus fore indutus. Si cui placet, (& authorem ad manus habet) conferat hîc ea etiam, quæ de allegato textu Pſalmi habentur in *Eclogis Propheticis*, *Clementis* Alexandrini Operibus, (*t*) ſubjectis: atq; interim, vel ſaltem ulteriùs meditandi de hoc textu Græco occaſionem ſibi ſumat, ex Apoc. 19. ℣. 17. † (*Vidi unum Angelum ſtantem in Sole*;) & ex Apoc. 12. ℣. 1. (de *Muliere amicta Sole*;) nec non ex Apoc. 1. ℣. 15. 16. (de admiranda majeſtate ambulantis inter ſeptem candelabra,) & ex 2. Theſs. 1. ℣. 7. 8: ubi *revelatio Domini Jeſu de Cœlo, in flamma ignis* futura prænunciatur. Sed hæc ſatis nunc dicta ſunto, occaſione moniti illius, quod dedimus ſupra, de textu *Græco* verſionis LXX. non repudiando, quaſi contrario Spiritui Dei, ubi textum Hebraicum non ſequitur. Ad ulteriora jam nobis eſt progrediendum.

F REGU-

(*p*) *Enarrat. in Pſal.* 18 (*q*) *Expoſit. Moral. in Job. Lib* 34. *cap* 12. *in cap.* 41. *Job.* (*r*) *Comm. in Luc c* 21. *v.* 27. *Tom* 3. (*ſ*) *Vide de hac phraſi infra in hac Claſs.* 2. *ſub Reg.* 33. *cap.* 10. §. 34. 35. *& ſequ.* (*s*) *In Supplem qu.* 73. 2. *c.* (*t*) *Pag.* (*mihi* 808 † *Nota; Dum hunc locum hic adducimus, per hoc non adverſamur eruditi cujuſdam vetuſti Authoris in hunc locum expoſitioni, infra Claſs* 2. *Sub* Regul. 33. *cap.* 10 §. 22. *in medium producendæ. Scriptura enim S. eſt latiſſimi ſenſûs; ut patebit infra Claſs.* 2. *in Regul.* 1. *&* 2.

REGULA VIII.

XI. „*Hiſtoriarum, Chronographiæ, Artium Liberalium, Philoſophica-„rum ſcientiarum, ac inter eas, Mathematicarum propaginum; nec non Me-„dicinæ, ac Jurisprudentiæ; item, Scriptorum ab Eccleſia Chriſtiana alienorum, „ut, Rabbinorum & aliorum, cognitio aliqua (major vel minor, pro menſura doni „& virium) requiritur in eo, qui ſolidè ac plenius vult ſcrutari myſteria Pro-„phetiarum & typorum.* Addo limitationem ſcrutantium, *ſolidè ac plenius*; nam paucioribus etiam contenti eſſe poſſunt illi, qui nondum in his ſolidiori cibo indigent. Præprimis illa obſervent diligenter, quæ in prioribus *Regulis* propoſuimus; ſic tamen, ut in dies ad majorem tendant in his perfectionem.

XII. *Hiſtoria* quàm ſint neceſſariæ ad Prophetias explicandas; vel puer in Divinis jam inter nos id ſcire poteſt; adeò, ut in hoc probando non ſit mihi multùm laborandum. Quis enim vel paululùm in hoc ſtudio verſatus ignorat, in *Hiſtoriis*, ſeu in rebus geſtis *hiſtoricè* deſcriptis vel obſervatis, quærenda eſſe Prophetiarum implementa? Hîc autem diligenter tenendum & accuratè diſpiciendum eſt; eâ judicii diſcretione in exponendis prophetiis & typis circa *hiſtorias* nos uti & occupari debere, ut ea ſciamus ex iis ſeligere, quæ *prophetiæ* aut *typi* explicandi emphaſin maximè exhauriunt. Item, dum *prophetia* aliqua, præter ſuum ſpirituale, principale & in remotiora ſpectans, habet literale etiam ac propius, licet partiale ſaltem implementum, illud ſemper ante plenius ac remotius implementum, prophetiæ eſt adaptandum, aut ſaltem in expoſitione ſupponendum. *Prophetiæ* enim, quamvis omnes de principali ſuo ſcopo in Novi Teſt. tempora ſpectent; ita tamen ſunt conformatæ, ut multa in iis (*u*) literaliter etiam olim in Vet. Teſt. tanquam in typo & umbra majorum futurorum ſint impleta: ac proinde ejuſmodi implementa literalia & tempori editæ prophetiæ propiora, (ſi quando dentur,) ſunt primùm ex *hiſtoriis* perquirenda; ut hâc viâ ipſa literalis *hiſtoria* (dum datur) ponatur pro *fundamento* ſpiritualis & altioris ſenſûs, juxta conſvetam S. *Hieronymi* (*v*) praxim & inſtructionem. Hôc obſervatô, non impingemus in illam Regulam ab eodem S. *Hieronymo* poſitam: (*x*) *Regula Scripturarum eſt, ubi manifeſtiſſima prophetia de futuris texitur,* (h. e. abſq; involucro figurarum & ſpecierum,) *per incerta allegoriæ non extenuare quæ ſcripta ſunt.* Dum enim *manifeſtiſſimæ* alicujus *prophetiæ*, implementum literale (ſi jam exſtat,) ex rebus geſtis diligenter perquiſitum, eidem applicare non negligimus, tunc non erit *incerta allegoria*, (ipſo S. *Hieronymo* (*y*) nobis præeunte,) ſi ſuper eo, ut fundamento, ſpiritualem expoſitionem ſtruamus. Sine *temporum*

(*u*) *Vid. Comm. S. Hieron. in Hoſ. c. 1. v. 3. & inde noſtrum* Læt. Nunc. §. 74. p. 152. Prophetæ ſic &c. (*v*) *Vid. Comm. in Ezech. 24. v. 16. & ſequ. & in Amos. 9. v. 6.* (*x*) *S. Hieron. Comm. in Mal. 1. v. 10.* (*y*) *Cit. Comm. in Ezech. 24. & in Amos. 9. v. 6.*

temporum etiam ſcientia, fruſtra hîc aliquid magni molieris. Ut, ſi velis ſcire, quid lateat ſub numeris illis myſticis Danielis: (z) *Septuaginta hebdomades abbreviata ſunt ſuper populum tuum* &c. item, (a) *Dies duo mille trecenti*, &c. aliiſq; hujuſmodi; hærebis penitùs, ſine *Chronologica* & (ejus baſi,) *Hiſtorica* ſcientia. Quis item neſcit, quàm in multis nos juvat *Phyſica* etiam ſcientia, vel *Metaphyſica*, in Scripturæ locorum myſticorum ac propheticorum explicationibus? Pluviam, rorem, ventum, aut ſimile quid, ſi explices, indiges omninò *Phyſicâ*. Si de Deo, Angelorumque,& noſtrî ipſorum noſcenda natura, inprimis, quales futuri ſimus, diſſerere velis, ſubſidiô uti debes *Metaphyſicâ*.

XIII. Porrò, quàm inæſtimabilis ſit uſus *Matheſeos* in explicandis Prophetiis ac typis, oſtendit non ſolùm myſticorum numerorum enodatio, ſed etiam *Tabernaculi* Moſaici, *Templi* Salomonis, *Templi* Ezechielis, & *diviſionis Terræ Sanctæ* apud eundem, literalis & myſtica ſcrutatio. Adeò quidem, ut fruſtrà hæc ſcrutari aggrediaris, ſi careas ſcientiâ *Geometricâ*. Quàm etiam multa ſint in Scripturis Propheticis ac typicis loca, quæ ad pleniorem ſuî intelligentiam,aliquâ *Geographia* indigent ſcientiâ, eruditi nôrunt. Quanta verò eſt *Aſtronomiæ* etiam utilitas, in expediendis difficillimis quibuſdam, ac myſterio profundiſſimo refertis Scripturæ S. locis; rerum periti non ignorant. Ut, ſi velis pro rei merito explicare locum illum *Jobi* myſteriô pleniſſimum: (b) *Qui facit Arcturum*, & *Oriona*, & *Hyadas*, (vel *Plejadas*,) *& interiora Auſtri*; (de quibus aliquid ſuo loco, † dicturi ſumus;) item, illud *Amoſi*: (c) *Facientem Arcturum & Orionem*, &c. mutus eris circa hæc, ſi penitùs ignores *Aſtronomiam*. Atq; hinc S. *Gregorius* aliiq; veterum, dum hæc explicant, fundant myſticam ſuam expoſitionem, in natura & motu horum ſiderum. Quadrat maximè in hujus *Regulæ* illuſtrationem, id quod in Opere quodam nomen *Caroli* M. gerente, in laudem Scripturæ S. habetur his verbis: (d) *Illic*, nempe in Scripturis, *in numeris per Arithmeticam artem, arcana ſenſuum, profunditateſq; reperiet*; *inveniet quoq; terrarum ſitus, dimenſionemque, quæ propriè artis ſunt Geometricæ. Nec non & quorundam ſiderum curſus, & poſitiones, & temporum varietates, menſium, annorum, ſive horarum; diem etiam & cauſam conditionis ſiderum, quæ propriè artis ſunt Aſtronomicæ, illic reperiſſe ſtudioſus quiſq; cognoſcet*. Hæc ibi. Certè ne profundum quidem Commentatorem aliquem intelliget quiſpiam in totum,ſi penitùs careat ſcientiâ Matheſeos. Ut, cum S. *Hieronymus* dicit de Abrahæ *centenarii* ætate, quòd *numerus* centenarius,(e) *decem decadis æqualia habeat latera,& quadra forma poſſideat firmitatem*: Vel, ſi legat quis apud aliquem,in Apoc.7.℣.4. & 14.℣.1. *radicem τῦ* 144.eſſe 12;indiget aliquo guſtû *Matheſeos*,ut benè hæc intelligat.

 XIV. Ac-

(z) *Dan.9.v.24.* (a) *Ibid.c.8.v.14.* (b) *Job.9.v.9.* †*Claſſ.2. ſub Reg.18.c.9, §.11, & ſeqq.* (c) *Amos.5.v.8* (d) *De Imag. Lib.2, c.30.* (e) *Comment. in Iſa. 65.v.20.*

XIV. Accedit, quòd incidimus nonnunquam in ejuſmodi de rebus contingentibus & cum voluntate humana nexum habentibus prædictiones ſub nomine *Aſtronomorum*, vel etiam aliorum, editas, quæ cum rerum eventu, ſeu cum ipſa veritate conveniunt; de quibus nunquam ſecùs rectum ferre judicium poſſumus, (ut tali judiciô ſemper Scriptura *Prophetica* ſupra omnes quascunq; alias prædictiones exaltetur,) niſi cum ſcientia Scripturarum, etiam *Aſtronomiæ* guſtum aliquem, atq; inſuper in aliis quoq; Scientiis Scholarum & Academiarum, cognitionem aliquam habeamus. Unicum hîc tantùm noſtræ ætatis exemplum (pro præſenti diſcurſu aptiſſimum) afferam: videlicet, ex *Prognoſtico* quodam de ſtupendo illo *Cometa* anni 1680.& 1681. edito. Venit autem in manus meas *Prognoſticon* illud Anno D. 1681. Menſe Junii, manû cujuſdam mei tunc Auditoris Gyöngyöſienſis, *Racz-Kevini* deſcriptum. Titulus ejus ſic ſe habet: *Interpretatio brevis viſi Cometa terribilis Anno* 1680. *cum ſuo ſplendore & virga, juxta Prognoſticationem Eruditiſſimi Viri, Hamburgenſis Aſtronomi.* Exſcriptor neſciebat, an *Bogenarium* ſcribat pro nomine authoris, vel *Octogenarium*, tantùm pro ætate ejuſdem; ideò lacunulam reliqui, ubi ille habet: *Bogenarii*, [*versùs Octogenarii.*] Cum ann. D. 1690. pertranſiiſſem *Hamburgum* ad Albim, diligenter inquiſivi, an aliquis ibi *Aſtronomus* ejuſmodi *Prognoſticationem* ſcripſiſſet; acceſſi etiam celeberrimum illius Civitatis *Aſtronomum* Henricum *Siverium*, die 26. Jul. ſt. vet. anni proximè memorati; ſed nec ille, nec alius quiſpiam hac de re dicere quidquam potuit. Unde concluſi, quòd, ſi fuerit Author ille patriâ *Hamburgenſis*, (niſi figmento loci hîc luſerit,) debuit eſſe *Hamburgenſis* ad Danubium, non procul ab Urbe *Poſonienſi*, versùs Auſtriam. Hæc de titulo & circumſtantia temporis & perſonæ. Jam videamus quid ibi prædictum eventû rerum impletum habeamus. Sic Author ibi circa finem Prognoſtici, dati ſub initium anni 1681. loquitur: *Turca INTRA TRIENNIUM, Hungariam, usq; in Auſtriam, ſuo milite occupabit; verùm CONFESTIM RECURRET, inſtar torrentis, propter domeſticas avocaturas eundem ſeditiones. Germanus & Hungarus eundem perſequetur, magnamq; prædam ab eodem reportabit.* Si principalia in his ſpectemus, videlicet, tùm progreſſus Turcarum, *Hungariam* cum aliqua parte *Auſtriæ*, ad aliquod tempus occupantium, imò & Caput Auſtriæ *Viennam* terribili cum furore obſidentium, tùm verò è contra ſubitò ſecutam admirabilem eorum repulſionem, hæc utraque ann. D. 1683. (*tertiô* jam currente poſt editum illud Prognoſticon *anno*) evenerunt; ut notum eſt. Habetur in fine Prognoſtici (poſt verba: *Tandem ſua Majeſtas victoriam referet,*) etiam definitè, quòd *Annus* 83*tius feliciſſimus Auſtriæ* eſt *futurus.*

XV. Cum itaque demùm experimento didiciſſem hujus *Prognoſtici* implementum, præprimis de ſubitaneo *Turcarum* repulſu, cum nimirum Menſe

Menſe Septembri anni 1683. juxta *Viennam* ſummo cum pudore & perturbatione ſunt profligati, ad idq; redacti, ut *inſtar torrentis* inde *recurrere* debuerint, armis interim Chriſtianorum victricibus terga eorum prementibus; non poteram non ſummopere hîc mirari, atq; etiam diligenter intra me percontari, quomodò Author ille *Prognoſtici*, tam clarè futura non ſolùm prædicere, ſed planè determinare potuerit? Quid verò ſit judicandum de hoc ipſo *Prognoſtico*, ex quo nempe fonte, *num à Deo, vel à Diabolo id Author habuerit*; ſic paucis hîc mentem meam de hoc aperio. Cum certum ſit, quòd ex principiis genuinæ *Aſtronomiæ*, uti hactenùs eam vera ratio potuit excolere, hoc *Prognoſticon* Author ejus habere nequiverit; idcircò aliunde neceſſario ejus origo eſt petenda. Miſſo nunc de perſona Authoris judicio; (quiſquis ille fuerit;) de prædictionibus veris in genere ea hîc dicturus ſum, è quibus judicioſus Lector lumen capiet, & non obſcurè perſpiciet, (adhibitâ præſertim ſuâ etiam in ulteriùs inquirendo induſtriâ,) quid de illa ejus prædictione ſeu *prognoſtico* ſit pronunciandum.

XVI. Dico ergo: Quòd omnis quidem futuri contingentis (ſeu, non ex neceſſitate naturæ evenientis) prædictio vera, quà talis, habitâ ſupremæ & primariæ veri originis ratione, ſemper eſt à Deo, vel immediatè, vel mediante illo ſubjecto per quod Deus id vult præſignificare: unde non obſcurè ſibi ſoli Deus vendicat veram *futurorum* prædictionem, dum apud Iſaiam ſic ad quoſdam loquitur: (*f*) *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos*; veruntamen, habitâ ratione modi prædicendi & circumſtantiarum, atq; etiam finis intenti, quædam prædictiones dicuntur propriè & ſpeciali ratione eſſe à *Deo*, quædam verò à *Diabolo*. A *Deo* ſunt in ſolidum omnes illæ prædictiones, quæ non ſolùm in omnibus ſuis punctis veræ ſunt, ſed & omni vel minimâ ſuſpicione fraudis ac doli carent, ſuâque ſimplici ac ſanctâ gravitate omnis fuci & vanitatis experte, authorem ſuum Divinum (probè & piè exercitatis) produnt: quæ quidem ut plurimùm & ferè ordinariè per bonos ac Deo charos eduntur; (uti olim per Sanctos Prophetas ac Dei fideles Servos;) ſed aliquando etiam per malos promulgantur; uti olim per *Balaam*; Num. 23. ℣. 12. 18. 19. & ſequ. & cap. 24. ℣. 3. 4. 13. 15. 16. 17. & ſequ. Vult nimirum Deus aliquando, ut etiam hoſtes veritatis, veritati teſtimonium ferant, ut ſic majus ei robur addatur, ac hoſtes eò magis fiant demùm inexcuſabiles, qui neq; ſic credunt & conformant ſe ſe veritati. A *Diabolo* autem ſunt proximè, (Deo tamen ſapienter permittente & potenter gubernante) omnes illæ prædictiones veri, in quibus Diaboli opus & ingenium non obſcurè à doctis rerumq; peritis, adhibito examine, animadvertitur. Videlicet, prædicit quidem ille aliquando (quantùm ei nôſſe permittitur,) vel facit prædici verum, (Deo in bonum illum finem quem pro-

 ximè

(*f*) *Iſa. 41. v. 23.*

ximè indicavi, id permittente;) attamen more ſuo ſemper cum doloſa fallendi intentione, ut, dum verum tanquam mel proponit hominibus, eô acceptatô, paulatim etiam ad ſuas vanitates ſuasq; falſitates, (quas ſubinde nunc hîc nunc ibi veritati intermiſcere ſolet,) eoſdem pelliciat & adducat. Eſt etiam ei mos, veritatis aliquam vel aliquas tantùm partes arripere, nunquam verò candidè integram veritatem proponere vel prædicere: neq; etiam poteſt ille omnia ſecreta veritatis eventuræ penetrare.

XVII. Edit autem *Diabolus* prædictiones futuri ordinariè per homines, (ut taceam nunc ejus technas in *idolis* & *extis*; Ezech. 21. ✝. 21. 22.) & quidem *ut plurimùm* per homines extra ſalutarem Dei veri notitiam, & extra veram Eccleſiam errantes, vel per alios etiam impios & Deum quem noſcunt, non curantes; cum quibus, utpote ſuis membris, Satanas cum ſit quodam modo *unum corpus*, (rectè obſervante (*g*) S. *Gregorio* M.) ideò ſua, quæ habet, & dum vult, tam facilè inſinuat mentibus eorundem, ut (multi ſaltem) ejus inſpirationem, non alienam, ſed ſuam (ſive ex felicitate mentis, ſive ex ſuperno aliquo lumine) operationem, vel cum ſua unam eandemq; eſſe putent. Non enim in ſua cogitata ſtrenuè vigilant, nec ſunt de eo ſolliciti, ut ad examen illa pertraherent; ſed ſi cum aliquo fulgore menti ipſorum quidpiam illabatur, putant ſe illud (ut proximè innuimus) aut à proprii ingenii ſolertia, aut ab ipſo Deo per ſpecialem illuminationem habere. Cur limitationem, *τὸ ut plurimùm*, de illis per quos ſuas ſolet edere Diabolus prædictiones, hîc appoſuerim, aliquantò infra *indicaturus ſum.

XVIII. Quòd verò poſſit aliquando Diabolus vera prænunciare, atq; etiam de facto prænunciet; præter experientiam exemplorum, (è quibus, non parvum eſt illud, quod ſtatim audiemus ex S. *Auguſtino*, quòd aliquando etiam ſuî cultûs ruinam prædixerit,) clarum eſt ex ſequentibus magnorum Doctorum teſtimoniis. Sic inter alia S. *Auguſtinus* de hoc argumento ſcribit: (*h*) *Cum de Divinatione Dæmonum quæreretur, & affirmaretur prædixiſſe neſcio quem, everſionem Templi Serapis, quæ in Alexandria facta eſt, reſpondi; non eſſe mirandum, ſi iſtam everſionem Templi ſimulacris ſuis imminere Dæmones, & ſcire & prædicere potuerunt, ſicut alia multa quantum eis noſſe & prænuntiare permittitur.* Et paulò poſt ſcribit, quòd Dæmones (*i*) *præditi acrimoniâ ſenſûs & celeritate motûs, multô ante cognita prænuntiant vel nuntiant, quæ homines pro ſenſûs terreni tarditate mirentur. Acceſſit etiam* (inquit) *Dæmonibus, per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè major experientia, quàm poteſt hominibus propter brevitatem vitæ provenire.* Et mox ſcribit, (*k*) *illos ea plerumq; prænuntiare, quæ ipſi facturi ſunt. Accipiunt enim ſæpè poteſtatem & morbos immittere, & ipſum aërem vitiando*

(*g*) *Moral. Expoſ in Job. Lib. 13. c. 12. in cap. 17. Job. Item, Lib. 9. c. 15. in cap. 9. Job.*
* *§. 24. hoc Cap.* (*h*) *S. Auguſtin. de Divinat. Dæmon. c. 1. Tom. 3.* (*i*) *Ibid. c. 3.* (*k*) *Ibid. c. 5.*

vitiando morbidum reddere, & perverſis atq; amatoribus terrenorum commodorum malefacta ſuadere; de quorum moribus certi ſunt, quòd ſint eis talia ſuadentibus conſenſuri: Suadent autem miris & inviſibilibus modis,--corpora hominum non ſentientium penetrando, ſe ſeq; cogitationibus eorum per quadam imaginaria viſa miſcendo, ſive vigilantium, ſive dormientium. Aliquando autem non qua ipſi faciunt, ſed qua naturalibus ſignis futura pranoſcunt, qua ſigna in hominum ſenſus venire non poſſunt, antè pradicunt. Et pauld poſt: (*l*) *Hâc atq; hujuſmodi facultate MULTA Damones FUTURA PRÆNUNCIANT, cum tamen ab eis longè ſit altitudo illius prophetia, quam Deus per ſanctos Angelos ſuos & Prophetas operatur. Nam ſi quid de illa Dei diſpoſitione pranunciant, audiunt, ut pranuncient; & cum ea pradicunt, qua inde audiunt, non fallunt, neq; falluntur: veraciſſima enim ſunt Angelica & Prophetica oracula. Non autem indignanter accipiatur, quòd aliqua etiam talia Damones audiant & pradicant, quaſi aliquid indignum ſit, ut quod ideò dicitur, ut hominibus innoteſcat, hoc non ſolùm boni, verùm etiam mali non taceant; cum in ipſis hominibus etiam vita bona pracepta videamus pariter à juſtis perverſiſq; cantari; nec obeſſe aliquid, imò etiam prodeſſe ad majorem notitiam famamq; veritatis, cum de illa etiam hi quicquid noverunt dicunt, qui ei perverſis moribus contradicunt. In ceteris autem pradictionibus ſuis Damones plerumq; & falluntur & fallunt.---Fallunt autem etiam ſtudio fallendi & invidâ voluntate, quâ hominum errore latantur.--Nonnunquam verò ipſi maligni Spiritus & illuſores hominum, atq; invaſores ſalutis eorum, ſolent pradicere defectum cultura ſua & idolorum ruinam, quatenùs praſcii videantur, quod in ſingulis regnis aut in locis venturum ſit, & quod adverſi ſua factioni contingere poſſit; quod etiam illi, qui gentilium hiſtorias legunt, non ignorant. Quid ergò mirum, ſi jam imminente Templorum aut Simulacrorum everſione, quam Propheta Dei ſummi tantò antè pradixerant, Serapis Damon alicui cultorum ſuorum hoc de proximo pradixit, ut ſuam quaſi Divinitatem recedens vel fugiens commendaret?* Et paucis interjectis: *Cur* (inquit) *hoc non ſineretur Damon pradicere, cum ſibi jam pranoſceret imminere, cum hac pradictio & à Prophetis atteſtaretur, à quibus ſunt iſta conſcripta, ut prudentibus daretur intelligi, quàm vigilanter eſſet Damonum cavenda fallacia cultuſq; fugiendus? Qui cum antè per tam longum tempus in Templis ſuis hac futura tacuiſſent, qua per Prophetas pradicta ignorare non poſſent, poſteaquam appropinquare cœperunt, voluerunt ea quaſi pradicere, ne ignari victiq; putarentur.*

XIX. Huc ſpectat erudita etiam illa *Clementis* Alexandrini inſtructio: (*m*) Οἱ λέγοντες τὴν φιλοσοφίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ὁρμᾶσθαι, κἀκεῖνο ἐπισημειούτωσαν,

(*l*) *Ibid. cap. 6.* (*m*) *Stromat. Lib. 6. pag.* (*mihi*) *647.*

Digitized by Google

σάτωσαν, ὅτι φησὶν ἡ γραφὴ, μετασχηματίζεσθαι τὸν διάβολον ἐις ἄγγελον φωτὸς· τί ποιήσοντα; ἔυδηλον ὅτι προφητεύσοντα. ἐι δὲ ὡς ἄγγελος φωτὸς προφητεύει, ἀληθῆ ἄρα ἐρεῖ. εἰ ἀγγέλικα ϗ φωτεινὰ προφητεύσει, ϗ ὠφέλιμα, τότε ὅτε ϗ μετασχηματίζεται καθ᾽ ὁμοιότητα ἐνεργείας, κἂν ἄλλος ἢ κατὰ τὸ ὑποκείμενον τῆς ἀποστασίας· ἐπεὶ πῶς ἂν ἀπατήσειέν τινα, μὴ διὰ τῶν ἀληθῶν ὑπαγόμενος τὸν φιλομαθῆ ἐις οἰκειότητα, ϗ ὕτως ὕστερον ἐις ψεῦδος ὑποσύρων,· ἄλλως τε ϗ ἐπισάμενος τὴν ἀλήθειαν ἐυρεθήσεται, ϗ εἰ μὴ καταληπτικῶς ἀλλ᾽ ὖν ὐκ ἄπειρός γε αὐτῆς. H. e. *Illi* (inquit) *qui dicunt Philoſophiam eſſe profectam à Diabolo, illud quoq; ſciant, quòd Scriptura dicit*, (n) *Diabolum transfigurari in Angelum lucis. Quid agentem? PROPHETANTEM ſcilicet. Si autem prophetat ut Angelus lucis, VERA utiq; DICIT. Si Angelica & lucida prophetat, tunc etiam prophetat utilia, quando transfiguratur ad ſimilitudinem operationis, etiamſi ſit alius, quatenùs eſt ſubjectum defectionis. Nam quomodo deceperit quempiam, ſi non diſcendi cupidum per VERA adducat ad familiaritatem, & ità poſtea ad mendacium pertrahat? Et alioqui, invenietur ſcire veritatem, & ſi non ita, ut comprehendat, ita tamen, ut non ſit ejus ignarus.* Hæc ille.

XX. Multùm etiam noſtra hîc illuſtrant illa apud D. *Thomam* Aquinatem: (o) *Propheta Dæmonum, non ſemper loquuntur ex Dæmonum revelatione, ſed interdum ex revelatione Divina; ſicut manifeſtè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus eſſe locutus, Num. 22. licet eſſet Propheta Dæmonum: quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde & per Prophetas Dæmonum aliqua vera prænunciat, tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adverſariis teſtimonium habet, tum etiam, quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur.* Hæc eò ſpectant, ubi diximus † Deum aliquando etiam *per malos* prædicere futura. Illicò verò etiam de illis, quæ ſpeciali quâdam ratione à Diabolo prædici dicuntur, ita ſcribit: *Sed etiam quando Propheta Dæmonum à Dæmonibus inſtruuntur, aliqua vera prædicunt: quandoq; quidem virtute propria naturæ, cujus author eſt Spiritus Sanctus, quandoq; etiam revelatione bonorum Spirituum; ut patet per Auguſtin. 2. ſuper Genes. ad Literam.* (cap. 17.) *Et ſic etiam illud* verum *quod Dæmones enunciant, à Spiritu S. eſt.* Et paulò ante hæc ſic docet: (p) *Impoſſibile eſt aliquid inveniri in rebus, quod totaliter bono privetur: unde etiam impoſſibile eſt eſſe aliquam cognitionem, quæ totaliter ſit falſa abſq; admixtione alicujus veritatis: Unde & Beda dicit:* (q) *quod nulla eſt falſa doctrina, quæ non ali-*

(n) 2. *Cor.* 11. *v.* 14. (o) *Secund. 2da. Qu.* 172. *Art.* 6. *Reſp. ad* 1. † §. 16. *b, cap.* (p) *Ibid. in Reſp generali.* (q) *Beda Oper. Tom.* 5. *in Luc.* 17. *v.* 12. *ſic habet ex Auguſtino*: Nulla falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat. *Conf.* S. Aug. *Qu. Evang. Lib.* 2. *c.* 40. *Tom.* 4.

„*non aliquando aliqua vera falſis intermiſceat. Unde & ipſa doctrina Dæmonum, quâ ſuos Prophetas inſtruunt, aliqua vera continet, per quæ receptibilis redditur: Sic enim intellectus ad falſum deducitur, per apparentiam veritatis, ſicut voluntas ad malum per apparentiam bonitatis.* Porrò verbis illis, in quibus dicit, *etiam illud verum quod Dæmones enunciant, à Spiritu S. eſſe,* noſtram generalem aſſertionem de ſuprema origine omnis *veri* ſuprà * poſitam, confirmat. *Verum* enim quà tale, nunquam poteſt ullam aliam habere propriam & naturalem ſuî originem, niſi ab ipſo Deo, qui eſt ipſiſſima veritas. Unde eſt illa Concluſio D. Thomæ: (r) *Prophetæ Dæmonum nonnunquam vera dicunt; quæ tamen non propriè ab ipſis, ſed potiùs à Spiritu ſancto proficiſcuntur.* Diabolus nimirùm aliquando rapit pro ſe *veritatem*, eâq; abutitur ad decipiendos homines, atq; tunc ipſe dicitur enunciare *verum*; quod tamen aliunde habet propriam ſuî originem, nempe ab ipſo Deo.

XXI. Unde autem habeat Diabolus tantam ſcientiam, quâ futura verè prædicere, & quidem nonnunquam res planè abſtruſiſſimas ante eventum indicare poſſit; aliquid jam de hoc (ſ) ex antè dictis (partim ex S. *Auguſtino*, partim ex D. *Thoma*) intelligere potuimus. Sed operæ pretium eſt etiam clariùs, diſtinctiùs & uberiùs hîc de eo quippiam dicere. (1.) Cum Diabolus ſit Spiritus ſubtiliſſimus & perſpicaciſſimus, certum eſt, quòd illâ quoque naturali ſuâ perſpicaciâ, multa prævidere poteſt, quæ homines ſuô ingenio non prævident; ut jam audivimus † ab *Auguſtino* rectè obſervatum eſſe. (2.) Cum vita Diaboli morte non interrumpatur, tàm multorum etiam ſeculorum experientiâ longè plura poteſt Diabolus nôſſe & prævidere, quàm homines poſſint breviſſimi ſui ævi ſcientiâ: ut jam hac de re etiam lucem hauſimus à S. *Auguſtino.* (3.) Cum item Scripturæ ſacræ, etiam Propheticæ, non ſit ignarus Diabolus; ut vel ex illla Pſalmiſtæ loci applicatione (licet more ſuo abuſiva) ad Chriſtum facta, (s) *Angelis ſuis mandavit de te,* &c. patet; non eſt dubium, quin etiam ex Scripturis ſacris, juxta ingenii ſui ſolertiam & perſpicaciam, collatâ Hiſtoricâ rerum ſcientiâ, (in qua, ut & in aliis ſcientiis eſt expeditiſſimus,) multa prævidere poſſit futura, quæ homines ordinario ſuo ſtudio, ordinarioq; lumine non prævident, aut ſaltem non tam clarè, nec tam tempeſtivè prævident. Ita ſui cultûs ruinam (de qua ab *Auguſtino* jam (t) audivimus,) longè priùs & clariùs prævidit ex Scriptura S. quàm homines (in ſe conſiderati) prævideruntz; quamvis non priùs eam prædixerit, quàm ubi appropinquare eandem vidit. (4.) Cum multorum Dei *judiciorum* in homines effundendorum, ipſo Deo ſapientiſſimè ita ordinante & gubernante, Diabolus ejusq; Angeli ſint adminiſtri; (ut, præſertim dum Barbaræ & crudeliſſimæ Nationes Chriſtianis ob peccata immittuntur, vel attrociſſi-

* *§. 16. h. c. p. 45.* (r) *Loc. cit. Secund. 2dæ, Qu. 172. art. 6.* (ſ *Supr. §. 18. & 20. huj. cap.* † *§. 18. h. cap.* (s) *Pſalm. 90. (al. 91.) v. 11.* (t) *Supr. §. 18. h. cap. p. 46. 47.*

mis de Fide diſſidiis & Schiſmatibus Eccleſia Dei ſcinditur;) hoc in paſſu locum habet illud, quod ſcribit S. Auguſtinus, Dæmones (*u*) *ea plerumq; prænunciare, quæ ipſi facturi ſunt.* Atq; inprimis de talibus accipere poſſumus illud, quòd ex eodem S. Auguſtino ſcribit D. Thomas, (*v*) *Prophetas Dæmonum, quandoq; etiam revelatione bonorum Spirituum aliqua vera prædicere, etiam tunc, quando à Dæmonibus inſtruuntur*: quod S. *Auguſtinus* enunciat in genere de Spiritibus Seductoribus, (*x*) *quibus* (inquit) *quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur;-partim experientiâ callidiore, partim à ſanctis Angelis, quod ipſi ab Omnipotente Deo diſcunt, etiam juſſu ejus revelantibus.* Videlicet, *judicia* Dei in homines effundenda, Sancti Angeli ipſius Dei juſsù nonnunquam indicant maturè malis Angelis, tanquam adminiſtris & executoribus talium *judiciorum*; ideò non eſt mirum, quòd mali Angeli talia maturè prænôſſe & aliis etiam prædicere poſſint. Poſſunt tamen diſcere talia, etiam ex immediato Dei mandato, vel immediata ejuſdem inſpiratione, juxta illud quod habetur 3. (al. 1.) Reg. 22. ℣. 20. 21. 22. *Et ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſraël, ut aſcendat & cadat in Ramoth Galaad? --Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies & prævalebis: egredere & fac ita.* Confer Matt. 8. ℣. 31. 32.

XXII. Verùm (5.) altiùs etiam nobis hîc aſcendendum eſt, ad primævam nempe Diaboli felicitatem, in qua ante ſuum lapſum fuerat à Deo conſtitutus, & in qua magna procul dubio arcana unà cum aliis Angelis fuit contemplatus. Notum enim eſt, Diabolum cum ſuis Angelis in ſublimi Cœlo primitùs fuiſſe, indeq; in inferiores Mundi partes ob ſuam ſuperbiam eſſe dejectum: nec memoria antè viſorum in eo (quemadmodum fit in homine morbis & morti obnoxio,) craſsâ aliquâ oblivione eſt obliterata. Cum autem in Cœlo, omnia futurorum exemplaria, ſeu archetypa Deo digna adſint; omninò etiam Diabolus multa ex illis (naturæ ſuæ Angelicæ conformiter) vidit, atq; perſpexit futura, licet non omnia: quæ ipſe ſuis, (imò aliquando etiam electis,) ſemper, aut cum aliqua mendacii admixtione, aut nimis defectuosè, ſemperq; dolosè & malum in finem, nec ſatis congruenter circumſtantiis, inſinuat. Unde non eſt mirandum, quòd nonnunquam etiam res abſtruſiſſimas ante eventum ſoleat indicare. Adeſſe verò exemplaria futurorum in Cœlis, perſpicuè colligere poſſumus ex præcepto ad Moyſen dato, de ſtructura *Tabernaculi*, & omnium eò ſpectantium. Exod. 25. ℣ 40. *Fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Conf. Act. 7. ℣. 44. & Hebr. 8. ℣. 5. Inde verò etiam ad alia futura, rectè conſequentiam formari, eruditè jam dudum obſervavit *Rupertus* Tuitienſis, vir certè laborioſus

(*u*) *Vid. ſupra cit. §. 18. p. 46.* (*v*) *Vid. ſupr. §. 20. b. c.* (*x*) *De Geneſ. ad Liter. Lib. 2. c. 17.*

rioſus & ingenioſus circa Scripturam. Cum enim explicaret, quid ſit in Numeris, (y) *Liber Bellorum Domini* illic citatus, ſic procedit: (z) *Nulla concludit ratio, materiales fuiſſe Libros Bellorum Domini, ante hanc ejus qui loquitur, Moyſi Scripturam. Ergò quod dicitur, prophetia eſt, quam in LIBRO COELESTI Moyſes iſte vidit eiſdem oculis, quibus videre meruit aut potuit, cuncta cœleſtia, quorum ſecundùm EXEMPLAR, quod in monte monſtratum eſt illi, dixit hæc, & fecit, atq; inſtituit ceremoniarum decreta.* Hæc Ille. Cujus verba non ideò hîc allego, ut doceam ex ipſo, quid ſit *Liber Bellorum Domini* apud Moſen; ſed tantùm ut monſtrem, hunc quoque Doctorem mecum in hoc ſentire, quòd *Futurorum exemplaria* (ſeu ideæ) habeantur in Cœlis. Quæ Satanas, dum adhuc eſſet in ſtatu integritatis, (ut monui,) poterat aliqua ex parte videre.

XXIII. His ita intellectis de fonte & origine ſcientiæ in Diabolo prædicendi futura; facilè jam & hoc perſpicimus, quòd ipſe idem fuerit olim eorum etiam omnium ſuggeſtor inter *Gentiles*, quæ talia ſunt, ut ex Majorum traditione accipi non potuerint, nihilominus habent aliquam fumoſam umbram futurorum. Si quæ autem ex traditione inter eos accipi poterant, tanquam futura aliquando implenda, ea quoq; ejuſdem (ut magni Pſeudoprophetæ) ſuggeſtione ſunt multùm defœdata variis figmentis, mendaciis & vanitatibus. Idem dicendum de fabulis *Judæorum & Muhammedanorum.* In quibus omnibus dijudicandis ſuprema ſemper norma ſit Scriptura ſacra, authoritate Eccleſiæ & approbatis ſuſ interpretibus ſtipata.

XXIV. Hactenùs docuimus per quos potiſſimùm & *ut plurimùm* ſuas edere ſoleat Diabolus prædictiones; nempe, per homines à Deo alienos & ipſi Diabolo addictos. Appoſuimus autem limitationem, τὸ *ut plurimùm*: quia non raró (Deo permittente) etiam in electorum & Deum timentium mentes (præſertim antequam pleniùs viam veritatis edoceantur, & in gratia cœleſti robuſtiores reddantur,) Diabolus mirâ ſuâ arte ad tempus ſe inſinuat; atq; tunc poteſt iiſdem etiam (haud technas inimici in ſe perſpicientibus) ſuas (more ſuo, defectuosè) ſuggerere prædictiones: imò, ſi invaleſcat diutiùs ſuper eos, etiam aliis per eoſdem publicare. Si enim potuit *Jobum* morbis crudeliſſimè affligere; imò ſi auſus eſt ipſum Dominum noſtrum (a) ſuis tentationibus impudentiſſimè aggredi; cur non poſſit (Deo permittente) etiam mentes electorum ac Deum timentium ita ſuis phantaſiis ad tempus opplere, ut etiam futura aliqua per eoſdem prænunciet? Habemus in hanc rem exemplum apud S. *Auguſtinum* cujuſdam *patientis*, qui rem temporis præſentis, at remotam, & occultiſſimam aliis circa eum præſentibus atq; ignotiſſimam, ſuggeſtû mali Spiritûs exactè indicavit; quem ad ſalutem pertinuiſſe æternam, nullâ

G 2 ratione

(y) *Num. 21. v. 14.* (z) *Rupert. Comment. in Numer. Lib. 2. c. 12.* (a) *Matt. 4. v. 3. & ſequ.*

ratione Chriſtianus negare poteſt. Ex eo autem, par eſt judicium etiam de futurorum (quà Diabolo notorum) prædictionibus propriè ſic dictis. Verba de illo S. *Auguſtini* hæc ſunt: (*b*) *Comperimus in domo conſtitutum patientem Spiritum immundum, dicere ſolere, quando ad eum venire cœpiſſet ex duodecim millibus Presbyter, & per omnia loca itineris ubi eſſet, & quàm propinquaret, & quando ingrederetur, & fundum, & domum, & cubiculum, donec in conſpectu ejus adſtaret. Quæ omnia etſi non oculis patiens ille cernebat, tamen niſi aliquo modo cerneret, non tam veraciter enunciaret.* Hæc ille. Scilicet cernebat hæc ſubtiliſſimus ille Spiritus, qui *patientem* hunc ad tempus afflixerat, ejusq; cogitationibus & phantaſiis ſuos actus intermiſcuerat; atq; ipſe ejuſdem ore hæc enuntiabat. Solet verò aliquando Satanas etiam *luci* cœlitus acceptæ ſe *interjicere*; quod rectè obſervavit pius (*c*) *Taulerus*.

XXV. Hoc in majorem noſtrî contra Satanam tum cautelam tum fiduciam, opportunè hîc indicandum erat: partim ut valdè circumſpecti & attenti ſimus contra magnum illum adverſarium, ne quô pacto ejus ſuggeſtiones pro Divina voce amplectamur; partim etiam, ut veri Dei cultores, eiq; corde ſincero adhærentes, ne deſperent, ne animum abjiciant, ſi quando in eas inciderint tentationes, in quibus turbulentas & planè horrendas ((*d*) *pavoris & tremoris* plenas) experiuntur in mente phantaſias. Jam enim intelleximus, Deum aliquando permittere, ut Diabolus electorum etiam ac Deum timentium mentes ad aliquod tempus ſuis phantaſiis turbet, & iis quoq; inſinuet aliqua oculta, etiam futura. Quo in caſu incumbit illis, ſtrenuè (quà vires permittunt) contra Satanam omni ſanctâ vigilantiâ, ac inprimis ferventiſſimis apud Dominum precibus pugnare, ejus humillimè & aſſiduè implorando miſericordiam, ut ipſe tanquam potentiſſimus & ſapientiſſimus (*e*) *fortis* illius *armati* victor & deſpoliator, adſit eis contra tantum adverſarium; repellat & confundat omnes illius technas, verſutias ac fallacias; adjuvet eos in diſcretione veri à falſo, & efficiat in ipſis Spiritûs ſui ſancti lumine, ut phantaſias illas normâ Scripturæ & Fidei Catholicæ, ad puritatem defæcare, veramq; earum ſignificationem obtinere poſſint. Cum enim rectè jam obſervatum ſit à S. *Auguſtino*, (*f*) & poſt eum à V. *Beda* (*g*) & D. *Thoma*, quòd (*h*) *nulla falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat*; idem tenendum eſt etiam de variis & admirandis Diaboli phantaſiis, viſis, ſuggeſtionibusq; in mente & imaginatione humana formatis. Quod enim ſolet in externè editis ſuis erroribus facere, id in internis quoq; ſuis ſuſurris ac ſuggeſtionibus haud omittit; nimirùm, ut aliquid *veri* iis *intermiſceat*: quod labore & induſtriâ

(*b*) *De Geneſ ad Liter. Lib. 12. c. 17 Tom. 3.* (*c*) *Imitation. Paupert. Chriſt. Part. 1. paragr 74.* (*d*) *Juxta Job 4. v. 14.* (*e*) *Luc. 11. v. 21. 22.* (*f*) *S. Auguſt. Quæſtion. Evang. Lib. 2. c. 40. Tom. 4* (*g*) *Bed. In Luc. 17, v. 12, Tom. 5. Obiit Beda an. D. 731.* (*h*) *D. Thom. Sec. 2d. Quæſt. 172. Art. 6.*

induſtriâ non mediocri datur deprehendi. Ideoq; tantò majori cum ſollicitudine hîc vigilandum eſt, atq; agendum, ut habitâ veri à falſo diſcretione, propria Diaboli arma demùm in eundem convertamus. Ut in aliis inſtinctû Satanæ editis, ſic etiam in his, de quibus nunc loquimur, locum habet illa *Clementis* Alexandrini admonitio: (*i*) *ὐδὲ μὴν διὰ τὸν λέγοντα, προκαταγνωςέον ἀμαθῶς ϰ̔ τῶν λεγομένων. (ὅπερ ϰ̔ ἐπὶ τῶν προφητεύειν νῦν δὴ λεγομένων παρατηρητέον·) ἀλλὰ τὰ λεγόμενα σκεπτέον, εἰ τῆς ἀληθείας ἔχεται.* H. e. *Neq; verò propter eum qui dicit*, (nempe, propter Satanam in Angelum lucis ſe transfigurantem) *ſunt imperitè ea priùs damnanda, quæ dicuntur*; (*quod in iis quoq; qui nunc † prophetare dicuntur, eſt obſervandum*;) *ſed ſunt conſideranda quæ dicuntur, AN VERITATI COHÆREANT.*

XXVI. Præmuniit nos Chriſtus Dominus ſuo exemplo, qui licet omniſcius & omnipotens, omniumq; Dominus, paſſus tamen eſt ſe, huc atq; illuc duci à Satana, (*k*) variis ejus tentationibus infeſtari, audireq; ab ipſo talia, quæ ſano ſenſû vera ſunt: [v. gr. quòd *Angelis ſuis mandavit* Dominus *de* Chriſto; item, (excluſâ conditione blaſphemâ à Satana de ſe adorando requiſitâ,) quòd dicit Satanas, *Omnia Regna Mundi ſe daturum* eſſe Chriſto; ſcilicet, tanquam Prædonem graſſantem in Mundo, & Regnorum Mundi (Deo permittente) ſuperbiſſimum uſurpatorem, aliquando tandem invitum, *omnia Regna* (*l*) *Mundi*, ut non ſua, ceſſurum eſſe Chriſto, ut vero omnium Domino:] præmuniit inquam nos Chriſtus, ne deſperemus, ſi quando Satanæ inſultibus, phantaſiis & ſpectris quibuſdam tentamur; dummodò in veræ fidei conſtanti profeſſione, veræq; pietatis exercitio, Satanam modis omnibus, noſtris ſubjicere pedibus nitamur. Salvatoris noſtri exemplo, Scriptura S. nobis ſit ſemper familiare ac tutiſſimum refugium, quô nos adverſus omnia tela & machinamenta Satanæ muniamus, adjungendo eidem etiam piorum ac doctiſſimorum SS. Patrum expoſitiones; non omittendo interim piarum ac humillimarum precum juge exercitium. Sic nîl metuamus, quin aliquando Chriſto Duce Satanam proſternamus, hâc nempe ſacræ exercitationis viâ in ejus arcana penetrantes, & (*m*) *arma in quibus confidebat*, ei eripientes, in ejusq; exitiúm convertentes. Sic fiet, ut Tentator demùm recedat à latere noſtro, & (*n*) *Angeli* ſancti *miniſtrent* nobis: h. e. ut cogitationes noſtræ ſint puræ, Angelicæ & Divinæ, ipſorumq; S. Angelorum circa nos miniſterium, ſit experimento perſpicuo noſcibile. Hinc illud monitum Cornelii à Lapide: (*o*) *Diſces hinc, eum, qui fortiter vin-*

(*i*) *Loc. ſupr. alleg. Stromat. Lib. 6 pag.* (*mihi*) *647.* † *Nota hæc verba etiam pro noſtro ævo.* (*k*) *Matt. 4. v. 5.--9. & Luc 4. v. 5.--11.* (*l*) *Confer lucis causâ, Apoc. 11. v. 15.* (*m*) *Luc. 11 v. 22. coll. Matt. 12. v. 29. & Marc. 3. v. 27.* (*n*) *Matt. 4. v. 11. & Luc. 4. v. 13.* (*o*) *Comment. in Matt. 4. v. 11.*

cit Diabolum, ejusq́, ſuggeſtiones, mereri & præmiari conſortio, conſolatione & miniſterio Angelorum. Nam victor Satanæ, eſt quaſi alter Angelus. Huc etiam ſpectat illud *Damiani* apud eundem: (*p*) *Victor Dæmonum, ſocius efficitur Angelorum.*

XXVII. Atq; hæc in digreſſu, occaſione motæ Quæſtionis de fonte *Prognoſtici* ſupra † allegati, re exigente ſic protenſo, dicenda habuimus: ut non ſolùm de memorato *Prognoſtico*, ſed etiam de aliis ſimilibus ejuſdemq́; farinæ prædictionibus, judicium lector eò faciliùs ferre poſſit. Satis nempe perſpectum habemus ex ſuperioribus, quòd ſi quæ prædictio, aliquâ ſuî parte (etiam minimâ) claudicet ac deviet à vero, vel dolum aliquem & fraudem Diaboli in ſe prodat, tunc ſolummodò ipſi Diabolo (non Deo) eſt ea adſcribenda, (quà nempe ita defectuoſa * ſeu vitiata eſt;) poteſtq; non ſolùm per malos, ſed aliquando etiam per pios & Deum timentes (ut incautos & fraudis deceptoris ignaros) ab eodem edi. Ac proinde, cum memoratum etiam *Prognoſticon* tali ſuo nævo non careat, dum Author ejus unicam repulsûs Turcarum cauſam, *domeſticas* eorum *ſeditiones* aſſignat, & ſe quaſi *Aſtronomum* in tam clara prædictione venditat, eruditus lector non obſcurè videt, quid de eodem *Prognoſtico* ſit judicandum; non obſtante, quòd rem principalem veriſſimè prædixerit. Sed jam ab hoc digreſſu, (in quem nobis occaſionem dedit, utilitatis ſcientiarum *Mathematicarum*, ac ſignanter *Aſtronomiæ* pro hoc ſtudio prophetico commendatio,) ad ordinarium inſtituti noſtri curſum revertamur, & reſidua quoq; *Regulæ* noſtræ (octavæ) puncta paucis attingamus.

XXVIII. Non morabor in eo, ut demonſtrem, quàm requiratur, ut etiam *Medicina* & *Jurisprudentia* aliquam hîc notitiam Prophetiarum & typorum ſcrutator habeat. Certè (ut alia mittam) qui Legis Ceremonialis de *Lepra*, de *Menſtruo ſangvine* & ſimilibus, ſenſum myſticum & ſpiritualem quærit, nihil ad rem efficiet, ſi planè deſtituatur *Phyſicâ* & *Medicâ* ſcientiâ. Item, ſi quis forenſium Legum Judaicarum myſteria ſcrutari vult, hærebit in cœno, niſi *Jurisprudentiæ* guſtum aliquem habuerit. Sed & alia multa ſunt in Scripturis, ad quæ illuſtranda adminiculum illius ſcientiæ requiritur. Porrò, *Rabbinorum* ſcripta, mente eruditâ, ſanâ & orthodoxâ benè excuſſa & examinata, quantum juvent Prophetiarum & typorum expoſitorem, nôrunt eruditi. Ipſæ quoq; fabulæ eorum, multùm nos juvabunt, ſi primùm Spiritûs S. lumine

(*p*) *Ibid ad v. 9.* † *§. 14. h. cap.* * *Addo hanc limitationem: poteſt enim fieri aliquando, ut Diabolus ipſam* veritatem *in electis à Deo acceptam, ſuis ſuggeſtionibus inficiat ac deformet; atq; tunc ipſa tantùm deformatio* veritatis *Diabolo eſt adſcribenda propriè: quanquam propter illam deformationem, etiam* veritas *ita* deformata *&* adulterata, *quà talis eſt, rectè Diabolo ut eam ſic ſpargenti, imputatur: quæ ſi ab omni opere Diaboli ſeparetur, illicò ſuum genuinum & ſupremum referet Authorem.*

lumine & ſcientiâ Scripturæ, mentes illuſtratas habuerimus, ad ſecernendum inde, tanquam in informi gleba, vel in ſtercore latens aurum, veritatem Satanæ nequitiâ tectam & incruſtatam: ut fabulæ eorum de *Meſſia*, de *Gogo* & *Magogo*, de *Armillo* (ſeu Antichriſto,) aliisq; oſtendunt. De *Ethnicorum* etiam & *Muhammedanorum* ſcriptis ita ſentio; quod ſi ea incidant ſub judicium piè eruditi & verè diſcreti hominis, non penitùs erunt inutilia ad Prophetiarum & Typorum Scripturæ S. ſcrutationem. Cum enim Diabolus ſit Simia Dei, non poteſt non aliquam ſuis immiſcere veritatem figmentis; quod ex ſuperioribus † jam clarum eſt. Imò quò potentiùs ſeducit homines, eò plura & ſubtiliora ſolet de veritate ſuis mirè & perplexè intermiſcere erroribus: quæ inde rectè eruta, non poſſunt non juvare Propheticæ Scripturæ ſcrutatorem.

XXIX. Si quis *Regulas* hactenùs propoſitas & elucidatas, unà cum ſequentibus, ritè obſervaverit, ac præcipuè, quod primum eſt, in timore Domini ſe exercitatum præſtiterit, experietur in dies, mentem ſibi (veteri caligine depulsâ) uberiori atq; uberiori lumine cœleſti perfundi, & paulatim Scripturas profundioris ſensûs clariùs ſe intelligere; ut quocunque vertat oculos & mentem in legendo Codice ſacro, ſubinde aliquid antea ſibi ignoti incipiet percipere. Pergo jam ad ulteriores *Regulas*, ipſam Prophetiarum & typorum naturam & proprietatem nobis explicantes.

CLASSIS SECUNDA REGULARUM,

Tredecim Capitibus conſtans;

Quorum undecim, Regulas 33. *promiſcuè* Prophetiarum *&* Typorum naturam, proprietates *&* ſcopum, *pro vero ex iis ſenſu eruendo pandentes; & reliqua duo (ſcilicet* 12mum *ac* 13tium,) Tractatum *de* Signis adventûs *Domini, ut* Appendicem *Regulæ 33tia tradunt.*

CAPUT I.

In quo, *Regulæ* duæ *de* latitudine *& fœcunditate ſensûs Prophetiarum & Typorum, (ſervatâ ſemper principalitate unquâ ſcopi Spiritûs S.) traduntur & illuſtrantur.*

I.

REgulæ illæ, quæ propiùs jam, & ex internis nobis monſtrant verum *Prophetiarum* & *Typorum* ſenſum, duorum ſunt generum, ut & in ſuperioribus * indicavimus. Quædam enim promiſcuè *Prophetiarum* & *Typorum* ſimul naturam ac proprietates (quoad ſenſum in iis incluſum) nobis pandunt; quædam verò ſpecialiùs de ſacris *Hiſtoriis* per certa nos indicia erudiunt, quomodò

† §. 16. (*ſub fin.*) 19. 20. 25. *h. cap.* * *Pracogn. c. 2. §. 2. pag. 18.*

quomodò illæ noſcantur, quòd ſint *Propheticæ*; Typorumq; in iis contentorum naturam, & rationem propheticam, quam ad ſua habent objecta, explicant: quibus ſubnectitur etiam de *ceremoniis* & geſtis ceremonialibus *Moſis* quædam inſtructio, ut & de *geſtis Chriſti* peculiaris obſervatio. Nunc de prioribus illis in hac *Secunda* Regularum *Claſſe*, Deo Duce agamus.

REGULA I.

II. „*Omnis Prophetia, omnisq; Typus, pro capacitate terminorum & „phraſium ſuarum, eſt latiſſimi & locupletiſſimi ſenſûs: nec datur ulla Prophe„tia, quæ unico tantùm aliquo temporis intervallo brevi, juxta omnem in ea ſer„monis Divini emphaſin, pleniſſimè impleretur: ſed Prophetia (ut & typi) ſuc„ceſſivè ac per partes tali modô implentur, ut quædam earum, nunc parciùs, „deinde pleniùs; nunc in radice & baſi ſecuturorum, deinde in ipſa rerum ad „radicem illam ſpectantium plenitudine*; (ut, v. gr. loca de majeſtate Chriſti „in Eccleſia, deq; converſione Nationum;) *quædam, nunc tenuiùs & obſcu„riùs, quaſi in umbra & præludio majorum futurorum; (magna autem rei „futura, magna etiam ſolent eſſe præludia;) nunc jam aliquantò clariùs, mox „iterùm longè clariùs & uberiùs; demùm verò (comparatè ad præcedentia) „clariſſimè & in plena emphaſi* (ut, loca de felicitate Eccleſiæ, deq; hoſtium „ejus exitio ſonantia) *impleantur*. Cum enim omnis Prophetia vel typus, profundiſſima in ſe contineat arcana; (ut ſuo loco (*a*) docebimus;) terminis etiam ac phraſibus conſtat talibus, ſub quibus ſenſus locupletiſſimus arcanis illis in dies eruendis inſerviens, involvi poſſit.

III. Noſtram confirmat Regulam S. *Auguſtinus*, (verbis licet aliis) dum ſic ſcribit: (*b*) *Cum alius dixerit; Hoc ſenſit* Moyſes, *quod ego: religioſiùs me arbitror dicere, Cur non utrumq; potiùs, ſi utrumq; VERUM eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omninò aliud VERUM quiſpiam in his verbis* (*c*) *videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem Deus unus ſacras literas vera & diverſa viſuris, MULTORUM SENSIBUS TEMPERAVIT? Ego certè, quod intrepidus de corde meo pronuncio, ſi ad culmen authoritatis aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, ut quod veri quiſq; de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quàm ut unam veram ſententiam ad hoc apertiùs ponerem, ut excluderem cæteras, quarum falſitas me non poſſet offendere*. Quis non ex his tàm claris S. *Auguſtini* verbis illud inferat, quod in *Regula* diſtinctiùs quoad ſucceſſiones temporum indicavi? Idem paulò poſt: *Senſit* (inquit) *ille* (nempe Moyſes,) *omninò in his verbis atq; cogitavit, cum ea ſcriberet, QUICQUID hic VERI potuimus invenire, & QUICQUID nos non potuimus, aut NONDUM poſſumus, & tamen in eis inveniri poteſt*. Item: (*d*) *Si quid homo minùs vidit, nunquid & Spiritum*

(*a*) *Infr. Reg.* 3. & 4. *h. Claſſ.* 2 *Cap.* 2. §. 1. & 2. (*b*) *Confeſſ. Lib.* 12. *c.* 31. (*c*) *Nempe Gen.* 1. *v.* 1. (*d*) *Eod. Lib.* 12. *Confeſſ. c.* 32.

Spiritum tuum bonum (Domine!) *qui deducet me in terram rectam, latere potuit, quicquid eras in eis verbis tu ipſe REVELATURUS legentibus POSTERIS, etiamſi ille, per quem dicta ſunt, unam fortaſſis EX MULTIS VERIS ſententiam cogitavit? -- Ecce Domine Deus, quàm multa de paucis verbis, quàm multa, oro te, ſcripſimus! Quæ noſtra vires, QUÆ TEMPORA, omnibus Libris tuis, ad iſtum modum ſufficiant? Sine itaq; me breviùs in eis confiteri tibi, & eligere unum aliquid, quod tu inſpiraveris, verum, certum & bonum.*

IV. Pariter S. *Gregorius* M. (ubi ſacram Hiſtoriam myſticè ac propheticè explicare aggreditur,) ſic noſtram fulcit ſententiam: (*e*) *Scriptura ſacra, tam mirabiliter ab Omnipotente Deo condita eſt, ut etſi multipliciter videatur expoſita, non deſunt tamen ei ſecreta, quibus ſervet occulta: quia ferè NUNQUAM ſic exponitur, ut ei non PLURA REMANEANT, quæ quotidie exponantur.* Habet nimirùm Spiritus Dei in ſecretis Scripturæ ſacræ, non ſolùm in diverſis, ſed & in iiſdem locis, quod pro ſimplicioribus, vel pro ſolidioribus, & quod pro hac vel illa ætate Eccleſiæ ſit diſpenſandum. Dum autem in genere *Scripturam* ſacram de tanta ſenſuum ejus ubertate SS. Patres deprædicant; ultro patet evidentiſſima inde conſequentia etiam ad Scripturam *Propheticam* atq; *Typicam*.

V. Si quis fortè dicat, hæc de latitudine ſenſûs *Prophetici* ac *typici*, tantùm de quibuſdam *Propheticis* ac *typicis* locis, quæ nimirùm præ ceteris explicatû difficiliora videntur, vera eſſe, non verò de omnibus; ad hoc, dico primò; hâc ipsâ confeſſione jam me habere aliquid pro *Regula* ſupra poſita. Nam qui ultrò admittit, quædam Scripturæ S. loca *Prophetica* & *typica*, quæ nempe ſe præ ceteris profundiora eſſe monſtrant, non ſimul & ſemel, ſed gradatim & per ſucceſſiones temporum impleri, is, ſi diligenter ſcrutetur Scripturas, abſq; dubio occaſionem inde ſibi ſumet inquirendi apud ſe, an non longè plura ſint, loca *Prophetica* & *typica*, quàm hactenùs putavit, locupletiſſimi ſenſûs, juxta modum in *Regula* expoſitum? Sic in hac inquiſitione inveniet primùm *Prophetias* & *figuras* in ultima tempora ſpectantes, (quæ ſanè plurimæ ſunt,) gradatim & ſucceſſivè impleri, diſcetque, longè plura debere nos adhuc circa illas rimari, quàm quæ hactenùs de illis novimus. Quousq; enim non (*f*) *conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit per Servos ſuos Prophetas*, eò usque, tam exiguum eſt quod intelligimus de profundioribus illis *Prophetiis* & *typis* ultima tempora ſpectantibus, ut immenſam arcanorum Dei in Scripturis latentium dulcedinem eſurienti, longè minùs ſit habendum, (comparatè ad revelanda,) quàm eſt guttula aquæ, ad univerſam aquæ maris & fluminum quantitatem. Deinde verò, incipiet etiam intra ſe percontari, annon omnia loca *Prophetica* & *typica* ſuo

(*e*) *Proœm. in Expoſit. Prim. Samuel. vel, 1. Reg. Tom. 1.* (*f*) *Apoc. 10. v. 7.*

modo ſint latiſſimi ſenſûs? Et quò diligentiùs, quove majori cum pietate incubuerit ſacro huic ſtudio, eò magis animo percipiet in dies, *latitudinem* ſenſûs nulli ſacræ *Prophetiæ* & *typo* eſſe denegandam: imò nulli Scripturæ S. loco; ita ut omnis Scriptura S. tàm ſit latiſſimi ſenſûs, ut omnem illum ſenſum, quem verba ejus ſalvâ fidei rectitudine in ſe includere poſſunt, admittat; quod ex iis quæ paſſim in hoc capite traduntur, & hinc inde afferuntur, perſpicuè patet. (Vide inprimis §. 3. 4. 18. 19. h. cap. collat. cap. 2. hujus 2dæ Claſſ. §. 1. 2. & 3.) Dico itaq; ſecundò; *Regulam* ita eſſe veram, uti poſita eſt, ſcilicet, de qualibet *Prophetia* vel *typo*. Nam ſi quis contrarium hîc vellet ſtatuere, ego peterem modeſtè ab illo, ut vel unicam integram *Prophetiæ* vel *typi* ſeriem mihi monſtraret, de qua dici poſſet, ita eam omnibus jam numeris, & quoad omnem verborum ejus emphaſin, eſſe impletam, ut etiam ingenioſiſſimi & ſolertiſſimi Scripturarum ſcrutatores, nihil ampliùs in ea reperiant, quod in poſterùm poſſet ac deberet aliquò ſenſû impleri? Certè quod S. *Auguſtinus* circa an. D. 412. ſcripſit in genere de Scripturæ S. profunditate, illud adhuc noſtris quoq; temporibus verum eſt, & quidem ita, ut ea profunditas omnibus partibus Scripturæ, inprimis & vel maximè *Propheticis* ac *typicis* proportionaliter ſit communis. Scilicet, (*g*) *tanta eſt* (inquit ille) *Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas, ab ineunte pueritia, usq; ad decrepitam ſenectutem, maximo otiò ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Verum eſt etiam hodie, illud Apoſtoli, 1. Cor. 13. ℣. 9. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*; ita ut nulla ſit *Prophetia* vel *figura*, quam integrè jam & in ſolidum intelligeremus. Noſtram etiam illud munit *Regulam*, quòd nulla *Prophetia* nullusq; *typus* caret profunditate arcanorum; quod & ſupra † jam inſinuavimus, & infra * ex profeſſo monſtrabimus.

VI. Claritas quarundam præ ceteris *Prophetiarum*, non id evertit, quod in *Regula* trado. Nam penes clara verba, reperiuntur illicò etiam obſcuriora; & inſuper, ſub claris quoq; verbis, præter ſenſum *literalem*, qui inde facilè eruitur, poteſt latere, & de facto latet, alter etiam *myſticus*, priori harmonicus. Ex ipſo S. *Auguſtino* facilè hoc diſcere poſſumus. Ille enim omnia illa, quæ paulò ante (ſcil. Paragr. III.) à me ſunt in hanc rem producta in medium, occaſione ſenſûs pauciſſimorum illorum, & in ſe quoad literam perſpicuorum, primi verſûs Geneſeos verborum, (nempe: *In principio creavit Deus Cœlum & terram,*) tradit, & in præcedentibus quoq; aliquot capitibus, (*h*) de eodem verſu operosè tractat. Sic quoad literam, ſatis clarus eſt Chriſtianis verſiculus ſecundus Capitis quinti *Michææ* Prophetæ (*i*) (*Et tu Bethlehem Ephrata* &c.) de Nativitate Domini noſtri Salvatoris, & loco

Nativita-

(*g*) *Epiſt* 3. *ad Voluſian.* (*Al. Epiſt.* 137. *in edition. nov. Paris.*) † §. 2. *h. cap.* * *Sub Reg.* 3. *&* 4. *Cap.* 2. *h. Claſſ.* §. 1. *&* 2. (*h*) *Vid. Confeſſ. Lib.* 12. *c.* 20. *usq; ad c.* 32. (*i*) *Conf. Matt.* 2. *v.* 6.

Nativitatis ejuſdem; at verò ſi præcedentem & ſequentes ibi verſus ritè excutias, videbis quàm ſit profunda illa ſeries *prophetia*, & quàm nondum ſit integrè quoad omnem Spiritûs S. ſcopum impleta; non obſtante, quòd interſeratur illic literalis Chriſti nativitas, ac literalis *Bethlehem Ephrata*. Certè quò plura latent in incarnatione Domini, & in ejuſdem inter homines geſtis (*k*) myſteria, eò magis indubitatè tenere debemus, quòd loca prophetica & typica de Chriſto ſonantia, ſunt profundiſſimi & locupletiſſimi ſensûs.

VII. Sed exempla talia hîc proferamus in medium, quæ (quoad faciliorem intelligentiam) enucleatiùs illuſtrant *Regulam* à nobis poſitam. Sic v. gr. Prophetia *Pſalmi* octavi in Novi Teſt. tempora pertinens, (taceo enim hîc literalem ejus pro vet. Teſt. ſenſum valde umbraticum,) ſtatim cœpit tunc quaſi in tenui præludio impleri, cum *pueri* Chriſto Domino, Hieroſolymam cum pompa ingredienti, *Hoſanna* clamabant. Cum enim Phariſæi ob hoc indignarentur, illicò Chriſtus Dominus allegat ipſis Pſalm. 8. ✝. 3. indeq; oſtendit, hoc ita debuiſſe fieri juxta vaticinium. (*l*) *Nunquam legiſtis*, (inquit,) *quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* At verò illo tempore, non niſi in umbra & præludio tenui (ut jam innui) puerorum illorum, Chriſto Domino, contra Primores populi Judaici congratulantium voce, prophetia hæc impleta eſt. Spiritûs enim Sancti principalis in illo verſu ſcopus eſt, de talibus ſensû myſtico prophetare *pueris*, qui ſunt infirmi, imbecilles, innocentes in Mundo, & coram Mũndo perverſo, planè ut *pueri*, ut inſipientes, ut ſimplices, ut bardi & ut balbutientes (ſeu eloquentiâ deſtituti) reputantur; (de quibus loquitur Iſaias in perſona Salvatoris: (*m*) *Ecce ego & PUERI mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum & in portentum Iſraël*;) quales erant Apoſtoli Domini, ceteriq; unà cum eis fidi prædicatores, per quos jecit olim Dominus fundamentum ſuæ laudis in Mundo inter Judæos & Gentes, ad confundendum atq; (*n*) *deſtruendum inimicum & ultorem* ſuî, ſe contra Regnum Chriſti erigentem. Tales fuere etiam poſt Apoſtolos, omnes illi fideliſſimi Jeſu Chriſti Servi, qui Mundo quidem viles, abjecti & impotentes habiti, ſed tamen in Domino potentes, potenter & ſtrenuè Regnum ejus promoverunt. Hodie quoque, quicunq; eorum ſequitur veſtigia, iis eſt annumerandus. Tales futuri ſunt etiam illi, per quos Dominus ultimis temporibus, inter Turcas, Judæos & Gentes, Regnum ſuum admirabili cum ſucceſſu propagabit. Hunc eſſe, & tam latè extendi ſcopum in dicto Pſalmo Spiritûs Sancti, ſatis vel ex eo patet, ſi principium & finis Pſalmi penitiùs excutiatur. Scilicet: *Domine Dominus noſter, quàm grande* ſeu *magnificum eſt*, (ut textus Hebræus ſonat) *nomen ſuum in univerſa terra!* Atqui ſtylo Prophe-

(*k*) *Latère in ejus geſtis myſteria, infra docebitur, Claſs. 3. cap. 4. §. 6. & ſequ.* (*l*) *Matt. 21. v. 16.* (*m*) *Iſa. 8. v. 18. Conf. Hebr. 2. v. 13.* (*n*) *Pſalm. 8. v. 3.*

tico *nomen* Domini (in ſe ſemper magnum) tunc eſt verè *magnum in univerſâ terra*, cum per prædicationem Evangelii ad Nationes terrarum Mundi defertur, ut eô ritè agnito, ipſe ubiq; glorificetur. Illuſtrat locum iſtum, ſequens Malachiæ textus cap. I. ℣. 11. *Ab ortu Solis usq; ad occaſum*, *MAGNUM EST NOMEN MEUM in Gentibus*, &c. In eundem ſenſum dicit etiam Pſalmiſta alio in loco: (*o*) *A' Solis ortu usq; ad occaſum, laudabile nomen Domini*; *excelſus ſuper omnes Gentes Dominus.* &c. Jam verò, magnum quidem erat *nomen* ejus in terra tempore Apoſtolorum, & proximorum chori Apoſtolici ſucceſſorum, cum id à Judæis ad Gentes etiam dimanavit; mox majus erat, quoad externam extenſionem, tempore *Conſtantini* M. *Theodoſii* & ſimilium; ſatis adhuc magnum eſt etiam hodie, ubicunq; in Orbe terrarum Dei triuni nomen invocatur & glorificatur; verùm omnibus his, longè majus & excellentius erit (apud homines nempe) illo tempore, quô Turcæ, Judæi & reſiduæ Gentes ad Chriſtum convertentur, & in univerſo terrarum Orbe Evangelium prædicabitur.

VIII. Similiter, ſumamus in manus pro alio exemplo, primum Caput *Iſaiæ* Prophetæ, paucisq; expendamus, quàm benè in eo noſtræ doctrina *Regula* verificatur. *Primò*, certum eſt, quòd illa Prophetia pertinet aliquo modo ad illos etiam Judæos ex intentione Dei, qui vixerunt inter tempus *Iſaiæ*, Regumq; ab ipſo (*p*) notatorum, atq; inter captivitatem Babylonicam. Id enim ſvadet non ſolùm titulus, & aperta in eo (*q*) determinatio temporis Regum, in quo, & ſub quibus de *Juda* & *Jeruſalem*, illa dixerit Propheta; ſed & hoc, quòd magna pars eorum, quæ hoc capite dicuntur, ad literam apprimè quadrant in Judæos illius temporis. Lege hîc vers. 2.---8. 9. dicti capitis, & confer 2. (al. 4.) Reg. 18. ℣. 13. collato etiam cap. 17. ℣. 19. 20. Et ut collateraliter penes *Judam*, alii etiam *Iſraëlitæ* (utpote graviſſimorum peccatorum rei,) hîc involvantur, quatenùs & ipſis expoſtulatio Prophetæ applicari poſſit; conferantur ibidem (4. Reg. 18.) ℣. 10. 11. 12. & cap. 15. ℣. 9. 18. 24. & 17. ℣. 6. 7. 8.--18.--22. 23. 24. *Juda* autem ſpecialiùs, quæ ruina evenit poſt editam hanc Iſaiæ prophetiam in Vet. Teſtamento, videatur 2. Paralip. 36. ℣. 14.-21. Verùm *ſecundò*, certum & hoc eſt, quòd nondum illo Veteris Teſt. tempore ſecundùm præcipuum ac potiorem Spiritûs S. ſcopum hæc Prophetia êſt impleta. Nam ſi emphaſis verborum ſpectetur ℣. 3. illic, ut *bos* & *aſinus* pluſquàm literalem *bovem* & *aſinum* ſignificant, (non excluſô tamen penitus in prima impletione, etiam hoc literali ſenſu;) ita per *poſſeſſorem* & *Dominum*, Chriſtus Dominus (in carne manifeſtatus) intelligitur; ut hoc rectè agnoſcunt S. *Hieronymus* & alii. Item, rejectio etiam *ſacrificiorum* & *feſtorum* Judaicorum ℣ 11. 14. perſpicuè oſtendit, hanc prophetiam non terminari in Vet. Teſt. ſed ex principali Spiritûs S. ſcopo, ad tempora

(*o*) Pſal. 112. (al. 113.) v. 3. 4. (*p*) Cap. 1. v. 1. (*q*) Ibid.

Digitized by Google

ad tempora N. T. pertinere. Sed *tertiò*, & illud haud dubium eſt ei, qui ſacrum hujus capitis textum benè excutit, & cum rebus inde ab edita hac Prophetia geſtis confert, nunquam ad hoc usq; tempus, hanc prophetiam, in plena ſua emphaſi impletam eſſe: niſi quòd peccata, quæ hîc ſub initium (r) tanguntur, jam jam (proh dolor!) in populo Chriſtiano ad plenam menſuram properare videntur; & vaſtitas etiam Regionis ac Civitatum ibidem ſubjecta, paſſim in Orbe Chriſtiano, præprimis in Hungaria & aliquot viciniis ejus, nec non in partibus quibuſdam Germaniæ, (ut Orientalium Eccleſiarum vaſtitatem hîc ſileam,) triſti cum experientia jam valde impleri cœpit. Quòd verò dixi, non eſſe adhuc in plena emphaſi hanc Prophetiam impletam; id ſatis patet ex eo, quia Populo illi, cui facta eſt hæc Prophetia, (h. e. Populo Dei,) talis & tam glorioſa promittitur *reſtitutio* (ſ) in ſerie ejuſdem Prophetiæ, qualis nunquam hactenus fuit: ita ut illa Populi Dei felicitas, nec in Judàico, nec in Chriſtiano populo, juxta plenam emphaſim verborum, unquam ad hæc usq; tempora impleta videatur: implenda tamen eſt pleniſſimè ſuo tempore infalibilliter, in Eccleſia Chriſtiana.

IX. Audiamus jam carptim de hoc capite etiam S. *Hieronymum*, Venerandæ Antiquitatis ſententiam tradentem; ut exinde etiam appareat, non ſolùm in generali, ſed & ſpecialiter ratione hujus Capitis, veritas *Regulæ* toties memoratæ. Is ad verſum illum, (s) *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum*, &c. hunc in modum ſcribit: *Eſt ſenſus perſpicuus: Ego eos* (nempe Judæos,) *adoptavi in filios, & feci populum peculiarem, & partem meam ac funiculum hæreditatis meæ, appellaviq; eos* † *primogenitos; illi autem ne hoc quidem fecerunt, quod bruta faciunt animalia, ut beneficiis vincerentur, & intelligerent Paſtorem ac nutritium ſuum. Nec comparat eos canibus, quod ſagaciſſimum genus animantium eſt, & pro parvo cibo, Dominorum tecta defendit, ſed ſtolidioris ſenſûs bovi & aſino*, (nempe ad exaggerandam majorem Judæorum ingratitudinem;) *quorum alterum carpenta trahens, duriſſimas terræ glebas vertit vomere; alterum portat onera, & hominum in gradiendo labores temperat*. Hæc quoad literalem ſenſum de veteri populo Judaico. Deinde verò ad altiorem pergendo ſenſum, ſic ſcribit: *Bos juxta anagogen, refertur ad Iſraël, qui legis portavit jugum, & mundum animal eſt. Aſinus peccatorum onere prægravatus, Gentium populus accipitur, cui Dominus loquebatur:* * *Venite ad me omnes*. &c. *Phariſæis ergo & Scribis non credentibus, qui habebant Legis clavem atq; notitiam, & verè appellabantur Iſraël, (id eſt, mens videns Deum,) credidit pars populi Judæorum, ut una die tria millia* (t) *ſimul crederent, & aliâ die* (u) *quinq; millia. Sapientibus quoq; ſeculi non recipientibus crucem, indocta Nationum turba ſuſcepit. Unde & Apoſtolus loquebatur:*

(r) *Iſa. 1. v. 2. 3. 4. 5. 6.* (ſ) *Ibid. v. 25. 26. 27.* (s) *Hieron. Comment. in Iſa. c. 1. Tom. 4.* † *Exod. 4. v. 22.* * *Matt. 11. v. 28.* (t) *Act. 2. v. 41.* (u) *Ibid. cap. 4. v. 4.*

„*tur:* (v) *Videte vocationem veſtram fratres; quia non multi ſapientes ſecun-*
„*dùm carnem, non multi potentes.* &c. Sic igitur, quoad ſenſum altiorem, ex hac S. *Hieronymi* interpretatione, prophetia hæc ſpectat ad initium Novi Teſtamenti; ac per *bovem* ſensû myſtico, fideles illi Judæi ſub jugo Phariſaico gementes, & coram Mundo inſipientes, qui Chriſtum verâ fide receperunt, intelliguntur; per *aſinum* verò, fideles ex ſtolida & peccatis onuſta Gentilitate ad Chriſtum converſi. Per *Iſraëlem*, intelligitur carnalis & Chriſto rebellis *Iſraël*, cum ſuis Sacerdotibus, Phariſæis, Scribis & Senioribus. Ergò hic carnalis *Iſraël*, adeò jactabundus de nomine Domini, (quòd Domini populus ſit,) non agnovit tunc verum Populi Dei *poſſeſſorem*, verumq; omnium *Dominum* Jeſum Chriſtum, cum electi ex Judæis & Gentibus, *bovi* & *aſino* ob antecedentem ſuum ſtatum, & ob contemptum quô à Mundo contemnebantur, aſſimilati, agnoverunt eundem & verâ fide amplexi ſunt. Quamvis autem *Hieronymus* hanc ſuam interpretationem poſteriorem vocet coactam, & ſuperiorem veram; attamen ex omni ejus expoſitione perſpicuè ſequitur, neq; hanc interpretationem debere omitti, quaſi penitùs alienam à ſcopo Spiritûs Dei. Si non integrè & principaliter, attamen partialiter & in tenui delineamento, exprimitur etiam in iſta interpretatione Spiritûs Dei ſcopus. Hinc paulò pòſt (in hoc eodem nexu & ſerie verborum) verſum
„10mum, (Iſa. c. 1.) *Audite verbum Domini Principes Sodomorum*, &c. ſic exponit: *Salvis factis reliquiis per Apoſtolos populi Iſraël, ad Scribas & Phariſæos, & Populum ſubclamantem, CRUCIFIGE, CRUCIFIGE talem, Propheticus ſermo convertitur, & vocat eos Principes Sodomorum, & Populum Go-*
„*morrhæ; juxta illud, quod in conſequentibus legimus:* (x) *Iniquitatem ſuam*
„*ſicut Sodoma annunciaverunt & oſtenderunt.* Idem ad verba illa verſûs 12mi,
„(juxta LXX.) *Calcare atria mea non apponetis*, ſic ſcribit: *Obſerva, quòd poſt Babyloniam vaſtitatem, rurſùm à Zorobabel Templum ædificatum ſit, & per multam annorum ſeriem, in Templo ſint oblata ſacrificia. Ergò ultimam ſub Veſpaſiano & Tito deſtructionem Templi indicat; quæ usq; ad conſummatio-*
„*nem Mundi perſeveratura eſt.* Item, ad illum verſum, (y) *Quomodo facta*
„*eſt meretrix Civitas fidelis*, &c. hæc tradit: *Miratur Spiritû Prophetico, quòd Civitas quæ quondam fidelis fuit, vel fidelium receptaculum, ſubitò facta ſit meretrix. Quod quidem & in Eſaiæ temporibus intelligi poteſt; ſed PLENIUS refertur ad Paſſionem Chriſti, quando omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt.--Plena eſt homicidis, qui interfecerunt Prophetas, & ipſum Dominum Salvatorem.*

X. Placeat adhuc quædam ex ejuſdem S. *Hieronymi* expoſitione hîc decerpere, ut ex ea pro pleniori etiam ac *tertii* ordinis ſenſu hujus Prophetiæ ſupra

(v) 1, *Cor.* 1, *v.* 26. 27. 28. (x) *Iſa.* 3, *v.* 9, (*al.* 10.) (y) *Vers.* 21, *cap.* 1,

ſupra inſinuato, lucem aliquam habere poſſimus. Sic autem ille ad verſum „illum, (z) *Et reſtituam Judices tuos, ut fuerunt priùs*, &c. ſcribit: *In Civitate fideli Sion, quæ poſtea facta eſt meretrix, & pro juſto, ſive juſtitia, habitaverunt in ea homicidæ. Ideò Dominus convertit manum ſuam, ut excoquat eam ad purum, & auferat omne ſtannum ejus, & reſtituat Judices illius ſicut fuerunt à principio, & conſiliarios, ſicut antiquitùs. Judices priores fuerunt, Moyſes, & Jeſus filius Nave, & ceteri; à quibus etiam Liber Scripturæ ſanctæ nomen accepit: & poſtea David, & alii juſti Reges. Reſtituet ergò Judicum SIMILITUDINEM, vel poſt captivitatem Babylonicam, ut Judæi volunt, Zorobabel, Eſdram & Neemiam, & ceteros Principes, qui uſq; ad Hircanum populo præfuerunt: (cui Herodes ſucceſſit in Regnum:) vel certè VERIUS & RECTIUS Apoſtolos, & qui per Apoſtolos crediderunt, ECCLESIARUMQUE PRINCIPES conſtituti ſunt; (ſicut in principio diximus hujus viſionis:) quòd & comminatio & repromiſſio pertineat ad tempus Dominicæ paſſionis, & ad Fidem quæ poſt paſſionem ejus fundavit Eccleſiam.* Subjungit poſteriorem verſùs partem, *Poſt hæc vocaberis Civitas juſti, Urbs fidelis*, & exponit hoc modo: *Hæc perſpicuè DE ECCLESIA, quæ in Dominum creditura eſt, tam de Judæis, quàm de Gentibus, Propheticus ſermo complectitur.* Quis non jam vel mediocriter in Divinis ſagax, ex hiſce, *tertium* etiam illum ſenſum prioribus multò pleniorem, ſuprà (pro ultimis temporibus) inſinuatum, rationabili cum diſcurſu facilè hîc inducat, ut rectè ſub præſenti Prophetia „(✠. 26.) latentem? Ita enim hîc argumentari obvium eſt: Si *reſtitutio* Ju„dicum Spiritualium Eccleſiæ ſub initiis Novi Teſt. facta in præſenti Pro„phetia (Iſa. I. ✠. 26.) eſt involuta; ergo in eadem involvitùr illa etiam ul„timi temporis *reſtitutio* Judicum Eccleſiaſticorum in priſtinam dignitatem „& jurisdictionem Paſtoralem, in qua ipſæ quoq; ruinæ Chriſtianæ Eccleſiæ „tot ſciſſionibus Orientalium, Auſtralium & Occidentalium factæ, per ſan„ctam unionem reſarcientur, atq; etiam (a) *plenitudine gentium intrante*, „*omnis Iſraël ſalvabitur*. Quicquid enim apprimè congruit cum aliqua prædictione, atq; etiam ſub terminorum phraſiumq; ejus latitudine & capacitate cum decore & aptitudine ſenſûs comprehenditur, id omne ad eandem prædictionem eſt referendum. Jam enim oſtendimus, (b) Prophetias & typos eſſe latiſſimi & locupletiſſimi ſenſûs. Atqui illa ultimi temporis *reſtitutio*, de qua nunc loquimur, apprimè congruit cum allegata *Iſaiæ* prophetia, ac ſub capacitate terminorum & phraſium ejus, decentiſſimè & aptiſſimè comprehenditur. Quis enim non videat, quàm congruat huic Prophetiæ illa *reſtitutio*, ſecundum quam etiam in locis & regionibus nunc ab unitate Eccleſiaſtica diſruptis, ipſi Eccleſiaſtici Principes in Spiritu & virtute veterum SS. Eccleſiæ Dei Ducum præſidebunt, Gentiumq; plenitudinem, & univerſum

(z) *V. 26. Iſa. 1. cap.* (a) *Rom. 11. v. 25.* (b) *Supr. h. cap. §. 2. 3. 4. & 5. p. 56. 57. 58.*

verſum Iſraëlem ad Chriſtum verè convertendum regimini ſuo ſubjectum habebunt? Præterea; ſi ea *reſtitutio* huc refertur, (ut jam ex S. *Hieronymo* vidimus,) cui concomitanter junctæ erant variæ & innumeræ perſecutiones fidelium à Judæis & Gentibus factæ, ſine plena interim omnium Gentium & Judæorum converſione; multò magis ea huc referenda eſt, quæ ſecum feret concomitanter ac ſucceſſivè omnium Eccleſiæ hoſtium confuſionem & ad incitas redactionem, cum univerſali Gentium & Judæorum converſione.

XI. Lucis alicujus causâ, lubet hîc apponere celebris Judæorum Doctoris R. David *Kimchi* (c) ſententiam; qui memorati illius versûs, *Et „reſtituam Judices tuos*, &c. implementum, ad tempora *Meſſiæ*, quem ſibi imaginantur. hoc eſt, ad ultima tempora refert, dum ſic de eodem ſcribit: וזה יהיה בימות המשיח שיכלו הרשעים כלם ושארית ישראל לא יעשו עולה ולא ידברו כזב H. e. *Atq; hoc* (inquit) *futurum eſt in diebus Meſſiæ; quando conſumentur improbi omnes, & (d) reliquiæ Iſraël non facient iniquitatem, & non loquentur mendacium.* Hæc nos Chriſtiani (eliminatô hinc Judaiſmo) ſic Chriſtiano ſenſu interpretemur, quòd nimirùm tempore plenioris Regni *Meſſiæ* noſtri Salvatoris, pleniùs hic verſus implebitur. Quod interitum impiorum attinet; de eo lucem nobis præbeat Pſalmus 36tus, al. 37mus. De majori autem fidelium (ſeu *Iſraëlitarum* ſpiritualium) ultimi temporis ſanctitate, aliàs (e) erit nobis dicendi locus.

XII. Sed redeamus ad noſtrum S, *Hieronymum*; ex cujus aliis etiam verbis, in idem 1. caput *Iſaiæ* poſitis, poſſumus *tertium* illum ſenſum (pro hoc capite) pleniorem elicere. Poſtquam enim dixiſſet ad verſum primum: „(f) *Scio quoſdam, Judæam & Hieruſalem de cœleſtibus interpretari, & Eſa„iam ſub perſona Domini Salvatoris, quòd captivitatem illius Provinciæ in „terra noſtra prænunciet, & poſtea reditum conſcenſumq; ad Montem ſanctum „in diebus noviſſimis*; mox hâc ſententiâ, ut crudè ſonat, rejectâ, ſuam ita exponit: *Nos--ſequentes hiſtoriæ veritatem, ſic* (iſta) *interpretamur SPIRITUALITER, ut quicquid illi de cœleſti Hieruſalem ſomniant, referamus ad Chriſti Eccleſiam, & ad eos, qui vel propter peccata egrediuntur † ex ea, vel ob pœnitentiam revertuntur ad ſedem priſtinam: de qua & illud in hoc eo„dem Prophetâ dici arbitramur: (g) Illuminare, illuminare Hieruſalem; venit „enim lux tua, & gloria Domini ſuper te orta eſt; & in te apparebit Dominus, „& gloria ejus ſuper te oſtendetur: & gradientur Reges in lumine tuo, & gen„tes in*

(c) *Comment. in Iſa. 1. v.26* (d) *Sophon. 3. v.13.* (e) *Infr. Regul. decimâ hujus 2da Claſſ. cap. 5. § 10. & ſequ* (f) *Comm. in Iſa. 1.* † *Intellige hoc non ſolùm de excommunicatis, ſed præcipuè de illis qui ducuntur in captivitatem hoſtium ob peccata ſua, vel etiam juſto Dei judiciò, extra ſinum Matris Eccleſiæ aberrant,* (g) *Iſa. 60. v. 1. & ſequ, juxt. LXX.*

,,tes in ſplendore tuo; quando venient omnes filii ejus de longinquo, & (h) filiæ ejus in humeris portabuntur, & operient eam Cameli Madian, & Epha, afferentes aurum & thus, & greges Cedar congregabuntur in Hieruſalem. Hæc ille. Cum ergo clarum ſit, S. *Hieronymum* hoc caput non ſolùm *literaliter* de veteri populo Judaico, ſed etiam myſticè ſeu *ſpiritualiter* de Eccleſia Novi Teſt. rectè interpretari, (qui alibi etiam diſertè docet, (*i*) *Judæam & Hieruſalem*, hîc & in ſimilibus Prophetiis, *poſt hiſtoriæ veritatem ſpiritualiter accipi* debere; idq; ipſe ſubinde ſuis expoſitionibus confirmat;) certum & illud ſit, pleniorem (*k*) depulſorum vel abruptorum à contubernio Eccleſiæ, per veram pœnitentiam reditum ad Eccleſiam ultimis temporibus fore, cum nempe Dominus Deus (*l*) *effuſurus* eſt *Spiritum gratiæ & precum* in electos ſuos, atq; ipſi quoq; Hebræi *pavidi* accedent (*m*) *ad Dominum & ad bonum ejus*; hinc perſpicuè ſequitur, ex fundamento etiam S. *Hieronymi*, Caput hoc *Iſaiæ*, inprimis quoad promiſſa erga Ecclèſiam, & quoad minas in impios denunciatas, longè pleniùs quàm unquam antea impletum iri ultimis temporibus. Sanè is ipſe S. *Hieronymus* præclarum nobis ad hoc lumen monſtrat, dum locum ex Iſaiæ cap. 60. pro ſe hîc allegat. Alibi enim diſertè fatetur, quòd ea quæ in illo capite dicuntur, (*n*) *in Mundi conſummatione pleniùs complebuntur*, ſeq; *cogi* illa *ad ultimum referre tempus*; ut infra (*o*) ſuo loco ex ipſo audiemus. Præterea, cum non minùs ultimis temporibus quàm hactenùs Eccleſia Chriſti *Sion* vel *Hieruſalem* ſpiritualis ſit dicenda; certè quicquid etiam tunc huic primo capiti conformiter in ea implebitur, id omne huc referendum eſt, tanquam hîc quoq; prædictum. Hæc omnia eo fine à nobis traduntur, ut eò ſit evidentior veritas *Regulæ* de *latitudine* ſensûs Prophetici ſupra poſitæ. Et quô diligentiùs quiſpiam vel unum S. *Hieronymum* cum debita attentione judicioq; maturo legerit, eò minùs dubitabit de veritate dictæ *Regulæ*.

XIII. Poſſumus hîc pro *Regulâ* noſtra afferre etiam exempla illorum Scripturæ locorum, quæ olim fideles temporibus *Conſtantini* Magni, ex horrendis ac diuturnis perſecutionibus emergentes, pace Eccleſiæ datâ (inde ab an. D. 313.) putârunt jam ſuo illo ævo impleta fuiſſe: quod quidem verum erat ratione partialis ac parcioris implementi, nempe, quaſi in primitiis, inq; præludio & imagine quadam vivida ulteriorum conſiderati, non verò excellentioris illius, quod eſt vel erit ſecundùm plenam verborum ſacri textûs

emphaſin.

(h) Juxt. Iſa. 49. v, 22. (i) Proœm. Lib. 1. Commentar. in Iſaiam, ad Euſtoch. Vide pleniùs verba ejus infr. §. 14. b. cap. (k) Vid. Mich. 4. v. 6. 7. (l) Zach. 12. v. 10. (m) Hoſ. 3. v 5. (n) Comment. in Iſa. 60. (o) Cap. 5. §. 31. ſub. Reg, 10. hujus Claſs. colat, ibid. §. 12. ſub Reg. 9.

emphaſin. Audiamus de his Euſebium: (*p*) *Itaq;* † *Sacra* (inquit) *Scriptura*, *novum nobis Canticum ordiri præcipienti inpræſentiarum ſuccinamus: quandoquidem poſt illa viſu tetra dictúq; ipſo horrenda, tandem ea videre, eaq; feſta celebrare nobis conceſſum eſt, quæ plurimi antea verè juſti ac Martyres Dei cernere in hac vita atq; audire omnibus votis optârunt, nec tamen videre atq; audire potuerunt.- Nos verò hæc etiam quibus fruimur, majora eſſe meritis noſtris confitentes, magnificentiam divini beneficii, cum quodam ſtupore miramur; Deumq; ejus auctorem totis animi viribus, meritò veneramur, ea quæ olim PER PROPHETAS PRÆDIXERAT, & quæ ſacris voluminibus prodita „ſunt, veriſſima eſſe* teſtantes: Sic autem habent:* (*q*) Venite & videte o„pera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella usq; ad fines terræ. *Quæ cum OMNIA noſtris temporibus manifeſtè COMPLETA ſint, læti deinceps & gratulabundi narrationem noſtram proſequamur. Ad hunc igitur quem diximus modum, univerſa ſtirps hoſtium Dei exciſa, & ex hominum conſpectu ſubitò ſublata eſt; ita ut rurſus divinum illud comple„retur oraculum, quod ſic ait:* (*r*) *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum „ſicut cedros Libani; & tranſivi, & ecce non erat.* &c. In eadem tempora aptat (*ſ*) etiam verba *Ezechielis* cap. 37. ℣. 7. & ſequ. de myſtica *reſurrectione*. Et in *Oratione Panegyrica* ad *Paulinum* Tyriorum Epiſcopum, (*s*) Locum Pſalm. 43. (al. 44.) ℣. 1. & 47. (al. 48.) ℣. 9. & Iſa. 54. ℣. 12 13. 14. ceteraq; latioris ſenſûs ſic allegat, quaſi jam illo tempore impleta. At unicuiq; judicioſo Scripturarum ſcrutatori, oſtendunt ſe illa loca, talia eſſe, quæ illo tempore aliquatenùs quidem, ſed non plenè ſunt impleta. De uno ac præcipuo illorum locorum, (ex Pſalmis allegatorum,) infra † S. *Auguſtinus* nos perſpicuè & eruditè docebit, nondùm illis temporibus eſſe plenariè impletum; illud nempe: *Venite & videte opera Domini;-- auferens bella usq; ad fines terræ.* Subjungo hîc in fulcimen noſtræ *Regulæ*, illam quoque eruditi *Pannonii* de quadam gratiarum actione Apocalyptica (ſuper liberatione Eccleſiæ) expoſitionem: * *Tam ampla eſt* (inquit) *hujus brevis Cantici intelligentia, ut TRIA TEMPORA COMPLECTATUR: Judæorum primùm & Gentium* (ſcil.) *Romanorum: deinde, quod erit poſt Antichriſtum: hinc verò, quod* † *Gog ſequetur & Magog.*

XIV. Ne verò hîc nobiliſſimum etiam locum *Joëlis* cap. 2. ℣. 28. 29. (*Et erit poſt hæc, effundam Spiritum meum in omnem carnem,* &c.) intactum penitùs

(*p*) *Hiſt. Eccl. Lib.* 10. *c.* 1. † *Sic quoad ſenſum rectè vertit* Valeſius; *verba autem ad literam ſic ſonant:* ϗ δὴ τῷ λογίῳ προστάττον τι τὸ καινὸν ᾆσμα &c. *H. e.* Itaq; oraculo præcipienti novum canticum &c. *Reſpicit ad Pſalm.* 97. (*al.* 98.) *v.* 1. * *Quaſi diceret: Ex ipſo implemento, quod in ſe experiuntur, veriſſima eſſe teſtantes.* (*q*) *Pſalm.* 45. (*al.* 46.) *v.* 10. (*r*) *Pſal.* 37. (*al.* 36.) *v.* 35. 36. (*ſ*) *Cit. Lib.* 10. *c.* 3. (*s*) *Ibid. cap.* 4. † *Cap* 2. *b. Claſſ.* 2. §. 10. * *Iann. Collectan. in Apoc.* 11. *v.* 18. *collat. v.* 17. † *Reſpicit ad locum Apoc.* 20. *v.* 7. 8. 9.

penitùs relinquamus; qui etiam ductû *Regulæ* hactenùs illuſtratæ debet exponi. Cum enim S. Apoſtolus *Petrus* illud Joëlis, (t) *Poſt hæc,* exponat per τὸ, *in noviſſimis diebus*, ita tamen ut etiam ſuo ævo iſtam prophetiam applicet, (utpote in quo tanquam in radice & baſi deinde futurorum eadem verè eſt impleta;) hinc pro pleniori loci illius ſenſu, rectè poſſumus argumentari hoc modo: Si initium Novi Teſtamenti, cui Apoſtolus applicat prædictam prophetiam, eſt tempus *noviſſimorum dierum*; (ſeu, quod idem eſt, *tempus ultimum*;) multò magis ejus poſtrema pars id dici poteſt & debet; ac per conſequens, locus ille *Joëlis*, longè adhuc uberiùs, pleniùs atq; latiùs (in toto nempe Orbe Chriſtiano, in dies magis atq; magis ex Gentibus & Judæis dilatando) implebitur ſecuturis demùm temporibus, quàm hactenùs fuit impletus. Porrò ſciendum & hoc eſt, quòd ſi vim phraſeos in Apoſtoli verbis juxta latiorem ejus ſignificationem ſpectemus, per *noviſſimos dies* Apoſtolus intelligit hîc in genere tempus Novi Teſtam. (ſicut S. Joannes in iſtis: (u) *Filioli, noviſſima hora eſt*;) cujus poſtrema pars non minùs ſub eadem phraſi comprehenditur, quàm anterior; imò illa tantò magis, quantò propior eſt quàm anterior, Mundi conſummationi. Intereà pro latitudine ſenſûs Prophetiarum hactenùs aſſerta, ad ſcopum noſtrum pertinet hîc ſubjungere de diverſis Scripturæ S. locis, Propheticis & typicis (per terminos principales indicatis,) utrumq; nempe ſenſum, & *literalem* & *myſticum* in ſe includentibus, eximiam illam S. *Hieronymi* obſervationem: † *Poſt hiſtoriæ veritatem,* (inquit,) *ſpiritualiter accipienda ſunt omnia: & ſic Judæa & Hieruſalem, Babylon & Philiſtiim, Moab & Damaſcus, Ægyptus & Deſertum mare, Idumæa & Arabia, ac Vallis Sion, vel Vallis viſionis, & ad extremum Tyrus, & Viſio Quadrupedum, intelligenda ſunt; ut cuncta quæramus in ſenſu, & in omnibus his, quaſi ſapiens Architectus Paulus Apoſtolus jaciat * fundamentum, quod non eſt aliud præter Chriſtum Jeſum.* Conferat hîc lector ea, quæ infra §. 24. h. cap. ex eodem Doctore habemus.

XV. Atq; hæc ſatis ſuperq; ut puto, *Regulam* à nobis traditam illuſtrant: in qua illuſtranda & ſtabilienda aliquantulùm immorari debuimus, ob inſignem ejus in *Prophetiis* & *Typis* explicandis utilitatem. Quam ſi quis admittere nolit, nunquam is innumeras jucundæ contemplationis & arduæ profunditatis prophetias, in *Iſaia*, *Jeremia*, *Ezechiele*, *Daniele*, *Hoſea*, *Joële*, aliiſq; in utroq; Teſtamento exſtantes, ad meritum rei explicabit. Nec verò hâc *Regulâ* admiſsâ, priores, quas hactenùs habuimus, expoſitiones rejiciuntur; quin potiùs omnes piæ & orthodoxæ, (quæ nimirùm, nullo modo Scripturæ & ſanctæ Fidei adverſantur,) etiam quæ tenuiter tantùm & partialiter ſenſum alicujus Prophetiæ tangunt, ductû hujus *Regulæ* non

(t) Act. 2. v. 17. (u) 1. Joan. 2. v. 18. † Hieron. Proœm. Lib. 5. Comm. in Iſaiam: Tom. 4.
** 1. Cor. 3. v. 10. 11.*

ſolùm tenentur, ſed inſuper illuſtrantur, roborantur, & cum plenioiri ſenſu rite conciliantur. Facile etiam ex hac *Regula*, quorundam, præclaras in ultima tempora ſpectantes Prophetias ſusq; deq; habentium ora obſtrui poſſunt, ſi fortè ex aliquo implemento ita argumententur & dicant; *Hæc vel illa* (è numero talium) *Prophetia jam eſt impleta: Ergò non ampliùs implebitur.* Potuit enim aliquando jam impleri quadantenùs aliqua *Prophetia*; ſed non illicò ſequitur, in plena emphaſi fuiſſe vel eſſe impletam. Rectè itaque negatur hîc conſequentia, vel etiam antecedens, ſi id non de initiali tantùm vel partiali, ſed de totali & plenario implemento intelligatur. *Conſummatio* enim profundiſſimi *myſterii Dei* in *prophetiis* ac *typis* latentis, hoc eſt, pleniſſima impletio & detectio omnium prophetiarum ac typorum, ultimis temporibus reſervata eſt; ut patet, Apoc. 10. ℣. 7. collat. Jerem. 23. ℣. 20. † col. ult. & 30. ℣. 24. col. ult.

XVI. Poſt hanc obſervationem, fluit etiam hæc inſtructio ex noſtra *Regula*; ut ne quiſpiam ex aliquibus præludiis ac velut umbris rerum majorum futurarum, concludat adeſſe jam rem ipſam in his vel illis *prophetiis* principaliter intentam. Sic v. gr. dum tot falſi Doctores ac magni Impoſtores, vitâ ac doctrinâ Chriſto contrarii, vicibus diverſis jam venerint in Mundum cum potenti ſeductione multorum; (de quibus Sanctus quoque Joannes jam ſuo ævo conqueſtus eſt. 1. Epiſt. cap. 2. ℣. 18. & cap. 4. ℣. 3. & 2. Epiſt. ℣. 7.) ineptè quiſpiam inde concludet, jam veniſſe *Antichriſtum* illum magnum. Intima enim & eſſentialia magni illius Impoſtoris indicia adhuc deſunt: ac per hoc, plenarium Prophetiarum de magno illo Seductore *filioq́; perditionis* ſonantium implementum, hactenùs nequaquam videtur. Quod ſi obſervent quidam acerrimi *Romanæ* Eccleſiæ adverſarii, procul dubio manſvetiores ſe dehinc erga eandem Eccleſiam ſunt exhibituri. Idem, quod de *Antichriſto*, dicendum eſt etiam de myſticis nominibus, *Beſtia*, *Babylon*, *Ægyptus*, ac ſimilibus. Non enim priùs hi termini plenum ſuî myſterium ipsô actuali implemento conſequentur, quàm *Antichriſtus* ille magnus palàm Orbi Chriſtiano manifeſtetur. Nunc ad alteram *Regulam* bono cum Deo tranſeamus.

REGULA II.

XVII. „*Non ſolùm ſucceſſivè*, (*ſeu diverſis temporibus*,) *ſed etiam uno* „*eodemq́; tempore*, *Prophetia plures ſenſus ſibi invicem harmonicos*, *optimè* „*admittit*. *Quod idem de Typis quoq́; dicendum*. Poteram hanc *Regulam* in præcedenti tanquam membrum ejus includere; eſt enim ei valde cognata, & velut è latere ejus proſiliens; verùm clarioris methodi ergò, ſeorſim & diſtinctè volui proponere.

XVIII. Hæc

† *Confer de hoc loco S. Iren. Lib.* 4. *cap.* 43.

XVIII. Hæc *Regula* æquè confirmatur ac prior, verbis illis S. *Auguſtini*, quæ ex Confeſſionibus ejus ad dictam *Regulam* primam * produximus in medium. Sed aliud etiam teſtimonium ex ipſo audiamus. Is poſtquam varias primi verſûs Geneſeos expoſitiones attuliſſet, tandem ſubdit: (v) *Quibus omnibus auditis & conſideratis, nolo verbis contendere.-- Deus meus, lumen oculorum meorum in occulto! quid mihi obeſt, cum DIVERSA in his verbis intelligi poſſint, quæ tamen VERA ſint? Quid inquam mihi obeſt, ſi aliud ego ſenſero, quàm ſenſit alius eum ſenſiſſe, qui ſcripſit?- Dum ergò quiſquis conatur id ſentire in Scripturis ſanctis, quod in eis ſenſit ille, qui ſcripſit; quid mali eſt ſi hoc ſentiat, quod tu Lux omnium veridicarum mentium oſtendis verum eſſe; etiamſi hoc non ſenſit ille, quem legit, cum & ille verum, nec tamen hoc ſenſerit?* Item, S. *Ambroſius* ad illa verba Domini Salvatoris, „(x) *Duæ molentes in unum, una aſſumetur, & altera relinquetur*, ſic ſcribit: *Duæ autem illæ molentes, duæ animæ: vel certè Eccleſia atq; Synagoga. Non enim una tantùm figura, ſed MULTIPLEX in Divinis Scripturis eſſe conſuevit, ut UNUS SERMO PLURES SPECIES comprehendat.* Noſtrum confirmat inſtitutum & illud ejuſdem S. Ambroſii: (y) *Mare eſt Scriptura Divina, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introierunt flumina. Sunt ergo & fluvii dulces atq; perſpicui, ſunt & fontes vivi, qui ſaliant in vitam æternam; ſunt & ſermones boni, ſicut favi mellis, & grata ſententia, quæ animos audientium, ſpirituali quodam potû irrigent, & præceptorum moralium ſuavitate mulceant. Diverſa igitur Scripturarum divinarum fluenta. Habes quod primùm bibas, habes quod ſecundùm, habes quod poſtremùm.* Non ignoro hæc S. *Ambroſium* primario reſpectû, de Scriptura ſacra in univerſum, cum diſtinctis ſuis vario ac vario modô temperatis à Spiritu Dei partibus conſiderata dicere; verùm hæc tam opulenta deſcriptio Scripturæ, etiam ſigillatim conſideratis Scripturæ partibus, (inprimis Propheticis ac typicis,) ratione variorum, utpote, altiorum, mediorum & humilium (*lacti* nempe ſimilium) ſenſuum, ex mente quoq; S. *Ambroſii* proportionaliter benè applicari poteſt. Habes ſanè in qualibet Scriptura prophetica vel typica, *quod primùm bibas, habes quod ſecundùm, habes quod poſtremùm*, cum nempe jam in rebus Divinis ſolidior eris, ſenſusque habebis exercitatiores. Veritatem noſtræ *Regulæ* fulcit etiam S. *Gregorius* Magnus: qui poſtquam, ſervatâ veritate hiſtoriæ, typum *Dinæ*, & interfectorum *Sichemitarum*, nec non filiorum *Jacob*, eos mactantium, expoſuiſſet, mox de diverſa alterius ad quem ſcribit, (nempe *Domitiani* Metropolitani) ſententia, hæc ſubjicit: (z) *Ea verò, quæ ex eodem loco, à veſtra ſan-*

* §.3. *h.cap.p.*56. (v) *Confeſſ. Lib.*12. *c.*18. (x) *Ambros. Comment. in Luc.*17. *v.*35. *Tom.*3. (y) *Tom.* 5. *Epiſt.* 19. *col.* 221. *ed. Paris.* 1614. *ad Conſtantium Epiſcop.* (z) *S. Greg. Epiſt. Lib.* 2. *Epiſt.* 63. *Ind.* 11. (*al. ep.* 62.) *ad Domit. Metrop.*

ſtra ſanctitate in meam conſolationem dicta ſunt, libenter accipio. Quia in intellectu Sacræ Scripturæ, reſpui non debet, QUICQUID SANÆ FIDEI NON RESISTIT. Sicut enim ex uno auro, alii murenulas, alii annulos, alii dextralia, ad ornamentum faciunt; ita ex una S. Scripturæ ſententia, expoſitores quiq; PER INNUMEROS INTELLECTUS, quaſi VARIA ORNAMENTA componunt; quæ tamen omnia ad decorem cœleſtis Sponſæ proficiunt.*

XIX. Rectè & eruditè ſanctus & eximius Doctor, limitat varios unius ejuſdemq; textûs ſacri ſenſus, ut ſcilicet, nullus eorum *ſanæ fidei reſiſtat*, ſeu adverſetur. Quicquid enim fidei adverſatur, id non ſolùm non poteſt concordare cum variis ejuſdem textûs ſenſibus ſanis, ſed ſimpliciter neq; admitti debet ab ullo Chriſtiano in explicanda Scriptura. Inſigniter illuſtrantur hæc ab iis, quæ cum ſimili limitatione in noſtrum ſcopum habet S. *Auguſtinus* in opere de *Doctrina Chriſtiana*, & viciſſim dicta quoq; S. *Auguſtini* ab allegato S. *Gregorii* textu lucem ſibi mutuantur. Verba *Auguſtini* hæc ſunt: (*a*) *Quando autem ex eiſdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, ſed DUO VEL PLURA ſentiuntur, etiamſi latet quid ſenſerit ille, qui ſcripſerit, nihil periculi eſt, ſi quodlibet eorum CONGRUERE VERITATI ex aliis locis ſanctarum Scripturarum doceri poteſt, id tamen eo conante, qui Divina ſcrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniat Authoris, per quem Scripturam illam Sanctus operatus eſt Spiritus; ſive hoc aſſequatur, ſive aliam ſententiam de illis verbis, QUÆ FIDEI RECTÆ NON REFRAGATUR, exſculpat, teſtimonium habens à quocunq; alio loco Divinorum eloquiorum.* Obiter moneo, quòd hîc per *voluntatem Authoris*, non humanam, ſed Divinitùs à Spiritu Sancto acceptam Scriptoris ſacri intentionem debe-„mus intelligere, ut ſenſus ſit dictorum: Qui Divina ſcrutatur eloquia, co-„nari debet, ut intentionem ſive ſcopum Spiritûs Dei loquentis in Authore „ſeu Scriptore illo Divino, per quem idem Spiritus Dei ſanctus operatus eſt „Scripturam, quam exponit, aſſequatur. In Scripturis enim ſacris, non quid homo ſuo ingenio ſenſerit, ſed quid Spiritus Dei in eo intenderit, debemus ſpectare. (*b*) *Non enim voluntate humanâ allata eſt prophetia*, vel quæcunque Scriptura Divina; *ſed Spiritû Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Spiritûs ergò Sancti intentio ſemper quærenda eſt in Scriptoribus ſacris; quam ipſi ſi non plenam, ſaltem partialem; ſi non clarè & diſtinctè, ſaltem obſcurè & generaliter, (*c*) habent ſemper in ſuis ſacris ſcriptis, ab eodem Spiritu à quo ducuntur ſibi communicatam. Non autem habere

**Al.* ſcientia. *Ita in edit. Rotõ. 1521. & Par. 1586.* (*a*) *De Doctr Chriſt. Lib. 3. c. 27. Oper. Tom. 3.* (*b*) *2. Pet. 1. v. 21.* (*c*) *Vide Proœm. S. Hieron. in Primum Libr. Comm. in Iſaiam: ubi ejus verba de* Prophetis *cum diſtinctione hîc poſita, intellige. Ita & Comm. in Epheſ. 3. v. 5. Confer hîc Claſſ. 1. cap. 1. §. 14. p. 33. verba illa;* ſalvo hôc &c.

tem habere Scriptores ſacros in ſuis Prophetiis ſemper plenam, claram & diſtinctam ſcopi & intentionis Spiritûs Sancti notitiam, ſupra † jam docuimus exemplo *Danielis*; qui de parte quadam Prophetiæ ſuæ ab Angelo accepta diſertè ſic fatetur: (*c*) *Ego audivi, & non intellexi.* In quem locum S. *Hieronymus* ſic ſcribit: (*d*) *Si Propheta audivit, & NON INTELLEXIT, quid facient hi, qui ſignatum Librum, & uſq; ad tempus conſummationis multis obſcuritatibus involutum, præſumptione mentis ediſſerunt?* Et alibi idem ſic de eodem Propheta docet: (*e*) *Videbat viſionem per picturam & imaginem, & illius INTELLIGENTIAM NESCIEBAT.* Et ſubjicit: *Non omnis ergo qui videt intelligit.* At verò D. *Thomas* longè apertiùs id ipſum quod hîc inculcamus, tradit his verbis: (*f*) *Cum Prophetis utatur Spiritus S. ut deficientibus inſtrumentis reſpectû principalis agentis; NON oportet Prophetas quæcunq; prædicunt, cognoſcere.* Et iterum: (*g*) *Sciendum tamen, quod quia mens Prophetæ eſt inſtrumentum deficiens, (ut dictum eſt;) etiam veri Prophetæ NON omnia cognoſcunt, quæ eorum viſis aut verbis, aut etiam factis Spiritus S. intendit.*

XX. His ita intellectis, verba etiam illa S. Auguſtini, *ſive hoc* (quod nempe intendit Scriptor ſacer) *aſſequatur, ſive aliam ſententiam--exſculpat,* &c. ſic intelligamus; ut *alia* illa *ſententia*, quamvis alia ſit à minùs plena ſententia vel intentione Scriptoris ſacri de hoc vel illo loco; non tamen debet eſſe alia à pleniſſimo & locupletiſſimo ſcopo Spiritûs ſancti, ſed oportet ut ſub eo comprehendatur, una cum intentione Prophetæ ab eodem Spiritu ſibi communicata, etiamſi non illicò Scrutator divinorum eloquiorum principalem ac plenum Spiritûs S. ſcopum in iis aſſequatur. Non enim unquam Spiritus Dei, ſcopum verbi ſui ſuis Amanuenſibus ſanctis ita aperuit, ut non ſibi longè plus de eodem ſcopo reſervâſſet, ſuis demùm temporibus Eccleſiæ manifeſtandum. Unde & illud hîc tenendum eſt: Quòd in omni quidem expoſitione Scripturæ ſacræ, maximum hoc eſt, ut expoſitio *veritati congruat, & fidei rectæ non refragetur*; at verò pro variis ac diverſis ſenſibus unius ejuſdemq; textûs, inſuper requiritur, debita expoſitionum cum ſcopo ſacri textûs congruentia, atq; etiam inter ſe harmonica concordantia. Nam poteſt in ſe vera eſſe aliqua ſententia, & rectæ fidei nullo modo adverſari; non tamen illicò ex quolibet textu poteſt ea elici, vel ad quemlibet referri. Sed de harmonica variorum unius ejuſdemq; textûs Prophetici inter ſe concordantia, atq; etiam cum ſcopo textûs convenientia, infra ſuo loco (*h*) pleniùs dicturi ſumus.

XXI. Nunc poſt SS. Patrum teſtimonia, & factam occaſione eorum utilem

† *Nunc cit. Claſ. 1. cap. 1. §. 14.* (*c*) *Dan. 12. v. 8.* (*d*) *Comm. in Dan. 12. v. 8.* (*e*) *Comm. in Dan. 8, v. 15.* (*f*) *D. Thom. Sec. 2dæ, qu. 173. Art. 4. in Concl.* (*g*) *Ibid.* (*h*) *§. 25. & 26. h. cap. ſub Reg. 2.*

utilem digreſſionem, exemplis jam *Regulam* roboratam illuſtremus. Sic, cum Deus in Scripturis promittit juſtorum Congregationi, hoc eſt, Sanctæ Eccleſiæ *pacem* futuram ultimis temporibus, ut, v. gr. Pſal. 36. (al. 37. juxt. Hebr.) ℣. 11. 37. & Iſa. 2. ℣. 4. & Mich. 4. ℣. 3. certum eſt, quòd in his locis ac ſimilibus, utraque *pax* comprehenditur; nempe, & ſpiritualis, & corporalis, ſeu externa. Spiritualis nimirum illa, quæ erit ceſſatio à diſſidiis & contentionibus Eccleſiaſticis, ut eò feliciùs Deo ſerviatur. Atq; hinc etiam ea *pax* privata in animo uniuſcujuſq; pii ac juſti creſcet, quâ tùm Deum magis quàm antea ſentiet ſibi placatum, tùm etiam, quâ à peccandi occaſionibus ſolutus, cum tranquillitate conſcientiæ ſuæ aget ea liberè & ſtrenuè, quæ ipſi in Dei gloriam & animæ ſalutem agenda erunt. Affuturam autem huic *paci* ſpirituali, etiam corporalem & externam, patet hinc: quia niſi ea quoq; affutura eſſet, non poſſemus Deum noſtrum ſine metu humano, in animi quiete colere. Atqui hujuſmodi quies apertis verbis promiſſa nobis eſt; Luc. 1. ℣. 74. 75. *Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi, in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.* Utramq; hanc *pa*„*cem* paucis expreſſit S. *Hieronymus* ad illa verba Iſaiæ: (*i*) *Et conflabunt* „*gladios ſuos in vomeres.* &c. ubi ſic ſcribit: *Omne bellandi ſtudium vertetur ad pacem; & pro diſcordia erit in toto Orbe concordia;--ut miſſo furore bellandi, agricultura ſerviant, & uberrimas falcibus meſſes ſecent. Quod quidem & ſpiritualiter intelligi poteſt, quando omnis duritia cordis noſtri, Chriſti vomere* „*frangitur, & eradicantur ſpinæ vitiorum; & poſtea* (*k*) *labores manuum no*„*ſtrarum manducemus; quando* (*l*) *venientes venient in exultatione* † *portantes manipulos ſuos.* Memorabile autem eſt ad illuſtandam ultimi temporis *pacem*, quod ibidem affert idem S. Hieronymus ex Hiſtoriis, de *pace* ſub *Auguſto* habita, tempore Nativitatis Chriſti. *Veteres* (inquit) *revolvamus Hiſtorias, & inveniemus usq; ad viceſimum octavum annum Cæſaris Auguſti, cujus quadrageſimo primo anno Chriſtus natus eſt in Judæa, in toto Orbe terrarum fuiſſe diſcordiam, & ſingulas Nationes contra vicinas Gentes, arſiſſe ſtudio præliandi, ita ut cæderent, & cæderentur: ortô autem Domino Salvatore, quando ſub Præſide Syriæ Cyrino, prima eſt in Orbe terrarum facta deſcriptio, & Evangelicæ doctrinæ, pax Romani Imperii præparata; tunc omnia bella ceſſaverunt, & nequaquam per Oppida & Vicos exercebantur ad prælia, ſed ad agrorum cultus; militibus tantùm, Legionibusq; Romanis contra Barbaras Nationes, bellandi ſtudiô delegatô; quando impletus eſt Angelorum ille concentus:* „(*m*) *Gloria in excelſis Deo.* &c. Hæc ille. Similiter tunc futurum exiſtimo, cum Chriſtus denuò naſcetur in cordibus fidelium, longè excellentiori modo, quàm

(*i*) *Comment. in Iſa.* 2. *v.* 4. (*k*) *Pſal.* 127. (*al.* 128.) *v.* 2. (*l*) *Pſal.* 125. (*al.* 126.) *v.* 6. † *Intellige hæc ſpiritualiter, de felici ſucceſſu Prædicatorum Evangelii, ultimis temporibus. Confer interim hic ejuſdem S. Hieronymi Comm. in Mich.* 4, *v.* 3. (*m*) *Luc.* 2. *v.* 14.

quàm hodie eum ore profitentur, & dum etiam inter Gentes incipiet naſci per prædicationem Evangelicam: tunc ſanè ſubitò ceſſare Deus faciet, horrendos antiquorum hoſce bellorum tumultus: ut ſic Evangelica doctrina in Orbe terrarum, eò feliciùs propagari poſſit. Et ſanè mihi firmiter (ex rerum ante-actarum obſervatione) perſvaſum habeo, Diabolum, ut Spiritum ſagaciſſimum, benè præſagire, futuram non nimis diù poſt hæc, *pacem* Populo Dei internam & externam, ſaltem reſpirii primùm inſtar, & præludii ad ampliorem deinde tranquillitatem, iis, qui Deo ex corde ſincero adhærebunt: atq; ideò tam operosè tamq; ſtrenuè Mundi Nationes, & in iis pectora Martialia, ſubinde ad majora excitat, imò mitiora etiam præ aliis ingenia quædam, ad eaſdem pertrahit partes, ut poſſit quoquô modo, bonum Eccleſiæ Dei deſtinatum impedire, aut ſaltem retardare; quò plures intereà ſuam in ſagenam pereuntes colligat animas. Ita Diabolo mos eſt, ſemper magis tunc eſſe ſtrenuum ſuis in rebus agendis, cum videt ſe (*n*) *modicum* ad graſſandum *tempus habere*. Sed hæc velut obiter, occaſione exempli allati.

XXII. Similiter idem S. *Hieronymus*, cum verſum illum Iſaiæ, *Audite Cœli, & auribus percipe terra*, explicaret; primùm ſic exponit, ut nomine (*o*) *Cœli*, *ſuperna ſignificentur, Angelicaq; virtutes*, mentione autem *Terræ*, *mortalium genus*, tanquam incolæ terræ, *Metonymicè*. Deinde mox alium etiam ſenſum inſinuat; quaſi per Apoſtrophen Rhetoricam, *Cœlum Terraq; teſtes* advocentur, *ut cuncta elementa cognoſcant, juſtè Dominum in ultionem mandatorum ſuorum ad iracundiam concitatum*. Tertio deinde locô, ſuis in verbis occaſionem nobis dat, præter id quod primô loco poſitum eſt, aliam etiam myſticam & ſpiritualem notionum *Cœli* & *terræ* ſignificationem hîc quærendi & eruendi: nimirùm ut per *Cœlum* excelſiora in Eccleſia ingenia, & majori præ aliis opinione ſanctitatis clara; per *Terram* verò, humiliora, & terrenis ſenſibus plus præ aliis devincta & impedita intelligantur. Qui ſenſus ultrò ex his ejus verbis eruitur: (*p*) *Cœlis* (inquit) *dicitur*, Audite; *Terræ*, Auribus percipe: *ea enim quæ excelſa ſunt, majorem habent intelligentiam; quæ humiliora, terrenis ſenſibus involvuntur*. Jam verò ex his *primus & tertius* ſenſus optimè quadrat ſcopo ſacri textûs; nec etiam *medius* „ei eſt contrarius: ac proinde ſtat veritas *Regulæ* noſtræ ſecundæ, quâ do- „cemus, quòd *non ſolùm ſucceſſivè, ſed etiam uno eodemq; tempore, Prophetia* „*plures ſenſus ſibi invicem harmonicos optimè admittit*.

XXIII. Sumamus hîc exemplum etiam ex ipſa Oratione Dominica, non exigua ſanè nec pauca myſteria (futurorum quoq;) in ſe complectente; in qua dum petimus nobis *dari panem noſtrum quotidianum*; aliqui intelligunt hîc nomine *panis* ea, quæ ſunt neceſſaria ad hanc vitam ſuſtentandam;

K alimenta

(*n*) *Apoc. 12. v. 12.* (*o*) *Hieron. Comment. in Iſa. 1. v. 2.* (*p*) *Loc. cit.*

alimenta nempe & veſtimenta; aliqui Panem ſpiritualem, Dei videlicet verbum, quâ jugiter paſci debemus ad vitam æternam; aliqui (ut, veterum plurimi) Panem verè ſuperſubſtantialem, hoc eſt, Corpus & Sangvinem Domini, cum omni ejus dulcedine. Iam (ut hæc ſcopo noſtro applicemus,) *Regula* à nobis propoſita, nullam harum ſententiarum à ſcopo Salvatoris noſtri, in illa petitione excludit. Omnes enim illæ ad illuſtrandam petitionem illam, harmonicè concurrere poſſunt; non obſtante quòd una earum ſit præcipua, (ſicut & in aliis expoſitionibus ita fit,) nempe, quæ *Panem* illum cœleſtem involvit, & implicitè etiam prophetiam continet, de admirabili illa jucunditate, quam fideles ultimi temporis, ex ſacri Corporis & Sangvinis Domini alimento percepturi ſunt.

XXIV. Similiter ubicunq; Deus promiſſiones vel minas ſuas, & literaliter & myſticè, & corporaliter & ſpiritualiter implet, hæc eadem *Regula*, vel verò *prima* hujus Claſs. 2dæ, imò & utraque nonnunquam, diverſo reſpectû, locum habet. Nec enim eſt infrequens, ut Prophetiæ aliquando utroq; ſensû, (literali nempe & ſpirituali) uno eodemq; tempore, aut ſaltem in una temporum ſibi continuò vicinorum periodo impleantur; tuncq; hæc *ſecunda Regula* locum habet. Si autem diverſis temporibus, diverſisq; periodis fiat literalis ac ſpiritualis ſensûs implementum, (ſicut omninò in minis & pœnis, non rarò ſatis longè præcedit, aut ſaltem priùs initium ſumit literale implementum; in promiſſis autem nunc literale nunc ſpirituale præcedit, imò in promiſſis de pace plena, aliisq; corporis & animæ bonis ultimo tempore dandis, prorsùs ſpirituale priùs inchoari debet;) tunc *prima* (h. Claſs.) *Regula* rerum eventû ſtabilitur: quanquam ultimis temporibus, tàm in minis quàm in promiſſis, utriusq; ſensûs (dum uterq; dari poteſt) implementum eodem tempore pleniſſimè demùm concurret; atq; hoc fiet juxta præſentem *Regulam ſecundam.* Dabimus hîc exempla, quæ ingenioſo & judicioſo lectori, utramq; *Regulam* diverſô reſpectû illuſtrant. Sic v. gr. *Joëlis* cap. 1. per *Locuſtam* & alios *vermes*, tùm literales *vermes* noxii intelliguntur, tùm verò myſtici; quales ſunt hoſtes Eccleſiæ Dei: ſicut erant olim *Aſſyrii* vel *Babylonii*: per quos etiam alii adhuc hoſtes in Novo Teſt. futuri figurabantur. Poſſunt autem & vermes literales, (priùs apparentes,) & per eos ſignificati hoſtes, ſub latitudine unius ejusdemq; temporis ſeu periodi, vaſtitatem inferre. Ita etiam *terræ motus* prædicti Matt. 24. ℣. 7. collat. Iſa. 24. ℣. 19. 20. ſic tendunt potiſſimùm in ſpiritualem ſenſum, (h. e. ad ſignificandum *motus* & *tumultus* pernicioſos hominum *terrenis* corde affixorum,) ut tamen neq; literale prorsùs excludant implementum, tanquam prænuncium implementi perniciei majoris, ſcilicet ſpiritualis affuturi. Similiter Iſa. 1. ℣. 19. per *bonum terræ*, omne *bonum* electorum ſpirituale & corporale

corporale in Eccleſia, præcipuè ultimi temporis, intelligitur. Pariter cum Deus olim promiſit Populo ſuo, Terram (q) *lacte & melle fluentem*; non ſolùm externorum, ſed & internorum affluentia bonorum, in illa phraſi, ex intentione Divina comprehendebatur. Placet verò hîc pro futuro uſu, illam S. *Hieronymi* obſervationem ſubnectere: (r) *Triplex* * (inquit) *in corde noſtro deſcriptio & regula Scripturarum eſt*: prima, *ut intelligamus eas juxta hiſtoriam*: ſecunda, *juxta tropologiam*: tertia, *juxta intelligentiam ſpiritualem. In* hiſtoria, *eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſervatur. In* tropologia, *de litera ad majora conſurgimus; & quicquid in priori populo carnaliter factum eſt, juxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumenta convertimus. In* ſpirituali Θεωρία, *ad ſublimiora tranſimus; terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cœleſtibus diſputamus.*

XXV. Non ſequitur autem ex hac & præcedenti *Regula*, ſenſum Scripturæ S. eſſe vagum & incertum. Nam præterquam quòd omnes illi pii & orthodoxi ſenſus, qui ex eodem textu ritè eruuntur, in eundem ſemper ſcopum certò tendant; advertendum & hoc eſt, quòd inter multos unius ejuſdemq; loci Scripturæ ſenſus, unus ſemper eſt excellentior, ſublimior, & à Spiritu S. principaliter intentus; non obſtante ejuſdem unitati hôc, quòd & is membra ſymphona, clariùs præ aliis (minoris ordinis ſenſibus) inter ſe reſonantia, aliquot habeat: in quem, omnes alii etiam minus principales ſenſus collimare debent. Atq; hinc perſpectû facile & hoc eſt; nimirum, ex poſitis illis *Regulis*, nullo modô dividi harmonicam ſensûs Scripturæ unitatem, nec ullam ei diſſonantiam induci; quin potiùs miram ſenſuum Scripturæ S. conſonantiam iis inculcari. Nam etſi numericè ſenſus illi ſunt multi, harmonicè tamen ac ſymphonicè ſunt iidem, & in eundem finem ac ſcopum omnes conſpirant. Quemadmodum in *Muſica*, varias voces ac concentus experimur, ex *Baſſo*, *Tenore*, *Alto*, *Diſcantu*, horumq; diversâ ac diversâ per *Octavas*, *Quintas*, *Quartas*, *Tertias*, &c. modulatione conſtantes, qui tamen omnes apud peritum Muſicum ſunt harmonicè uniſoni, (non verò diſſoni,) ac mirâ & jucundâ proportione inter ſe convenientes, & in idem tendentes; ſic etiam de variis, at piis & orthodoxis, ejuſdem Scripturæ loci ſenſibus, à perito Muſico ſpirituali propoſitis, judicandum eſt.

XXVI. Nec etiam dedecet harmonica multiplicitas ſenſuum Scripturæ S. ſapientiam Dei, quin potiùs eam maximè decet, eamque nobis multùm commendat; quod vel exemplô humano, à Sapiente † aliquo deſumptô, illuſtrari poteſt. Concipe v. gr. pium, prudentem ac ſapientem aliquem & liberalem Patremfamilias, in corporis & animæ bonis ditiſſimum, & in omni opere

(q) *Exod. 3. v. 8. 17. & 13. v. 5. & paſſim apud Moſen.* (r) *Hieron. Epiſt. 150. ad* Hedib. *qu. 12.* * *Reſpicit hîc ad locum (à ſe præmiſſum,) Prov. 22. v. 20, juxt. LXX.* † *Confer hic verba S.* Auguſtini. *ſupra §. 3. b. cap. p. 56. relata.*

omni opere bono externo & interno occupatiſſimum, hunc in modum ad „ſuos ſubditos, vel notos, verba facientem: *Ego paulo poſt hac, in Die quietis „& relaxationis ab opere, amicis meis, labores meos, & fructus laborum meo- „rum demonſtrabo; eosq́; recreabo fructibus laborum meorum.* Sit autem futurus *dies quietis*, hoc eſt, feſtum aliquod, proximo inde die *Jovis*, & die *Sabbati*, & iterùm altera ſeptimanâ die *Sabbati*, qui alia etiam feſta habeat concommitanter ſibi annexa. Habeat prætereà amicos ille, tùm in Urbe in qua vivit, tùm in proximo pago, tùm etiam in remotiori aliqua Civitate. Habeat etiam doctiſſimas lucubrationes, partim adhuc privatas in MS. partim typis publicatas. Habeat inſuper hortum amœniſſimum, & ibi arbores varii generis fructiferas, ſuo partim labore, partim curâ plantatas, & jam egregios fructus producentes. Habeat item, varia in horto olera, aliaque ſata, pro eduliis, ac etiam pro odore grato. Habeat etiam familiam optimam, ex fructu laborum ſuorum (h. e. ipſius Patrisfamilias,) varia opera, fusô, acû & texturâ, omniq́; laudabilis occupationis genere, exercentem. Interim mittit prudenter idem Paterfamilias famulorum unum ad proximos amicos in Urbem, ut pro die *feſto* propiori invitet eos ad convivium. Mittit item alium, (aliis inſciis) ad alios amicos in vicinum Pagum, pro ſequenti proximo die *Sabbati*. Mittit etiam tertium prudenter, in remotiorem locum, pro remotiore (ſequentis ſeptimanæ) *Sabbato*; ſupponens apud ſe, quòd hoc poſtremo die, etiam alios amicos priores, ſecum ſit habiturus, atq́; tunc ùberrimè tùm internè tùm externè ſuos exhilaraturus & ſatiaturus. Hîc jam ex iis, qui audiverant priùs generale ejus dictum, unus ſic, alter ſic interpretatur *diem*, vel pro die *Jovis*, vel pro die *Sabbathi* proximo, vel pro remotiore, ſequentis ſeptimanæ. *Fructus* item, unus pro externo, alter pro interno ſcientiæ fructu, & egregiis libris per eundem Patremfamilias elaboratis; tertius verò pro utroque. *Amicos* item, vel pro proximis, Urbis nempe ſuæ accolis, vel pro aliquantulùm remotis, nempe, Villanis, vel pro remotioribus in alia Civitate degentibus, (cum aliquo primorum dierum,) quiſpiam interpretatur. Imò, fortè aliquis interpretatur ſic; quòd diviſis diebus, (iiſdem nempe, quorum meminimus,) omnes amicos diviſim & ſucceſſivè convocaturus ſit. Verùm reperitur tandem aliquis, qui omnes illos *dies* hîc intelligit, item, omnes *labores*, omnesq́; *fructus*, tum externos tum internos; omnes item *amicos*, non ſolùm diviſim, ſed & conjunctim, die illo *Sabbathi* remotiore, qui & alia *feſta* habet annexa, convocandos, & tunc uberrimè juxta promiſſum Patrisfamilias, exhilarandos & recreandos exponit. Omnes hîc veram dederunt interpretationem, ſed ſolus ultimus plenam; reliqui verò partialem ſeu minùs plenam. Ita enim fuit ſcopus dicentis, ut latè ſua verba intelligeret, & eo ordine, quem diverſi expoſitores tandem invenerunt, executioni mandaret. Ultimo nempe *die* feſto, & priores convocat

vocat amicos,& alios inſuper invitat,ut omnes conjunctim adſint præſentes apud ſe; quo *die*, non ſolùm ſicut præcedentibus feſtivis diebus, primitiarum inſtar, ſed uberrimè, tum è menſa ſua externa, fructibus horti ſui, (imò, in ipſo quoq; horto,) tum è menſa literaria, donariis librorum optimorum à ſe compoſitorum, tum etiam de opere familiæ ſuæ, ſudariis aliiſq; id genus, eos ad jucundam & ſobriam delectationem usq; exſatiat. Quanta hîc elucet boni illius *Patrisfamilias* ſapientia & benignitas!

XXVII. Sic jam facito hinc applicationem ad Spiritum Dei in Scripturis ad nos loquentem; longè magis ejus, quàm ullius humani *Patrisfamilias*, ſapientiam & bonitatem perſpectam habebis, ex admirabili, & harmonica ſenſuum propheticorum multiplicitate. Potuiſſem hanc ſimilitudinem per partes Divinæ Scripturæ applicare; ſed cum judicioſus quiſq; lector id facilè etiam ſine me præſtare poſſit, nolui tempus & chartam in ea mora inſumere. Tertia jam hîc *Regula* ſuccedat.

CAPUT II.

In quo, *de* ſublimitate *&* *de* emphaſi *Prophetiarum ac typorum*; *item de Prophetiis ac typis in* ultima *tempora ſpectantibus*; Regulæ tres *traduntur & illuſtrantur.*

REGULA III.

I. *OMnis Prophetia & Typus, ardua ac ſublimia involvit in ſe myſteria;* „*etiamſi ſublimitas illa, non ſtatim, nec ubiq; facilè à nobis videatur.* Volve hîc animo vel ſaltem virum aliquem prudentem & ſapientem. Is ſi quid ſcribit, vel ſcribi curat in uſum aliorum, operam dat, ut pro captu legentium ita ſe accommodet, ut tamen etiam appareat, à quo ingenio Scriptum illud ſit profectum; ut nempe in eo, etiam ad ſimpliciores data, eam ſpirent majeſtatem, quæ ingenio ejus congruant. Quantô magis de Divina, æterna & infinitè ſapienti Mente, certò ſupponendum eſt, eam ita loqui, etiam ubi vel maximè ad imbecilliorum ſe captum attemperat, ut tamen lateat internè Majeſtas & ſublimitas, ejus Divinitati conveniens? Hinc S. Apoſtolus *Paulus*, Dei Amanuenſis, dicit de ſe: (*a*) Εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει. *Et ſi imperitus* (ſeu *idiota*) ſim *ſermone*, *ſed non ſcientiâ.* Quia nimirùm in verbis ejus, quantumlibet ſimpliciſſimis apud homines, & quoad literam, profunda latet Spiritûs Dei ſcientia. Huc pertinet etiam illa S. *Ambroſii*, (*b*) occaſione duorum Pſalmiſtæ verſiculorum in margine notatorum (*c*) facta exclamatio: *O magna abundantia Scripturarum, quam nemo poſſit humano ingenio comprehendere!-His enim duobus verſiculis quàm multa ſignantur!* Huc facit & illud ejuſdem: (*d*) *Bona Lex, ſi ſupra literam mentem*

(*a*) 2. *Cor.* 11. *v.* 6. (*b*) *Ambros. de Spirit. S. Lib.* 1. *c.* 17. *Oper. Tom.* 4. (*c*) *Nempe, Pſal.* 4. *v.* 7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui. *Et Pſal.* 49. *juxt. Vulg.* (*al.* 50.) *v.* 3. Ignis coram eo ardebit. (*d*) *Ambr. Comm, in Evang. Luc. c.* 3. *Tom.* 3. *col.* 49. *ed. Paris.* 1614.

mentem erigâs. Litera enim occidit. Quid autem haberet hæc Hiſtoria (de Juda & Thamar) *gratiæ, niſi lucem tanti myſterii videremus? Docuit enim nos Apoſtolus ſanctus*, (e) *IN SIMPLICITATE HISTORIÆ, SECRETUM QUÆRERE VERITATIS.* Unde jam conſequens hujus Regulæ „eſt; *Omnem Prophetiam & typum, in plena tandem verborum emphaſi, debe-„re aliquando impleri.* Quod obſervandum eſt contra illos, qui putant ſe profundiſſimas etiam *Prophetias* vel *typos* ita jam explicâſſe de præteritis, (aut ex parte etiam de præſentibus,) quaſi jam nihil reſtaret de iis implendum.

REGULA IV.

II. „*Omnia verba & vocabula Prophetiarum ac Typorum (ut & totius „Scripturæ ſacræ,) ſunt emphatica, & grande aliquid ac ſublime ſignificantia.* Uno verbo, nihil in Scriptura ſacra eſt otioſum, vel parvi momenti, ſed omnia ſunt myſteriis plena. Hoc autem non more *Cabbaliſtarum* ſuperſtitioſo intelligendum eſt, de fabuloſis quibuſdam myſteriis, ſub quacunque voce & litera ſeorſim reconditis; ſed ſensû illo verè Chriſtiano, quô à Domino Salvatore edocti ſumus, de pondere nimirùm omnium in Scriptura *vocum* & *verborum*, junctim & relatè ad invicem conſideratorum: ita ut quot ſunt voculæ & verba in una aliqua ſententia, tot ſint non ſolùm, ſed etiam longè plura, profunda illic myſteria recondita. Atque hinc eſt, quòd cum Chriſtus Dominus, de futuro myſteriorum ſub typis & umbra Legis Moſaicæ latentium implemento doceret, non judicavit ſufficere, ad immenſæ myſteriorum illic latentium multitudinis aliquando retegendæ inſinuationem, tantùm *Legis* implendæ facere mentionem, ſed uſq; ad *unius jota*, & *unius apicis* firmam in ſenſu ſpirituali permanſionem inculcandam deſcendit. (f) *Amen dico* (inquit) *vobis, donec tranſeat Cœlum & terra*, (præſens videlicet figura Mundi,) *ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία, ὀ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται; jota* * *unum, aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia* (in Lege ſcilicet ſcripta & facta) *fiant.* Non fruſtra certè hæc, & non ſine profunda ratione, ſummus & ſapientiſſimus omnium Eccleſiæ Doctorum Doctor dicit. Atq; hoc ſensû, (ſcopo nempe Salvatoris congruente,) omnis verè Chriſtianus admittere poteſt illud, tanquam veriſſimum, quod Judæorum Magiſtri cæcutientes decantant: אין בתורה אפילו אות אחת שאין ההרים גדולים תלויים בה H. e. *Non eſt in Lege, vel Litera una, à qua non montes magni dependeant.* Ex hoc fundamento (verbis Domini Salvatoris jam illuſtrato,) ſcribit etiam S. Hieronymus de Levitico:

(e) *Gal.* 4. *v.* 24. (f) *Matt.* 5. *v.* 18. * *Confer, in hac verba S.* Hieron. *Comm. in Matt.* 5. *v.* 18. *cujus verba vide infra Claſſ.* 3, *Reg.* 8, *cap.* 4. §. 5.

Levitico: (*g*) *In promptu eſt Leviticus Liber, in quo ſingula ſacrificia, imò SINGULÆ PENE SYLLABÆ, & veſtes Aaron, & totus Ordo Leviticus, ſpirant COELESTIA SACRAMENTA.* Et alibi idem: (Comm. in Eph. 3. ℣. 5.) *Singuli* (inquit) *ſermones, ſyllaba, apices, puncta in Divinis Scripturis PLENA ſunt ſenſibus.* Laudat etiam S. *Baſilius* (an. D. 370.) Amphilochium † Iconienſem Epiſcopum, quòd is (*h*) *arbitraretur* (ὐδεμίαν ἀδιερεύνητον, χρῆναι καταλιμπάνειν φωνὴν, τῶν ὅσαι περὶ θεῦ κατὰ πᾶσαν χρείαν τῦ λόγυ προφέρονται.) *NULLAM VOCEM ex his, quæ ſecundùm quemcunq; ſermonis uſum, de DEO* (& rebus Divinis) *prædicantur, oportere INDISCUSSAM relinquere.* Appoſitè etiam *Pannonius* in noſtrum ſcopum tradit, Libro Scripturæ ſacræ **peculiare eſſe, ut brevis ſit in verbis, copioſus in ſenſu, quatenus nullum in ea* (Scriptura) *ſit verbum, absq; PROFUNDO MYSTERIO.*

III. Non eſt hîc omittendum id, quod in præſentem noſtrum ſcopum valdè eruditè notavit *Guido Fabritius* Boderianus, verbis ſequentibus: (*i*) *Hoc tantùm breviter* (ait ille) *de Hebraico Bibliorum contextu dicam: in eo eſſe TOT SACRAMENTA, QUOT SUNT LITERÆ, TOT MYSTERIA, QUOT PUNCTA, TOTQUE ARCANA, QUOT APICES; ut „non immeritò ipſemet Chriſtus dixerit, non præteriturum à Lege* (*k*) *unum Jod, „aut unum apicem, donec omnia fiant. Et certè nihil in eo prætermittendum eſt, ſed OMNIA vel MINIMA QUÆQUE SUMMA CUM ATTENTIONE CONSIDERARI debent & expendi, omni tamen ſuperſtitione remotâ. Illic ſiquidem eſt profunda quadam ſecretorum abyſſus, quæ nunquam poteſt exhauriri, & in qua doctiſſimi Viri, quò majores progreſſus faciunt, eò magis ſuæ ignorantiæ ſibimet conſcii evadunt, novis ſubinde divitiis emergentibus, novis micantibus gemmis, & in eorum oculos ſuæ lucis radios diffundentibus, novis deniq; rutilantibus aſtris, & ſupra eorum mentis veluti horizontem apparentibus quotidie in illo limpidiſſimo Cælo, in illo ſplendido Dei volumine, quod non ſecùs divinis characteribus diſtinctum & variatum myſteriis undequaq; coruſcat, atq; ingens & rotundum illud Naturæ volumen claris ſyderibus, quaſi literis quibuſdam aureis exornatur.* Hæc ille.

IV. Veritatem noſtræ *Regula*, ipſo factô palàm comprobant omnes illi ſtrenui, laborioſi ac profundè eruditi Scripturæ S. Expoſitores, qui (quantum ipſis per donum cœleſte aſſequi datur,) id agunt in exponendo textu ſacro, & particulatim omnia in eo expendendo, ut vellent, ſi fieri poſſet,

(*g*) *Epiſt ad Paulin. proximè præfix. Bibl. Vulg. Verſion.* † *Fuit hic coævus* Baſilio *M.* (*h*) *in Libro de* Spirit. *S. quod teſtimonium præfixum eſt etiam operibus* Amphilochii, *edit. Par. 1644.* * *Collectan. in Apoc. c. 10. v. 2.* (*i*) *Præfat. ad Lect. in Nov. Teſt. ſive in Tom. V. SS. Bibl. edit. Antverp. An. 1571.* (*k*) *Loc. cit. Matt. 5. v. 18.*

poſſet, ne vel minimam voculam ſine magni ... e arcani detectione prætermitterent. Momentoſa enim phraſium & vocum Scripturæ S. fœcunditas, hanc ſollicitudinem ab iis requirit. Et ſanè, ut brevitatis causâ, unum atque alterum tantùm hîc locum pro exemplo aſſeram; ſi quis v. gr. locum illum *Eccleſiaſtæ*, cap. 1. ℣. 9. 10. *Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt: quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt; & nihil* (eſt) *ſub Sole novum*; (collatô ibid. ℣. 4. *Generatio præterit, & generatio advenit:* &c.) vel illum Gen. 1. ℣. 1. *In principio creavit Deus Cœlum & terram*, ſi quis inquam, vellet illum vel iſtum pro merito rei exponere, neceſſe eſſet omnes voculas, omniaq; verba hîc benè excutere, nec eſſet aliquod eorum, (ad alia relatum,) circa quod arduum laborem non inveniret. Quòd autem non in quolibet Scripturæ loco omnes voculæ videantur nobis ardua in ſe involvere; non ideò fit, quaſi ejuſmodi voculæ ſpirituali fœcunditate carerent; ſed quia noſtra imperfectio, nondum earum fœcundam ſublimitatem animadvertere potuit. Quò interim monemur, ut quæ nos intelligere Deus dignatus eſt, ea in ſpe & ſilentio cum debita gratiarum actione veneremur, & porrò etiam contemplemur: quæ autem nondum intelligimus, (vel ſaltem juſtam eorum profunditatem non animadvertentes,) eorum intellectum, inter aſſiduas preces & labores quotidianos, humillimè à Deo expectemus: nec deſperemus de quantumlibet arduis & profundis aliquando penetrandis, ſi in timore Domini, conſtanter in hoc ſacro labore deſudaverimus.

V. Hæc *Regula*, hactenus illuſtrata, non ſolùm juvat nos contra illos, qui aſſumentes aliquando fœcundiſſimos & profundiſſimos textus, ſeu Prophetias integras, putant ſe benè defunctos eſſe Expoſitorum munere, ſi præteritis innumeris arduis vocibus & verſibus, tantùm de quibuſdam prolixos ſcribant Commentarios; ſed etiam docet, ne fruſtra & ſine magna ratione factum putemus, ſi quando eaſdem voces, eoſdem verſus, eademque capita, ſubinde in Scripturis iterari videmus. Firmiter ſemper tenendum eſt, nihil in Scripturis vel otioſè poſitum eſſe, vel fruſtra iterari. Nec verò ſolùm ideò aliquid in Scripturis iteratur, ut ejus veritas eò magis inculcetur, (quæ etiam una eſt cauſa;) ſed etiam, ut tali iteratione, eadem res in implemento, iterùm atq; iterùm, hîc atq; ibi, diverſis ſub ſchematibus recurſura, inſinuetur: & inſuper indicetur, prophetiam in tali textu exſtantem, non momentum aliquod, ſed ſatis prolixum tempus, ad ſuî implementum requirere.

REGULA V.

VI. „*Quæcunq; Prophetia, vel horrendum & inſolitum hoſtibus denun-„ciat exitium, vel uberrimam Eccleſiæ conſolationem, pace & omnibus bonis „plenam pollicetur, certum eſt, illam Prophetiam, ſi non in totum, ſaltem quoad „pleniorem emphaſin verborum, & principalem in ea Spiritûs S. ſcopum, in ultima*

,,*ultima tempora pertinere.* Idem etiam de *Typis* hujus generis eſt ſentiendum. *Ultimorum* hîc (ſeu extremorum) temporum cum meminimus; ſciendum eſt, *Tempus ultimum*, vel, *Tempora ultima*, ſeu *extrema*, in Scriptura S. (nunc ſub hac, † nunc ſub illa phraſi, invicem ſibi cognata & idem ſignificante,) aliquando *latiùs*, aliquando *ſtrictiùs* ſumi. *Latiùs* ſumptum, ſignificat in genere Novi Teſt. tempus; quod reſpectû priorum V. Teſt. temporum, eſt *ultimum*: [quanquam & in hac ſignificatione, quicquid in myſtico Chriſti corpore, *ultimo* tempore dicitur implendum, in eo, potiſſimùm, ſeu dicam, quoad plenius implementum, ad poſteriorem temporis hujus partem fit reſpectus.] Sic ſumitur, Iſa. 2. ℣. 2. *Erit in noviſſimis diebus* &c. Et Mich. 4. ℣. 1. & Dan. 2. ℣. 28. Item, 1. Joan. 2. ℣. 18. *Filioli, noviſſima hora eſt.* Huc refer, Act. 2. ℣. 17. ex Joël. 2. ℣. 28. Item, Heb. 1. ℣. 1. & cap. 9. ℣. 26. & 1. Cor. 10. ℣. 11. & 1. Pet. 1. ℣. 20. Num. 24. ℣. 14. Deut. 31. ℣. 29. *Strictiùs* ſumptum, ſignificat partem illam poſteriorem temporis Novi Teſt. quæ eſt inde ab iniquitatis & deteſtandæ hominum ingratitudinis in Deum ſuum Salvatorem ſenſibili incremento, usque ad omne illud tempus, quô iniquitate iterùm vicibus diverſis debellatâ, Chriſtus in ſuis Sanctis contra hoſtes veritatis & pietatis evidenter glorioſus erit, atq; ſic in dies *tabernaculum Dei* pleniùs ac pleniùs futurum eſt *cum hominibus*, juxta promiſſum illud, quod exſtat, Apoc. 21. ℣. 3. & Ezech. 37. ℣. 27. 28. collat. ibid. cap. 43. ℣. 7. Quod ſanè tempus, quàm latè patentem in ſe durationem comprehendat, non facilè eſt nobis nunc dicere. Loca Scripturæ S. huc ſpectantia ſtatim ſub ſequenti diſtinctione audiemus. Nam & hoc *ſtrictiori* ſensû acceptum tempus ultimum, duas habet partes. *Prima* pars eſt ea, quæ Sanctis & electis Dei in hoc Mundo eſt triſtis & amara, ob hominum iniquitatem in dies magis ac magis invaleſcentem & undiq; graſſantem: unde *tempus iniquitatis* in Scriptura S. dicitur, Ezech. 35. ℣. 5. *In tempore afflictionis,--in TEMPORE INIQUITATIS extrema.* Et cap. 21. ibid. ℣. 25. 29 Ubi in omnibus iſtis verſibus eadem phraſis habetur in text. Hebr. בעת עון קץ (*Beeth avon ketz,*) h. e. *In tempore iniquitatis finis.* Ubi *finis*, pro *fine* ſeu *extrema* parte temporum accipitur. Hinc Vulgata Latina cit. cap. 35. ℣. 5. rectè ſenſum expreſſit, vertendo, *iniquitatis extremæ.* Eodem tendit etiam Græca ibidem verſio: ἐν καιρῷ ἀδικίας, ἐπ' ἐσχάτων. H. e. *In tempore iniquitatis, in extremis*; ſcil. diebus, vel temporibus. Ab hac parte triſti & amara deſcribit nobis Apoſtolus ultimum hoc tempus, 2. Tim. 3. ℣. 1. dum ait: *Hoc autem ſcito, quòd in NOVISSIMIS DIEBUS inſtabunt TEMPORA PERICULOSA.* Et ſtatim ſubjungit ℣. 2. *Erunt enim homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi,* &c. Phraſis *noviſſimorum dierum*

L

† *Ut, v. gr. nunc* noviſſimi dies, *nunc* finis dierum, *nunc* noviſſima hora, *nunc* extremum tempus, *nunc* noviſſima tempora *&c. memorantur.*

dierum in hoc loco, non excludit à ſua ſignificatione ulteriorem etiam eorundem partem, ſcilicet, lætiorem, in qua iniquitas debellanda foret; quin potiùs in ea implicitè ſubincludit; quod facilè colligitur, tum ex vi nativa phraſeos illius, tum etiam ex ℣. 9. ibid. Veruntamen placuit nunc Apoſtolo, *noviſſimum* hoc *tempus*, à rebus triſtibus, parteque anteriori deſcribere. Confer eundem, 1. Tim. 4. ℣. 1. Item, S. Petrum, 2. Epiſt. c. 3. ℣. 3. & S. Judæ Epiſt. ℣. 18.

VII. *Secunda* pars ultimi temporis *ſtrictiùs* accepti eſt ea, quæ Sanctis & electis Dei, paulatim & gradatim erit lætior, ac tandem in fine lætiſſima etiam in his terris. Scilicet, hæc quoque pars, in principio, hoc eſt, in fine primæ partis, imò & in aliquo partiali progreſſu, (*l*) *donec* nempe *tranſeat iniquitas* contra pios graſſans, & plenè debelletur, erit adhuc iiſdem Sanctis aliquamdiu amara, & multis certaminibus plena. Sed & tunc, ob certiſſimam ſpem, & longè clariorem quàm antehàc notitiam futurorum è Scripturis hauriendam, de brevi ſecuturo meliori Eccleſiæ ſtatu, lætitiâ cordis non mediocri miſcenda. Sic ergò *ſecunda* hæc pars ultimi temporis, duo in ſe comprehendit: videlicet, *primò*, iniquitatis paſſim graſſantis, ac per conſequens hoſtium S. Eccleſiæ debellationem & ad incitas redactionem, gradatim & ſucceſſivè futuram: *deinde* verò plenam S. Eccleſiæ exaltationem contra omnes ſuos hoſtes, & pacatiſſimum ac florentiſſimum in Mundo veritatis & pietatis progreſſum; ut impleatur tunc illud S. *Auguſtini* ex Pſalmo quodam propheticè dictum: (*m*) *Senectus ipſius* Eccleſiæ, *id eſt*, *noviſſima ipſius*, *IN LÆTITIA erunt*. De hac parte *ſecunda* ultimi temporis jam limitati, (duas hujuſmodi periodos nunc inſinuatas habitura) ſonant loca ſequentia: Oſe. 3. ℣. 5. *Et poſt hæc revertentur filii Iſraël, & quærent Dominum, -- in NOVISSIMO dierum:* collat. Deut. 4. ℣. 30. Item. Jerem. 23. ℣. 20. & 30. ℣. 24. *In noviſſimo dierum intelligetis ea.* Et cap. 48. ℣. 47. & 49. ℣. 39. Item, Iſa. 30. ℣. 8. Ezech. 38. ℣. 16. Dan. 8. ℣. 17. & 10. ℣. 14. & 12. ℣. 4. 9. (juxt. text. Hebr.) & ℣. 13. ibid. Huc refer etiam Prov. 31. ℣. 25. & cap. 23. ibid. ℣ 18. & 24. ℣. 14.

VIII. Jam ut diſtinctionem *ultimorum temporum* ſcopo noſtro applicem; dico, mentionem *ultimorum temporum* in noſtra *Regula* accipi in proximè data ſignificatione, hoc eſt, pro parte ſecunda *temporis ultimi* ſtrictiùs ſumpti, à duabus ſuis periodis inſinuatis deſcripta: quæ pars *ſecunda*, per excellentiam dici poteſt *ultimum tempus* Dixi autem de Prophetiis (& Typis) hâc Regulâ deſignatis; *ſi non in totum, ſaltem quoad pleniorem emphaſim verborum, & principalem Spiritûs S. ſcopum*, eas *in ultima tempora pertinere:* quod ideò tali cum limitatione dixi: Nam quædam è numero talium Prophetiarum, potuere ſpecioſum jam implementum velut in præludio, antecedenter

(*l*) *Pſal. 56. (al. 57.) v. 2.* (*m*) *Enarrat. in Pſal. 91. (al. 92.) v. 11.*

tecedenter etiam habere; atq; hâc ratione illæ, è *prima* quoq; hujus Secundæ Claſſis *Regula* lucem ſortiuntur. Nihilominùs, in quantum plenior earum emphaſis, in ultima ſpectans tempora inveſtigatur, eatenùs in hac proximè *Regula* conſiderantur. Sunt verò quædam *prophetiæ*, (& multò magis *typi* ſeu *figuræ*,) quæ vix evidens aliquod hactenus viſæ ſunt habere implementum: atque de his maximè dici poteſt, quod *in totum* ad ultima tempora nunc limitata pertineant. E' quorum numero videntur mihi eſſe, octo poſtrema capita *Ezechielis*, (ut taceam nunc proximè illic præcedentia,) utpote à cap. 40. usq; ad 48. incluſivè: hucque applicandum cenſeo illud S. Hieronymi: (*n*) *In Ezechielis extrema parte, - per ædificium Templi in monte ſiti, Eccleſia MULTA POST SÆCULA futura Sacramenta narrantur.* Item, iſtud quoq; ejusdem: (*o*) *In volumine Ezechielis*, (*p*) *ubi FUTURÆ ECCLESIÆ & COELESTIS HIERUSALEM ordo deſcribitur, Sacerdotes*, (*q*) *qui peccaverant, regradantur in ædituos & oſtiarios.* &c. Sed & aliæ hujus generis *prophetiæ*, tum in hac *Regula* tum alibi paſſim à nobis memorabuntur.

IX. Quòd autem *Prophetiæ* (& *figuræ*) in data *Regula* à nobis deſignatæ, quoad plenam præſertim emphaſim, ad *ultima tempora* pertineant, in iisque impleri debeant; apparet ex hoc fundamento: Quia tùm judicia maximè horrenda, præcedentibus nimirùm hactenùs omnibus majora, uberiora, acerbiora & longè magis terribilia, in hoſtes Eccleſiæ, medio igne, gladiô utroque, & aliis modis, ante univerſalem reſurrectionem & extremum Mundi finem effundenda; tùm etiam deſideratiſſimam Eccleſiæ ab hoſtibus liberationem, florentemq; prædicationis Evangelii inter Judæos & Gentes ſucceſſum, ac per hoc lætiſſimam pomœriorum Eccleſiæ dilatationem, Deus ſapientiſſimo conſilio (peccatis etiam hominum id exigentibus,) in ultima tempora reſervavit. Excute quæſo diligenter hæc aliquot loca: Deut. 32. ℣. 35. 36. 40. 41. 42. 43. Iſa. 66. ℣. 15. 16. 18. 19. 22. 23. Dan. 12. ℣. 1. 7. 9. 10. Hoſ. 3. ℣. 5. Zach. 14. ℣. 16. -- 21. Mal. 4. ℣. 1. 2. 3. Luc. 21. ℣. 25. -- 31. Rom. 11. ℣. 25. 26. (collat. Iſa. 59. ℣. 20.) Apoc. 10. ℣. 7. & 15. ℣. 1. & cap. 19. 20. 21. 22. facilè tibi perſvadebis id quod dico, „verum eſſe. Unde rectè concluditur, *prophetias* & *typos*, vel horrenda in „hoſtes judicia, vel uberrimam erga S. Eccleſiam conſolationem, pace & „omnibus bonis ſecuturis plenam continentes, quoad plenam præcipuè emphaſim, in *ultima tempora* pertinere.

X. Sed jam exemplis quoq; Regulam illuſtremus. S. *Auguſtinus* (poſt an. D. 400.) cum Pſalmum 45tum (al. 46tum) explicaret, ad verba illa Pſal„mi, *Auferens bella, usq; ad fines terræ*, ſic ſcribit: (*r*) *Hoc NONDUM videmus*

(*n*) *Lib. 1. advers. Pelagian.* (*c. 12.*) *ſub finem.* (*o*) *Advers. Jovinian. Lib. 2 cap. 15.* (*p*) *Ezech. cap. 40. 41. 42.* (*q*) *Ibid. c. 44. v. 10, 11. 12. 13. 14.* (*r*) *Enarrat. in Pſal. 45. v. 10.*

videmus adhuc completum eſſe. Sunt adhuc bella; ſunt inter Gentes pro Regno; inter Sectas, inter Judæos, inter Paganos, inter Chriſtianos, inter Hæreticos, ſunt bella, crebreſcunt bella; aliis pro veritate, aliis pro falſitate certantibus. „*NONDUM ergò COMPLETUM eſt, auferens bella uſq; ad fines terræ.* Et paulò pôſt etiam *bella* hæc ultimo tempore auferenda, quæ ſint, & medium, quô auferentur, ac in nihilum redigentur, explicat his verbis: *Bella dicit, quibus bellatur adversùs Deum. Quis enim bellat adversùs Deum? Impietas. Et quid poteſt facere Deo impietas? Nihil. Quid facit fictile vas eliſum ad Petram, quamvis vehementer elidatur? Tantò majore malô ſuo venit, quantô majore impetû venerit.* Ac deinde: Arcus, *eſt inſidiæ:* arma, *publica oppugnatio:* ſcuta, *vana præſumptio ſuæ protectionis.* Ignis, *quô iſta comburuntur, eſt de quo Dominus dicit:* (ſ) Ignem veni mittere in terram*: de quo* „igne *dicit Pſalmus:* (s) Et non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. *Fervente* igne *iſto, nulla in nobis impietatis* arma *remanebunt; neceſſe eſt ut omnia confringantur, conterantur, comburantur; remaneas inermis, non habens ullum adjutorium tuum; & quantô magis infirmus es, nulla tua arma habens, tantô* „*magis te ſuſcipit, de quo dictum eſt:* (t) Suſceptor noſter Deus Jacob.-- *Armat nos* (Dominus) *armis Evangelicis, Veritatis, continentiæ, ſalutis, ſpei, fidei, charitatis. Hæc* arma *habebimus, ſed non à nobis.* Arma *autem quæ à nobis habuimus, arſerunt; ſi tamen* igne *illo Spiritûs S. accenſi ſumus, de quo* „*dicitur:* (u) *Et ſcuta comburet igni.* Hæc paulò fuſiùs ex S. *Auguſtino* hîc exſcribere volui; eò quòd multum alibi etiam lucis in hoc Libro * nobis ſubminiſtrabunt.

XI. Videmus in his, doctiſſimum Expoſitorem Pſalmi hujus citati, (quem multi jam putant plenè impletum eſſe,) tametſi ſcribentem illo ævô, quô jam Chriſtiani inde à *Conſtantino* Magno, † magno ſanè Perſecutorum Eccleſiæ debellatore, pace (quantum ad Ethnicos ſub imperio Rom. perſecutores confuſos & devictos) fruebantur, ut liberior quàm antea eſſet Evangelii curſus inter Chriſtianos; non tamen agnoſcere dictum Pſalmum, quoad ſublationem *bellorum* adversùs Deum & pacem Eccleſiæ hîc promiſſam militantium, plenè tunc adhuc impletum eſſe. Quia Doctor acuti judicii, non judicabat qualecunq; Eccleſiæ reſpirium ſufficere ad emphaticum hujus Pſalmi implementum; graſſantibus interim in Mundo, variis tum bellorum Gentilium, tum aliarum de Fide contentionum furoribus, adhuc S. Eccleſiam omninò turbantibus, & nimis vaſtantibus. Si illo tempore Pſalmus iſte nondum erat impletus; multò minùs poſſumus dicere eum eſſe impletum inde ad noſtra uſq; tempora; cum ab illo tempore & Mundi furor, & ingeniorum in

*(ſ) Luc. 12. v. 49. (s) Pſal. 18. (al. 19.) v. 7. Ubi rectè verbum per Spiritum S. efficax intelligit. (t) Pſal. 45. (al. 46.) v. 12. (u) Ibid. v. 10. * Reg. 9. b. Claſs. 2da. † Ab an. D. 312.*

rum in medio Chriſtianiſmi inſolentia, magis ac magis in dies contra S. Eccleſiam creverint. Ergò reſtat, ut dehinc emphaticè & plenè impleatur.

XII. Idem S. *Auguſtinus*, Pſalmum etiam 71mum, (h. e. 72dum juxt. Hebr.) agnoſcit nondum adhuc ad ſua usque tempora fuiſſe impletum. (v) *Adhuc* (inquit) *habet quò creſcat Eccleſia, DONEC FIAT quod de ,,Chriſto in Salomonis figura prophetatum eſt:* (x) *Dominabitur à mari usq; ad ,,mare, & à flumine usq; ad terminos Orbis terræ.* Si neq; hic Pſalmus temporibus (y) *Conſtantini* Magni, † *Joviniani*, *Theodoſii* * M. & ſimilium orthodoxorum Imperatorum impletus eſt; certè multò minùs ante vel poſt illorum tempora, usque ad hunc diem eſt impletus. Nunquam enim hactenus Eccleſia Novi Teſt. tam latè, (in Oriente, Auſtro, Occidente & Septentrione) & tanta ſaltem cum felicitate, (tot magnis Doctoribus & Fidei Catholicæ propugnatoribus, gaviſa) quam ſub aliis prædictorum Imperatorum & proximorum eorundem ſucceſſorum (vivente adhuc S. Auguſtino) floruit. Atque hoc tempus, magni argumenti loco etiam deinceps, in ſimilibus *prophetiis* obſervandum eſt. Ibidem Sanctus ille Doctor, dum ulteriùs Pſalmum memoratum illuſtraret, mox alium etiam nobis inducit, nempe Pſalmum 85tum, (al. 86tum,) & inſinuat eum quoq; nondum in plena emphaſi eſſe impletum. (z) *A' mari* (inquit) *usq; ad mare totus eſt Orbis, cum OMNIBUS GENTIBUS; quoniam mari Oceano cingitur univerſus. Quomodo autem ,,IMPLEBITUR aliter illa Prophetia:* (a) Omnes Gentes, quotquot fe,,ciſti, venient, & adorabunt coram te Domine? *Non enim de ſuis locis migrando venient, ſed in locis ſuis credendo.* Et illicò alium etiam eximium Scripturæ S. locum, nempe *Sophoniæ*, indicat nobis, nondum eſſe imple,,tum. Verba ejus ſunt: (b) *Propheta autem dicit:* (c) Et adorabunt eum, u,,nusquisq; de loco ſuo, OMNES INSULÆ GENTIUM. Omnes inſulæ, *dixit, tanquam diceret, etiam omnes inſulæ; hinc oſtendens, quàm NULLA relinquatur terrarum, ubi non ſit* (futura) *Eccleſia, quando nulla relinquitur inſularum, quarum nonnullæ etiam in Oceano ſunt conſtitutæ, & quaſdam earum Evangelium jam ſuſcepiſſe didicimus. Atq; ita & in inſulis ſingulis qui,,busq; impletur,* (h. e. implebitur,) *quod dictum eſt:* (d) Dominabitur à mari ,,usq; ad mare, (*quò unaquæq; inſula cingitur,*) *ſicut in univerſo orbe terrarum.* &c. Reliqua his connexa, videat lector infra ſub Regula 9. hujus Claſs. 2.

XIII. Adjiciam hîc quædam adhuc loca præclara ex innumeris, quorum ex conſideratione attenta, de reliquis etiam ſimilibus, ſimile ferat pius Lector judicium. Sic v. gr. à verſu 16to capitis 59ni *Iſaiæ*, usque ad finem ejuſdem Libri, hoc eſt, ad cap. 66. incluſivè, licet paucos aliquot verſus,

(v) *Epiſt, 80. (al. in edit. nov. 199.) ad Heſychium.* (x) *Pſal. 71 (al. 72.) v. 8.* (y) *Obiit an. D. 337.* † *Obiit, an. D. 364.* * *Obiit, an. D. 395.* (z) *Cit. Epiſt. 80. ad Heſych.* (a) *Pſalm. 85. (al. 86.) v. 9.* (b) *Cit. Epiſt.* (c) *Soph. 2, v. 11.* (d) *Pſalm. 71. (al. 72.) v. 8.*

qui jam olim in eximiis primitiis, pro radice & fundamento ſecuturorum impleti ſunt, interſperſos reperiamus; maximam tamen partem talia ſunt capitibus illis à dicto verſu comprehenſa, quæ nunquam hactenùs impleta eſſe inveniuntur. V.gr. ſtatim verſus 16tus cum ℣.17.18. & 19. (cit. cap.59.) indicat nobis admirabile auxilium à Chriſto Domino, ultimis temporibus Eccleſiæ ſuæ inter horrendas Mundi iniquitates ſuis in membris vivis gementi & ad extrema redactæ, contra hoſtes ejus præter omnem ſpem & expectationem humanam ſubminiſtrandum. Quod non erit gladius aliquis externus, humano conſilio & humanâ operâ excitandus; tale enim ſubſidium humana ſibi imaginatur infirmitas; ſed Verbum Dei, illô modô & viâ potentiſſimum futurum, quam nunquam humana ratio vel in animum ſibi induxiſſet. Ibidem, ℣. quoq; 20. & 21. ea proponuntur, quæ nondum plenè impleta eſſe, ex S. (*e*) *Paulo*, & ex ejus celeberrimis Expoſitoribus antiquis & recentioribus, diſcere poſſumus. Unde, de verſibus etiam proximè 20mum præcedentibus, & eidem arctè connexis, judicium ferre poſſumus. Item, de verſibus etiam 1. & 2. cap.60. (*Surge, illuminare*, ſeu *luce*,&c. *Nam ecce TENEBRÆ OPERIENT Terram* &c.) quæro eum, qui putaret hoc caput quoad principalem Spiritûs S. ſcopum jam impletum eſſe; quando unquam hactenùs in Novo Teſt. is fuit Evangelii lætus in Orbe terrarum progreſſus, ut cum *Sion* vel *Jeruſalem* myſtica, *lumine* & *gloriâ* frueretur, (juxta illud ℣. 1. *Venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt*;) de aliis tamen multis, utpote, *populis* (ſeu Nationibus) *terræ*, in pœnam eorum dici potuiſſet: *Ecce tenebræ operient Terram, & caligo Populos*, ſeu *Nationes?* Ubi ſupponitur, hoſce Populos proximè ante hanc pœnalem ſuî *caliginem*, fuiſſe illuminatos, ita ſaltem, ut in *tenebris* illis, quibus hîc operiendi prænunciantur, non fuerint. Certè ſub initium Novi Teſt. dum non novis Nationes Mundi obducendæ erant *tenebris*, ſed potiùs multæ earum ex antiquis & inveteratis educendæ, & de facto etiam eductæ, (ita ut paulatim, etiam reliquæ ad *lucem* aliquando amplectendam maturarentur,) hæc dici non poterant; ſed de *ultimis* hîc Propheta loquitur *temporibus* κατ' ἐξοχὴν ſic dictis; in quibus, dum Deus ab una parte ſuam Eccleſiam, & populos ei in ſancta unitate & obedientia adhærentes vel adhæſuros, ampliſſimâ illuſtrabit luce, & magnâ (in ſpiritualibus potiſſimùm) exhilarabit felicitate, (incipiendo à (*f*) minimis, abjectiſſimis & afflictiſſimis in Populo ſuo,) tunc parte ab alia aliquot populos priùs jam aliquatenùs illuminatos, at terræ & terrenis corde affixos, nec non ſibi ſapientes, verâq; charitate deſtitutos, & luce ſibi datâ abutentes, oblatam verò pleniorem contemnentes deſerturus eſt, & horrendâ *caligine* ſpirituali obducturus, (ſaltem ad juſtum (*g*) tempus,)

(*e*) *Rom.11 v.26.* (*f*) *Zach 13.v.7. col. ult. collat. ibid. v.8. Et Iſa.14. v 30. & 29.v.19. & 60.v,22. & Matt.20,v.16.* (*g*) *Ezech. 29.v. 10,11.12. quoad myſticum ſenſum.*

pus,) in pœnam eorum juſtiſſimam. Id etiam, quod eodem cap. ℣. 14. habetur, [*Et venient ad te curvi* (ſeu *incurvati*) *filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi*, collat. ℣. 15.] nunquam ullus mortalium oſtendet, hactenùs plenè & ad emphaſim verborum impletum eſſe. Certè *Conſtantini* M. vel *Theodoſii* utriusq; temporibus quærendum hoc eſſet, ſi unquam ante noſtra tempora fuiſſet impletum; at verò fruſtra ibi aliud, niſi tenue horum præludium quæſiveris. Expende diligenter verba quæ illic habentur, eaq; benè apud te rumina & conſidera; facilè mihi adſtipulaberis. Item, ℣. 17. (ibid.) *Pro* (*h*) *ære afferam aurum*, &c quocunq; ſenſû pio & orthodoxo interpreteris de felicitate S. Eccleſiæ, & ubertate (maximè ſpirituali) in ea futura, nunquam tamen hactenùs juxta plenam verborum emphaſim impletum eſſe comperies. Quod eò magis verum eſſe animadvertes, ſi adjungas etiam verſum illicò ſequentem: (℣. 18.) *NON AUDIETUR ULTRA INIQUITAS* (ſeu *VIOLENTIA*) *in terra tua*. &c. Hinc S. *Hieronymus* quoque de hujus capitis ſenſu ſcribit: (*i*) *Sunt qui hæc omnia, quæ nos poſt primum Salvatoris adventum usq; ad conſummationem, & ex parte completa, & PENITUS EXPLENDA memoramus, FUTURO TEMPORE præſtolentur, quando* (*k*) *ſubintrante plenitudine gentium, ſalvandus ſit omnis Iſraël. Quorum NEQUAQUAM SENTENTIA REPROBANDA eſt, dummodò ſpiritualiter hæc complenda, & non carnaliter meminerimus.* Imò infra (*l*) expreſſiùs etiam audiemus ex ipſo, hoc capus 60. *Iſa.* ad ultimum tempus (quoad plenum ſenſum) pertinere.

XIV. Item, de eo quoque, quod dicitur capite (*m*) ſequenti, ℣. 4. & 5. *Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent*, &c. *Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra*, &c. idem quod de proximè præcedentibus eſto judicium. Item; quis unquam legit vel expertus eſt illud impletum eſſe, cap. (Iſa.) 62. ℣. 8. 9. † *Juravit Dominus in dextra ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ: Si dedero triticum tuum ULTRA cibum inimicis tuis, & ſi biberint filii alieni vinum tuum, in quo laboraſti: Nam qui congregant illud, comedent, & laudabunt Dominum; & qui comportant illud, bibent in atriis ſanctis meis?* Quomodocunq; interpreteris hanc populi Dei de alimento ejus neceſſario per hoſtes nunquam diripiendo ſecuritatem perennaturam, hactenùs ejus implementum minimè invenies. Nam etiam dum vel maximè jucunda videbatur Eccleſiæ ab hoſtibus & deprædatoribus ſuis ſecuritas, (ut tempore *Conſtantini* M.) attamen erat tantùm tranſitoria & ad tempus exiguum durans, eaque (præter internas per *Arium* & ejus Fautores illatas, nec non per Schiſma *Donati* ruinas,) metû minitantium malorum permixta.

XV. Porrò,

(*h*) *In myſticum hujus loci ſenſum lux affulget ex* 1. *Cor.* 3. *v.* 12. (*i*) *Comm. in Iſa.* 60. *v.* 2. & 3. (*k*) *Rom.* 11. *v.* 25. 26. (*l*) *Sub Reg.* 9. (*huj. Claſs.*) *c.* 5. §. 12. & *ſub Reg.* 10. *eod. cap.* §. 21. (*m*) *Cap.* 61. *Iſa.* † *Al. v.* 10. 11.

XV. Porrò, capitis etiam 63tii verſus 4. 5. 6. (unà cum tribus præcedentibus) ampliùs illuſtrant ea, quæ habentur cap. 59. ℣. 16. 17. 18. 19. jam paulò antè * memoratis, ulterioremq; Chriſti pro Eccleſia ſua in excellentibus ſuis Sanctis Vindicis futuri, contra hoſtes ſuos victoriam (ex principali textûs ſcopo) declarant. Ubi nota in tranſcurſu; quòd dum multi Interpretes Chriſtiani, tùm veteres tùm recentiores, dicti cap. 63. Iſa. ℣. 1. 2. 3. de Chriſti paſſione in cruce, & emerſione ex ea glorioſa exponunt; hoc ideo Divinâ providentiâ factum eſt, ut ex hoc etiam ſciremus, victoriam illam ultimi temporis, quæ hîc deſcribitur, fundari in paſſione & reſurrectione Chriſti, ejusq; exempli imitatione; ut, qui hoc in loco Chriſtum induti, ac virtute Chriſti vincentes (in perſona ipſius Chriſti) deſignantur, non in alio, ſed in (n) *ſanguine* Chriſti vincant: quia nimirum Chriſto mortis & inferni devictori, per gratiam firmiter adhærent ſeu adhærebunt, & eidem conformati, ad exemplum ejus, etiam cum vitæ ſuæ diſcrimine omnia pro eodem Domino ſuo adverſa ſubire parati ſunt, ſeu parati erunt. Ceteroquin ipſa res (o) clamat, Chriſtum hîc in rei veritate, non ut proximè *torculari* iræ Divinæ in cruce ſubjectum, non ut ex proximis ſuis paſſionibus perſonalibus emerſum, ac in Cœlos tranquillè & abſq; peracta viſibilium hoſtium ſuorum ultione aſcendentem, nec ut propriô, ſed ut alienô, ſcilicet hoſtium ſuorum *ſanguine* reſperſum (in veſtimentis) & inquinatum Bellatorem, atq; Ulterem fortiſſimum deſcribi. Unde eſt, quòd aliqui (p) hîc Chriſtum tanquam de *Judæis* (ſuis hoſtibus) per *Romanos* olim *ultionem* ſumentem propheticè deſcriptum putent. Sed eſto ſanè, quòd iſta *ultio* ceu figura quædam longè majoris *ultionis* hîc ſubincludatur, (ſicut omninò judicium Domini in *Judæos* per Titum effuſum, eſt typus futuri judicii;) non tamen in iſta *ultione* typica principalis Spiritûs S. ſcopus terminatur, (quod ipſa verba emphatica oſtendunt;) ſed in illa, quæ per aliquot typos eſt ſignificata, & quæ futura eſt ultimis temporibus, ut pars terribilis *judicii* Domini, juxta id quod habetur Apoc. 19. ℣. 11. & ſequ. usque ad finem capitis; quo de loco infra ſub Regul. 33. (q) dicturi ſumus: cujus capitis verſus, inprimis 13. & 15. de *veſte ſanguine aſperſa*, & de *calcatione torcularis*, magnam huic loco Iſaiæ (c. 63. ℣. 2. & 3.) afferunt lucem. Adde, quòd *Dies* (r) *ultionis*, (ut ℣. 4. tempus hujus pœnæ vocatur,) ſemper in Scriptura Prophetica, juxta pleniorem phraſeos illius emphaſim, & principalem in ea Spiritûs S. ſcopum, tempus extremi *judicii* ſignificat. Atque hinc ipſe quoque Cornelius à *Lapide* (ſ) haud refragatur, quin hîc *ultio* etiam in *die judicii* futura includatur. Porrò,

* *§. 13. h. cap.* (n) *Apoc. 12. v. 11.* (o) *Cit. cap. Iſa 63. v. 2. 3.* (p) *Cyrill. Alex. Procopius, Rupert. quos vide proximè apud Cornel. à* Lapid. *Comm. in Iſa. 63. v 6.* (q) *Claſs. 2. cap 10. §. 22. 23. 24. & 25.* (r) *De hac phraſi loca, vide infra ſub Regul. 33. c. 10. §. 5.* (ſ) *Comm. in Iſa. 63. v. 6. & Canon. 10. in Prophetas.*

Porrò, quàm latè debeat extendi *dies* futuri *judicii*, infra ſuo loco (*s*) dicetur.

XVI. Ita etiam capitis 64. *Iſaiæ*, ſolummodò verſum 4tum, (al. ℣. 3. & al. ℣. 8.) collatum cum 1. Cor. 2. ℣. 9. & cum proximè præcedenti capite, & cap. 65. ℣. 13. 14. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. [præſertim quòd hoc ultimo ℣. 25to dicitur: *Non nocebunt, neq; occident*, (ſeu, *non malefacient, neq; corrumpent*,) *in OMNI MONTE ſancto meo*,] ſi quis diligenter expendat, animadvertet, neq; in iis contenta hactenùs impleta eſſe. Idem experietur de locis Iſa. 33. ℣. 17.-- 24. & cap. 34. & cap. 35. ℣. 1. 2. 3. 4. 9. 10. & 49. ℣. 26. Item, Jerem. 31. ℣. 10. 11. 12. 13. 14. & 33. ℣. 16. 22. & 48. ℣. 47. & 49. ℣. 20 21. 38. 39. & 50. ℣. 20. Item, de Ezech. cap. 27. & 28. & 29. ℣. 11. & 34. ℣. 25. 38. & 36. ℣. 10. 11. 12. &c. Et quanta his ſimilia, tum in iiſdem, tum in Prophetis minoribus reperiremus, (præſertim in extremis *Joëlis*, *Michææ*, *Habacuc*, *Zachariæ* & *Malachiæ*,) ſi vel animus eſſet, vel ſtudium brevitatis hîc permitteret, talia fuſiùs in unum colligere? Ex his tamen quæ hîc conſignavi, facilè eruditus lector (ut ſupra † innui,) de ſimilibus judicium feret.

XVII. *Regula* hactenùs illuſtrata, monet & excitat nos ad diligentiùs ſcrutandum Scripturas, & ad (*t*) *ſtandum* vigilantiùs in *ſpecula* ſeu *cuſtodia*, cum indefeſſa attentione, quid Deus dehinc fieri velit cum ſua Eccleſia; ut quò plura videmus loca Prophetica nondum eſſe impleta, eò ardentiùs eorum implementum, atq; inde pleniorem eorundem (in noſtri conſolationem) intellectum deſideremus.

XVIII. Sed dicet fortè aliquis, non tàm contradicendi, quàm ſibi ſatisfaciendi ſtudio: Si tam multa reſtant adhuc implenda; quomodò ergò „verum eſt, Chriſtum eſſe implementum Legis & Prophetarum; vel, ſicut „S. *Auguſtinus* diſtinctiùs profert: (*u*) *Venit Chriſtus, complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, paſſionibus, morte, reſurrectione, aſcenſione, OMNIA præconia Prophetarum*? Reſp. In Chriſto *omnia* impleri dicuntur; non ſolùm quia *Chriſtus* eſt primus & ultimus Legis & Prophetarum ſcopus, ſed (quod plus huc facit,) quia Chriſti nativitas, vita in his terris, dicta, facta, paſſiones, mors, ſepultura, reſurrectio, acta in terris poſt reſurrectionem, & aſcenſio in Cœlum, cum ſubſecuta effuſione Spiritûs Sancti, ſunt exemplar, ſpeculum & fundamentum omnium eorum, quæ deinceps juxta prophetias & typos, (vicibus diverſis,) in ejus myſtico corpore, nempe Eccleſia, erant vel adhuc ſunt implenda. Et quod impletur in *Corpore* ejus my„ſtico, in eo quoq; verum ſit, *Chriſtum eſſe implementum Legis & Prophe„tarum*. Nam non alterius, ſed ipſius (*v*) Chriſti eſt tanquam Capitis *Corpus*

M illud

(*s Sub Regul.* 33. † *p.* 85. (*t*) *Iſa* 21. *v.* 8. *& Hab.* 2. *v.* 1. (*u*) *Epiſt.* 3. (*al. ep.* 137. *in edit. nov.*) *ad Voluſian. Tom.* 2. (*v*) 1. *Cor.* 12. *v.* 27.

illud myſticum; & ipſe habitat in eo per Spiritum ſuum S. & per Carnis & Sangvinis ſui communicationem. Nec S. *Auguſtinum* dicto illô excluſiſſe implementum quod fit in myſtico Chriſti *Corpore*, quin maximè incluſiſſe, apparet non ſolùm ex eo, quòd *aſcenſionem* quoq; Domini (tanquam involventem † in ſe, omne quod ex ea ſequi debebat,) inter ea recenſet, in quibus præconia Prophetarum implentur; ſed etiam ex ſubnexa ibidem implementorum recenſione. Ubi inter alia ſic ſcribit: (*x*) *Ex imperitiſſimis, ex abjectiſſimis, ex pauciſſimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur præclariſſima ingenia.* Et infra: *Templa & Simulacra Dæmonum, ritusque ſacrilegi PAULATIM atq; alternatim SECUNDUM PRÆDICTA Prophetica ſubvertuntur: Hæreſes adverſus nomen Chriſti, ſub velamento tamen nominis Chriſti, ad exercendam doctrinam ſanctæ Religionis, ſicut prænunciata ſunt, pullulant. Hæc omnia ſicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta; atq; ex his jam tot & tantis quæ reſtant, EXPECTANTUR IMPLENDA.* Hæc S. Auguſtinus. Mox autem in ſequenti *Regula*, atq; etiam alibi paſſim in hoc Libro, uberior lux adhuc affulgebit de eo, quòd *Chriſtus* dicitur *implementum Legis & Prophetarum.*

CAPUT III.

In quo, *traditur* Regula ſexta *Claſſis* ſecundæ, *quâ docetur, multa* loca Prophetica & Typica *de* Chriſto *edita, in ejus corpore myſtico, ejusq; membris impleri.*

REGULA VI.

I. *Loca veterum Prophetiarum & Typorum de Chriſto ſonantia, non omnia in „propria & ſola Chriſti perſona implentur, ſed multa ex iis in ejus Cor„pore myſtico, nempe Eccleſia, ejusq; membris, præcipuè eximiis, debent impleri.* [Quod etiam idem eſt, ac in *Chriſto* impleri; ut paulò ante (*a*) patuit, & ſub hac *Regula* etiam pleniùs patebit.] Huc facit illa S. *Auguſtini* inſtructio de Pſalmis ad ſuos auditores data: (*b*) *Commendamus ſæpiùs,-- Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, plerumq; loqui ex ſe, id eſt, ex perſona ſua, quod eſt Caput noſtrum; PLERUMQUE EX PERSONA CORPORIS ſui, quod ſumus NOS, & Eccleſia ejus.* Idem dicendum eſt de omnibus aliorum Prophetarum ſermonibus ad *Chriſtum* ſpectantibus; quòd nimirùm *Chriſtus* Dominus in iis quoq; per Spiritum ſuum S. & ejus Amanuenſes, nunc in propria *ſua perſona*, nunc in *ſuis membris* facit ſe & ſuas res deſcribi: quanquam aliquando in una eademque prophetia, & de ſe, ut Capite, & de ſuis membris, diverſo reſpectû loquitur. Hanc *Regulam* fulcit etiam illud S. *Gregorii* Magni: (*c*) *Sæpè beatum Job diximus, modo CAPITIS,* (Chriſti,) *modo figuram CORPO-*

† *Excute benè Joan. 16. v. 7.* Expedit vobis, ut ego vadam. (*x*) *S. Auguſt. cit Epiſt. 3.* (*a*) *Sub Regul. 5. b. 2. Claſſ. c. 2* §. 13. (*b*) *Enarrat. in Pſalm. 40. in ipſa Præfatione.* (*c*) *Moral. in Job, Lib. 35. c. 9. in 42. cap. Job. v. 10. 11. & 12.*

CORPORIS deſignare: quæ verba (unà cum ſubſequentibus) pleniùs alibi (*d*) producentur in medium.

II. Ratio *prima* hujus *Regulæ* eſt, non ſolùm quia *Chriſtus* idem eſt cum ſuo *Corpore* myſtico; ſed quia innumera dicuntur de *Chriſto* in Prophetiis, & adumbrantur in Typis, quæ, res ipſa demonſtrat ad *Corpus* ejus myſticum, ejusque *membra* pertinere. Ut multa apud S. *Davidem* (*e*) in ejus perſona. Sic typus *Noë*, *Abrahami*, *Iſaaci*, *Jacobi*, *Joſephi*, *Jobi*, *Moſis*, *Joſue*, aliorumque multorum, ad *Chriſtum* ut ſcopum tendens, plùs & evidentiùs in *corpore* Chriſti myſtico, ejusq; *membris* eximiis impleri debebant & debent, quàm in propria Chriſti perſona. In quibuſcunq; autem *membris* Eccleſiæ talia implentur, (quæ etiam per communicationem & participationem ſucceſſivam ſunt totius Eccleſiæ,) in iis Chriſtus excellentiori quodam modo præ aliis habitat, propiùsque ea ſibi quaſi induit, & in iiſdem, *Spiritum & virtutem* veterum Sanctorum typicorum, clariùs & potentiùs exprimit, quàm in ceteris. Sicut nempe olim *in Noë*, (ut veteres (*f*) eruditè obſervarunt,) ipſe *Chriſtus* erat *Rector Arcæ*; *in Abraham fideliſſimus Patriarcha*; *in Iſaac, glorioſiſſima hoſtia Patris*; *in Jacob, ſumma patientiæ Magiſter*; *in Joſeph miſericordiæ prædicator*; *in Moyſe laudabilis Dux*; *in David, Patriarcha præclarus*; *in Salomone, abundantiſſimus fons ſapientiæ*; *in Iſaiæ auctor omnium Prophetarum*; *in Joanne primus Baptiſta*; ſic in NovoTeſt. poſt ſuam aſcenſionem, idem ipſe fuit ſano ſensû (*g*) *in Stephano primus Martyr*, *in Petro, negantium* & infirmorum, at reſipiſcentium *fides* & firma confeſſio; *in Paulo* (ceterisq; magnis olim ſuis Servis & Confeſſoribus) *Spiritus S. Paracletus*; in fortiſſimis quibusq; Martyribus fortitudo; & in eminentiſſimis Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus & SS. Patribus lumen præclarum: atq; dehinc etiàm in omnibus Sanctis, ac præſertim nobiliſſimis Eccleſiæ membris & magnis columnis ipſe erit omnia; veterumque Sanctorum dona & virtutes in iis quodam modo coacervabit & coadunabit: ut, quod aliquando de *Eugenio* Pontifice dixit S. Bernhardus, (*h*) *Primatû Abel*, *gubernatû Noë*; *patriarchatû Abraham*; *Ordine Melchiſedech*, *dignitate Aaron*, *auctoritate Moyſes*; *judicatû Samuel*, *poteſtate Petrus*, *unctione Chriſtus*, id maximè ac in menſura pleniori verum futurum ſit in ultimi temporis Sanctis excellentioribus, magnisq; Eccleſiæ Directoribus; (ſervatâ interim graduum & præeminentiæ in dirigendo diſtinctione;) ut ſuo loco infra (*i*) uberiùs hoc patebit. Atq; de talibus intelligendum eſt illud etiam Tauleri: (*k*) *Cum homines, fer-*

(*d*) *Sub Regul.* 32. *b. Claſs. cap.* 9. §. 50. (*e*) *Vide variis in locis Enarration. S. Auguſtin in Pſalmos.* (*f*) *Sacramentar.* Gallican. à Mabillone *ex antiquis. MS. edit. Par. an. D.* 1687. *pag.* 377. (*g*) *Ibid.* (*h*) *De Conſiderat. ad Eugen. Lib.* 2. *poſt med.* (*i*) *Sub Regul.* 10. *hui Claſs.* 2. *c.* 5 § 34 *& ſequ.* & *Reg* 33. *cap.* 10. §. 22. *& ſequ.* (*k*) *Imitat. Pauperis Vit. Chriſt. Part.* 1. *paragr.* 129. *Confer. Alph.* Salmer. *Diſp. in* 1. *Cor.* 15. *v.* 23.

nes, *fervido* quôdam *amore recolunt* apud ſe *paſſionem Domini noſtri*, *illi ſunt velut alter Chriſtus.* In his quoque potiſſimùm habet locum illud *Maximi* Monachi pii & eruditi, ſic an. D. 645. ſcribentis: (*l*) Βέλεται ἀεὶ ϗ ἐν πᾶσιν ὁ τῦ θεῦ λόγος ϗ θεὸς τῆς αὐτῦ ἐνσωματώσεως ἐνεργεῖσθαι τὸ μυστήριον. *Vult* (inquit) *ſemper & in omnibus* (ſuis nempe, ſucceſſive) *Dei Verbum & Deus ſua INCORPORATIONIS operari MYSTERIUM.* Quod in ſuperioribus explicuit; videlicet, † *hominem* ſanctum, divinâ *virtute* ipſi *Deo* quaſi *deificari per amorem*, *atq́; Deum homini per hominis amorem*, quodam modo *inhumanari.* In talibus ergò dum Prophetiæ & typi implentur, in ipſo ‡ *Chriſto*, cujus tam præclara myſtica *membra* ſunt, reputantur impleri. Lege hac de re SS. *Patres*, & experieris verum eſſe, quod hîc de *implemento* Legis & Prophetarum tradimus. Majoris in hanc *Regulam* causâ lucis & roboris, mox pauca quædam ex illis delibabimus.

III. *Altera* ratio *Regulam* ſtabiliens eſt hæc: Quia ſunt quædam talia de *Chriſto* prædicta & præfigurata, ut prorſus impoſſibile ſit ea in propria ejus perſona juxta plenam emphaſim verborum impleri, niſi in myſtico ejus *corpore*, membriſq; ejus myſticis impleantur. V. gr. *Jeſus* ſeu *Joſue* Pontifex maximus Zach. 3. ℣ 1. & ſequ. eſt abſq; ullo dubio figura *Chriſti*, & quicquid eidem ibi promittitur, id omne in Novo Teſt. debebat & debet in Chriſto impleri. Atqui *Chriſtum* hîc in propria ſua perſona typo illi reſpondentem non poſſumus intelligere; (niſi verba & verborum ſenſus nimis extenuentur:) nam ita *Satan à dextris* * *ejus ei eſt adverſatus*, ut antequam inde per *increpationem* Domini depelleretur, peccatorum ſordibus fuerit inquinatus, & per hoc magnus peccator. Hoc enim eſt, eum fuiſſe *indutum veſtibus ſordidis*, & quod mox apertiùs ad eum dicitur: (*n*) *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam.* Tantò quippe potentiùs *Satan* quoque eidem poterat adverſari, & ſuam (*o*) *ſtationem* planè figere ad tempus *à dextris ejus*, quantò magis noverat eum infirmitatibus ab Adamo contractis eſſe ſubjectum. Deſcriptio certè illa typici Pontificis, nequaquam ab ejus ſignificato debet removeri. Scimus quidem Chriſtum Dominum (*p*) *peccata noſtra* (eorum

nempe

(*l*) *Scholiâ in Gregor. Theolog. cap. 2. p. 18. edit. Oxon. 1681.* † *Græc.* ὥστε -- δειχθῆναι τὴν δύναμιν τὴν ϗ τὸν ἄνθρωπον τῷ θεῷ θεῦσαν διὰ τὸ φιλόθεον, ϗ τὸν θεὸν τῷ ἀνθρώπῳ διὰ τὸ φιλάνθρωπον ἀνθρωπίζουσαν. ‡ *Hinc illud doctiſſimi* Pannonii (*in Apoc. 18. v. 1.*) *de* Angelo *forti* (*quem primariò pro* Chriſto *accipit*,) *è Cœlo deſcendente*: Nec te moveat, quòd ſupra PRÆDICATORES FORTISSIMOS ſexti temporis exhiberi per hunc Angelum retulimus. Nam & per ſanctos Prædicatores Chriſtus loquitur, qui eſt magni conſilii Angelus. * *In his, ea quæ ſunt præcipua, ut, virtutes & dotes animi, ſanctæq́; intentiones, intelliguntur.* (*m*) *Zach. 3. v. 3.* (*n*) *Ibid. v. 4.* (*o*) *Ibid. v. 1.* Stabat à dextris ejus: *non autem curſitabat, vel volitabat. Quàm illud ſit magnum malum, apparet ex Pſalm. 108. (al. 109.) v. 6.* (*p*) *1. Pet. 2. v. 24.*

nempe pœnam demeritam) *in corpore ſuo tuliſſe*, & (q) *pro nobis* ſtylo ſenſûque (r) Legis *peccatum* (hoc eſt, hoſtiam pro peccato) factum eſſe; ſed tamen ideò nullô modo dici poteſt in propria perſona peccator, vel peccato ſordidatus. Eſſet autem nimia ſenſûs typi extenuatio, ſic tantùm explicare, quòd *Chriſtus* imputativè ſeu repræſentativè fuerit peccator; præſertim cum ſit alter modus, quô hunc typum, quantum ad peccatum & liberationem à peccato, rei per typum ſignificatæ congruentiſſimè applicare poſſimus. Reſtat ergo dicendum, quòd ut jam in primitiis hic typus in myſtico Chriſti *corpore* cœpit impleri, & impletur in dies, (uti infra (ſ) ex S. *Juſtino* oſtendemus;) ſic dehinc pleniùs adhuc, & in omni verborum emphaſi, atq; integrè in ejuſdem myſtico corpore implebitur. Quòd tanquam una perſona hîc *Jeſus* (ſeu *Joſue*) deſcribitur; nihil hoc obſtat, quò minùs ad myſticum Chriſti *corpus* typus iſte referatur; cum *Chriſtus* & ejus myſticum *corpus* tanquam (s) *unum* hîc conſiderentur. Adde, quòd ſicut olim erant ſingulares perſonæ præ aliis excellentes, uti S. *Petrus* & S. *Paulus*, verè (t) *Patres* & *Paſtores* S. Eccleſiæ, in quibus, quà Chriſtô induti & roborati erant, fundata eſt primitùs Eccleſia; ſic etiam dehinc futuri ſunt ſingulares aliquæ perſonæ, Spiritû & virtute Chriſti alios excellentes, in quibus ſingulari & eminentiori quodam modo ejuſmodi typi & prophetiæ implebuntur; (quod & paulò ante † jam inſinuavimus;) nihilominùs, cum & horum excellentia in publicum bonum ſit redundatura, rectè etiam horum reſpectû ad totum Chriſti corpus myſticum, typi & prophetiæ referuntur.

IV. Similiter conſtat apud Chriſtianos, Pſalmum 68. (al. 69.) prophetiam de *Chriſto* continere. At in eo quoque Pſalmo dicitur tale quid, quod ſimpliciter impoſſibile eſt *Chriſto* in perſona propria applicari; quamvis id ejus ſit generis, (ut connexio cum ceteris oſtendit,) quod à ratione typi nequaquam eſt excludendum. Ut v. gr. ℣. 6. illud: *Deus! tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Ejuſdem generis eſt, Pſal. 39. (al. 40.) ℣. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, -- multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei.* Neceſſe eſt ergò ad plenius & evidentius talium vaticiniorum implementum, ita ea in *Chriſto* impleri, ut in ejus myſtico *corpore*, ſignanter in ejus *membris* excellentioribus, (quæ ſuam hujuſmodi miſeriam ſpiritualem cum gemitu quotidiano ſentiunt & deflent,) impleantur.

V. Sed jam locis Scripturæ S. ad exempla quoq; applicatis, *Regulam* propoſitam illuſtremus. Non immoror hîc integris Pſalmis, ſub perſona *David* ſonantibus de *Eccleſia* N. T. ut *Chriſtum* induente, conſiderata, ci-

(q) *2. Cor. 5. v. 21.* (r) *Vid. Num. 5. v. 9. 12. juxt. Hebr. & Graec. & confer Lat. Vulg. vers. Vide etiam Lev. 6. v. 23. tex. Hebr. & v. 25. Graec. & Latin.* (ſ) §. 10. *h. cap.* (s) 1 *Cor. 12. v. 12.* (t) *S. Leo (qui obiit an. D. 461.) Serm. 1, in Natali Apoſt. Petri & Pauli.* † §. 2, *h. cap.*

tandis: talium enim exempla obvia ſunt vel mediocri Scripturarum ſcrutatori, & cui placet, fuſè eorum applicationem (pro Eccleſia) inveniet apud S. *Auguſtinum*. Alia potiùs exempla hîc adducam. Sic locus Iſa. 42. ℣. 6. & 49. ℣. 6. (*Dedi te in lucem gentium,*) collat. cum Luc. 2. ℣. 32. (*Lumen ad revelationem gentium,*) ita ſonat de Chriſto, ut tamen etiam B. *Paulo* Apoſtolo, tanquam eximio Jeſu Chriſti Servo, & Præconi Evangelii, unà cum ſuis fidis cooperariis, peculiari quadam ratione conveniat; ut patet ex illa applicatione Paulina: (*u*) *Ecce convertimur ad Gentes: Sic enim præcepit nobis Dominus*: (*v*) *Poſui te in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem usq; ad extremum terræ.* Scilicet, quia *Chriſtus* (*x*) habitabat in *Paulo*, & is (*y*) *loquebatur* in eo, (ut & in aliis veris & fidis Chriſti Servis cum eo,) ideò rectè ſibi *Iſaia* locum de Chriſto ſonantem applicare poterat.

VI. Sic etiam notum eſt Chriſtianis, *Jacob* Patriarcham fuiſſe typum Chriſti; nihilominùs cum S. *Ambroſius* explicaret typicam illam eius (Matre (*z*) ipſum inſtruente) prudentiam, quâ *benedictionem* (& per conſequens juris *primogenituræ* per *Eſau* antea ſibi venditæ confirmationem) apud Patrem obtinuit, ita eum conſiderat, (& quidem rectiſſimè,) tanquam typum in eo facto *Populi Chriſtiani*, futuri in Novo Teſt. Quia nimirùm typus erat in hoc eorum, qui in Eccleſiæ bonum, ſimilia (quodam modô) facturi erant in rei veritate, iis, quæ ille fecit in typo. Audiamus S. *Ambroſii* verba. (*a*) *Dum alter* (Eſau nempe) *venatû aſpero prædam quærit agreſtem, hic* (Jacob) *mitium cibos morum, hic domeſticam gratiam, hic terrenæ manſvetudinis atq; pietatis, pio Patri dulces epulas miniſtravit. – Acceſſit ad oves* Jacob, *& attulit innocentiæ partus, vel ſacræ prophetiæ munera: quia Patriarchæ cibum nullum credidit dulciorem, quàm CHRISTUM, qui* (*b*) *ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut* (*c*) *agnus ad victimam. Hunc communi parenti vel* † *populo, cujus typum* (Iſaac) *gerebat, cibum utilem judicabat, quo futura erat remiſſio peccatorum. Ideò ſtolam accepit fratris ſui, quia ſenili præſtabat ſapientiâ: ideò junior frater ſeniorem exuit, quia fidei emicuit dignitate. Hanc ſtolam, Eccleſiæ typô Rebecca protulit, dedit filio juniori, ſtolam Veteris Teſtamenti, ſtolam Propheticam & Sacerdotalem, ſtolam illam regalem Davidicam, ſtolam Salomonis, Ezechiæ & Joſiæ Regum, & dedit POPULO* * *CHRISTIANO, qui uti amictû ſciret acceptô; quoniam populus* Judæorum *eam ſine uſu habebat, & proprios neſciebat ornatus. Jacebat hæc ſtola in umbra abjecta atq; neglecta. Obſcurabatur enim tenebroſâ impietatis caligine, nec in anguſto corde populi*

(*u*) *Act.* 13. *v.* 46. 47. (*v*) *Ex Iſa.* 49. *v* 6. (*x*) *Gal.* 2. *v.* 20. & 2. *Cor.* 12. *v.* 9. (*y*) 2. *Cor.* 13. *v.* 3. (*z*) *Gen.* 27. *v.* 5. (*al.* 7.) & *ſequ.* (*a*) *S. Ambr. de Jacob. & vit. beat Lib.* 2. *cap.* 2. *Tom.* 1. (*b*) *Iſa.* 53 *v.* 7. (*c*) *Jer.* 11. *v.* 19. † *Populum veterem credentium hîc intellige; ſicut è contra infra in* Eſau *populum incredulorum & impiorum.* * *Quem nempe* Jacob *tunc repræſentabat.*

puli Judaici latiùs poterat explicari. Induit eam CHRISTIANUS POPULUS, & refulſit; illuminavit eam ſua fidei claritate, & piorum luce factorum. Agnovit Iſaac notum odorem generis ſui, recognovit ſtolam Scripturæ veteris, ſed vocem Plebis veteris non recognovit, & ideò cognovit eſſe mutatam. Hæc ille. Pauló aliam, ſed in eundem ſcopum recidentem hujus geſti typici expoſitionem, à S. *Hippolyto* Martyre datam, ſi quis videre vult, inveniet eam apud S.*Hieronymum*: (*d*) ubi etiam, *Eſau populi prioris* (ſcil. Judaici increduli) *& Diaboli*, *Jacob Eccleſiæ*, *ſive Chriſti*, *imaginem portâſſe* ſcribitur. Et mox ſubjungitur: *Senuiſſe Iſaac, conſummationem Orbis oſtendit; oculis caligâſſe, fidem periiſſe de Mundo, & Religionis lumen ante eum neglectum eſſe ſignificat.* Ipſe verò S. *Hieronymus* ſic paucis exponit; (*e*) quòd *Dominus* Salvator *benedictionem primam Judæorum populo detulerit*; (ſicut Iſaac olim (*f*) Eſauo;) *verùm quia illi credere noluerunt, ad Jacob minorem Populum* (ſcil. Gentium) *benedictionem* (ait) *eſſe translatam*; *neq; tamen majorem filium penitùs fuiſſe deſpectum*; *quia* (*g*) *cum ſubintraverit plenitudo gentium, tunc omnis Iſraël ſalvus fiet.* Videmus in his ubiq; per *Jacob*, *Populum Chriſtianum* explicari; cum tamen certum ſit, ut Legem & Prophetas, ſic etiam *Jacob* & ſimiles typicas Vet. Teſt. perſonas, principaliter *Chriſtum* reſpexiſſe.

VII. Similiter cum memoratus S. *Ambroſius* eruditè exponeret typum *Joſeph*, (*h*) *mittentis manus* ſuas *ſuper oculos* Patris ſui *Jacob*, juxta divinum oraculum; per *Joſeph* rectè Chriſtum Dominum intelligit, qui nempe aliquando in veteris *Jacob*, h. e. populi Judaici *oculos*, manus ſuas ponet, ut convertatur. Atqui ſuum illud opus peraget Chriſtus miniſteriô Doctorum S. Eccleſiæ. Typus ergo ille, in *Chriſto* quidem ut Capite Eccleſiæ, inviſibiliter in nobis operante terminatur principaliter; at in ejus Servis, ut *membris* ipſius præclaris implebitur miniſterialiter & ſenſibiliter. Sed placet hic apponere verba dicti S. Doctoris, ut quæ alibi etiam (*i*) lucem in hoc Libro ad ſcopum ſunt allatura. Præmiſsô dictô Dei ad Jacob, (eum confortantis, „*ne timeat deſcendere* in Ægyptum,) *Joſeph mittet manus ſuas ſuper oculos* „*tuos*, ſic illud interpretatur: (*k*) *Myſticè licet nobis intelligere, quòd poſtea cogniturus Deum ſit Populus* Judæorum. *Hoc eſt enim myſterium, quod VERUS JOSEPH immittet manus ſuper oculus ejus, ut qui non videbat antè, jam videat. Veni ad Evangelium, lege quemadmodum cæcus ille* (*l*) *ſanatus ſit, cui Jeſus manum impoſuit, & ejus abſtulit cæcitatem. Non enim morituris CHRISTUS manum imponit, ſed victuris; aut ſi morituris, rectè, quia priùs morimur, ut reviviſcamus. Non enim poſſumus Deo vivere, niſi peccato antè moriamur.*

(*d*) *Epiſt. 125. ad Damas.* Qu.3. (*e*) *Ibid. in fin.* (*f*) *Gen. 27. v. 1.-4.* (*g*) *Rom. 11. v. 25, 26.* (*h*) *Gen. 46 v. 4.* (*i*) *Claſs. 2. cap. 1. §. 7. & 8.* (*k*) *S. Ambroſ. Lib. de Joſeph. Patriarch. c. 14. in cap. 46. Geneſ. Tom. 1.* (*l*) *Joan. 9. v. 6, 7.*

riamur. Occurrit illi (Joſepho nempe) *Juda, hoc eſt, confeſſio erroris. Hunc ſui venturus* Judæorum *populus prænuncium mittit. Ideò & Joſeph verus, id eſt, arbiter & interpres Divinitatis occurrit; quia præcedit jam confeſſio, quos antea perfidia poſſidebat. Interpres enim Divinitatis eſt CHRISTUS. -- Hic, ſenilis jam ætatis & feſſum ſuſcipiet ULTIMIS TEMPORIBUS Populum* Judæorum, *non ſecundùm illius merita, ſed ſecundùm electionem ſuæ gratiæ; & imponet manum ſuper oculos ejus, ut cæcitatem auferat.* Appoſitè autem ante hæc, Doctores ultimi temporis, qui Judæos ad Chriſtum vocaturi ſunt, *Petri, Pauli & Joannis* nominibus inſignit, ſeu, quod idem eſt, iiſdem comparat; quia eorum zelo & ſpiritû prædicaturi ſunt Evangelium. *Vocatur* (inquit) *à filiis ſuis Jacob, id eſt, à Petro, Paulo,* Joanne, *Populus* Judæorum *invitatur ad gratiam.* Etſi enim verum eſt, etiam per *Petrum, Paulum & Joannem* Apoſtolos olim vocatos fuiſſe Judæos ad Chriſtum; hîc tamen S. *Ambroſius* apertè de *ultimis temporibus* loquitur. Hæc de S. *Joſeph.* Sic *Beniamin* etiam unà cum ceteris Patriarchis veteribus typus eſt Chriſti; rectè tamen Doctores S. Eccleſiæ unà cum S. *Ambroſio* in plerisq; ejus typum de S. *Paulo* interpretantur. Hinc illud S. Ambroſii: (*m*) *Intelligibilis Joſeph,* (nempe Chriſtus,) *ut oves ſervaret ſuas, ipſum inimicum venientem ad diripiendas oves, rapuit Paulum,* (*n*) *faciens ex perſecutore Doctorem.* Plura etiam huc facientia, alibi (*o*) producentur.

VIII. Idem S. *Ambroſius*, exponens profundæ ac myſticæ intelligentiæ Pſalmum 36tum, (al. 37mum,) verba illa verſûs 21. *Juſtus miſeretur & tribuit*, non dubitat exponere de S. *Paulo*, ut præcipuo Eccleſiæ Doctore, dona à Deo accepta in uſum electorum erogante. (*p*) *Hoc* (inquit) *perſona convenit Pauli. Vide illum Domini eloquia dividentem; vide argentum Domini fœnerantem. Unam mnam accepit, † duas reddidit. Duas accepit, quatuor reddidit. Quinq; accepit, decem reddidit. Non ligavit in ſudario, quod acceperat, ſed numulariis erogavit, & quod erogaverat, cum uſuris recepit.* Dices fortè: Quid iſte locus Pſalmi, ejusq; data expoſitio facit nunc ad ſcopum? Reſp. multum facit. *Juſti* enim vocabulum in prophetiis & typis (in ſingulari numero) cum laude poſitum, ſemper primariò *Chriſtum* Dominum reſpicit, vel in ſua perſona, vel in ſuis electis conſideratum; utpote per quem ſolum omnes electi ſunt verè juſti & ſancti. Hinc per excellentiam Chriſtus Dominus in Scripturis *Juſtus* dicitur. Iſa. 53. ℣. 11. *Juſtus Servus meus.* Zach. 9. ℣. 9. *Juſtus, & Salvator.* collat. Jer. 23. ℣. 5. Act. 3. ℣. 14. *Vos ſanctum & JUSTUM negâſtis.* & Act. 22. ℣. 14. *Ut-videres JUSTUM*, (h. e. Chriſtum,)

(*m*) *Lib de Benediction. Patriarchar. c. 12. Tom 1, ad verba illa, Gen. 49. v. 27.* Beniamin lupus rapax. *Confer eundem, Lib. de Joſeph Patriarch. in Gen. 42. & 43.* (*n.*) *Act. 9. v. 1. 2. 3. & ſequ.* (*o*) *Infra Claſſ. 3. cap. 1. §. 5. & 6.* (*p*) *S. Ambros. in Pſal. 36. Tom. 2.* † *Reſpicit ad locum Matt. 25. v. 15. collat. Luc. 19. v. 13.*

ſtum,) *& audires vocem ex ore ejus.* Confer hîc juxta Vulg. Latin. Iſa. 45. ℣. 8. & 51. ℣. 5. Si literam in allegato Pſalmo ſpectemus, *David* & unusquisq; pius ſui temporis erat hujuſmodi *juſtus* per Chriſtum, qui *miserebatur & tribuebat*; at in Davidis & aliorum veterum juſtorum ut typicorum ſubjectorum perſonis, principaliter ad Dominum Salvatorem reſpiciebatur. Et per conſequens, propter *Chriſtum* convenit verſus allegatus S. *Paulo* Apoſtolo.

IX. Egregiè hæc obſervatio illuſtrari poteſt ab ea obſervatione, quam in adverſam partem poſuit valdè eruditè S. *Gregorius* his verbis: (*q*) *Intuendum eſt nobis, quia ſic Baldad Suites,* (h. e. Spiritus S. per os ejus,) *de unoquoq; INIQUO* (ſeu impio) *loquitur, ut latenter ad CAPUT omnium iniquorum ejus verba vertantur.* Et ſtatim ſubjicit: *Caput quippe iniquorum Diabolus eſt.* Deinde verò immediatè de Antichriſto agit, quem *ultimis temporibus Diabolus ingredietur*, & per quem maximam ſuam impietatem exercebit. Quibus in verbis (jam allatis) hoc inſinuat: Quòd ubicunq; in Scriptura S. de *Impio* (ſeu *iniquo*) in ſingulari ac per excellentiam, ut magno piorum hoſte & oppugnatore eſt mentio, ſemper in iis locis principaliter ad *Diabolum*, ut inviſibilem hoſtem electorum, caputq; & inhabitatorem impiorum reſpicitur, conſequenter verò ad ejus membra, & inter memba ejus, primariò ad eum & eos, per quem & per quos potentiſſimè regnat, & exercet impietatem. Atque hinc jam pro noſtra obſervatione ſupra poſita, hoc in contrarium inferre poſſumus: Ergo, Ubicunque in Scriptura S. inprimis Prophetica, *juſtus* vel *ſanctus* in ſingulari, ut perſona excellens, à ſuis virtutibus deſcribitur & commendatur, ſemper in ejuſmodi locis principaliter ad Caput omnium juſtorum & ſanctorum, ſcil. ad *Chriſtum* Dominum fit reſpectus; participativè autem ac ſecundariò (ſi nempe locus virtutes & actus electis participabiles indicet,) ad ejuſdem viva *membra*; ita quidem, ut quo * quis propiùs ad *Chriſtum* in gratia & virtutibus accedit, eò etiam pleniùs talia loca poſt Chriſtum & per *Chriſtum* ad ipſum pertineant. Unde non eſt mirum, quòd locus Pſalmiſtæ † principaliter Chriſtum reſpiciens, de *juſto* excellenti (*impio* illic directè oppoſito,) ſpecialiter S. *Paulo* Apoſtolo (ut audivimus) per S. *Ambroſium* applicetur.

X. Sanctus etiam *Juſtinus* Martyr (an. D. 150.) typum *Jeſu* ſeu *Joſuæ* Pontificis ſupra (*r*) memorati, de ſe ac ceteris verè fidelibus interpretatur, ſervatâ interim principalitate typi ipſi Chriſto, eò quòd res Chriſti, & per

N Chriſtum

(*q*) *Moral. in Job Lib. 14. c. 11. in cap. 18. Job. v. 17.* Memoria illius (*nempe* impii) pereat de terra. * *Lucem hîc accipe ex illis S.* Hilarii *verbis, Prolog. in Pſal. 1.* Vir. ille hic à Propheta *beatus* prædicari opinandus eſt, qui ſe ei corpori, quod Dominus aſſumpſit, in quo homo natus eſt, conformem ſtudio æquitatis, & totius juſtitiæ perfectione præſtiterit. † *Pſal. 36. (al. 37.) v. 21.* (*r*) *S. 8. h. cap.*

Chriſtum gerendas ſignificet. Cum autem dixerimus jam & nos ſupra (*ſ*) hunc typum ita pertinere ad *Chriſtum*, ut tamen in ejus myſtico corpore debeat impleri; ideò tantò libentiùs hîc S. *Juſtini* verba proferimus in medium, quæ ſic ſe habent ad Judæum Tryphonem: (*s*) *Et ſub* Jeſu, *qui Babylone in populo veſtro Sacerdos fuit, apparitionem factam, in præſentia probabo, rerum à noſtro Sacerdote, & Deo & Chriſto, Patris rerum omnium Filio gerendarum, eſſe præconium.--- Enimverò, ut vobis rationem explicem de revelatione* Jeſu *Chriſti, Sancti iſtius, rem ipſam repeto & aſſero; eam quoq; revelationem in nos competere, in Chriſtum Pontificem hunc crucifixum credentes: qui cum in fornicatione & omni prorsùs impura actione eſſemus, per eam quæ nobis à* Jeſu *Chriſto obtigit, (de voluntate & conſilio Patris ejus) gratiam, omni ſordidâ, quâ circumdati eramus pravitate, exuti ſumus. Nobis quippe Diabolus inſtabat, ſemper adverſans, & ad ſe trahere volens; & Angelus Dei, id eſt, Virtus Dei per Chriſtum nobis miſſa, (t) increpat illum & à nobis repellit: & ſumus perinde atq; ex igne (u) extracti, à peccatis videlicet priſtinis PURIFICATI, atq; ab afflictionibus & exploratione ignis probati, quâ nos exercet Diabolus, & adminiſtri ejus omnes: unde nos etiam rursùs extrahit* Jeſus *Filius Dei, qui ſe veſtibus præparatis nos induturum eſt pollicitus, ſi præcepta ejus factis compleverimus, & Regnum ſempiternum nobis providentiâ ſuâ paraturum eſſe in ſe recepit.* Hæc me non ideò retuliſſe, quaſi inſinuem, iſta & ſimilia prophetica vel typica jam plenè & prorsùs eſſe impleta, ſuperiora oſtendunt: talia enim in dies pleniùs ac pleniùs impleri, jam (*v*) indicavi: ſed retuli, partim ut fundamentum de talibus in dies perfectiùs intelligendis ponam, partim verò ut noſtræ oſtendam *Regulæ* ſextæ veritatem, inprimis juxta rationem ſecundam.

XI. Adeò autem ſtat veritas noſtræ *Regulæ*, ut diligenter excuſſis & examinatis aliquot Scripturæ S. locis, (iisque, tùm ad veterum, tùm ad recentiorum Doctorum celebrium interpretationes collatis,) auſim confidenter dicere, dari loca prophetica & typica in Scripturis, quæ, niſi admittamus in poſterùm à Deo ſuſcitatum iri excellentes quaſdam perſonas, ex utroq; ordine, Eccleſiaſtico & Seculari, eruditione, pietate, ſanctitate & zelo gloriæ Dei promovendæ, aliis præituras, in quibus nempe *Chriſtus* excellentiori quodam modo præ aliis habitaturus ſit, & in quibus ob eandem rationem ejuſmodi loca impleantur, nunquam ea feliciter intelligemus. Nec enim abbreviata eſt manus Domini, vel ejus, noſtris temporibus infauſtis, illa defecit miſericordia, (ſicut aliqui, ſi non verbo, re ipsâ tamen ſibi ineptè perſvaſiſſimum habent,) quâ poſſet, imò vellet etiam dehinc eximios aliquos ſuſcitare Doctores, Duces & Patronos, imò & Patronas ex alio ſexu ac *Deboras*

(*ſ*) §. *nunc cit. p.* 92. (*s*) *Dialog. cum Tryphone, pag.* (*mihi*) 343. 344. (*t*) *Zach.* 3. *v.* 2. (*u*) *Ibid.* (*v*) *In Regul.* 1. *huj. Claſs.* 2. *p.* 56.

Digitized by Google

boras nutritias Eccleſiæ ſuæ, ad exemplum & ſimilitudinem veterum magni nominis Sanctorum & Sanctarum. Ex multis locis, pauca tantùm hîc notabo. Zach. 4. ℣. 7. 8. 9. 10. Iſa. 22. ℣. 20. 21. 22. 23. 24. & cap. 41. ℣. 2. & 50. ℣. 4. 5. 6. Ezech. 43. ℣. 10. 11. & 46. ℣. 2. collat. ibid. cap. 37. ℣. 24. & Matt. 24. ℣. 45. 46. 47. & Joan. 10. ℣. 16. col. ult.. Hujus generis eſt locus Abd. ℣. 1. collat. Jerem. 49. ℣. 14. Unum tantùm ex his ad inveſtigandum aſſumo, nempe Zachariæ 4ti capitis locum de *Zorobabele*. Certum eſt Chriſtianis eruditis, (*x*) *Zorobabelem* illic eſſe typum *Chriſti*; at verò talem, qui in eximio aliquo Principe, Patrono & Nutricio Eccleſiæ debebat impleri. Et quidem facilè concedo aliquid de typo illo, in *Conſtantino* Magno (ut præludio futurorum inſigni) impletum eſſe; verùm tam nervoſa & plena emphaſeos eſt illic *Zorobabelis* & rerum per eum gerendarum deſcriptio, ut nunquam hactenùs geſtum aliquod in Eccleſia N. Teſt. reperiatur, quod ei exactè reſpondeat; ſed neceſſariò in futurum debemus ſperare & expectare plenius typicæ illius prophetiæ implementum.

XII. Accedit huc, quòd impoſſibile eſt, Deum, Patrem in ſuos benigniſſimum, ſuorum diuturna pro talibus perſonis in Eccleſia ſuſpiria, penitùs in auras evaneſcere, & fruſtranea fieri ſinere. Quale eſt illud (inſtar vocis omnium verè fidelium) Joannis *Feri* piiſſimi & doctiſſimi Theologi Franciſcani (an. D. 1550.) votum fervidum: (*y*) *O! quàm neceſſarius eſſet nobis Helias quiſpiam, qui reſtitueret omnia: nam fermè omnia in abuſum ceſſerunt.* „*Quàm aptè & nos dicere poſſemus cum Apoſtolis*: (*z*) Domine, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſraël! *Utinam ſuſcitaret Deus EZECHIAM ali-* „*quem, aut* JOSIAM, *qui ad verum Dei cultum nos reduceret!* (*a*) ne for- „tè veniat Dominus, & percutiat terram anathemate, *& omnes ſimul irrevocabiliter perdat.*

XIII. Hæc dum leguntur & audiuntur, incitamenta ſunto electis Dei utriusq; ſexus, Deum verè amantibus, ut miſſis Mundi vanitatibus ferveant Spiritû, & fuſis ad Deum precibus aſſiduis, ſtudeant illi, illæq; eſſe, in quibus ultimo tempore præclara illa & ardua quæ nunc dicta ſunt, Chriſtus Dominus tanquam in ſe impleturus eſt. Habent utriq; luculentiſſima in Scripturis exempla; *Abrahamum*, *Joſephum*, *Moſen*, *Joſuam*, *Davidem*, *Ezechiam*, *Joſiam*, *Eſdram*, *Nehemiam* & alios parte ab una; item, parte ab altera, *Deboram*, *Abigailem*, *Bethſaben*, (jam Matrem Salomonis,) *Marias* aliquot, *Oldam* Propheriſſam & alias; imò integrum chorum (*b*) *mulierum*, plùs *Davidi* victori quàm *Sauli* laudes canendo, prophetantium.

XIV. Quid verò de *Cantico Canticorum* dicam? cum hîc ſe aliquid de eo

(x) Vid. S. Ambros. in Agg. c. 2. ad Ireneum, Tom. 2. & S. Hieron. Comm. in Agg. c. 1. v. 1.
(y) Jo. Fer. Comm. in Matt. cap. 17. v. 11. (z) *Act. 1, v. 6.* (a) *Mal. 4, v. 6,* (b) *1. Reg. (al. 1. Sam.) 18. v. 6. 7.*

dicendi offerat occaſio. Non diffiteor jam inde ab adventu Chriſti, cœpiſſe aliquid ex eo, tanquam in tenui delineamento impleri; at quò magis omnia verba ejus, profundiſſimis plena myſteriis, iterùm atque iterùm volvo & excutio, eò magis debeo mihi perſvadere, illud quoq; (quoad exactiſſimum ſuum implementum) ſic ad ultima pertinere tempora, ut *Sponſus* ille myſticus, qui ibi nobis proponitur, nempe Chrſtius Dominus, in magnis quibuſdam & ſanctiſſimis Eccleſiæ ſuæ (*c*) Ducibus & Anteſignanis futurus ſit talis, admodùm mirabili, puriſſimô & ſanctiſſimô modô, qualis illic deſcribitur: atq; ejus *Sponſa* myſtica, Eccleſia ultimi temporis (variis ac vàriis preſſuris & viciſſitudinibus ante lætiores ſuos dies ſubjicienda) futura ſit, ſub directione eorundem Ducum & Protectorum: quæ ſub ſchemate ſexûs imbecillioris ideò proponitur, tùm quia fideles humanitùs valdè † infirmi, ac per hoc ſexui imbecilliori ſimiles, & coram Mundo abjecti, multùm conferent ad ornatum ſpiritualem dictæ S. Eccleſiæ; tum etiam, quia ad literam quoque, procul dubio, aliqua, & aliquæ excellentiſſimæ, caſtiſſimæ & ſanctiſſimæ ex ſexu femineo, tanquam ſingulares Eccleſiæ Nutrices, Patronæ & Matres ſpirituales, (qualis erat, vel *Debora* olim, vel *Helena* Conſtantini M. Mater,) ſuo exemplo & ſanctô zelô aliis tunc in bono prælucebunt, aliosque excitabunt, ut in dies Eccleſia ſancta, magis ac magis augeatur & floreat. Atque hanc rationem puto eſſe unam & præcipuam, ob quam à Spiritu S. tanta cum inculcatione, S. Eccleſia, tanquam *Mulier* aliqua ornatiſſima, tùm in dicto *Cantico*, tum Apoc. 12. ℣. 1. & 19. ℣. 7. 8. (collat. 21. ℣. 9.) deſcribitur. Huc referri poteſt etiam myſterium loci, Prov. 31. ℣. 10. & ſequ. Nec illud eſt ſine magno futurorum myſterio; quòd *mulieres* primùm & ante alios magna cum ſollicitudine venerunt ad monumentum Domini; *mulieribus* primùm Dominus reſurgens ſe manifeſtavit; & per *mulieres* primùm eſt annunciata diſcipulis reſurrectio Domini. Matt. 28. ℣. 1. 7. 8. 9. 10. Marc. 16. ℣. 1. 2. 6. 7. 8. 9. 10. Luc. 23. ℣. 55. 56. coll. c. 24. ℣. 1. 9. 10. Joan. 20. ℣. 1. 11. 14. 15. 16. 17.

XV. Dum hîc de futuris quibuſdam excellentibus Perſonis ago, non dubito, quin multi jam & illud deſiderent ſcire, quid de *duobus Teſtibus*, ac inprimis de *Elia* ſentiam. Itaque, quoniam hæc Quæſtio, magni in hoc ſtudio Prophetico eſt momenti, peculiarem hîc de illis *Teſtibus*, ſequentem hanc *Regulam* trado.

CA-

(*c*) *Illuſtratur hoc dictum, verbis illis S. Ambroſii*; [*Comm. in S. Luc. cap. 1. v. 26. 27.*] Singulæ Eccleſiæ, Spiritù quidem replentur & gratiâ; junguntur tamen temporali ad ſpeciem Sacerdoti. *Huc facit & illud, quòd apud* Gratianum *ex Calixto Papa*, Eccleſia *dicitur* Sponſa uxorque Epiſcopi. *Cauſ. 7 qu. 1. c. 39.* Sicut &c. † *Excute hîc ſenſum myſticum Iſa. 4. v. 1. & conf. Iſa. 14. v. 30. & 29. v. 19. & 1. Cor. 1. v. 27.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

In quo, *traditâ* Regulâ 7mâ, *agitur de* duobus Teſtibus, *juxta* Scripturæ *ſacræ* & SS. *Patrum* teſtimonia *venturis*, (*quibus vera populi Dei* reformatio *ſpecialiter eſt reſervata*;) *& quales illi futuri ſint, ſeu, quomodo veterum de* Elia *eiusq́*, Socio [*ſignanter* Enocho] *venturis ſententia debeat intelligi, explicatur; eademq́, ex ſcopo Spiritûs S. explicata, tùm* teſtimoniis Doctorum *Eccleſiæ*, *tùm etiam* argumentis *in* Scriptura *S. fundatis confirmatur.*

REGULA VII.

I. *Niſi quis admittat, venturos dehinc ſingulares duos Viros, ut eximios in „Eccleſia Catholica ex miſſione Divina Doctores, ad eorumq́ imitationẽ „multos alios; impoſſibile eſt, ut multa præclara loca Scripturæ S. Propheticæ „& Typica rectè intelligat, & aliis feliciter exponat.*

II. Nemo mihi objiciat, (ut hîc in anteceſſum illud diluam,) per *duos Teſtes* in Apocalypſi cap. 11. ℣. 3. intelligi in genere Doctores Eccleſiæ, quatenùs juxta Scripturam duorum Teſtamentorum (V. & N.) tùm in pace, tùm præſertim in magnis tribulationibus docent Eccleſiam Dei. Nam ſi quis recurrat ad *primam* & *ſecundam* meam hujus 2dæ Claſſis *Regulam*, animadvertet, talem quidem ſenſum non excludi per noſtram poſitionem; nihilominùs alium adhuc magis emphaticum quæri, qui ſcopo Spiritûs S. exactiùs reſpondeat; talis autem eſt iſte, quem in præſenti *Regula* propoſui.

III. Pro veritate *Regulæ*, urgeo hîc *primùm*, ipſum locum nunc memoratum Apocalypſeos, cap. 11. Ubi inprimis ℣. 5. & 6. tam emphaticè deſcribuntur *duo* illi *Teſtes*, ut impoſſibile ſit ullis hactenùs inde ab edita hac prophetia, illam deſcriptionem ad plenum emphaſeos requiſitum applicari. Qui enim quæſo hactenùs ſive pauci, ſive plures, fuêre poſt Apoſtolos, tantâ in Eccleſia Chriſtiana inſtructi poteſtate Doctorali, ut ſibi nocere volentibus, efficaciſſimo Dei verbô, (precibus ardentibus junctô,) tanquam *igne ex ore* ipſorum prodeunte, manifeſtum aliquod exitium attuliſſent, & alia tam ardua feciſſent, ut ibi de *duobus Teſtibus* refertur? Sic etiam *duas olivas* apud Zachariam, cap. 4. ℣. 3. 11. 14. quis nobis pro rei merito explanabit, niſi eas quoq́; (S. Joanne (*a*) monſtrante) pro *duobus Teſtibus* accipiamus, easq́; de futuro intelligamus? Sic *duorum Angelorum* (*b*) Lothum ex incendiis Sodomæ eripientium; *Moſis* & *Aaronis*, duorum inſignium Populi Dei Ducum; *duorum Exploratorum* (*c*) Rahab mulierem (typum Eccleſiæ) ſuâ inſtructione ſervantium; item, (*d*) *Joſua* & *Caleb* typi, (ut & arcana (*e*) *Urim* & *Thummim*,) nunquam accuratè ab eo intelligentur, qui negat dehinc futuros inſignes *duos* (cum multis ſequacibus) in Eccleſia Doctores, veros nempe Populi Dei Reformatores, in quibus myſterium eorum exactè impleatur. In illis ſanè aderit inſignis illa *doctrina* (ſeu ſapientia) *cœleſtis* & *admiranda*

(*a*) *Apoc.* 11. *v.* 4. (*b*) *Gen.* 19. *v.* 17. (*c*) *Joſ.* 2. *v.* 2 *& ſequ. Confer hic Abb.* Joachim *Comm. in Jerem.* 4. *v.* 13. (*d*) *Num* 14. *v.* 6. 30. (*e*) *Exod.* 28. *v.* 30. *juxt. Hebr.*

Digitized by Google

admiranda vitæ *ſanctitas*, quas *Alcaſar* (non ſine extenuatione emphaſeos propheticæ) ita in abſtracto, pro (*f*) *duobus Teſtibus* Apocalypticis accipit; putatque (prorsùs aliter, quàm alii tàm veteres, quàm recentiores ſentiunt,) prophetiam de *duobus Teſtibus* Apocalypticam, jam olim tempore Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum (in eorum ſcilicet *doctrina* & *ſanctitate*) penitùs fuiſſe impletam. Illorum etiam ſententia, qui *duos Teſtes* Apocalypticos pro *duplici genere* ſeu *Ordine Teſtium*, cauſam Chriſti *contra Antichriſtum* propugnaturorum accipiunt, (uti ſunt, *Primaſius*, Abbas *Joachim*, & S. *Tereſia*, apud Cornelium à *Lapide* (*g*) in cumulo (*h*) citati,) ex noſtra ſententia (in ſequentibus pleniùs adhuc explicanda) non parùm illuſtratur, atque etiam vice versâ eorundem ſententia noſtram † aliqua ex parte fulcit & illuſtrat. Sed ad cœptam argumentorum ſeriem redeo.

IV. Accedit huc (*ſecundò*) firmiſſimum & irrefragabile Chriſti Domini teſtimonium de *Elia* adhuc venturo; quô probatô de futuro ſonare, evidenter ſequitur, in Apocalypſi quoque per *duos Teſtes* quoad emphaſin verborum, dehinc futuros Doctores intelligendos eſſe. Audiamus hîc Chriſtum Dominum. Diſcipuli occaſione illâ, quâ viderant *Moſen* & *Eliam* in Monte cum Chriſto collocutos, in animum ſibi revocantes, communem Judæorum traditionem ex Malachiæ poſtremis, (*i*) quæſtionem proponunt Chriſto Domino hunc in modum: (*k*) *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?* Reſpondet Chriſtus Dominus: (*l*) Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα. H. e. *Elias quidem VENIET primùm, & RESTITUET OMNIA.* Verba tàm clara ſunt de futuro, (ubi Græcum ἔρχεται, etſi ad literam eſt præſens, attamen uti omnes eruditi nôrunt, hîc pro futuro accipitur,) ut non niſi cum manifeſta violentia in textum, & ſcopum Domini, poſſit quis ad præteritum, h. e. ad *Joannem* Baptiſtam, qui jam tunc interfectus erat, locum iſtum detorquere. De hoc enim ſtatim ſequenti verſu ſeorſim agit Dominus. Imò apud Marcum Chriſtus Dominus, (ut infra pleniùs audiemus,) etiam paſſiones futuras *Eliæ* illius tertii deſcribit, cum ſic ait: (*m*) *Elias cum venerit primò, reſtituet omnia; & quo modô ſcriptum* (*n*) *eſt in Filium hominis*, [fiet] *ut multa patiatur & contemnatur*, ſeu *pro nihilo habeatur.* Scilicet in principio & aliquo prædicationis ſuæ progreſſu, *multa patietur, & contemnetur* à ſtultis & Dei opera non conſiderantibus; dabit tamen glorioſum tandem exitum Deus prædicationis ejus.

V. Scio

(*f*) *Alcas. Comm. in Apoc.* 11 *v.* 3. *pag* 380. (*g*) *Corn. à Lap. Comm. in Apoc.* 11. *v.* 3. (*h*) *Junge his* Feuardent. *Not. in Iren. Lib.* 5. *c.* 30. *n.* 10. † *Vid. infr.* §. 38. 43. 44. *h. cap.* (*i*) *Mal.* 4. *v.* 5. (*k*) *Matt.* 17. *v.* 10. (*l*) *Ibid. v.* 11. *Conf. Marc.* 9. *v.* 12. *al. v.* 11. (*m*) *Loc. cit.* (*n*) *Reſpicit Dominus ad locum Iſa.* 53. *v.* 3. *ut notum eruditis. Vide pleniùs de hoc, infra* §. 54. 55. 56. 57. *h. cap.*

Digitized by Google

V. Scio quidem quoſdam recentiores, non ſolùm *Proteſtantes* ſed & *Catholicos* † hunc verſum non ſine torſione ita exponere, quaſi idem cum verſu proximè ſequente ſonaret; ut nempe Chriſti verba memorata de fu„turo, hunc tantùm ſenſum haberent; (*o*) Vera dixerunt Scribæ, venturum „eſſe, id eſt, venturum fuiſſe Eliam: at hoc jam factum & impletum eſt, „nempe, in Joanne Baptiſta. Quæſo hîc unumquemque, cui ineſt candor & amor veritatis; an non hoc eſt, verba Chriſti in alium ſenſum detorquere, & ab ejus ſcopo longè aberrare? Ne Sapientis quidem alicujus puri-puti hominis verba hujuſmodi liceret ita interpretari. Chriſtus Dominus diſtinctè dixit de uno *Elia* qui nondum venerat, quòd *veniet & reſtituet omnia*, in futuro; (℣. 11.) de altero verò (℣. 12.) qui jam venerat & interfectus erat, ſeorſim dicit, quòd *Elias jam venit*, & *non cognoverunt eum*, *ſed fecerunt in eo* (vel *ei*) *quæcunq́, voluerunt*; nihilominùs tamen dicta tam clara & diſtincta, interpretatio humana ac privata, vult obſcurare. Omnis fons hujus negati à Jacobo *Fabro* Stapulenſi, *Luthero* aliiſq́; futuri adventûs *Eliæ*, inde eſt, quòd eum hæc traditio variè ac variè à diverſis tradatur, (à quibuſdam etiam cum perplexis & intricatiſſimis difficultatibus inde emergentibus,) non poterant capere, quomodo *Eliæ* adhuc venturo talia applicari poſſint, qualia à pleriſq́; de eodem prædicantur. Nos Domini Salvatoris perſpicuis innixi verbis, eorundem tenore ac luce omnium difficultatum tenebras hîc ſuperemus. Vis certè hujus de venturo *Elia* veritatis eſt tanta, ut nec ipſe *Lutherus* nimiùm ab ea abhorruerit; quod apparet ex his ejus verbis: (*p*) *Non repugnamus his, qui opinionem hanc veterem ſequi volent. Expectent ipſi Eliam & Henoch, ſimul & Joannem. (de quo etiam dicunt, quòd cum Elia venturus ſit,) modò ſinant nobis quoq́, liberum, hanc opinionem pro opinione habere.* Hæc ille. Quod ejus attinet poſtulatum; (ut obiter ad illud aliquid dicam,) qui in tanta etiam verbi Dei luce, nondum hanc, ut oportet, videt veritatem, videat, an poſſit ſuæ tam ſupinæ in inquirenda veritate negligentiæ, & affectatæ ignorantiæ, ne dicam contemptûs lucis oblatæ, Deo reddere rationem in ejus demùm judicio. Ego ſanè, quantum ad me, (unà cum pariter credentibus Dei verbo,) non poſſum non hanc ſententiam de *Elia* ejuſq́; Socio pro certiſſima & infallibili veritate habere. Quomodo autem ſit intelligendus *Elia*, ut & alterius Teſtis adventus, infra, (*q*) Deo favente, dicturi ſumus.

VI. Præter manifeſtam inter *ſecundum*, qui venit, & inter *tertium* venturum *Eliam*, in verbis Domini (*r*) diſtinctionem, (quam jam vidimus,) adeſt hîc aliud quoq́; validiſſimum pro nobis argumentum in ejuſdem Domini Salva-

† *Jacob.* Faber *Stapulenſis*; Arias Mont. *Ex Proteſtantibus autem vid.* Luther. Calvin. *alioſq́, poſt ipſos.* (*o*) *Vid Luth. & Jac. Fabrum in hunc locum, Matt* 17. (*p*) *Luth. in Matt. c.* 17. *v.* 11. (*q*) *S.* 22. 23. *& ſequ. hoc. cap.* (*r*) *Loc. cit. Matt.* 17. *& Marc.* 9.

ni Salvatoris verbis. Dominus enim non ſolùm dicit, *venturum Eliam*, ſed etiam arduum & immenſum ejus laborem (juſtum tempus requirentem) adjicit, nempe, quòd is *RESTITUET OMNIA*. Atqui *Joannes* Baptiſta, licet præparaverit populum Chriſto per ſuam breviſſimi temporis prædicationem, atque (ſ) *corda Patrum*, majoris † nempe Populi, h. e. Judaici, (quoad electos,) *in filios* (ſcilicet futuros per prædicationem Evangelii ex Gentiliſmo,) *converterit* & inclinârit, ita diſponendo præparatoriis ſuis ſermonibus corda electorum inter Judæos, ut perſvaſum ſibi haberent, jam jam præ foribus eſſe tempus, quo etiam Gentes in Regnum Dei vocarentur, eique aggregarentur; (quod patet, ex Luc. 3. ℣. 5. 6.) non tamen *omnia* ille in Eccleſia *reſtituit*; (qua ex ratione, rectè ſe negavit *Eliam* fuiſſe, Joan. 1. ℣. 21.) ac proinde hæc phraſis, *reſtituere omnia*, nequaquam de *Joanne* illo Baptiſta prædicari poteſt: quod eò magis apparebit, ubi Deo volente, de *Reſtitutione omnium* in hoc Libro (s) acturi ſumus. Eſt enim noſtra phraſis parallela ei, & ejuſdem cum illa ſcopi, quæ exſtat Act. 3. ℣. 21. (*usq; in tempora reſtitutionis omnium* &c) cujus ſenſus ſub memorato titulo, † ſuo loco explanabitur. Nunc futurum *Eliæ* adventum inculcare hîc volumus, antequam *reſtitutionem omnium* per eum futuram enarremus. Nec eſt, quòd quiſpiam hîc opponat; quòd verba Domini Salvatoris allegata, *unius* tantùm, non autem *duorum* Teſtium futurorum faciant mentionem. Nam ut occaſio quæſtionis de *uno* motæ tulit, ſufficere Chriſtus Dominus judicavit, de *uno* tantùm, utpote principali Teſte, facere mentionem & promiſſionem: quâ non negavit alium quoque venturum; ſed illius adventum, partim ex Zacharia, (t) partim ex nova Spiritûs S. per Joannem (u) futura informatione, ſuis aſſeclis tempore ſuo diſcendum reliquit.

VII. *Tertiò*, alienum eſt à reverentia illa, quam veteri Eccleſiæ debemus, communem venerandæ *Antiquitatis* conſenſum, temerè & ſine fundamento hîc penitùs rejicere, inprimis ob pauciorum & recentiorum contrariam ſententiam. Teneat hîc, qui veritatis in dies magis ac magis inveniendæ avidus eſt; quòd, quicquid legerit in Sanctis Eccleſiæ *Patribus*, tanquam communem, vel certè propè communem veterum Catholicorum ſententiam, non id illicò (ut mos eſt quorundam) naſô floccipendat averſo, vel exſibilet, aut debito ſine prætervolet examine, (etiamſi fabuloſum quid primâ fronte videretur;) ſed conſideret diligenter, an Deus ita Sanctos illos, per tot ſecula (quâdam parte) deſeruerit, ut planè nihil rei in ejuſmodi communi ipſorum ſententia ſubſit; vel potiùs aliquid veri, quod hactenus nos la-

(ſ) *Luc. 1. v. 17.* † *Hanc interpretationem intellige de tunc viventibus majoribus. At ſi Patres (ſeu Majores) pro defunctis veteribus accipias, verba aliter ſunt exponenda; qua de re lucem præbet S. Auguſt. Lib. 20. de Civ. Dei, c. 29. Vid. infr. §. 13. h. cap.* (s) *Regul. 32. h. Claſs. 2. cap. 9.* † *Sub Reg. nunc citat. §. 3. & 5.* (t) *Cap. 4. v. 3.* (u) *Apoc. 11. v. 3 4. & ſequ.*

Digitized by Google

nos latuit, in ea ſublateat. Veterum autem quæ fuerit in hoc puncto ſententia, breviter quantùm fieri poteſt, en in ſequentibus recenſebo.

VIII. S. *Juſtinus* Martyr, ſanctorum Patrum antiquiſſimus, diſputans cum Tryphone Judæo, an. D. 150. nîl dubitat hanc ſententiam de *Elia*, ante adventum Domini ſecundum venturo, ita proponere, tanquam à Chriſto Domino Salvatore (poſt Malachiam) traditam & confirmatam; ac per hoc, tanquam communem Eccleſiæ primitivæ. Ipſum de hac re audiamus. Poſtquam dixiſſet Judæus per modum objectionis, quòd ipſi (*v*) *Eliam venturum præſtolantur, qui Chriſtum inungat*, ob idque, cum *Elias non*-dum *venerit*, neq; Meſſiam veniſſe cenſent: *Juſtinus* tandem ſic ſe replicâſſe refert: *Annon Eliam Verbum per † Malachiam, adventurum dicis, ante magnum & terribilem illum Diem Domini?* Subjicit illicò: *Atq; ille* (Judæus) *reſpondit: Maximè.* Pergit deinde Juſtinus: *Si ergò ratio cogat fateri, duos futuros Chriſti adventus, Prophetarum reſponſis prædictum eſſe, alterum, cum paſſioni ſubditus, & inhonoratus, & informis * apparebit, alterum, cum glorioſus, & Judex omnium aderit; an non terribilis & magni illius diei,* (τῦτ' ἐςι, τῆς δευτέρας παρουσίας αὐτῦ) *hoc eſt, SECUNDI ADVENTUS ejus, ELIAM PRÆCURSOREM fore, Verbum Dei prænunciâſſe intelligemus? Maximè; reſpondit ille.* Poſt hæc ſuam & ſuorum à Domino Salvatore confirmatam ſententiam, ſic enarrat Juſtinus: Καὶ ὁ ἡμέτερος ὗν κύριος, ἔφην, τῦτο αὐτὸ ἐν τοῖς διδάγμασιν αὐτῦ παρέδοκε γενησόμενον, εἰπὼν καὶ Ἠλίαν ἐλεύσεσθαι, καὶ ἡμεῖς τῦτο ἐπιςάμεθα γενησόμενον, ὅταν μέλλῃ ἐν δόξῃ ἐξ ὐρανῦ παραγίνεσθαι ὁ ἡμέτερος κύριος Ιησῦσ χριςὸς. H. e. *Et noſter itaq; Dominus, inquam, hoc ipſum in doctrinis ſuis futurum tradidit, dicens, etiam ELIAM* (*x*) *VENTURUM eſſe. Atq; nos id fore ſcimus, cum cœlitùs in gloria adveniet Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Subjicit: *Cujus etiam prioris apparitionis Præco præceſſit, qui in Elia fuerat Spiritus, in Joanne, generis veſtri Propheta.* Quis in tam ſeria & laborioſa Judaici teli repercuſſione, *Juſtinum* hîc ex ſcopo Malachiæ & verborum Chriſti argumentantem, meram tantùm fabulam Judæo repoſuiſſe dicat? Subjungo hîc ex *Theophilo* (an. D. 170. & ſequ.) Antiocheno Epiſcopo, de *Elia* hæc ſequentia: † *Cum venerit Antichriſtus, -- HELIAS Patrem & Filium, & Spiritum S. annunciabit. Tunc Sancti confeſſuri ſunt Trinitatem; impii verò Diaboli ſequentur doctrinam.*

O IX. Item,

(*v*) *Juſtin. Dial. cum Tryphon. pag.* (*mihi*) 268. † *Corruptè in Græco Juſtini textu legitur,* διά Ζαχαρίυ, *pro,* διὰ Μαλαχίυ * *Loquitur ex mente expectantium veterum Prophetarum, dicendo* φανήσεται, apparebit; *quod nobis eſt,* appariturus eſſet. (*x*) *Matt. 17. v. 11. & Marc. 9. v 12.* (*al. 11.*) † *Comm. in Evangelia, Lib. 3. Biblioth. SS. PP. Tom. 1, edit. Par, an, 1654, pag. 362.*

IX. Item, *Tertullianus* an. D. 208. ita ſcribit: (*y*) *Tranſlatus eſt Enoch & Helias, nec mors eorum reperta eſt; dilata ſcilicet. Ceterùm morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.* Talia verba, quem ſanum poſſint habere ſenſum, ex iis quæ infra * loco ſuo dicentur, attento lectori, non erit obſcurum. Nunc mihi ſcopus eſt tantùm, ſententiam de venturo illo, quem Chriſtus poſt Malachiam promiſit, ex veneranda antiquitate confirmare. Idem Tertullianus alio capite docet, (*z*) *Heliam non ex deceſſione vitæ, ſed ex tranſlatione venturum eſſe.* Idem alibi, *Heliam* vocat (*a*) *Conſummatorem Novi Teſtamenti*; ſcilicet, reſpiciens ad dictum Salvatoris: *Elias reſtituet omnia.*

X. *Victorinus* † Pictavienſis Epiſcopus, an. D. 290. & Martyr an. D. 303. in brevi Commentario, qui hodie ejus nomine in Apocalypſin exſtat, hæc de iſta ſententia nobis reliquit: (*b*) *Alæ duæ magnæ*, (Apoc. 12. ℣. 14.) *duo ſunt Prophetæ, HELIAS, & qui cum eo fuerit Propheta.* Et paulò poſt ad „verba illa, (cap. 12. ℣. 8.) *Et non eſt inventus locus eis* &c. ſcribit: *Ante tamen oportet prædicare Heliam & pacis tempora eſſe, & poſtea jactari eum* (nempe Satanam) *de Cœlo.* Item: (*c*) *Angelum* (*d*) *volantem mediô Cœlo, quem dicit ſe vidiſſe, quem ſuperiùs tractavimus, eundem eſſe HELIAM, qui anticipat prædicatione ſuâ Regnum Antichriſti. Alium* (*e*) *autem Angelum, Angelum ſequentem, eundemq́; COMITEM prædicationis prædicat Prophetam.* Ante hæc verò citata, exponit (*f*) *Mulierem volâſſe in deſertum, auxilio alarum aquilæ magnæ, dono ſcilicet Prophetarum, Eccleſiam illam Catholicam, ex qua in NOVISSIMO TEMPORE, creditura ſunt centum quadraginta quatuor millia hominum ELIÆ.* Hæc ille. Quòd in Caput undecimum in eodem Commentariolo, intricatiùs quàm in his allegatis videtur tractari hæc ſententia de venturis *duobus Teſtibus*, (quamvis non negetur;) hoc ex eo factum eſſe puto, quòd vel exſcriptor vetus, vel quiſquis alius interpolator, dum ex ſuo ingenio rem hanc illuſtrare illic voluit, eam potiùs obſcuravit. Quantum colligere ex verbis datur, quiſquis ſit eorum auctor, volebat exprimere hoc, quòd duo illi Teſtes, *Helias* & *Jeremias* futuri eſſent.

XI. Pariter S. *Ambroſius*, an. D. 380. docuit (*g*) de *Elia*, qui *currû raptus* eſt *ad Cœlum*, & *cum Domino apparuit in gloria*, *Dominici venturum eſſe Præcurſorem adventûs.* Item, dum *Joannem* Bapt. & *Eliam* inter ſe compararet, inter cetera hoc ſcribit: † *Hic* (nempe Joannes) *prioris*, *ille* (nempe Elias)

(*y*) *Lib. de Anim. c. 50.* * *§. 31. & 32. h. cap. coll. §. 29. ibid.* (*z*) *Ejuſd. Lib. c. 35.* (*a*) *Contr. Marcion. Lib. 4. c. 22.* † *Ita in Catal. Script. Eccleſ. S.* Hieron. *Aliis dicitur*, Petavionenſis in Pannonia ſuperiori Epiſcopus. (*b*) *Tom. 1. Biblioth. SS. Patr. col. 1046. edit. Par. 1610.* (*c*) *Ibid. Col. 1407.* (*d*) *Apoc. 14. v. 6.* (*e*) *Ibid. v. 8.* (*f*) *Col. 1045. 1046.* (*g*) *De Virginibus, Lib. 1. Tom. 4. edit. Par. 1614. col. 459.* † *In Evang. Luc. c. 1. v. 17. Tom. 3.*

Elias) *ſequentis Dominici Præcurſor adventûs.* Confer hîc Authorem Commentarii ſub nomine S. *Ambroſii* (Hilarium nempe Diaconum) ipſi *Ambroſio* coævum, in Epiſt. Paulinas, in 1.Cor.4. ℣.9. de *Enocho* & *Elia ultimo tempore* Apoſtolatû functuris, & paſſuris.

XII S. *Hieronymus* an. D. 400. (qui tandem obiit in Domino, an. D. 420.) hæc de *Elia* venturo (præmiſsô primùm dicto Salvatoris, *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia,*) tradit: (*h*) *Ipſe quidem* (Elias) *venturus eſt in ſecundo Salvatoris adventu, juxta corporis fidem; nunc per Joanem venit in virtute & Spiritu.* Et alibi: (*i*) *Sunt* (inquit) *qui propterea Joannem Eliam vocari putant; quòd, quomodò in ſecundo Salvatoris adventu juxta Malachiam PRÆCESSURUS EST ELIAS, & venturum Judicem nunciaturus; ſic Joannes in primo adventu fecerit: & uterq; ſit nuncius, vel primi adventûs Domini, vel ſecundi.* Quæ in *Malachiam* hac de re clariùs habet, ea etiam infra (*k*) in explicanda perſona *Eliæ*, adducentur.

XIII. S. *Auguſtinus* an. D. 418. in quadam ſua Epiſtola, de *Enocho* & *Elia* ſic ſcribit: (*l*) *Ipſi quoq; morituri poſtea perhibentur, ſicut plerq; exponunt Apocalypſim Joannis de duobus illis Prophetis, de quibus tacitis eorum nominibus loquitur, quòd iſti duo Sancti cum ſuis tunc corporibus apparebunt, in quibus nunc vivunt, ut etiam ipſi quemadmodùm ceteri Martyres, pro Chriſti veritate moriantur.* Quod inferiùs etiam in eadem Epiſtolæ paucioribus verbis repetit. Innuit iſtis ſuis verbis, duos illos Teſtes ad pugnandum contra *Antichriſtum* venturos. Quomodo autem intelligendum ſit, duos tantos Prophetas *morituros* eſſe, infra † ſuo loco aliquid lucis de hoc ſubminiſtrabitur. Alibi verò expreſſiùs, non ſolùm quaſi aliorum, ſed ut propriam & ſibi quoq; approbatam refert ſententiam (an. D. 420.) de *Elia* venturo his verbis: (*m*) *Cum autem admonuiſſet* (Dominus per Malachiam,) *ut meminiſſent Legis Moyſi, quoniam prævidebat eos, multô adhuc tempore, non eam ſpiri-*
„*tualiter ſicut oportuerat, accepturos, continuò ſubiecit:* (*n*) Et ecce ego mittam
„vobis Heliam † Thesbitem, antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris,
„qui convertet cor * Patris ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum, ne
„fortè veniens percutiam terram penitùs. *Per hunc HELIAM magnum mirabilemq; Prophetam, expoſitâ ſibi Lege, ULTIMO TEMPORE, ante judicium, Judæos in Chriſtum verum, id eſt, in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, CELEBERRIMUM eſt in ſermonibus cordibusq; fidelium. Ipſe quippe ante adventum Judicis Salvatoris non immeritò ſperatur eſſe venturus, qui etiam nunc vivere non immeritò creditur. Currû namq; igneo raptus eſt de rebus hu-*

 manis;

(*h*) *Comment. in Matt. 17. v. 11.* (*i*) *Comment. in Matt. cap. 11. v. 14.* (*k*) §. 36. 37. *b. cap.* (*l*) *Auguſt. Epiſt. 163. ad Mercatorem, juxt. edit. noviſs. Pariſ. an. 1679. Tom. 2.* † §. 31. & 32. *b. cap.* (*m*) *Lib. 20. de Civ. Dei cap. 29.* (*n*) *Mal. 4. v. 5. 6.* † *Ita juxt. LXX.* * *Ita LXX.*

manis; *quod evidentiſſimè ſancta Scriptura* (*o*) *teſtatur. Quum venerit ergo, exponendo Legem ſpiritualiter, quam nunc Judæi carnaliter ſapiunt, convertet cor Patris ad filium, id eſt, cor Patrum ad filios. Singulare quippe pro numero plurali Interpretes LXX. poſuerunt. Et eſt ſenſus; ut etiam filii ſic intelligant Legem, id eſt,* Judæi, *quemadmodum Patres eam intellexerunt: id eſt, Prophetæ, & ipſe Moyſes. Sic enim cor Patrum convertetur ad filios, cum intelligentia Patrum perducetur ad intelligentiam filiorum: & cor filiorum ad Patres eorum, dum in id, quod ſenſerunt illi, conſentiant & iſti.*

XIV. S. *Cyrillus* ab an. D. 412. uſque ad 445. (vel, ut al. 444.) Epiſcopus Alexandrinus, poſtquam ex myſteriis geſtorum *Jacobi* Patriarchæ, futuram Judæorum ultimis temporibus converſionem, eruditè demonſtraſſet; ulteriùs etiam eidem inſiſtens argumento, progreditur ad promiſſum *Eliæ* adventum, pro eodem ſuo ſcopo confirmando, hunc in modum: (*p*) Καὶ ὅτι παρέσαι, ϗ οὐκ εἰς μακρὰν τὰ εἰς φιλίαν αὐτῶν καταςήσοντα, ἐναργὲς ἀποπεραίνει κατὰ καιροὺς, ϗ τοῦτο ὁ χριςός. ἔφη γὰρ που πρὸς Ἰουδαίους διὰ φωνῆς Προφήτου· ϗ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποςελῶ ὑμῖν Ηλίαν τὸν Θεσβίτην. &c. (uſque ad, μὴ ἔλθω ϗ πατάξω τὴν γῆν ἄρδην.) ἐκεῖνος ἐλθὼν, ἐντρέψει που κατὰ τὸ εἰκὸς τὸν δυσάγωγον Ισραὴλ, ἀποςήσει τῆς ἀρχαίας ὀργῆς, φίλον κατασκευάσει, ϗ εἰρηνικὸν τῷ χριςῷ, μονονουχὶ ϗ παρόντα δεικνύων τῆς παρ᾽ αὐτοῦ φιλοτιμίας τὰ ξένια, τουτέςι, τὴν τῶν πιςευόντων ἐλπίδα. H. e. *Quòd verò affutura ſint, neq; tardatura ea, quæ eos* (nempe Jacobum & Eſaum myſticos) *ad amicitiam converſura ſunt, Chriſtus & hoc manifeſtum facit opportunè.* (Vel, *ſecundùm opportunitates.*) *Dicit enim alicubi ad* Judæos *per vocem „Prophetæ: (q) Ecce ego mittam vobis ELIAM Thesbitem,* &c. (uſque ad, *„ne veniam & percutiam terram penitùs.*) *Ille*(Helias) *cum venerit, reducet ut par eſt, intractabilem Iſraëlem, & à veteri ira abducet, amicumque reddet & pacificum Chriſto, tantùm non præſentia oſtendens ipſius liberalitatis † munera, hoc eſt, credentium ſpem.* Aperiet nempe *Elias* à Chriſto promiſſus, clariùs & uberiùs eis, quàm unquam intellexerant, ſpem ampliſſimorum bonorum, pro electis apud Chriſtum & in Chriſto repoſitorum. Prætereo brevitatis causâ *Andream Caſarienſem*, (circa an. D. 500.) in Cappadocia Epiſcopum: qui etiam ſuo in Apocalypſin Commentario, docet (*r*) per duos Teſtes à pleriſq; *Enochum* & *Heliam*, ſub ſeculi finem prædicaturos intelligi; additq; eruditè, (quod dignum notatû,) *duas olivas* & duo *candelabra* ideò illos nominari, quia *bonorum Deoq; placentium operum oleô, cognitionis luminis fomentum ſuggerent, veritatiq; vehicula exiſtent.*

XV. S.

(*o*) 4. (*al.* 2.) *Reg.* 2. *v.* 11. (*p*) *Cyrill. Glaphyror. in Gen. Lib.* 5. *Tom.* 1. *edit. Par.* 1638. *pag.* 163. (*q*) *Mal.* 4. *v.* 5. 6. † *Reſpicit ad* munera *myſtica* Jacobi, *quæ fratri ſuo* Eſauo *obtulit. Gen.* 33. *v.* 8. 10. (*r*) *In cap.* 11. *Apocal. Tom.* 1. *Bibl. SS. Patr. edit. Par.* 1610. *col.* 1086.

Digitized by Google

XV. S. *Gregorius* M. qui ab an. D. 590. usq; ad an. 604. ſedit in Pontificatu Romano, ſic de hac quæſtione docet: (ſ) *Tunc* contra eum,* (nempe Antichriſtum) *certamen juſtitiæ, & noviſſimi electi habere narrantur, & primi: quia ſcilicet & hi, qui in fine Mundi electi reperiuntur, in morte carnis proſternendi ſunt; & illi etiam, qui à prioribus Mundi partibus proceſſerunt, Enoch ſcilicet & Elias, ad medium revocabuntur, & crudelitatis ejus ſævitiam, in ſua adhuc mortali carne paſſuri ſunt.* Item, alibi: (s) *In extremis, cum Judæa crediderit, graviſſimas Antichriſti tempore perſecutiones ſentit.---Sed Enoch & Eliâ prædicante, multi ex his, qui tunc ex Judæis in infidelitate remanſerint, ad cognitionem veritatis redeunt; ſicut de eodem Elia dicitur:* (t) „Elias veniet, & ipſe reſtituet omnia: *qui utriq; per Zachariam* (u) *duæ olivæ, & per Joannem,* (v) *duo candelabra nominantur.--Tunc velut in extremo os Prophetæ aperitur, cum in prædicatione Enoch & Eliæ, Judæis ad fidem redeuntibus, prophetia ſacri eloquii, de Chriſto fuiſſe cognoſcitur.*

XVI. Item, *Julianus* Epiſcopus Toletanus, an. D. 680. ſic de venturo *Elia* ſcribit: (x) *Ante adventum judicii, mittet Dominus Heliam, ad convertendum cor filiorum ad cor Patriarcharum & Prophetarum, ut credat poſteritas eorum in Domino Jeſu Chriſto, quem & Patriarchæ & Prophetæ vaticinantes expectaverunt. Nam ſi hactenùs Judæi rectè credidiſſent, ob quam cauſam per Heliam eos converti in noviſſimo,* (y) *Propheta teſtatur?* Ex innumeris teſtimoniis, quæ adhuc (usq; ad ſeculum 16tum,) afferre poſſem, abbreviando citationes, duorum tantùm (præter Judæos) dehinc teſtimonia ſubjiciam; nempe eruditi Authoris † Commentarii in *Apocalypſin*, ad calcem Operum S. *Ambroſii*, & poſt hunc *Hugonis* Eteriani.

XVII. Sic autem memorati Commentarii Author, (qui ætate poſterior eſt *Gregorio* Magno) hac de re ſcribit: (z) *Conſtat Judæos in fine Mundi, prædicatione Eliæ & Enoch, ad fidem Chriſti eſſe reverſuros.* Et paulò poſt: *Duo igitur iſti Sancti modò olivæ ſunt, cum in aliquo terræ loco poſiti, ubi eos Majeſtas Divina commorari præcepit, per contemplationis gratiam Deo deſerviunt. Candelabra tunc fient, cum ad explendum prædicationis ſuæ officium venerint, quando omnibus, videlicet fidelibus & infidelibus, verbum Domini annunciabunt.* Ulteriùs etiam fusè eos (dum exponit verba Apocalypſeos) deſcribit: cujus ex verbis, pauca adhuc non contemnenda in hanc rem apponemus. *Sancti illi* (inquit) *quibuſdam claudent Cœlum, ut non deſcendat*

(ſ) *Moral. in Job. Lib. 14. c. 11. in 18. cap. Job.* * *Tempus ultimum, ſeu Antichriſti, intelligit.* (s) *Lib. 1. ſuper Ezech. (ad cap. 3.) Homil. 12.* (t) *Matt. 17. v. 11. & Marc. 9. v. 11. (al. 12.)* (u) *Zach. 4. v. 3. 11. 14.* (v) *Apoc 11. v. 4.* (x) *Julian. contra Judæos, Lib. 1. Biblioth. SS.* Patrum *Tom. 4. col. 225. ed. Pariſ. An. 1610.* (y) *Mal. 4. v. 5. 6.* † *Nomen Authoris hujus eſt* Berengandus, *juxta quoſdam. Hoc nomine citatur à* Pannonio, *Comm. in Apoc. 17. v. 9. 10. & in 13. v. 11.* (z) *Comm. in Apoc. c. 11. v. 3. inter opera S.* Ambr. *Tom. 5.*

ſuper eos imber miſericordia Dei, * *eis videlicet, quos ab erroribus Antichriſti revocare non potuerint; quibuſdam verò aperient, eis videlicet, quos ab erroribus Antichriſti revocaverint. Imbremq́; ſuper eos pluent, quando ſuis precibus Deum illis propitium efficient. Per* aquas, *quas in ſanguinem convertere dicuntur, populi deſignantur;* ſangvis *autem ultionem Divinam demonſtrat.* Item: *Jacebunt corpora Sanctorum in platea Civitatis magna; quia Sancti illis jacent, à quibus nullius eſſe momenti exiſtimantur: è contrariò fidelibus ſtant, qui quanta ſit eorum virtus atq; gloria, cordis oculis intuentur.* Et aliquantò poſt: *Per* monumenta, *mentes reproborum intelligere poſſumus. De iis monumentis „Dominus loquitur dicens:* (*a*) Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia eſtis ſicut „ſepulchra dealbata.&c. *In monumentis igitur, reprobi corpora Sanctorum non ſinent poni; quia doctrinam illorum à mentibus ſuis abjicient.*

XVIII. *Hugo* Eterianus circ. An. D. 1170. ſic ſcribit: (*b*) *Veniet quidem Antichriſtus, multimodam perſecutionem in Chriſtianos facturus; ſed noli formidine concuti: quia in his qui pereunt, efficacia malitia ipſius ædificabit. Nam HELIAS tunc veniet ad confirmandum credentes, ut in Evangelio ſcri„ptum eſt:* (*c*) Helias venturus eſt, & reſtituet omnia. *Ipſe enim Hebraos, qui tunc inventi erunt, quùm à ſorte paterna quaſi exciderant, reſtituet, & prophetiam Evangelii reducet ad eorum memoriam.*

XIX. Quis pius credat, hæc allegata, permiſiſſe Deum, per tot ſecula ſuorum Sanctorum cordibus tam conſtanter inhærere, & quidem abſq; aliqua memoratu digna aliter ſentientium impugnatione, niſi in his aliquid ſubeſſet realitatis? Ex his autem, & quæ mox producemus in medium, etiam munus *duorum Teſtium,* inprimis *Eliæ,* (qui celebratior eſt in ore veterum omnium,) judicioſus ac eruditus Lector, facilè colligere poteſt. Si enim *Elias,* (cum ſuis ſequacibus) *corda* majorum ad minores, & minorum ad majores *converſurus* eſt, abſque ullo dubio ipſe pacificum gerens pectus, tanquam exemplaris Doctor, ad ſanctam colendam mutuò pacem & concordiam debebit homines, ac ante alios, ipſos Chriſtianos invitare. Si enim unuſquiſq; fidus Prædicator, Chriſto Domino inſtruente, primùm etiam à (*d*) *pace* ſuam ordiri debet prædicationem, atque etiam porrò pariter eam in ſancta charitate cum manſvetudine & modeſtia continuare, *Auguſtinô* (*e*) ſuo exemplo ex Scriptura docente; quantò magis ille, qui ad animos hominum multùm inter ſe diſcordes, reducendos † *in unitatem,* mittitur, debet totis viribus

* *Superiùs jam explicuit*, claudi *illis Cœlum, quibus corda Dei judicio indurantur, ne poſſint admittere verbum.* (*a*) *Matt.* 23 *v.*27.28. (*b*) *De Regreſs. animar. c.*24. *Bibl. SS. Patr. ed. Par. an.* 1589. *Tom.* 9. (*c*) *Matt.* 17. *v.* 11. (*d*) *Luc.* 10. *v.* 5. *Conf. Matt.* 10, *v.* 12. (*e*) *Contra Epiſtol. Manichai, quam vocant, fundamenti; cap.* 1. *Tom.* 6. *edit. Par.* 1586. *pag.* 45. Noſtrum fuit eligere & optare meliora, *&c.* manſvetè conſolando, benevolè cohortando, leniter diſputando, *&c, Subjicit ibidem,* 2. *Tim.* 2. *v.*24.25. † *De hac phraſi vid. Eph.* 4. *v.* 13.

ribus & omnibus argumentis, ſanctam hominibus *pacem* mutuò colendam commendare? Et qui ad Judæos aliosq; errantes ſucceſsû temporum convertendos, & ad *omnia* in Eccleſia cum tempore *reſtituenda* dirigitur, oportet eum eâ à Deo inſtrui & dotari ſcientiâ, quâ myſteria in Lege *Moſis*, aliisque *typis* ac *prophetiis* recondita, ſucceſſivè, ut opportunitas deſiderabit, aperire poſſit, genuinumque ſenſum ſpiritualem eorum oſtendere; quod jam ſupra (*f*) in verbis S. *Auguſtini* (*g*) obſervare potuimus. Atq; hinc eſt illud Judæorum de dubiis & perplexis uſitatum: (*h*) דא תהא מונח עד שיבוא אליהו. *Hoc relinquetur in medio, donec veniat Elias.*

XX. Antequam verò explicemus, quomodo hæc veterum tot teſtimoniis fulta debeat intelligi ſententia, lubet paucis etiam Judæorum hîc afferre de *Elia* ſententiam; quæ etiam (detractis ei detrahendis,) non parvam in hac quæſtione lucem nobis affert: Cui tandem teſtimonium ex Libris quoq; *Sibyllinis* ſubjiciam; miſſum faciens conſultò, quid de hoc *Elia* * Muhammedani ſuo more fabulentur. Nemo autem nobis è Judæis clariùs & accuratiùs rem hanc pandere poteſt, quàm modeſtus & doctiſſimus proximi ſeculi Rabbinus, *Manaſſeh Ben-Iſraël:* qui ex ſcriptis antiquorum, ſermone Latino ſic de *Elia* ſcribit: (*i*) *Non alienum ab eo quod agimus, eſſe videtur, ſi hîc referam illud, quod de Propheta Elia antiqui dixerunt. Hic enim, uti ajunt, primò* † *reſuſcitabitur, ſive corpus ejus igne atheris fuerit conſumptum, (quemadmodùm R. David Kimchi, aliiq; plures cenſent;) ſive vivat in terreſtri Paradiſo ſecundùm corpus & animam, uti opinio priſcorum Sapientum fuit; hoc certum eſt, illum primò appariturum, ut annunciet reſurrectionem „mortuorum; ſicut manifeſtè liquet, ex Malachia:* (*k*) Ecce ego mitto vobis „Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini. &c. *Dies ille magnus & terribilis, eſt dies judicii, qui erit conjunctus reſurrectioni: ante eum, inquit, veniet Elias, ut PACEM & AMOREM inter omnes conciliet, non tantùm in rebus corporalibus, ſed ETIAM SPIRITUALIBUS: idcircò dici„tur;* Convertet cor Patrum ad Filios, & filiorum ad Patres. *Nam nulla diſſenſio, nulla lis, aut controverſia inter eos erit; uti antiqui ajunt in Gemara Eduyot: quippe animos hominum adeò permovere, immutare, ac diſponere valebit, ut in die judicii optimè compoſitus ſit futurus Mundus, neq; cauſa, cur deſtruatur, aut in nihilum redigatur, ulla manſura. Eſaias quoq; mentionem „facit Eliæ, cum inquit:* (*l*) Quam ſpecioſi ſunt ſuper montes, pedes an„nunciantis, publicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, „dicentis ad Sion, regnat Deus tuus! *Quadruplex officium Angelo ſive Legato*

(*f*) §. 18. *h. cap.* (*g*) *Ex Lib. 20. de Civ. Dei, cap. 29.* (*h*) *Vide hoc ex* Bava Metzia *apud Buxtorf. in Lex. Talmud. ad* אלה *col. 93.* * *Vid. Servat. Gallæum, in Not. in Lib. 2. Sibyll. pag. 270. & 271.* (*i*) *Lib. 2. de Reſurrect. Mortuor. cap. 3. pag. (mihi) 152. 153. 154.* † *Sic vocat ejus* apparitionem, *ut mox explicat.* (*k*) *Cap. 4. v. 5.* (*l*) *Iſa. 52. v. 7.*

gato huic, hoc textû adſignatur. Primò prædicabit pacem *univerſalem, quæ tunc futura eſt; & hoc* (ait ille) * *ad corpus pertinet. Deinde annunciabit* bonum, *id eſt, Legem generalem,* † *quam omnes tunc amplectentur: atq; hoc eſt bonum animarum, & quemadmodum antiqui ajunt, propriè illud dicitur* טוב. *bonum. Tertiò annunciabit* ſalutem, *id eſt, reſurrectionem, quâ ſervabuntur, & „in feliciori ſtatu conſtituentur vivi & mortui. Quartò dicet* ad Sion, Regnat „Deus tuus. *Quaſi diceret: hactenus Sion, Deus tuus, non fuit Deus univerſalis, ſive ab omnibus cognitus, ob turpem & nefandam idololatriam, quâ Orbem „totum pervagata eſt; at nunc omnium erit Deus, uti ait Zecharias:* (m) Illo „die Dominus erit unus, & nomen ejus unum. *Non aliter, ac ſi nunc non eſſet unus Deus, ob varios cultus, qui Deo exhibentur: at tunc erit unicus Deus: quia non plures (uti ait Zephonias (n)) quàm unicus cultus, & religio futura eſt. Propheta Nahum hujus Nuncii etiam meminit; ſed nihil ei aliud adſignat, „quàm hoc, cap. 1. (o)* Prædicabit pacem. *quia videlicet pacis vocabulo, omnes benedictiones tum corporales tum ſpirituales continentur.* Hæc ille. Qui in ſequentibus, ex *Midras Sober Job*, non jam ſolùm unius *Eliæ*, ſed & ſocii ejus, hoc eſt, *duorum Legatorum*, ultimis temporibus à Deo mittendorum meminit. Verba hæc ſunt: אמרו ישראל בגאולה ראשונה כתיב שלח משה עבדו אהרן אשר בחר בו שלח לי אף שנים כנגדם שלח אורך ואמתך המה ינחוני אמר הקדוש ברוך הוא אני מילח שנאמר הנה אנכי שולח לכם את אליהו הנביא הרי אחד והב׳ הן עבדי אתמוך בו בחירי רצתה נפשי H. e. *Dixit Iſraël, de prima redemptione* (ſeu liberatione) *ſcriptum eſt: (p)* Miſit „Moſen Servum ſuum, [&] Aaron, quem elegerat. *Mitte nunc ad me quoq; „DUOS ſimiles illis. (q)* Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipſæ deducent „me. *Dixit Deus benedictus, Ego mittam. Nam ſic ſcriptum eſt: (r)* Ecce „ego mittam, ad vos Eliam Prophetam. *Hîc habes unum; de altero verò & „ſecundo loquens ait: (ſ)* Ecce Servus meus, innitar ei, electus meus, in „quo ſibi complacuit anima mea. Subjungit Manaſſeh: *Ex his locis comprobant antiqui, uti in populi redemptione ex Ægypto, duo Legati fuerunt, ita in futura redemptione ſive reſurrectione,* † *DUOS futuros Legatos.* Hæc & alia in hunc ſcopum ſpectantia apud *Rabbinum* dicta, normâ fidei Chriſtianæ ſunt à nobis moderanda & elimanda.

XXI. Oracula *Sibyllina* Chriſtianorum, (quæ, quòd circa an. D. 138. ſint in eam, in qua ſunt, incudem redacta à quibuſdam (s) Chriſtianis, jam eruditis benè notum eſt,) hæc de *Elia* venturo habent: (t) Καὶ

* *Sed rectiùs hoc ex Scriptura S. explicabis.* † *Hoc ſano ſenſu ita intelligat Chriſtianus; quia* Legis *umbra continent immenſa myſteria futurorum.* (m *Zach. 14. v. 9.* (n) *Soph. 2. v. 11. & cap. 3. v. 9.* (o) *V. ultim. (al. eſt, cap. 2. v. 1.)* (p) *Pſalm. 105. juxt. Hebr v. 26.* (q) *Pſal 43. (al. 42.) v. 3.* (r) *Mal. 4. v. 5.* (ſ) *Iſa. 42. v. 1.* † *Confer hîc Paraphras. Chald. Cantic. 4. v. 5.* Duo Salvatores tui, qui te ſalvaturi ſunt, ſimiles ſunt Moſi & Aaron. *Eadem habentur in dicta Paraphraſi, Cant. 7. v. 3.* (s) *Vide doctiſſ.* Valeſium, *in Notis ad Oration. Conſtantin. pag. (mihi,* 592. & Blondell, *de Sibyll.*

(*t*) Καὶ τότ' ὁ Θεσϐίτης ἀπὸ ὐρανῦ ἅρμα τιταίνων
Οὐράνιον, γαίῃ δ' ἐπιϐὰς, τότε σήματα τρισσὰ
Κόσμῳ ὅλῳ δείξει, τῦ ἀπολλυμένυ ϐιότοιο.

Tunc quoq; cœleſti currû devectus, inibit
Terras de Cœlo Thesbites; ſignaq; trina
Oſtendet toti mundo, vita pereuntis.

Quid de *Sibyllinis* hiſce Libris, eorumq; authoribus eruditi ſentiant, & quid etiam ipſi Libri de ſe prodant, illud mihi (quod & pauló antè in parentheſi innui) non eſt ignotum. Verùm obſervari hîc velim, ne quispiam tam temerè tamq; ſiniſtrè de his ferat judicium, (præſertim qui ad juſtum examen libros illos nondum pertraxit,) quaſi omnia illa, quæ in iis nondum nobis ex Scripturis patent, mera eſſent mendacia, & quaſi Libri illi, non niſi farrago quædam eſſent vaniſſimorum figmentorum & Scripturæ S. detorſionum cum aliqua mixtura veritatis. Certè qui ſic judicaret, ſucceſsû temporis apparebit, eum multùm in hoc falli. Inprimis ſunt aliquot loca in iis, ita concinnata, & talia paucis continentia, quæ, quò nobis obſcuriora primùm videntur, eò magis nos excitare debent, ut rimemur, an purum putum mendacium ac merum figmentum merumq; nihil illic dicant, & an penitùs ſive fortuitò ſive inſaniâ ultroneâ ita loquantur, vel verò ex Supremi Directoris omnium intentione, aliquid rèalitatis, imò profundiſſimæ veritatis in talibus annuncient? Mitto ac ulteriùs differo hîc exemplum de quodam (*u*) *Cometa*; hoc ſolummodò ad conſiderandum nunc inculco; quòd in allegatis verſibus, de venturo Elia *Thesbite* dicitur, quòd is dum apparebit, *trina ſigna oſtenſurus eſt Mundo.* Quæſo, quis ſanæ mentis audeat aſſerere eſſe hoc merum ſcribentis mendacium, merumq; cerebri humani figmentum? Imò potiùs veritatis amans, & rectô fruens judicio, dum tale legit, illicò vertit mentem ad Sacra oracula, & cogitat apud ſe, an non poſſint *tria* aliqua admodùm memorabilia inveniri *Signa* in Scripturis ſacris, quæ ultimis temporibus, per *Eliam* à Chriſto & Malachia promiſſum, ceterosq; ejus ſequaces, hominibus tandem exponantur & demonſtrentur? V. gr. Poſſumus primùm cogitare, quòd (*v*) *tria* illa Apocalyptica *Va, Va, Va*, Elias ille clariùs & uberiùs exponet, quàm unquam ſunt expoſita, & efficiet apud Deum, ut ea, contra verbi divini contemptores, & quoſcunque hoſtes Jeſu Chriſti, eveniant, in quantum adhuc nondum evenerunt. Item, cum dicitur (*x*) *Signum Filii hominis appariturum in Cœlo*, antequam is *videatur* jam *veniens in nubibus Cœli, cum virtute multa, &* *majeſta-*

P

(*t*) *Sibyll. Orac. Lib. 2. pag. 76. edit. Oporin. Baſil. & edit. Amſtelod. cum notis, pag. 270. & 271.* (*u*) *Vid infra de Sign. Advent. Dom. b. Claſs. 2. cap. 13. §. 9.* (*v*) *Apocal. 8. v. 13. & 9. v. 12. & 11. v. 14.* (*x*) *Matt. 24. v. 30.*

majeſtate, poteſt meritò quis ita apud ſe diſcurrere; an non *Elias* ſignum illud clariùs, quàm alii antea, expoſiturus ſit; & cogitare etiam, an non *tria* aliqua memoranda in ſe *ſignum* illud complectatur; quæ ſucceſsû temporis fient manifeſta. Tertiò, illud etiam excutere obvium habebit, an non *tria* illa *ſigna*, quæ in Apocalypſi, κατ᾽ ἐξοχὴν eâ notione intitulantur, per *Eliam* & ejus ſequaces, pleniùs & clariùs Mundo explicabuntur, quàm unquam hactenùs ſunt explicata: quorum primum, (*y*) *magnum*; ſecundum, ſimpliciter (*z*) *aliud ſignum*; tertium verò (*a*) *magnum & mirabile* nominatur.

XXII. Hæc in medium allata tot teſtimonia, ingenio docili & veritatem amanti, ſententiam de venturo *Elia* ejusq; *Socio*, (ſeu de venturis *duobus* præclaris Doctoribus juxta Regulam propoſitam, vel *duobus Divinis Teſtibus*, juxta ſtylum *Suarezii*, (*b*) ex Apocalypſi acceptum, ſive, *duobus hominibus eximiæ ſanctitatis & virtutis*, ut idem loquitur) reddunt indubitatam. Verùm hoc opus, hic labor eſt, nodum hîc occurrentem ſolvere; videlicet, rectè declarare, quomodo hæc ſententia de adventu *Eliæ* ejusq; *Socii* debeat intelligi. Nam nec teſtimonia tanti momenti huc usq; allata, ſine ſobria conſideratione pertranſire, ac per hoc ſusq; deq; habere licet; neq; etiam alia teſtimonia infra adducenda unà cum rationibus, eiſdem, pro alia ac diverſa in ſpeciem ſententia, hoc eſt, pro ſpirituali ſenſu, ſubjungendis prorsùs floccipendere, & ut inania, vel falſitatis fulcra exibilare convenit. Ad præſens itaq; dubium, ſalvâ per me aliorum Doctorum literalem ſolummodò in hoc argumento ſententiam tenentium, ipſorumq; doctrinæ exiſtimatione, ita Deo benignè favente, reſpondere nitar, ut duæ ſententiæ multùm primô intuitû & in ſpeciem à ſe diſtantes, ſibi invicem harmonicè & amiciſſimè concilientur, atq; ſic, non ſolùm ſpiritualis, ſed & literalis in hoc argumento ſententia, juxta expoſitionem paulò poſt dandam, per me ſalva maneat.

XXIII. Antequam verò pleniùs hîc ad ſcopum loquar, hoc unicuique candido veritatis inquiſitori & pacis S. Eccleſiæ ſtudioſo inſinuo; quòd in hujuſmodi Quæſtionibus Theologicis, non id ſpectandum eſt, quid privatim hic vel ille Doctor Catholicus circa dogma à ſe traditum & aſſertum (inprimis de rei in eo modalitate) ut homo ſenſerit, ſed quid Spiritus Dei Sanctus in tali dogmate, ſententia vel expoſitione ſenſerit. Spiritus enim Sanctus, ſuam Eccleſiam per pios Doctores in * *omnem veritatem* dirigens, poteſt habere in verbis Doctorum plenius & altius aliquid reconditum, ſecuturæ nimirum ætati demùm revelandum, (& de facto etiam habet,) præter id quod ipſi in iiſdem ſuis verbis & expoſitionibus ſunt aſſecuti. Alioquî ſi humanum

*(y) Apoc. 12. v. 1. (z) Ibid. v. 3. (a) Apoc. 15. v. 1. (b) Suarez, in Tert. part. D. Thom. Diſput. 55, Tom. 2. Sect. 2. * Joan. 16. v. 13.*

humanum in hoc argumento ſenſum ſpectemus, fatendum eſt, videri pleroſque veterum SS. Patrum (uti verba eorum ſonant, quæ tamen etiam rectè cum ſpirituali ſenſu dehinc indicando conciliari † poſſunt,) ita nudè & ſolummodò ad literam, hanc de *Elia* ejuſque Socio intellexiſſe doctrinam, (quos ſecuti ſunt recentiores plurimi,) quaſi is ipſe *Elias*, qui raptus eſt olim currû igneo, iſque ipſe *Enoch* qui translatus eſt, vel alter Propheta è Cælis ſeu Paradiſo hunc in finem huc in terras perſonaliter deſcenſuri vel adventuri eſſent, ut ipſi in propriis perſonis ſenſibiliter ac viſibiliter hîc prædicaturi, ac deinde paſſuri pro fide & morituri eſſent. Quæ ſententia adeò cruda viſa eſt etiam Catholicis quibuſdam recentioribus, eosq; adeò offendit, ut maluerint negare venturum dehinc *Eliam*, quàm verba Malachiæ & Domini Salvatoris, non de Joanne Bapt. tantùm, ſed & de literali *Elia* venturo intelligere; (quod jam ſupra (*c*) innuimus;) uti fecerunt Jacobus *Faber* (*d*) Stapulenſis & Bened. *Arias* (*e*) Montanus; imò cum *Aria*, *Burgenſem* quoq; & *Clarium* copulat in eadem ſententia Corn. (*f*) à *Lapide*: quanquam (*g*) *Burgenſis & Clarius*, (*h*) in iis ſaltem quæ apud ipſos ego legi, haud negant prorsùs literalem *Eliæ* adventum, quin potiùs affirmant. Poterat ergò Corn. à *Lapid.* aliunde hoc colligere, quod mihi eſt ignotum. Conqueritur doctiſſimus etiam Dan. *Huetius* (*i*) de *nonnullis Catholicis*, quòd poſt Joannem, *nullum deinde venturum Eliam affirmarent*. Ne itaq; vel in horum ſententiam incidamus, vel ne nimis craſsè ſolam hîc literam defendamus, oportet, ut literalem ſenſum ea cum modificatione hîc adhibeamus, ut tamen ſpiritualem minimè excludamus, ſed potiùs eum, quantum ad ſalutarem noſtrum profectum (juxta *Regulam* hujus 2dæ Claſſis *decimam quintam*) primariò labore inquiramus. Spiritûs enim Dei intentionem in promiſſione *Eliæ*, (de quo ſolo exſtat expreſſa, urgens, & omni exceptione major in Scriptura S. promiſſio, ex qua tamen rectè intellecta, judicium de altero etiam ejuſdem Socio ferre poſſumus,) nullâ ratione è Scripturis apparet hanc fuiſſe, ut nos ſoli literæ hîc inhærere deberemus, ejusque adventum & exercitium muneris ejuſdem ita ad nudam tantùm literam intelligere, uti mens humana ex cortice literæ putat ſibi eſſe intelligendum. Alioquî ſi quis nudam Scripturæ literam hîc urgeat, debebit ille etiam *Davidem* nobis apud Ezechielem (cap. 34. ℣. † 23. & 37. ℣. 24.) promiſſum, literaliter tantùm intelligere. Quod quàm ſit abſurdum, unuſquisq;

P 2 eruditus

† *Vid.* §. *27. 28.--31. collat.* §. *25. & 26. in hoc. c.* (*c*) §. *V. h. c. p 103.* (*d*) *J. Fab. Comm. in Matt. 17 v. 11.* (*e*) *Ar. Mont. in Mal. 4. v. 5. & in Apoc. 11.* (*f*) *Comm. in Malach. 4. v. 5.* (*g*) *Luc. Burg. in Matth. 17. v. 11. edit. Antverp. an. 1606.* (*h*) *Iſid. Clar. in Mal. 4. v. 5. & in Matt. 17 v. 11. edit. Venet. an. 1564.* (*i*) *Huet. Obſerv. & Not. in Origen. (Tom. 5. in Joan. 1. v. 7. pag 53.* † Suſcitabo ſuper eas Paſtorem unum, qui paſcat eas, Servum meum DAVID; ipſe paſcet eas, *&c.*

eruditus Theologus Chriſtianus videt. Par enim eſt ratio utrobiq; quantum ad literæ ſonum, in Sancto nominatim expreſſo. Ut ergò in *Davide*, ſic etiam in *Elia* promiſſo (ac per conſequens ejus quoq; *Socio*) ultra literam nobis eſt aſſurgendum, ad hoc, ut plenam Spiritûs S. intentionem de *Elia* ejuſque *Socio* aſſequamur; ſervatâ interim hîc (ut jam polliciti ſumus) literali etiam ſententiâ juxta certum modum à nobis infra * declarandâ.

XXIV. Quia verò jam diximus, primariò labore ſpiritualem hîc ſenſum nobis inquirendum eſſe; (ſuppoſitô, quòd ſimplices terminos, & nexum verborum in promiſſione vel *Eliæ* nominatim, vel in genere *duorum Teſtium*, grammaticè, pro fundando ſuper iis ſpirituali ſenſu, intelligimus quid ſonent;) igitur antequam de literali ſenſu promiſſam declarationem demus, ſpiritualem hîc de adventu *Eliæ* ejuſq; *Socii* ſenſum primùm indicabimus. Et quoniam de *Elia* habemus in Scriptura S. quoad expreſſum nomen ejus apertiſſimam promiſſionem; (locus enim de *Enocho*, Eccleſ. cap. 44. ℣. 16. non involvit in ſe (k) neceſſariò promiſſionem adventûs ejus;) idcircò, dum explicuerimus qualis futurus ſit *Elias* promiſſus, facilè ex eo judicium feremus de ejuſdem etiam *Socio*.

XXV. Dicimus ergo: quòd *Elias* dehinc viſibiliter appariturus, viſibiliterq; ac in propria ſua perſona in Mundo prædicaturus & paſſurus, juxta mentem Spiritûs Domini, eodem modô myſticus ac ſpritualis eſt, (realis tamen,) ſicut olim in primo Chriſti adventu *Joannes* Baptiſta fuit. Hoc eſt, erit Vir quiſpiam è medio vivorum in hoc Mundo ac in Eccleſia militante, ✠ *ſpiritu & virtute Eliæ* congruenter ad glorioſum Chriſti adventum induendus, roborandus, & modis omnibus ad tam arduum opus, quale ei incumbet, ſanctificandus. Multùm tamen differet à *Joanne* Baptiſta; ut ſtatim patebit. Quam differentiam, ſalvâ omni prærogativâ S. Joannis Baptiſtæ ex ſacro Codice notâ, ſtatuímus. Videlicet, novimus ex Evangelio, *Eliam venturum reſtituturum omnia*; (juxta Matt. 17. ℣. 11.) quod Joannes Baptiſta non fecit. Atque vel ex hoc patet, quid ſit judicandum de excellentia & arduitate muneris *ſecundi* adventûs Domini Præcurſoris (*Eliæ* nempe viſibiliter venturi,) in comparatione cum munere Præcurſoris *primi* adventûs. Deinde, cum in illo Domini Salvatoris dicto, (Matt. 11. ℣. 11.) *Non ſurrexit inter natos mulierum major* Joanne *Baptiſta*, non comparetur Joannes illis, qui poſt ipſum in Novo Teſt. naſcituri erant, ſed tantùm illis, qui usq; ad illud tempus è mulieribus per generationem humanam nati fuerant; ut rectè & eruditè obſervat etiam *Salmeron* verbis illis: † *Cum autem dicitur;*

Non

* *§. 27. 28. b. cap.* (k) *Vid. Suarez. in Ter. Part, D. Thom. Tom. 2. Diſp. 55. Sect. 2. verbis illis*: Quod enim dicitur Eccl. 44. *&c. & infra*: Tertiò, de Henoch non habemus tam expreſſa Scriptur. teſtimonia, *&c.* ✠ *Phraſis hæc exſtat Luc. 1. v. 17.* † *Oper. Tom. 4. pag. 270. Tract. 3. in Matt. 11. v. 7. 8. & ſequ. & ſpecialiter ad v. 11.*

„Non ſurrexit major; *NON de FUTURIS Apoſtolis, poſt diem Pentecoſtes mittendis, ſed de PRÆTERITO dixit, NON SURREXIT*; hinc quoq; patet, quòd ſalvâ *Joannis* prærogativâ ſtatui poteſt differentia magna inter ipſum & *Eliam* tertium. Antitheſis etiam in verbis Domini (magnam inter Legis & Evangelii ſtatum differentiam ſubindicans) pro nobis facit; iſta ſcilicet: *Qui autem minor eſt in Regno cœlorum, major eſt illo.* (Loc. cit.) Eſto, quòd Chriſtꝰ illic juxta nonnullos ſe ipſum voce *minoris* intelligat; ſic tamen, ut poſt ſe ad ſuos illos fideles humillimos & coram Mundo abjectiſſimos collimet, in quibus ipſe per fidem & Spiritum ſuum ſanctum in Novo Teſt ſpecialiùs datum habitat. Sed audiamus S. *Cyrillum* Alexandr. de ſenſu verborum illorum: * *Regnum* (inquit) *cœlorum* (τὴν τῦ πνεύματος δόσιν εἶναι φαμὲν,) *Spiritûs donum eſſe dicimus.* (Scil. *Spiritûs* in Novo Teſt. dati & in dies dandi virtutem & efficaciam, per quam Chriſtus regnat in nobis.) Et mox ſcribit: *Quocirca tametſi Baptiſta ut ex muliere nato, ſumma operum præſtantia inſit; MAJOR tamen eô erit, qui ad Regnum Cœlorum* (h. e. ad Novi Teſt. gratiam) *vocatus fuerit.* Vide plura huc ſpectantia apud eundem. Et S. *Iſidorus* Peluſiota, coævus *Cyrillo*, (circ. an. D. 431.) ſic de eodem loco docet: † *Major quidem omnibus, qui ex mulieribus NATI FUERANT* (in præterit. γεγεννημένων) *erat* Joannes. Et mox: *Ipſe quidem* (κατὰ τὴν ἐν νόμῳ δικαιοσύνην) * *ſecundùm eam quæ in Lege eſt juſtitiam, erat irreprehenſibilis; at iis qui vitâ in Chriſto poſitâ Spiritû perfecti fuerunt, inferior exſtitit.* Quod aliis verbis ſic enunciavit: *Qui in Lege perfectus eſt, ut erat* Joannes, *omninò INFERIOR eô eſt, qui in Chriſti mortem baptizatus eſt.* Et infra: *Quiſquis igitur minor eſt in Regno cœlorum,* (τῦτέςιν, ἐν τῇ κατὰ χριςὸν παλιγγενεσίᾳ,) *hoc eſt, in Chriſtiana regeneratione, MAJOR eô eſt, qui in Lege laudem juſtitiæ conſecutus eſt. Quoniam Lex nihil omnibus ſuis partibus perfecit.* (Heb. 7. ℣. 19.) Conſulatur hîc doctiſſimus etiam *Maldonatus*, diſertè per (*l*) *minorem* hoc loco, *minorem quemq; in Evangelio, id eſt, eorum, qui Evangelium recipiunt*, intelligens; & poſt eum, Cornelius (*m*) à *Lapide*, Maldonati ſententiam haud improbans. His præmiſſis dico; quòd *Elias* tertius à *Joanne* Baptiſta differet in hoc, (1) Quia *Elias* ille quoad dona ſuo muneri neceſſaria, longè perfectiori modò erit *Elias in Spiritu & virtute*, quàm fuit *Joannes* Baptiſta. In eo enim non ſolùm unius *Eliæ*, ſed & aliorum omnium Prophetarum Spiritus ac virtutes conjungentur & accumulabuntur: quod ex verbis quibuſdam S. *Hieronymi* infra* producendis perſpicuè colligitur. [Idem verò Spiritûs, eædemq; virtutes aliis quoq; tunc Sanctis proportionaliter

 commu-

* *Theſaur. de Sanct. & Conſubſt. Trinit. Oper. Græc. & Lat. Tom. 5. edit. Par 1638. pag. 105.* † *Iſidor. Lib. 1. Epiſt. 68.* * *Phraſis hæc eſt ſumpta, ex Philip. 3. v. 6.* (*l*) *Comm. in Matt. 11. v. 11.* (*m*) *Comm. in eund. loc.* * *§. 36. h. cap.*

communicabuntur; ſicut & olim *Spiritus* † qui erat in *Moſe*, ſalvâ integritate ejuſdem, communicatus eſt etiam *ſeptuaginta* Senioribus.] Hanc donorum in *Elia* illo mirabili menſuram accumulatam, requiret arduum ejus ultimi temporis munus: quod jam (2.) alteram inter ipſum & *Joannem* Baptiſtam conſtituit differentiam. Videlicet, *Joannis* B. munus inter & contra ſolos *Judæos* expletum, ex Evangelio novimus: at verò *Eliæ* tertii munus erit, pugnare contra ſummè formidandum illum hoſtem *Antichriſtum* magnum; pugnare contra varias Mundi iniquitates ad Cælum usq; accumulatas; pugnare contra immenſos ejuſdem errores; item, Judæos aliasq; Nationes efficaciſſimâ ſuâ ſuorumque prædicatione convertere; fideles in glorioſum & tremendum Judicis adventum præparare; atque ſic *omnia* in pupulo Dei collapſa cum tempore reformare ac *reſtituere*. Sic (conſideratâ hâc muneris ejus arduitate) implebitur longè pleniùs in eò, quàm hactenùs in ullo alio poſt Dominum & per Dominum, citatum illud Domini Salvatoris dictum: (*n*) *Qui minor eſt in Regno Cælorum*, (h. e. qui in Eccleſia Novi Teſt. militante, infimæ ſortis eſt in ſuis initiis,) *major eſt illo*, ſcil. *Joanne* Baptiſtâ. Unô verbo: tantus erit *Elias* ille tertius ac myſticus, (cum tempore ſcil. & gradatim,) ut etiamſi *Elias* vetus ac literalis, in ſenſibili forma hunc in finem in hanc terram adveniret, ut viſibiliter inter homines converſaretur, & viſibiliter Divini *Teſtis* miniſteriô ſola ſua in perſona fungeretur, non tamen eô, quantum ad peragenda in his terris & ſuſtinenda, major futurus eſſet. Cum enim Spiritus Prophetarum ſit Spiritus Chriſti; *Elias* autem de quo loquimur, Spiritû omnium Prophetarum, inprimis ipſius *Eliæ* veteris potentiſſimè plenus eſſe debeat; ex eo perſpicuum eſt, ipſum Chriſtum Dominum per ſuum Spiritum habitaturum potentiſſimè in *Elia* tertiò ad hoc, ut ſuum munus potentiſſimè peragat. Unde Scripturæ S. & rationi conſentaneum eſt, eum tàm magnum futurum aſſerere, quàm nunc indicavimus. Atq; hæc de deſcriptione *Eliæ* viſibiliter munere ſacro in terris functuri, qualis nempe & quantus is futurus ſit, dicenda erant.

XXVI. Ex hujus deſcriptione jam patet, quòd & *Socius* ejuſdem *Eliæ* myſtici (quoad viſibile miniſterium,) pariter myſticus & ſpiritualis eſt futurus. Par enim eſt hac in parte de utroq; judicium: manente tamen ſemper prærogativâ quâdam excellentiæ graduum in donis & laboribus penes *Eliam*, tum propter majorem ejus quàm *Socii* ejuſdem in ore (*o*) veterum celebritatem, tum propter expreſſam de ſolo illo factam in (*p*) *Malachia* promiſſionem, tùm verò maximè propter illa Domini Salvatoris verba jam memorata: (*q*) *Elias veniet, & RESTITUET OMNIA.* Quibus in verbis Dominus noſter, ſoli *Eliæ* abſq; *Socii* mentione tribuit tam arduum, tam magni-

† *Num. 11. v. 25.* (*n*) *Matt. 11. v. 11. col. 2.* (*o*) *Percurre teſtimonia veterum in hoc cap. pag. 105. & ſequ.* (*p*) *Mal. 4. v. 5.* (*q*) *Matt. 17. v. 11.*

Digitized by Google

magnificum, & tam excellentiſſimum opus, uti eſt, *reſtitutio omnium* quæ deſiderantur in Populo Dei. Non quòd non habiturus eſſet Socium & ſocios in tanto labore; ſed quia ipſe erit in eodem primarius & principalis (poſt Chriſtum) Architectus, Director, & laboris ejuſdem præcipuus continuator; ita ut meritò tunc de illo dici id poſſit, quod de ſe olim dixit S. *Paulus* Apoſtolus: (r) *Abundantiùs omnibus illis laboravi.* Quod ſpecialem ejus *Socium* attinet; facilè concedo, partim propter tàm multorum veterum ac recentiorum de *Enocho* teſtimonia, partim etiam propter quandam congruentiam, eò quòd uterque, *Enoch.* ſcil. & *Elias*, ut Deo chariſſimi Sancti, corpore & animâ tenus vivi ſunt hinc ad meliorem vitam translati, concedo, inquam, quòd *Socius* viſibilis deſcripti *Eliæ* ſpiritualis, potiſſimùm *Spiritû & virtute Enochi* erit pleniſſimus, ideoq; rectè ſpiritualis *Enoch* eſt dicendus: ſalvô hôc, quòd & ipſe de aliorum quoque veterum Prophetarum *Spiritu* proportionaliter juxta muneris ſui exigentiam participabit.

XXVII. Antequam huc uſq; indicatam & illuſtratam de ſpirituali *Eliæ* & *Enoch* adventu ſententiam teſtimoniis & rationibus Scripturariis firmiſſimè muniamus, operæ pretium eſt, ut jam videamus & declaremus, quo modô & quô ſensû literalis *Eliæ* veteris & *Enochi* adventus cum ſpirituali eorundem adventu conciliari poſſit. Ad quod ſic reſpondeo: Sancti illi, *Elias* & *Enoch*, tempore teſtimonii & certaminis paulò antè juxta *ſpiritum* deſcriptorum *duorum Teſtium*, ad literam etiam & perſonaliter adventuri ſunt hoc ſensû; quatenùs præſentiſſimi erunt ſua in perſona, & potentiſſimè aſſiſtent iiſdem *Teſtibus* deſcriptis in omnibus eorum actis, geſtis & certaminibus contra Mundum & *Antichriſtum* exhibendis, inviſibiliter ordinariè; ita ut, mortales oculi eos aliter videre nequeant, niſi quibus Deus extraordinariè nonnunquam, vel ex ira in majorem eorum terrorem ac pœnam, (ut hoſtibus veritatis,) vel ex ſpeciali ſua gratia, in ipſorum majus ſolatium, (ut ſuis electis, inprimis ipſis *Teſtibus*,) videndos eoſdem exhibuerit. Eodem ſcilicet modo hoc fieri poterit, quô ipſe Chriſtus Dominus, quà homo, aſſiſtere poteſt dum vult alicui, extraordinariâ quadam ſuâ præſentiâ, ſic tamen, ut à nullo mortalium oculis corporeis conſpici queat, niſi cui ipſe ſe conſpiciendum exhibere voluerit. Sic *Paulo*, adhuc *Saulo*, ſed electo vaſi ſuo, in ejus terrorem primô intuitû, at valde ſalutarem, utpote in ejus converſionem & præparationem ad ſui muneris functionem, (ſ) videndum ſe ita exhibuit, ut tamen ſocii & comites itineris ejus (s) neminem viderint. Sic S. *Stephanus* Protomartyr, in ipſo ſuo martyrio, ſolus (t) *vidit cœlos apertos*, Jeſumq; *ſtantem à dextris Dei*, aliis tale quid minimè videntibus. Sic etiam S. *Petrus* (u) per *Angelum* ei præſentiſſimum, contra

(r) 1. *Cor.* 15. v. 10. *collat.* 2. *Cor.* 11. v. 23. (ſ) *Act.* 9. v. 3. 4. *collat.* 1. *Cor.* 15. v. 8. (s) *Act.* 9. v. 7. (t) *Act.* 7. v. 55. (u) *Act.* 12. v. 6. 7. & *ſequ.*

contra arctiſſimam militum cuſtodiam è carcere liberatus, ac feliciter etiam ulteriùs inde per duas coſtodias deductus eſt, nihil militibus ea de re tunc ſcientibus. Sic *tribus* quoq; viris in *fornace ignis ardentis*, adfuit (*v*) *quartus* etiam, cæleſtis nimirum contra vim ignis Opitulator, *ſimilis Filio Dei*; quem tamen Deus ipſi etiam *Nabuchodonoſor* eorundem perſecutori, in ejuſdem terrorem & humiliationem (*x*) *videndum* exhibuit. Ita etiam, cum Rex *Syriæ* miſiſſet (*y*) *equos & currus* ad *capiendum Eliſæum*, mox Dominus in circuitu *Eliſæi* Dothane exiſtentis, oppoſuit eiſdem cœleſtem exercitum in forma (*z*) *equorum & curruum igneorum*; quos tamen ſolus primùm *Eliſæus* vidit, ac deinde ad ipſius orationem miniſter ejus; atq; hoc exercitû cæleſti munitus & animatus *Eliſæus*, ipſos Syros ſuæ orationis vî cæcitate percuſſos, ſecurè deduxit in Urbem *Samariæ*, locum eiſdem *Syris* hoſtilem & infenſum. Ne omittamus hîc, quòd (*a*) *Moyſen & Eliam cum Chriſto* in monte *loquentes*, tres inſignes Apoſtoli, (Petrus, Jacobus & Joannes,) ex ſola Chriſti gratioſa dignatione viderunt. Poterat enim Chriſtus ita illos ſolus videre & loqui cum illis, ut tamen Apoſtoli eos non vidiſſent. Sic *legimus* etiam in Actis Martyrum, *Theophilam Virginem*, Chriſti eximiam cultricem, per hoſtes veritatis (an. D. 301.) *ad proſtibulum* damnatam & introductam, miniſterio & aſſiſtentiâ cæleſtis Cuſtodis intactam prorsùs ſervatam fuiſſe à ſpurciſſimis Ethnicis, qui æſtû *libidinis* perciti ad eam ingreſſi, plùs demùm de egreſſu, quàm de tangenda Virgine fuêre ſolliciti. Inter alia, hæc de illa in Actis Martyrum à *Baronio* citatis leguntur: (*b*) *Poſtquam ingreſſi ſunt complures*, (prædicti ſcil. Ethnici, non jam amore Virginis, eò quòd territi erant, ſed curioſitatis causâ,) *vident ea, quæ & ad videndum erant terribilia, & ad dicendum aliis maximè admirabilia; puellam quidem honeſtè ſedentem, & libro* (*Evangelii* legendo) *incumbentem, ADOLESCENTEM autem quendam* (ſcil. cæleſtem cuſtodem) *propè eam ſtantem, luce quâdam ineffabili, pulchritudine verò incredibili, veluti quadam tela fulguris emittentem ex oculis. Quæ poſtquam viderunt, & metu obriguerunt, -- & ſimul non ferentes ſpectaculum, rectè ſecum agi putabant, ſi fugerent.* Refertur deinde, quòd idem cœleſtis Cuſtos eam è domo proſtibuli eduxit, ac libertati in aliorum fidelium gaudium reſtituit. Notandum hîc interea, quòd priores illi *libidinis* explendæ causâ, ad virginem ingreſſi, non leguntur ejus cuſtodem vidiſſe, ſed metû perculſi *lucem* tantùm; & quòd poſt lucem *tenebras* & viſûs ereptionem ſunt experti. Sic legitur etiam de S. (*c*) *Agatha* Virgine & Martyre, quòd poſtquam illa (temporibus *Decii*) *candentibus laminis in equuleo* fuiſſet excruciata, ac deinde *mamilla*

(*v*) *Dan. 3. v. 92. al juxt. Hebr. v. 25.* (*x*) *Ibid.* (*y*) *4. (al. 2.) Reg. 6. v. 14.* (*z*) *Ibid. v. 16. 17.* (*a*) *Matt. 17. v. 3.* (*b*) *Baron. Annal. Tom. 2, ad an. Ch. 301, num. 82.* (*c*) *Vid. Breviar. Rom. ad d. 6. Febr.*

mamilla ei abſciſſa, mox conjecta in vincula, ſequenti nocte à ſene quodam, qui ſe Chriſti Apoſtolum eſſe dicebat, eſt ſanata. Confer hîc acta (*d*) S. *Cæciliæ*.

XXVIII. Hæc exempla ſufficienter docent, poſſe *Eliam* ac *Enochum* veterem & typicum, *Eliæ* & *Enocho* ſpiritualibus, ſeu *duobus Teſtibus* antea deſcriptis ita perſonaliter aſſiſtere, & ſe ſe præſentiſſimos exhibere, ut tamen ipſi ordinariè viſibilem inter homines converſationem (in ſermonibus & aliis actis) non ſint habituri, niſi quando extraordinariè Deus eoſdem, vel ipſis, quorum causâ proximè aderunt, (nam & his, ut ſemper ſe externè videndos exhibeant, non erit neceſſe;) vel aliis, quibus ipſe Deus vult, conſpicuos ad tempus exhibuerit. Ac nihilominùs per hujuſmodi præſentiam ita ipſi ſuos Clientes memoratos directuri & in iiſdem (acceptâ cælitùs ad hoc virtute) operaturi ſunt, ut per ora calamosque eorundem, ipſi prædicare, ipſi contra Antichriſtum ejusq; aſſeclas pugnare, & munus Teſtium Divinorum peragere rectè dici poſſint. Uti enim *Angelus* pro inſtructione & directione alicui aſſiſtens, poteſt in eodem loqui, & per conſequens per eundem alios inſtruere, juxta Zach. 1. ℣. 9. 14. 19. & cap. 2. ℣. 3. & 4. ℣. 5. & 6. ℣. 4. (habitâ ratione textûs Hebræi, & verſionum ei ad literam reſpondentium, ut Græcæ & Latinæ Vulgatæ;) ſic Sancti etiam homines ex hujus Mundi turbinibus ad portum ſecuritatis tranſlati, poſſunt Deo ſic volente, & ipſos potenti ſuâ virtute induente, in hominibus hujus vitæ loqui, & per eoſdem edere prædicationes efficaciſſimas. Quod idem de (*e*) miraculis etiam eſt dicendum. Si enim Sancti, in miſera hac vita conſtituti, Dei ſolius (ut ſummi & principalis authoris) virtute poterant miracula edere, uti & de facto ediderunt; quantò magis ſoluti his miſeriis poſſunt talia facere, dum Deo placuerit? Quid de *Spiritibus Martyrum*, quantum ad miracula facienda S. *Auguſtinus* (*f*) ſenſerit, ſi cui placet, poterit videre apud eundem. Imò Martyrum Spiritus olim adſtitiſſe aliquando ſanctis & fervidis Dei Servis, ut ipſi ad *memorias Martyrum*, precibus ſuis efficaciſſimis *miracula* contra Dæmones impetrarent à Deo; ex ejuſdem nunc memorati S. *Auguſtini* quodam teſtimonio de S. *Ambroſio* edito, non obſcure colligere poſſum. Verba ejus ſunt: (*g*) ***Mediolani apud Sanctos Protaſium & Gervaſium Martyres, expreſſo nomine, ſicut defunctorum, quos eodem modo commemorabant, adhuc VIVUM Dæmones Epiſcopum confitebantur AMBROSIUM, atq; ut ſibi parceret, obſecrabant, illo aliud agente, atq; hoc cum ageretur, omninò neſciente.*** Scilicet S. *Ambroſius* Epiſcopus Mediolanenſis, zelô & ſpiritû Martyrum fervens, eorundemque (ut & SS. Angelorum) aſſiſtentiâ mu-

Q

(*d*) *Ad d. 22. Nov.* (*e*) *De miraculis ultimi temporis, vide infra Reg. 17. b. 2da Claſs. cap. 6. §. 21. & 22.* (*f*) *Lib. 22. de Civ. Dei, cap. 9.* (*g*) *S. Auguſt. Lib. de Cura pro mort. ger. cap. 17. Op. Tom. 4.*

Digitized by Google

tiâ munitus, orationum ſuarum efficaciâ cruciabat ſubinde, & expellebat Dæmones ex obſeſſis: ideò non eſt mirum quòd eum Dæmones tantopere formidabant. Ex his itaque patet, non eſſe dubium, quin celeberrimi & potentiſſimi illi Sancti, *Elias* & *Enoch* tranſlati, ita ſuis Clientibus, *duobus* nempe *Teſtibus* & Doctoribus è medio militantis Eccleſiæ aſſumendis (ac per conſequens eorundem ſociis,) poſſint ſuo tempore (Divinâ per ipſos agente virtute) aſſiſtere, ut per eoſdem omne illud teſtimonium & certamen, quod juxta Apoc. 11. Divinis *Teſtibus* eſt ſubeundum, glorioſè peracturi ſint; non obſtante, quòd ipſi viſibilem *ordinariè* inter homines converſationem, & ſenſibilem muneris Eccleſiaſtici ſuis in perſonis functionem non ſint habituri.

XXIX. Sed dicet hîc aliquis: Eſto quòd Sancti illi (*Paradiſi* (*h*) *coloni*) prædicare & miracula facere poſſint per ſuos deſcriptos Clientes; at valde dubium eſt, quomodo occidentur & quomodo reſurgent in iiſdem? ſeu, quomodo dici poſſit de illis id, quod de morte, de *corporibus jacentibus*, & de reſtituenda vita *duorum Teſtium* dicitur in Apocalypſi? Ad quod reſpondeo: (1.) Poſſem quidem dicere, quòd per omnipotentiam, & admirandam ac inexhauſtam Dei ſapientiam poſſint corpora dictorum *Teſtium* è medio Eccleſiæ futurorum ita cum tempore inſenſibiliter transmutari, ut (quoad partes integrantes) planè fiant demùm ipſa corpora veteris *Eliæ* & *Enoch*, ſalvâ manente interim illâ ſubſtantiâ corporum *Eliæ* & *Enoch*, quæ animabus eorum unita eſt in Paradiſo, ſeu loco quietis. Quod (ſaltem ut probabile hîc à me poſitum) ne quiſpiam miretur tanquam abſurdum aliquod paradoxon, ſcire debet; ne vel minimam corporis Sanctorum, in quo in terris multa piè ſuſtinentes, Deo vixerunt, (non ſolùm in quo hinc migrârunt,) particulam perituram eſſe; (ut facilè colligitur ex Luc. 12. ℣. 7. & Matt. 10. ℣. 30.) ſed omnes quantumlibet exiguas particulas eorum colligi in reconditorium admirabilis providentiæ Divinæ, ut inde tempore ſuo depromantur, & adaptentur eò, quò adaptandæ ſunt juxta ſapientiſſimam noſtri Authoris, Servatoris, Vivificatoris & reſuſcitatoris diſpoſitionem. Jam verò, nôrunt Philoſophi, inprimis eruditi Naturæ ſcrutatores, quomodo continuò per inſenſibilem tranſpirationem & evaporationem, unæ particulæ recedant è corpore humano, (ut & aliorum animalium,) & aliæ in locum earum (*i*) per nutritionem ſuccedant; ita ut, in ſubjecto præſertim benè ſano, paucos intra annos (circiter ſeptennio, imò juxta quoſdam longè (*k*) mi-

(*h*) *Phraſis eſt S. Hieronymi* (*Epiſt. 61. cap. 10.*) *de* Enocho & Elia. (*i*) *Vide in hanc rem*, *Joan.* Poncium *Hibern. Ordin. Fr. Minor. in ſuo Curſu* Philoſoph.. *Diſp. 26. de Nutrition. Augmentat. &c. Qu. 2, pag. 675, 676. edit. Lugd. An. 1672. Et confer.* Galtruch. *Phyſic. Particul. Diſp. 4. cap. 1.*

(*k*) minori temporis ſpatio evoluto) integrè alia corporis ſubſtantia, quàm quæ fuerat anteà, (exceptis juxta quoſdam partibus quibuſdam primigeniis) ſuccedat, manente tamen ſemper eodem homine propter eandem animam rationalem, imò & eodem corpore humanô, quodam ſensû, (moraliter, ut loquuntur,) propter conſtantem eandem formam externam, ſeu partium configurationem & delineamenta corporis. Qui ergò circa datam probabilis ſaltem primæ hujus poſitionis declarationem, nimis ſcrupuloſus eſſet, is conſiderare debet, mille ac mille modos eſſe Deo, quibus poſſit efficere, ut particulæ corporum *Eliæ* & *Enoch* ante translationem eorum hîc in terris inſenſibiliter vicibus diverſis ab iis ſeparatæ, & in ſua principia (ſeu elementa) reſolutæ, ita demùm uniantur ſucceſſivè *ſpiritualibus Eliæ* & *Enoch*, (illæ illi, & iſtæ iſti diſtinctè,) ut cum tempore horum corpora ſint ex ipſiſſimis particulis corporum *Eliæ* & *Enoch* veterum (ſervatâ diſtinctione) conſtatura, ſeu ex illis aggregata & compacta. Hoc itaque ut probabili ſaltem (ſeu poſſibili) poſitô, rectè dici poſſet, quòd *corpora Eliæ* & *Enoch* veterum, morti in duobus Teſtibus ſubdentur, & ea (*l*) *jacebunt in plateis Civitatis magnæ*, &c. Verùm hoc primum reſponſionis meæ punctum, nunc judicio aliorum eruditorum, & meæ quoq; ulteriori diſquiſitioni lubens relinquo.

XXX. (2.) Poſſet hîc & iſtud animo volvi; annon in occiſione *duorum Teſtium* viſibilium ſeu Doctorum Eccleſiaſticorum, ipſorum quoq; cæleſtium Teſtium corpora propria, ex quadam diſpenſatione Dei extraordinaria, viſibiliter (ſub mero habitu & ſchemate hominum terrenorum) manibus hoſtium furentium traderentur, abſque ulla tamen eorum læſione & doloris ſensû; (ut (*m*) *duo Angeli* olim ſub forma merè humana *Sodomitis* ignoti, ſuſtinuerunt aliquas ab iiſdem injurias abſque ullo ſuî detrimento, & aliàs quoq; ſuſtinuit *Angelus* (*n*) *Jacobum* ſecum vehementer luctari, abſq; ulla ſuî delaſſatione,) eademque corpora in terram proſtrata, tanquam cadavera quædam ab iis cernerentur, manentibus tunc Sanctis illis in jucunda quadam ecſtaſi, mortis ſpeciem in oculis hominum habente, ut tantò major futurus demùm eſſet terror hoſtium, dum mox Cælites illi vivos ſe in gloria magna hoſtibus iiſdem conſpiciendos & noſcendos exhiberent? At neq; hoc audeo definire, quòd prorsùs ita futurum eſſet, cum detur alter adhuc modus, ex Scriptura S. iſtô nobis longè clarior, quô nodus objecti dubii ſolvi poſſit; ut ſtatim indicabo. Iſte ſaltem modus in hoc ſecundo puncto

 poſitus

(*k*) *Vide Alfen. Libr. 6. Digeſt. ſuorum, in ff. Lib. 5. tit. 1.* de judiciis, *l. 76. ubi hæc leguntur*: Quòd ſi quis putaret partibus (*populi vel navis*) commutatis, aliam rem fieri, fore, ut ex ejus ratione, nos ipſi, non idem eſſemus, qui abhinc ANNO fuiſſemus, propterea, quòd, ut Philoſophi dicerent, ex quibus particulis minimis conſiſteremus, eæ quotidie ex noſtro corpore decederent, aliæque extrinſecùs in earum locum accederent. Quapropter cujus rei ſpecies eadem conſiſteret, rem quoq; eandem exiſtimari. (*l*) *Juxt. Apoc. 11. v. 8.* (*m*) *Gen. 19. v. 4. 5.* (*n*) *Gen. 32. v. 24. 25. 26. 28.*

poſitus (ſi ita fieret,) nequaquam adverſaretur locis Scripturæ S. infra ‡ allegandis, ſicut ſententia illa, quæ tenet *Enochum* & *Eliam* typicos, cum atrociſſimi cruciatûs ſenſu mortem propriè dictam ſuis in perſonis experturos eſſe, eiſdem penitùs adverſari videtur; ut ſuo loco * oſtendemus.

XXXI. Itaq; (3.) ſic potiùs reſpondeo: Quandoquidem *Elias* & *Enoch* propriè dicti, tùm internè per *Spiritum* ſuum (ipſis nempe divinitùs datum) *duos Teſtes* jam deſcriptos pleniſſimè inhabitabunt, tùm etiam externè in vita & morte, durante teſtimonio ac toto certamine illorum, indivulsè iis adhærebunt & aſſiſtent; rectè ſecundùm ſtylum Scripturæ S. interfectis *Teſtibus* illis, *Elias* quoq; & *Enoch* interfici, & illorum corporibus jacentibus in publico, jacere etiam dictorum Sanctorum corpora, ac illis vitam recipientibus, vitam hi quoque in iiſdem recipere dicentur. Cum enim Spiritus virtusq; *Eliæ* & *Enoch*, quibus valde potenter pleni futuri ſunt *duo* illi *Teſtes* deſcripti, ſint Spiritus & virtus Chriſti, ita ut per eundem Spiritum & virtutem ipſe quoq; Chriſtus (& quidem principaliter) habitaturus ſit in illis; (quod ex ſuperioribus † jam patet;) inde ſequitur, rectè dici, quòd in iiſdem Teſtibus, Chriſtus perſecutionem patietur, Chriſtus occidetur, & ignominiæ exponetur; juxta illud: (*o*) *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Vel juxta iſtud, ut Chriſti dictum ad S. Petrum, à S. Ambroſio relatum: (*p*) *Venio Romam iterùm crucifigi*, eò quòd in *Servo ſuo* (Petro) *eſſet* ibi iterùm *crucifigendus*. Unde non eſt dubium, quòd & Sancti illi, à quorum portione, & quibus mediantibus, Chriſtus Dominus ſuum Spiritum, ſuamq; virtutem in dictos Clientes transferet, dicendi ſunt occidi & ignominiæ exponi in iiſdem. Quod ſatis ſuperq; oſtendit ipſe Dominus, dum in incarcerato & decollato *Joanne* Baptiſta, (utpote (*q*) *Spiritû & virtute Eliæ* inſtructo,) docuit *Eliam* fuiſſe incarceratum & decollatum. Quæris: Unde hoc patet? Reſp. Ex perſpicuis illis verbis Domini Salvatoris, de *Joanne* Baptiſta, ſub nomine *Eliæ* prolatis: (*r*) *Dico vobis: quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum*; *ſed fecerunt in eo*, (vel *ei*,) *quæcunq; voluerunt*. Manifeſtè enim hîc de exitu *Joannis* Bapt. loquitur; & tamen eundem exitum *Eliæ* quoq; tribuit, eò quòd *Eliæ Spiritus* & *virtus* fuerit in *Joanne* Baptiſta. Quantò magis dici poteſt, in *duobus Teſtibus* jam deſcriptis, occidendos eſſe *Eliam* & *Enochum* veteres, cum longè pleniori in menſura futuri ſint iidem *Elias* & *Enoch* per ſuum *Spiritum* ſuamque *virtutem* in iiſdem *duobus Teſtibus*, quàm fuit *Elias* in Joanne Baptiſta, ut ex ſuperioribus (*ſ*) patet; & inſuper præſentiſſimi iiſdem perſonali ſuâ aſſiſtentiâ affuturi ſunt?

XXXII. Hinc jam ſolvi etiam poteſt illud, quòd non pauci SS. Patres dicunt

‡ §. *LVIII. h.cap.* * §. *cit.* † §. *25. & 26. h.c.p.118.* (*o*) *Act. 9.v.4.* (*p*) *S.Ambr. Conc.1. de Baſilic. non tradend. Haret.* (*q*) *Luc. 1.v.17.* (*r*) *Matt. 17. v.12. collat. Marc.9. v.12.* (*ſ*) §. *25. h.cap. collat.* §. *26.*

dicunt *morituros* aliquando *Eliam* & *Enochum*, vel *Eliam*, & aliquem ex cœlitibus Sanctis. Eſto enim quòd illi ita hoc in argumento ſenſerint; non tamen poſſunt aliter eorum verba de *morte* illa à nobis accipi, quàm fuit & eſt ſcopus Spiritûs S. in Scriptura S. de *duorum Teſtium* morte loquentis: qui applicatus ad *Eliam* & *Enochum* literales, quiſnam fuerit, vel quis convenienter (per appropriationem quandam in verbis Domini fundatam) eſſe poſſit, nunc diximus, & infra pleniùs etiam noſtra clareſcet ſententia. Quæ ſanè, utpote mediâ incedens viâ, apud illos, qui nimis rigidè ſolum literalem hîc urgerent ſenſum, longè tolerabilior eſſe debet, quàm celeberrimi Doctoris *Alcaſaris*, (*s*) qui prorsùs contra omnium veterum & recentiorum Doctorum ſententiam, (quod jam ſupra (*t*) monuimus,) per *duos Teſtes* Apocalypticos, non niſi in abſtracto, cæleſtem *doctrinam* & admirandam *ſanctitatem Apoſtolorum* & aliorum *Miniſtrorum Evangelii* ævi Apoſtolici intelligit, ac totam de *duobus Teſtibus* prophetiam Apocalypſeos, dudum in primitiva illa & Apoſtolica Eccleſia cenſet eſſe impletam. (Cujus ſententia ex multis ejus verbis contractè & dilucidè expreſſa, videri poteſt etiam apud Cornelium à *Lapide*, Comm. in Apoc. 11. ℣. 3.) Atque hinc ipſam quoq; *occiſionem duorum Teſtium* (dicto ævo Apoſtolico ex ejus mente jam impletam) ſic tantùm interpretatur: (*u*) *Quando tyrannis & immanitas Miniſtris Evangelii potentior eſt ac robuſtior, ut eos in exilium, atq; infra mortuos* „*amandet, tunc magna cum elegantia dicuntur*, Veritas & Sanctitas *vinci* „*atq; OCCIDI. Et hâc ratione loquitur Daniel cap.* 8. ℣. 12: *Proſternetur* „Veritas *in terra*: & *Eſaias cap.* 59. *n.* 14: *Corruet in plateis VERITAS.* Hæc ille. Conſiderent iidem memorati Literæ aſſertores; non defuiſſe celebres Doctores Catholicos, (ut ſupra (*v*) notavimus,) qui prophetiam Malachiæ de *Elia* in *Joanne* Baptiſta fuiſſe prorsùs impletam docuerunt; non tamen propter hoc ab Eccleſia, (quæ nihil unquam in hac quæſtione determinavit,) eorum opera nigrô calculo ſunt notata. At noſtra ſententia longiſſimè diſtat ab illorum expoſitione; ut totum hoc caput perſpicuè oſtendit. Quantò ergò magis noſtra hæc placidè tolerari debet ab iis, qui nudam literam preſsè urgentes, diverſum à nobis ſentiunt, præſertim cum per noſtram ſpiritualem expoſitionem literalis etiam ſenſus (juxta ſuperiora) non penitùs hîc excludatur?

XXXIII. Nunc jam ſupereſt, ut ſententiam noſtram de *Elia* & *Enocho*, quoad ſenſibile miniſterium, viſibilemque converſationem inter homines futuram, ſpiritualiter intelligendis (ſeu de *duobus Teſtibus* in forma viſibili è medio militantis Eccleſiæ ſuſcitandis) ſupra poſitam & illuſtratam, *primùm*

 teſtimo-

(*s*) *Comm. in Apoc.* 11. *v.* 3. (*t*) §. 3. *b. cap. pag.* 101. & 102. (*u*) *Alcaſ. Comm. in idem cap.* 11. *Apoc. v.* 7. (*v*) §. 5. & 23. *b. cap. pag.* 103. & 115.

teſtimoniis Doctorum, *deinde* verò rationibus & argumentis in Scriptura S. fundatis confirmemus.

XXXIV. In adducendis teſtimoniis veterum, primô loco *Origenem* (qui floruit an. D. 250.) producimus in medium, non quà ab aliis Catholicis ob privatas quaſdam ſuas ſententias notatus & improbatus eſt; ſed quà à nullo unquam Catholico fuit reprehenſus. Is poſtquam præmiſsô Malachiæ textû de *Elia* dixiſſet: (x) *His verbis ſignificari videtur, futurum, ut ELIAS per ſacros quoſdam ſermones, animos componendo ac conſtituendo, eos AD GLORIOSUM CHRISTI ADVENTUM præparet, qui ad id idonei facti fuerant*; mox, uti jam antè de *Joanne* Bapt. docuit, ſic etiam de *Elia* ſubjicit: Ἠλίαν δὲ καὶ ἐν τούτοις οὐ τὴν ψυχὴν λαμβάνω τοῦ προφήτου ἐκείνου, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ. H. e. *Eliam autem in his quoq;* (verbis,) *NON ANIMAM Prophetæ illius, SED SPIRITUM & VIRTUTEM eius interpretor.* Cum negat *animam Eliæ* primi & literalis intelligi apud Malachiam, tametſi illos proximè ferit, qui verba Malachiæ de miſſione *Eliæ*, putârunt exponi debere de transfuſione *animæ* illius in aliud corpus; attamen eâdem ſuâ tàm illimitatâ negatione, præſertim dum apertè adventum ejus in *Spiritu & virtute* ejuſdem futurum intelligit, implicitè negat etiam ipſum *Eliam* primum in ſuo illo corpore, quo aſſumptus eſt, cuive *anima* ejus eſt unita, literaliter huc adventurum ante glorioſum Domini adventum; ita ut plus ipſe videatur hîc implicitè negare, quàm nos negamus. Nos enim aliquem literalem & perſonalem *Eliæ* veteris adventum (ſcil. *inviſibilem* ordinariè) futurum contra Antichriſtum, jam †conceſſimus: quo in adventu non poteſt non adeſſe *anima* quoq; ejus. Quanquam cum *Origenis* mente hoc in puncto, facilè conciliari poteſt inviſibilis *Eliæ* primi præſentia perſonalis juxta modum à nobis explicatum, cum ejuſdem per *Spiritum* & *virtutem* ſuam præſentia in altero ſubjecto, conjungenda; dum conſtat, ſcopum verborum ejus tali præſentiæ minimè adverſari. Interim, ſufficit ad noſtrum ſcopum, quòd ipſe *Eliam*, quantum ad perſonale & ſenſibile muneris ſacri in hominibus ad Deum convertendis, & in *glorioſum Chriſti adventum præparandis*, exercitium, in *Spiritu & virtute* veteris *Eliæ* futurum ſeu venturum docet, Doctorem nempe aliquem è medio militantis Eccleſiæ; qualis olim etiam erat *Joannes* Baptiſta.

XXXV. *Lactantius* quoq; (an. D. 314.) idem ſenſiſſe videtur quod *Origenes*, dum abſque nomine expreſſo, *Prophetæ* tantùm *magni* (loco *Eliæ*) meminit his verbis: (y) *Imminente jam temporum concluſione, PROPHETA MAGNUS mittetur à Deo, qui convertat homines ad Dei agnitionem*,

(x) *Origen. in Matt.* (*Tom.* 12.) *juxt. edit. Rotomag. An.* 1668. *pag.* 307. † §. 27. & 28. *hoc cap. p.* 119. 120. & 121. (y) *Lactant. Divin. Inſtit. Lib,* 7. *cap.* 17.

Digitized by Google

tionem , & accipiat poteſtatem mirabilia faciendi. Ubicunq; non audierint eum homines, claudet cælum, & abſtinebit imbres, & aquam convertet in ſanguinem, & cruciabit illos ſiti ac fame: & quicunq; conabitur eum lædere, procedet ignis de ore ejus, atq; amburet illum. Hæc ille. (Quæ illo ſensû ſunt intelligenda, quô dicta de *duobus Teſtibus*, Apoc. 11. ℣. 5. 6.)

XXXVI. Quid S. *Hieronymus* ſentiat de futuro *Eliæ* adventu, jam ex parte in ſuperioribus (z) vidimus. Videlicet, docet Comment. in Matthæum, *venturum* Eliam *juxta corporis fidem*: quæ verba cum in ſe non neceſſariò involvant viſibilem *Eliæ* veteris deſcenſum (ſeu adventum) in terras, viſibilemque inter homines promiſcuè converſationem, ac perſonalem ejuſdem in docendi munere functionem, verùm rectè poſſint habere ſenſum illum, quem jam ſupra (j) dedimus de perſonali adventu ejuſdem *Eliæ* pro aſſiſtentia ordinariè inviſibili, ſpirituali *Eliæ* (ejuſque cooperariis) præſtanda, quâ occaſione, extraordinariè corporali etiam intuitû à quibuſdam videri queat; (ut taceam nunc probabilem illum modum præſentiæ corporis *Eliæ*, quem ſupra §. 29. h. cap. judicio aliorum, & meæ quoq; ulteriori diſquiſitioni reliqui;) ideò illa ejus expoſitio, haud nos prohibet, quò minùs ex alio ejuſdem Commentario eum pro noſtra ſententia illuſtranda & munienda (ac per hoc pro complananda apparenti in allegatis ejus verbis difficultate,) producamus in medium. Is enim Commentariô in *Malachiam* clarè & planè ad mentem ac ſcopum Spiritûs S. docet, quòd in *Eliæ* promiſſione *prophetia ſignificatur*, atq; *in Elia Prophetarum chorus* promittitur. Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, in venturo *Elia*, ejusq; ſequacibus fidis Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus, *Spiritum* Prophetarum (ſeu donum propheticum) in magna copia rediturum eſſe in Eccleſiam, ut tum Judæi convertendi, tùm alii fideles, myſteria *Legis* & *Prophetarum* feliciter intelligere poſſint. Verba ejus hæc ſunt: (a) *In Moyſe Legem, & in ELIA PROPHETIAM ſignificat, dicente Abrahamo ad quendam Divitem purpuratum:* (b) „Habent Moyſen & Prophetas, illos audiant.--- *Igitur antequam veniat dies judicii, & percutiat Dominus terram anathemate,--mittet Dominus IN ELIA (qui interpretatur Deus meus, & eſt de oppido Thesbi, quod converſionem & pœnitentiam ſonat,) OMNEM PROPHETARUM CHORUM, qui convertat cor Patrum ad filios.* &c. Notemus interim hæc verba pro „veritate noſtræ illius aſſertionis, quâ docuimus ſupra, (c) quòd in *Elia* „tertio, non ſolùm *Eliæ* primi, ſed & aliorum omnium Prophetarum Spi„ritus ac Virtutes conjungentur & unientur. Unde conſequens eſt, dicendum eſſe, etiam †*Joannis* Baptiſtæ Spiritum, quô inſtans *Regnum Cælorum*, *& pœni-*

(z) §. 12. *h. cap. p.* 107. (j) §. 27. 28. *h. c.* (a) *Hieron. Comm. in Mal.* 4. *v.* 5. 6. (b) *Luc.* 16. *v.* 29. (c) §. 25. *h. c. p.* 117. † *Lucem ad hoc accipe ex Matt.* 11. *v.* 14. *col. ult. quoad pleniorem phraſeos ſignificationem: & expende ibid. v.* 15.

& pœnitentiam agendam hominibus annunciavit, in eodem *Eliâ* affuturum. Nam & *Joannes* Bapt. fuit (*d*) *Propheta*, & quidem hâc diſtinctione, ut is omnibus præcedentibus ipſum Prophetis (*e*) præcelleret. Cum autem latiſſimè ſonent verba S. *Hieronymi*, ſequitur ex iiſdem & hoc, quòd omnium etiam eorum, qui in initiis Novi Teſt. *prophetica* habuerunt dona, Spiritus aderit in *Eliâ* tertio, & participativè in ejus ſequacibus.

XXXVII. Porrò, idem S. *Hieronymus* ſub finem paulò antè citati ſui Commentarii, ſubjicit etiam hæc de *Eliâ* veteri: (*f*) *Judæi & Judaizantes Hæretici, ante* Ἠλειμμένον *ſuum*, (h. e. ante *Unctum*, ſeu *Meſſiam* ſuum,) *ELIAM PUTANT eſſe venturum, & reſtituturum omnia: unde & Chriſto in Evangelio* (de Elia) (*g*) *proponitur quæſtio.* Quibus in verbis, etſi directè non tam literalem *Eliæ* veteris adventum, quàm Judæorum & Judaizantium veterum Hæreticorum carnalem & ineptam de *Meſſia* ſuo ſententiam ridet; attamen indirectè illam quoque merè literalem & valdè crudam de viſibili (& ad ſenſum humanum concepto) *Eliæ* adventu ſententiam, haud in iiſdem magnifacere videtur eô ipsô, quòd dum unam damnat, alteram quoq; illam indefenſam & inexcuſatam relinquit, & utramque eô modô copulat, quaſi videretur utramque æquè ſugillare. Sed eſto mittamus hunc textum; ſtat tamen aliunde noſtra intentio; videlicet, oſtendere, S. *Hieronymum* (Deo, ipſum dirigente) reliquiſſe nobis magnam lucem pro ſententia noſtra illuſtranda & fulcienda, in verbis nempe paulò ſuperiùs (de (*h*) *mittendo in Eliæ choro Prophetarum*) allegatis. Agnoverunt hoc Doctores etiam infra (*i*) citandi, qui S. *Hieronymum* in myſtica expoſitione miſſionis *Eliæ* paulò ante data ſunt ſecuti. Imò agnoſcit hoc ingenuè etiam doctiſſimus *Suarezius* his verbis: (*k*) *Hieronymus exponens locum Malachiæ, NON DE PERSONA ELIÆ intelligit, ſed illius nomine omnem Prophetarum chorum, qui Chriſto teſtimonium perhibent, dicit ſignificari: & Rupertus ibidem*, (ſcil. Comm. in Malach.) *propter Hieron. auctoritatem definire non audet, an ille locus ſit intelligendus de perſona Eliæ?* Et in præcedentibus (idem *Suarez*,) hanc S. *Hieronymi* & aliorum quorundam mentem ſic expreſſit: *Dicitur Elias venturus in ſecundo adventu, non in perſona, SED IN SPIRITU.* In *Spiritu* ſcilicet tùm ſuo, tùm aliorum etiam Prophetarum (ut verba *Hieronymi* docent) eidem jungendo, in *Teſte* illo Domini, quem *Eliam* ſpiritualem jam diximus, & in ejus fidis cooperariis. Cum verò dicit ex mente S. *Hieronymi* & aliorum ejuſdem mentis, *non in perſona venturum Eliam* juxta Malachiæ vaticinium; id quomodo ex noſtra ſententia limitari poſſit, ex ſuperioribus patet. Venire nempe poteſt (imò & veniet) *in perſona* per aſſiſten-

(*d*) *Luc.* 1. *v.* 76. (*e*) *Matt.* 11. *v.* 9. 10. (*f*) *Comm. in Mal.* 4. (*g*) *Matt.* 17. *v.* 10. & *Marc.* 9. *v.* 11. (*h*) §. 36. *h. cap.* (*i*) §. 40. & 42. *h. cap.* (*k*) *Suarez, in Tert. part. D. Thom. Tom.* 2. *p.* 685.

aſſiſtentiam ordinariè inviſibilem; ſed non veniet per viſibile ſacri miniſterii Eccleſiaſtici ſua in perſona exercitium, & propriè dictum martyrium in horrendis cruciatibus ſubeundum. Subjungamus hîc & illud in noſtrum ſcopum, quòd idem toties memoratus S. *Hieronymus*, (*l*) non obſcurè alibi inſinuat, (verbis infra ſub *Regula* 32da (*m*) producendis,) quòd *Enoch* & *Elias, quos venturos* (ut ipſe ait) *Apocalypſis refert, ſpiritualiter* ac myſticè debeant intelligi. Integrum verborum ejus textum, infra loco in margine notato conſulat lector.

XXXVIII. *Primaſius* etiam Epiſcopus Africanus, (qui juxta *Trithemium* an. D. 440. at rectiùs juxta alios an. 550. floruit,) plus noſtræ, quàm aliorum, qui merè literalem de *Enocho* & *Elia* nimis urgent ſenſum, ſuâ de *duobus Teſtibus* datâ expoſitione favet ſententiæ. Præmiſſo textû ſacro, „*Dabo duobus Teſtibus meis, & prophetabunt*, &c. ſic ille procedit: (*n*) *Quod eſt enim Joannes, hoc duo Teſtes: id eſt, Eccleſia* (per ſuos ſcil. Doctores) *duobus Teſtamentis prædicans & prophetans.* Quando dicit, *duos Teſtes* id eſſe *quod Joannes*, hoc vult; quòd *duo* illi *Teſtes*, Spiritum S. *Joannis* Apocalypſin ſcribentis, ut Prophetæ, debent habere, ut & ipſi lumine illius Spiritûs prophetent; hoc eſt, tum *Joannis*, tum aliorum Prophetarum viſiones & prophetias gradatim ac per vices interpretentur, ac demùm earum arcana pleniſſimè aperiant. Pergit deinde: *Aliter: Duo genera eſſe martyrii veritas proteſtatur; unum in habitu, alterum in actu. In habitu, ſoli Deo cognitum, corde geſtatur, etiamſi aliquando patiendi tempus minimè ſuffragatur. In actu verò etiam publicè coram hominibus adimpletur, quando opportunitas perſecutionis innaſcitur.* Mox ſua hæc dicta protinùs illuſtrat ex *S. Cypriano.* Quòd autem ejus expoſitio primùm quidem latiori ſenſû concepta pro omnibus fidis Eccleſiæ Nov. Teſtamen. Doctoribus & *Teſtibus* veritatis, principaliter excellentiſſimis illis *Teſtibus*, qui contra Antichriſtum pugnaturi ſunt applicanda ſit, in illiſque terminetur; apparet ex iis, quæ ſcribit in ſequentibus (ad ℣. 7. cap. 11. Apoc.) de teſtimonio & perſecutione duorum Teſtium. *Hic* (inquit) *liquidò claret, ANTE NOVISSIMAM PERSECUTIONEM hæc fieri*, (quæ nempe ſpectant ad eo„rum prædicationem,) *cum dicit, dum finierint martyrium ſuum: utiq; illud, quod perhibent USQUE AD REVELATIONEM BESTIÆ, quæ aſcenſura eſt ex abyſſo.* Ubi per *Beſtiam* intelligit *Antichriſtum* cum ſuis ſequacibus; ut patet ibidem in proximè ſequentibus. Et infra, tempus horum *Teſtium* ſic exprimit: *Quando maximè illa DUO martyrii GENERA, quæ*

(*l*) *Epiſt. 148. ad Marcellam.* (*m*) *Huj. 2dæ Claſſ. cap. 9. §. 24.* (*n*) *Primas. in Apoc. 11. v. 3. Vid. Biblioth. SS. PP. edit. Pariſ. An. 1654. Tom. 1.*

*in habitu actûq; conſtare præmiſimus, ſic dimidiô * hebdomadis prædicationis ELIÆ firmantur, ut nullo poſſint ventura mox perſecutionis impetû dejici: quia ſicut tunc acrior perſecutio, ita in militibus Chriſti invictè certantibus enitebit amplior fortitudo.* Et paulò poſt: *Licet enim reſiduis tribus annis & ſex menſibus ante* (ſeu propter) *Antichriſti violentiam, aut ſeceſſione locorum tanquam mortui cedant, aut congruè latibulis recepti non pareant, eò quòd divinitùs moniti deliteſcant; ſic tamen ſtabiliri, ejusq; pugna certamine inſtaurato reddendi narrantur, ut per (o) Spiritum vitæ ſuper pedes ſuos ſtabiles perſeverent, quando NOVISSIMA, vel prædicatione vel perſecutione confirmabit pactum multis hebdomadâ unâ: Sed etiam aliis martyrio conſummatô peremptis, aliisq; fugatis, pro unius compage corporis, ipſi reſurgere prædicentur; eò quòd uno Spiritû armati, & unâ fide fundati ſpiritualiter „demigrant: quia (p) ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia „membra.* Hoc vult inſinuare; quòd ut in iis qui tunc martyrrô vitam hanc finituri ſunt, vel fugâ ſibi conſulturi, alii quoq; vivi, ac in latebris (Deo ſine moleſta nimis & meticuloſa fuga eos conſervante) manſuri, patientur; ſic è contra in reſiduis, qui mox *Spiritum* ſingularis parrheſiæ & animoſitatis contra Antichriſtum reſument, illi quoq; qui martyrio vitam finient, (vel ad tempus moleſtæ fugæ onus ſuſtinebunt,) meritò reſurgere dicendi ſunt. Hæc eſt mens Venerandi Patris *Primaſii*.

XXXIX. Videmus in his quàm multùm in hac quæſtione differat *Primaſius* ab illis, qui *duos Teſtes* in Apocalypſi deſcriptos explicantes, omnia illic ad literam de *Enocho* & *Elia* accipiunt, abſq; myſtica explicatione, ſeu applicatione loci illius in alios *duos Teſtes* (ſive juxta quoſdam, in *duos* Teſtium *ordines*) ſpiritualiter Eliam & Enochum dicendos. Etſi enim *Primaſius* agnoſcit *Eliam præceſſurum in ſecundo* Domini *adventu*, eumq; *prædicatione* ſuâ *confirmaturum* duo genera Teſtium ab ipſo explicata, imò & *occidendum* eſſe; (quæ etiam convenientem pro ſcopo noſtro ſenſum ex ſuperioribus (*q*) habere poſſunt;) *Enochi* tamen nullam prorsùs mentionem facit in tota ſua de duobus Teſtibus Expoſitione. Unde eſt, quòd etiam Cornelius à *Lapide*, (*r*) illis *Primaſium* accenſet, qui *duos Teſtes* Apocalypticos, myſticè pro *duobus ordinibus Teſtium* in Eccleſia interpretantur. (Sed quòd *Enochum* quaſi ex mente *Primaſii*, jungit *Eliæ* confirmaturo duos ordines Teſtium, id ex memorata expoſitione *Primaſii* accipere non poterat.) Ut verò obiter hîc inſinuem; noſtra ſententia de *duobus Teſtibus* ex Eccleſia militante aſſumendis, hôc ipſo eſt latior quàm *Primaſii* & aliorum *duos ordines* Teſtium per *duos Teſtes* intelligentium, quòd juxta noſtram ſententiam ſingula-

* *Reſpicit ad locum Dan, 9. v. 27. eumq; huc applicat; uti fecit jam olim ante eum S.* Hippolyt. *Mart. Orat. de* Conſummation. *Mundi*, *de* Antichriſt. &c. (*o*) *Apoc. 11. v. 11.* (*p*) *1. Cor. 12. v. 26.* (*q*) *§. 31. b. cap. collat. §. 28.* (*r*) *Comm. in Apoc. 11. v. 3.*

ſingulares etiam *duæ* perſonæ, ſeu *duo* Viri inſignes, debent excitari è medio Eccleſiæ, qui contra *Antichriſtum* demùm glorioſè decertent; (quod ex ſuperioribus fusè patet:) *duo* autem *ordines* Teſtium, illi ipſi dici poſſunt ex noſtra ſententia, qui magno numero ex utroque fidelium ſtatu, tàm Seculari, quàm Eccleſiaſtico, duos illos viros tanquam ſuos Duces in certamine illo contra *Antichriſtum* decertando, animosè & alacriter ſecuturi ſunt. Hæc occaſione teſtimonii *Primaſii*. Ad ulteriora jam progrediamur.

XL. *Remigius* Altiſſiodorenſis Epiſcopus an.D.880. (vel 890. & ſequ.) S. *Hieronymum* ſecutus, ſic in locum Malachiæ de *Elia* ſcribit: (*r*) *Denunciat, ut meminerint legis Moſi: deinde dicit ſe miſſurum Eliam: quia in Moſe Lex, IN ELIA ſignatur PROPHETIA. Unde transfigurato in monte Domino, apparuerunt* (*s*) *Moſes & Elias cum eo loquentes: quia tàm Lex, quàm omnis Prophetarum chorus Chriſti prænunciaverunt paſſionem. Igitur antequam Dies judicii veniat, mittet Dominus ELIAM,* (*qui interpretatur Deus meus,* &c.) *OMNEM videlicet PROPHETARUM CHORUM, qui quotidie ad converſionem & pœnitentiam hortentur; ut convertant corda Patrum ad filios; id eſt, ut Fidem, quam habuit Abraham, Iſaac & cæteri Prophetæ & Patriarchæ, inſpirent & inſinuent filiis, Prophetiæis lectionibus, quatenùs quod illi crediderunt de Chriſto implendum, hi credant impletum.--Niſi enim ſpiritalis PROPHETIÆ INTELLIGENTIA, cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum tali modo convertat, veniens Dominus percutiet terram anathemate.* Et mox ſubjicit iſta: *Hæc* (inquit) *de Elia diximus SEQUUTI DOCTORES.* Scilicet, S. *Hieronymum*, & plures alios, qui ejus ſententiam de *Elia* in Malachia poſitam, tempore *Remigii* & ante ipſum tenuerant. Subjungit quidem ibidem etiam hæc: *Quanquam multi ſunt noſtrorum, qui credunt eum ad literam venturum,-ac mortis debitum perſoluturum*; at verò ipſe (edoctus ex S. *Hieronymo*) illicò ſic reſpondet ex verbis Domini, (Matt. 17. ℣. 12.) ut non obſcurè innuat, ſpiritualem habere ſenſum verba Malachiæ de *Elia*; uti Dominus Salvator applicatione loci illius partiali in *Joannem* Bapt. docuit. Sufficit interim nobis, quòd *Remigius* habuerit alios etiam SS. *Doctores*, quos in ſpirituali de *Elia* promiſſo ſententia *ſequi* poterat, & eſt de facto *ſecutus*.

XLI. Quòd verò *multi* (ut *Remigius* ait,) fuerint, imò plures quàm alii, (ex notis ſaltem apud nos SS. Patribus,) qui merè literalem hoc in argumento olim tenuerunt ſententiam; non eſt ſuper hoc mirandum, nec veterum illorum exiſtimationi quicquam detrahendum, neque etiam ob dictam eorundem ſententiam ab ulteriori veritatis inquiſitione nobis eſt deſiſtendum.

(*r*) *Remig. Comm. in Mal. 4. v. 5. Biblioth. SS. PP. Tom. 1. edit. Pariſ. an. 1654.*
(*s*) *Matt. 17. v. 3.*

ſiſtendum. Cum enim vetuſti SS. Patres propiùs quàm nos ortum ſpiritualem habuerint ab Eccleſia *Judæorum*, quâ nempe Fidem Chriſtianam à Judæis credentibus acceperunt; facilè (absq; fidei tamen detrimento) opinionem etiam hanc humanam à veteribus *Judæorum* Rabbinis hauſerunt, ut eô modô crederent merè literalem ac viſibilem *Eliæ* adventum, quô & memorati Rabbini ſuis tradiderunt. Verùm noſtra hoc tempore, poſt tantam Evangelii lucem, & poſt tam diù radicatam in medio noſtrî Fdem Chriſtianam, longè alia eſt ratio. Major à nobis hujus rei inveſtigatio requiritur, quàm à veteribus; & quidem tantò major, quantò nos magis quàm illi in *fines ſeculorum* devenimus. Licuit poſteris ſententiam olim per (t) *ſexcentos circiter annos* (imò & ultra) absq; contradictione *in Eccleſia vigentem*, de *Euchariſtia infantibus neceſſaria* ad examen pertrahere, imò & (u) corrigere; quantò magis licet hanc de merè literali *Eliæ* & *Enochi* adventu ſententiam, quæ nequaquam fuit ita communis, ut illa nunc memorata? uti etiam de facto ad examen eam pertraxerunt olim Doctores pii & eruditi, aliterque de ea ſtatuerunt: ut jam vidimus hactenùs, & adhuc videbimus in ſequentibus. Tantò tutiùs autem & absq; ullo cenſuræ metu poſſumus & debemus in præſenti quæſtione inquirere veritatem, quòd nunquam de ea S. Eccleſia in hanc vel illam partem aliquid determinavit; nec etiam fuit unanimis SS. Patrum conſenſus, (ut patet, & adhuc patebit,) ſine myſterio & ad nudam literam debere intelligi futurum *Eliæ* (ut & *Enochi*) adventum ante judicium: ſed unanimis & conſtans eorum hæc fuit in hoc puncto ſententia, quòd (præciſâ tali vel tali adventûs interpretatione,) *Elias* ut Præcurſor Domini venturus eſſet ante glorioſum ejus adventum, de modalitate adventûs ejuſdem Præcurſoris, aliis ſic, aliis aliter ſtatuentibus, ipſiq; *Eliæ*, aliis (v) *Moſen*, aliis (x) *Jeremiam*, plurimis autem *Enochum* (& paucis quibuſdam hunc unà cum (y) *Joanne* Ev.) pro Socio adjungentibus. Procul dubio etiam adverſarios faciliùs hîc de eo convincemus, ut credant *Eliam* ejusq; *Socium* certò certiùs venturos, ſi non crudè & ad nudam tantùm literam illis hunc adventum interpretabimur; ſed ſublimiori illo ſenſû (in Scriptura S. fundatiſſimô,) cui nunquam contradicere poſſint. Quod ſi crediderint, vel hôc ipsô firmiſſimè convincentur & de eo, quòd ipſi nullam in Eccleſia (ut è contra ſolent prætendere) fecerunt veram & genuinam *Reformationem*. *Reformatio* enim vera, quæ ſub phraſi *Reſtitutionis omnium* à noſtro Salvatore comprehenditur, *Eliæ* tertio ſpecialiter, & concomitan-

(t) *Vid. Maldonat. in Joan. cap. 6. v. 53. col. 719. ac interim conſule venerand. Antiquitatem.* (u) *Vid. Concil. Trident. Seſſ. 21. cap. 4. & ibid. can. 4.* (v) *Ita* Hilarius, *Can. 20. in Matt.* (x) Victorin. *in Apoc. 11.* (y) *Ita* Hippolytus *Mart. Orat. de Conſumm. Mundi*; *& confer* Andr. *Cæſar. Comm. in Apoc. 10. v. 11. In cumulo verò de his vide Suarez. in Tert. part. D. Thom, Tom. 2, Diſp. 55. Sect. 3.*

comitanter ejus *Socio*, ejuſdemque aſſeclis Doctoribus eſt reſervata. Sed eò nunc, unde (occaſione verborum *Remigii*) digreſſi eramus, revertamur, & ulteriùs etiam noſtram ſententiam Doctorum Eccleſiæ authoritate illuſtremus & fulciamus.

XLII. *Gloſſa* quoq; Ordinaria *Strabonis* (coævi Remigio) & aliorum, (cujus ob uſum communiorem & vetuſtiorem, longè major quàm privati alicujus Doctoris recentioris eſt authoritas,) ſequitur datam antehàc expoſitionem S.*Hieronymi* in Malach. de *Elia* venturo. (z) *Antequam* (inquit) *Dominus in judicio percutiat terram anathemate, MITTET CHORUM PROPHETARUM qui SIGNIFICATUR IN ELIA, qui interpretatur Deus meus, & eſt de oppido Thesbi, quod ſonat, Converſio ad pœnitentiam.*

XLIII. *Rupertus* etiam Abbas Tuitienſis (an. D. 1117.) hæc de *Elia* in Malachiam ſcribit: (a) *De adventu Heliæ quicquam definire non auſim: quia videlicet Doctorum alii, quibus omnes ferè conſentimus, credunt eum ad literam venturum, ac reſtituturum omnia, ac mortis debitum perſoluturum: ALII verò NEQUAQUAM; quibus Vir illuſtris B. Hieronymus conſentire videtur.* Et illicò ſubjicit pro ſententia S. *Hieronymi* verba quædam quaſi ex ipſo deprompta: quæ tamen formaliter non apud *Hieronymum*, ſed apud *Remigium* inveniuntur. Citatis verò illis verbis immediatè ſubjungit iſta: *Veruntamen, ſive ipſam Heliæ perſonam, ſive (ut alii volunt) PRO-„PHETIAM promitti MAGIS VERUM ſit in his verbis*, Ecce ego mit-„tam vobis Eliam, &c. *illud conſtat, quia reliquiæ convertentur ex Iſraële.* &c. Videmus in his, quantùm propendeat *Rupertus* in ſententiam S. Hieronymi de *Elia* myſticam, etiamſi non audeat apertè dicere, ſe illam ſequi. At verò alibi ſatis clarè docet, ſe per *duos Teſtes* Apocalypticos, Doctores in Eccleſia *Enocho* & *Eliæ* comparandos intelligere. (b) *Rectè* (inquit) *dicendum, quia Teſtes hujus* (nempe Domini Jeſu) *qui hæc loquitur, & verè quàm multi ſunt, & nihilominus juxta quandam rationem tantummodò duo, id eſt DUOBUS ORDINIBUS diſtincti ſunt: videlicet, quomodo Enoch & Helias ambo ſancti & Deo dilecti à ſemet ipſis differunt. Enoch namq; nullas legitur perſecutiones pertuliſſe, ſed in pace cum* (c) *Deo ambulavit, & non inveniebatur, quia tulit eum Deus. Helias verò, notum eſt, quantas perſecutiones impiiſſima Jezabelis pertulit. Secundùm duos illos, usq; hodie & usq; in finem ſeculi Teſtes Chriſti diſtincti ſunt; ita videlicet, ut alii ſint Teſtes, qui in pace S. Eccleſiæ fideliter viventes, loquendo pariter & ſcribendo teſtimonium veritati perhibuerunt, & perhibere non deſinunt: alii, qui in perſecutione pro ſtatu fidei pugnando, in defenſione ſangvinem ſuum fuderunt, vel fuſuri ſunt. Hi duo Sanctorum ordines, rectè dicuntur duo Teſtes.* &c. Hæc ille. In quibus, ut vide-

(z) *Gloſſ. Ord. Strab. & aliorum apud Lyran. in Mal. 4. v. 5.* (a) *Comm. in Mal. 4. v. 5.* Ecce ego mittam *&c. Oper. Tom. 1.* (b) *Rupert. in Apoc. 11. v. 3. Op. Tom. 2.* (c) *Gen. 5. v. 24.*

ut videmus, ſequitur ſententiam *Primaſii* de duobus Teſtium ordinibus jam (*d*) relatam. A' quorum ſententia (noſtræ ex parte conſona,) quantùm & in quo noſtra differat, attenta hujus capitis lectio (*e*) judicioſum quemque lectorem docet. In hoc ſaltem uterq; nobiſcum ſentiunt, quod non hærent in mera litera de *Enocho* & *Elia*, ſed ſpiritualiter exponunt locum celeberrimum Apocalypſeos de *duobus* Domini *Teſtibus*. Atque hos *Teſtes* citatus *Rupertus*, non ſolùm *Enocho* & *Eliæ*, (ut jam vidimus,) ſed etiam *Eliæ* & *Eliſæo*, ac implicitè *Moſi* quoq; & *Aaroni* comparat.

XLIV. Abbas quoq; *Joachim* (an. D. 1197. & ſequ.) conſentit in hoc *Primaſio* & *Ruperto*, quòd & ipſe per *duos Teſtes*, *duos Ordines* Teſtium ſeu Prædicatorum intelligit: quamvis ipſe paulò aliter (& quidem nunc explicatiùs, nunc obſcuriùs) de iiſdem loquatur. Aliqua ejus verba (ex iis quæ legi) hîc apponam. (*f*) *In puero quidem* (inquit) *& ignobili*, (ſcil. Iſa. 3. ℣. 5.) *notantur DUO ORDINES affuturi*, *quemadmodum in Caleb & Joſue*, *in Manaſſe & Ephraim*, *in Moyſe &* † *Aaron*, *in Joanne Bapt. & Chriſto*, *in Helia & Heliſæo*, *in Paulo & Barnaba*; *in duobus exploratoribus Hiericho*, *& in duobus*, *qui miſſi ſunt ad ſolvendam* (*g*) *aſinam alligatam*, *Eccleſiam in peccatis*; *& in duobus euntibus in* (*h*) *Emaus*; *in* (*i*) *Petro nihilominùs & Joanne*; *in duobus etiam Angelis*, (*k*) *miſſis ad Sodomam ſubvertendam*; ſubintellige, quòd *notantur* ſeu ſignificantur iidem Ordines. Et mox de iiſdem: (*l*) *In* curru *Priores & Rectores eorum ſunt*: equi, *qui mittuntur & ſuſtinent onera diſcurrentium*.-- *Iſti ſunt equi &* quadrigæ (*m*) *Aminadab*, *imò* * *Zacharia*, *imò Chriſti*, *imò Spiritûs veritatis*. De iiſdem dicit & iſta: (*n*) *Futurum eſt*, *ut Prædicatores Evangelii revelandi ſint*, *& religione fervidi*, *& prædicatione facundi*. Quos ibidem paulò poſt, (*o*) *Pacis Angelos*, *duos Teſtes*, & *Prophetas venturos* nominat. Item, quos paulò antè certis perſonis jam memoratis comparavit, alibi eoſdem, ſed obſcuriſſimè ſcribens, partim *Eliæ* & *Jeremiæ*, partim *Petro* & *Joanni* Evangeliſtæ, partim verò eidem *Joanni* & *Eliæ* comparat. Verba ejus ſunt: (*p*) *Quemadmodum primus ſtatus* (ſcil. ab Abraham uſq; ad Chriſtum ex ejus mente) *in Joanne Baptiſta finem habuit*; & *ſecundus* (ſcil. inchoatus *à Chriſto*, *in perſona Filii*, juxta ipſum, *& ordine Clericorum*) *habiturus eſt exitum in HELIA*, *quem oportet præcurrere in fine ſæculi ſtatûs ejuſdem*. Et ſubjicit immediatè: *Alter in Spiritu Hieremias*. Hoc innuit; quòd ipſe *Helias* erit *alter in Spiritu Hieremias*; myſticè potiſſimùm per *Eliam* ordinem futurorum Prædicatorum ſeu Teſtium

(*d*) *§.38. hoc cap.* (*e*) *Vid. §. 1. & 2. item; 31. & 39. hoc cap.* (*f*) *Abb. Joach. in Jer. 4. v. 13. edit. Colon. an. 1577. pag. 75. & 76.* † *Ita etiam in cap. 17. Jerem. pag. 252.* duos Teſtes futuros, Moyſi & Aaron, *item* Paulo *&* Barnabæ *comparat.* (*g*) *Matt. 21. v. 1. & 2.* (*h*) *Luc. 24. v. 13.* (*i*) *Joann. 20. v. 2. 4. & Act. 3. v. 1.* (*k*) *Gen. 19. v. 1.* (*l*) *Loc. cit. p. 76.* (*m*) *Cant. 6. v. 11.* * *Zach. 6. v. 1.* (*n*) *Abb. Joach. in Jer. 25.* (*o*) *Juxt. Iſa. 33. v. 7.* (*p*) *Præfation. in Jerem*

ſtium Domini intelligens: non excluſô tamen perſonali etiam aliquô ejuſdem *Eliæ* adventû. Et aliquantò infra, de iiſdem Ordinibus, ſeu Teſtibus (*gemina prole* Eccleſiæ) ſic ſcribit: (q) *Iſti ſunt Petrus & Joannes*, (r) *unà currentes & aſcendentes in Templum Sepulchri; ſed junior & ultimus Ordo deſignatus in eo,* (h. e. Joanne,) *qui paulò minùs minoratus* (eſt) *ab eis, ſcilicet Angelis* (ſ) *Prædicatoribus, præcucurrit; ſed non eſt ingreſſus Evangelii veritatem.* (Scil. myſteria rerum Chriſti non ſtatim penetravit.) *Sed intrabit Petrus Prædicator, Servus ſeminis* (s) *Abrahæ, in monumentum literæ Evangelium prædicandi: Sequiturq;* Joannes, &c. *Alter* † *Ordo deſignatus in Helia, ſub ſeptima apertione ſignaculi ingrediatur poſt eum.* (Scil. poſt ordinem, ſignificatum per Petrum.) De iiſdem *Teſtibus* habet etiam ſequentia: (t) *Licet novus Ordo Prædicantium Eccleſiæ oriatur; tamen Ordo ipſe initiatus eſt à Prophetis, Apoſtolis & Doctoribus tertii* temporis Eccleſiaſtici, carus, & cognitus, & electus, & acceptatus à Deo, ſignatus in Iſaac & Joanne Baptiſta: --quia Iſaac immolatus, & Joannes oblatus Deo deſcribitur. Et Clericalis utiq; cœtus eſt ſub proxima tribulatione mactandus; quem Hieremias iſte, voce, fide & opere repræſentat. In* (u) utero *ergo Eccleſiæ, formatusq; in Fide eſt Ordo Doctorum, quem prænovit Deus à diebus priſtinis, in ſæculorum finibus revelandus: ſanctificatusq; in* (v) vulva *Eccleſiæ ſpiritualis, & perfectione doctrinæ. Et benè primò* formatur, *ſecundò* ſanctificatur: *quia primò in fide inſtruitur; ſecundò in converſatione religioſa educatur. Iſti ſunt Reges* Juda; *iſti Levitici generis, regale utiq; Sacerdotium, & gens ſancta.* &c. *Tales in proximo pariet generalis Eccleſia jam ſeneſcens; tales* (x) *Rachel plorabit filios à Rege* (y) *impudenti facie, ac ſi Herode & Pharaone altero occidendos.* Hæc ille. Si cui tamen haud grata forent ea, quæ ex hoc *Abbate*, (viro alioquî pio, docto, & judicio etiam Papæ Honorii III. (z) *Catholico*) ſunt hîc in medium adducta, is vertat ſe ad teſtimonia ſuperiora, in eundem ſcopum pro ſenſu ſpirituali allata.

XLV. *Hugo* † Cardinalis de S. Charo, (an. D. 1250.) ita tenet literalem de *Enocho* & *Elia* ſententiam in expoſitione *duorum Teſtium*, ut tamen neque ſpiritualem ſenſum excludat. Sic enim ad verſum illum, *Et dabo duo-*

,,bus

(q) *In ead. Præf.* (r) *Joan.* 20. v. 2. 3. 4. (ſ) *H. e.* Angelicis. *Vide lucis causâ Matt.* 24. v. 31. & *conſ. infra. h. Claſs. cap.* 10. §. 40. (s) *In textu Abb.* Habræ. † *Quaſi diceret;* Alter ſcilicet ordo, &c. *innuendo, quòd* ordo *per* Joannem *Evang. præſignatus, idem eſt cum* ordine *deſignato in* Elia. (t) *Abb. Joac. Comm. in Jer.* 1. v. 5. p. 8. * Tertium *hoc tempus ei eſt inchoatum à ſuo avo, vel rectiùs inchoari debet ab initiali adventu* Eliæ *in Spiritu*, in perſona (*ut ille loquitur*) Spiritûs S. & ſpiritualium contemplantium Dominum, uſque in finem ſæculi *duraturum.* (u) *Reſpicit ad Jerem.* 1. v. 5. (v) *Eodem reſpicit.* (x) *Ex Jerem.* 31. v. 15. *collat. Matt.* 2. v. 18. (y) *Phraſis ex Dan.* 8. v. 23. *myſticè de* Antichriſto *ſonans.* (z) *Vid. Rajnald. Annal. Eccl. ad an. D.* 1220. n. 31. † *Primus hic fuit ex Ord. Prædicat. Cardinalis.*

„*bus Teſtibus meis*, &c. ſcribit: (*a*) *Secunda pars verſiculi*, *in qua fidelibus promittuntur Enoch* & *Helias*. Et aliquantò infra: *Per hoc etiam*, *quòd dicit* duobus, *intelliguntur ALII PRÆDICATORES*: *qui* duo *dicuntur propter geminam charitatem*, *Dei ſcil. & proximi*. Perſpicuè in his ſpiritualem tradit ſenſum, de iis, qui Spiritum & virtutem *Eliæ* & *Enoch* ſunt habituri. Huc faciunt illa etiam, quæ paulò ſuperiùs habet ibidem: *Duobus*, inquit; *quia de* duobus *prædicabunt*, *ſcil. de Divinitate Chriſti*, *& Humanitate*: *Vel de* duobus; *ſcilicet de Chriſto*, *ipſum commendando & magnificando*; *& de Antichriſto*, *ipſum reprobando*, *& damnabilem oſtendendo*. *Vel*, duobus; *quia de UTROQUE TESTAMENTO accipient quod ipſi prædicabunt*: *Vel*, duobus; *quia præmia bonorum*, *& pœnas malorum nunciabunt*. Quid attinebat ad ſcopum, hîc tàm operosè dare rationes numeri *Teſtium* binarii, ſi tantùm literaliter *Enochum* & *Eliam* per futuros *duos Teſtes* intellexiſſet? Ipſe enim *binarius* perſonarum illarum numerus, genuina planè & ſufficientiſſima ratio fuiſſet pro ſolo ſenſu literali, ſeu, ad declarandum merè literaliter, quare *Teſtes* Domini, *duo* futuri hîc prænuncientur. In ſpiritualem ſenſum vel maximè quadrant iſta etiam apud eundem, de habitu duorum Teſtium, quòd *amicti ſaccis* prophetaturi ſunt: (*b*) *Ecce* (inquit) *quomodo ad dies juventutis ſuæ revertetur ECCLESIA in ſua ſenectute! Ferè enim idem legitur de Præcone primi adventûs*, *ſcil. de* Joanne *Bapt*. *Marc*. 1. (℣. 6.) -- *Hoc* „*etiam de Eſaia legitur*, -- *Eſa*. 20. (℣. 2.) -- *Et ibid*. 50. (℣. 3.) Induam cæ„los tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum: *quaſi dicat*: *Sancti PRÆCONES ultimi adventûs*, *licet ſint cæli ſplendentes virtutibus*, *tamen reputabuntur VILES & MISERI*. Idem doctiſſimus Cardinalis, *Malachiam* quoque exponendo, primùm ponit ſenſum literalem, (*c*) quòd, *ante diem judicii mittet* Dominus *Heliam*, *qui* Judæos *ad ſpiritualem Legis intelligentiam convertat*; & quòd *ante ſecundum adventum*, *conſtat Heliam venturum & Enoch*, &c. deinde affert myſticam etiam ſeu ſpiritualem S. *Hieronymi* expoſitionem; quam nullo modô improbat, ſed potiùs additô vocabulô *Prædicatorum*, alibi (*d*) de duobus Teſtibus à ſe in uſum adhibitô, illuſtrat. *Hieronymus* (inquit,) *chorum Prophetarum*, *i. PRÆDICATORUM intelligit*, (Prædicatorum nempe, Spiritû Prophetarum implendorum,) *qui convertent cor Patrum ad filios*, *ut credant poſteri*, *quod Patres crediderunt*. Huc uſque *Hugo* Cardinalis. Jure ac meritò ab iis, qui à noſtra ſententia adhuc diſſentiunt, hoc ſaltem requirimus, ut illi tàm placidi & benigni ſint erga nos & noſtram ſententiam, ſicut fuit hic magnus Cardinalis erga illos, qui cum S. *Hieronymo* ſpiritualem potiſſimùm ſenſum in expoſitione promiſſi *Eliæ* & *duorum Teſtium* tenuerunt.

XLVI. No-

(*a*) *Comm. in Apoc* 11. *v*. 3. *Oper*. *Tom*. 7. (*b*) *Loc. cit*. (*c*) *Hugo Comm. in Malach*. 4. *v*. 5. (*d*) *Vide eundem ſupr. in hoc paragrapho*.

XLVI. Noſtra huc usq; ex Veneranda antiquitate adſtructa ſententia, non diſplicuit etiam inter recentiores, doctiſſimo ac verè Religioſo Viro (Ord. S. Franc.) *Joanni Fero*, (an. D. 1550.) Concionatori Moguntino; licet literalem quoq; ſenſum in indifferenti reliquerit. Verba ejus hæc ſunt: (*e*) *Certum eſt ex Scriptura, quòd dum plenitudo Gentium intraverit, omnis Iſraël ſalvus erit; ſicq́, tandem convertentur corda filiorum ad Patres; h. e. agnoſcent & ipſi* (Judæi) *eum, quem Patres eorum expectârunt. Hoc autem HELIAS facturus, ſive in perſona propria veniat, ſive ALIUS IN SPIRITU & VIRTUTE HELIÆ.*

XLVII. Similem ferè ſententiam tradidit ante J. *Ferum*, alter etiam magnæ eruditionis Religioſus (Ord. S. Pauli prim. Erem.) Cœlius *Pannonius* de duobus *Teſtibus* his verbis: (*f*) *Solent ſancti Prædicatores in magno zelo adversùs vitia conſurgere, imò & adversùs vitiorum authores; quorum ex ore velut faculæ ardentes, verba minarum ac reprehenſionum plena jaculantur: id quod Teſtibus his Scriptura tribuit, ſive ENOCH ELIASVE ſint, ſive ALII CONSTANTISSIMI illius NOVISSIMI TEMPORIS PRÆDICATORES.* Item: (*g*) *Specialiter Enoch & Elias* (ſunt) *duæ olivæ propter unctionem Spiritûs Sancti, quâ illi delibuti ERUNT.--Generaliter univerſi DUORUM TESTAMENTORUM PRÆDICATORES, qui pinguedine gratiæ uncti lumen veritatis præſtant, & in tempore tentationis* (qualis maximè tempore Antichriſti fiet) *non recedunt, ſed ſtant coram Deo.* Et alibi: (*h*) *Duo illi illi Teſtes, de quibus ſupra cap.* 11. *tractatum eſt, ſunt Enoch & Elias, ut communiter putatur: -- ſed NON EST DETERMINATUM, utrum Enoch & Elias in perſona ſua intelligantur, an ſolùm IN VIRTUTE; nec ibi* (ſcil. Apoc. 11.) *nominatim exprimuntur, ſed tantummodò quòd duo Teſtes erunt: qui ex circumſtantia verborum, putantur is* († futuri,) *quorum actio SIMILIS erit.* Hæc ille.

XLVIII. Vidimus hucusq; teſtimonia, quæ partim apertè, partim implicitè noſtræ ſententiæ de *duobus Teſtibus* quoad ſpiritualem ſenſum patrocinantur. Supereſt jam, ut rationibus quoque certis in Scriptura S. fundatis noſtram ſententiam roboremus.

XLIX. Pro eadem ſententia (1.) Ratio eſt: Quia ipſa Domini Salvatoris interpretatio de *Elia* ex loco Malachiæ in *Joannem* Baptiſt. applicata, non obſcurè docet nos, quòd etiam pro ſecundo ejuſdem Domini adventu annunciando, futurum *Eliæ* (quoad ſenſibile ſacri muneris in prædicando exercitium) adventum, ex principali Spiritûs Domini ſcopo ſpiritualiter intelligere

(*e*) *Joan. Fer. Comm. in Matth. Lib. 3. in cap. Matt. 17. v. 11.* (*f*) *Collectan. in Apoc. 11. v. 5. edit. Tyrnav. an. 1682. pag. 234.* (*g*) *Ibid. in v. 4. p 232.* (*h*) *In Apoc. 14. v. 18. pag. 324.*
† *Error typographicus ibi irrepſit, ut loco hujus, aut ſimilis vocis, iterùm vox* verborum *illic iteraretur. Senſus requirit, ut ſit ibi vox* futuri, *vel* venturi.

telligere debemus, eo ſcil. modô, quo in *Joanne* ſpiritualis fuit ejus adventus. Quicunq; enim verba illa Domini, Matt. 11. ℣. 14. *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*, de *Joanne* prolata accuratè expenderit, (collato etiam Matt. 17. ℣. 12. & Luc. 1. ℣. 17.) dubium ei eſſe non poteſt, quin Dominus in illis verbis innuat *Joannem* Baptiſtam eſſe illum *Eliam*, qui per *Malachiam* promiſſus eſt. Scilicet, fuit ille partialiter *tantùm & in quodam præludio *Elias* ſpiritualis (ſeu *in ſpiritu & virtute* veteris Eliæ) per Malachiam promiſſus; (ſicut & *dies* primi adventûs Domini, propter ſubſequens illicò horrendum Dei in Judæos effuſum judicium, ultimi illius præfigurativum, ſensû eodem partiali, ibidem ſubincluditur;) at verò ille, qui ſecundi adventûs Domini Præcurſor è medio militantis Eccleſiæ futurus eſt, & in quem principaliter ac ultimatè fertur intentio Spiritûs Sancti, erit pleniſſimè idem *Elias* promiſſus, hoc eſt, in omni plenitudine *Spiritûs & virtutis* Eliæ. Unde rectè doctiſſimus *Janſenius* Epiſc. Gandavenſis ſcribit, (*i*) quòd *potiſſimùm* quidem *de ſecundo Domini adventu eſt* apud Malachiam *ſermo*; ſed *tamen quia* Joannes *præceſſerat Domini adventum primum in Spiritu & virtute Eliæ*; - - *ob id Dominus eam Scripturam* (Malachiæ) *in* Joanne *ADIMPLETAM dicit*. (Sensû nimirùm nunc explicato *adimpletam*.) Unde ſic argùmentari licet: Si *Elias* juxta prophetiam Malăchiæ (ex parte intellectam) in *Spiritu* & *virtute* ſuî fuit Præcurſor (in ipſo *Joanne* Baptiſt.) primi adventûs Domini; nulla ſubeſt ratio, ob quam pro ſecundo quoque adventu, non pariter ſpiritualem ejus adventum ratione ſacri miniſterii viſibiliter (in aliqua perſona) peragendi expectemus. Et revera, ſi alios magnos Veteris Teſt. Sanctos, v. gr. *Abrahamum*, *Iſaacum*, Jacobum, *Joſephum*, *Moyſen*, *Davidem* & ſimiles typicos, in typis (quà typi ſunt) & propheticis prædictionibus ſpiritualiter interpretamur; non apparet ulla ratio ſolida, ob quam in ſolius *Eliæ* ejusq; *Socii* cæleſtis interpretatione tantummodò literalem ſenſum ſectemur. Alioquî etiam de *Elia* ejusq; *Socio*, (quos literaliter etiam certô modô & ſensû contra Mundum & Antichriſtum affuturos jam conceſſimus) ſtare debet illud S. *Hieronymi* in Scriptura S. fundatum: (*k*) *Totum quod legimus in Divinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice, ſed DULCIUS IN MEDULLA eſt.* Animo hîc volvamus illud quoq; Apoſtoli: (*l*) *Litera occidit*, (in ſe ſcilicet, & nudè tantùm conſiderata;) *Spiritus autem vivificat.*

L. (2.) Ratio. Quia ſi vetus *Elias* & *Enoch*, ad literam in propriis perſonis viſibiliter in terris ſacro munere functuri eſſent, viſibiliterque contra *Antichriſtum* decertaturi, ſequeretur inde, quòd Deus contra ordinariè

* *Quæ hîc dicuntur de partiali & pleniſſimo implemento, de iis videatur* Regula *prima hujus 2da Claſs.* (*i*) *Comm. in Concord. Evang. cap. 47. in Matt. 11. v. 14.* (*k*) *Epiſt. 13. ad Paulin.* (*l*) *2. Cor. 3. v. 6.*

dinariè conſvetum, ſuæque ſapientiæ valde congruum in propugnanda per ſuos domeſticos ſua Eccleſia agendi modum, ſtatim in principio certaminis illius glorioſi non ſolùm fortem forti, ſed planè fortiſſimos debiliori immediatè opponeret: magnos nempe illos Sanctos cælites, comparatione peccatorum in anima & corpore fortiſſimos, *Antichriſto* & ejus exercitui. At Deus ſuum illum ordinarium modum, ſine magna neceſſitate, hoc eſt, ſi illo modô ſuo populo ſuccurrere poteſt, uti in hoc certamine (*m*) omnino poteſt, non mutat. Sic *Moſen* olim & *Aaronem* Pharaoni; ſic *Davidem* puerum & inermem Goliatho; ſic *Apoſtolos* Judæis & Gentilium Mundo oppoſuit: quanquam hos omnes in dies, fortiores ac fortiores fecit, ſicut etiam futuros *duos Teſtes* cum tempore demùm fortiſſimos planè efficiet. Huc facit illud Apoſtoli: (*n*) *Infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Et quoad myſticum ſenſum, Pſal. 8. ℣. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem,* (vel juxt. Hebr. *fundaſti fortitudinem*) *propter inimicos tuos, ut deſtruas INIMICUM & ultorem.* Atque hinc doctiſſimè planè & ad rem ſcribit Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Archiepiſcopus *Ancyranus*, D. *Petrus* Paulus (Anteſignanus Miſſionariorum Orientalium) in quodam ſuo opere MS. Italico: (*o*) *Non eſt conſvetudo Dei, operâ fortis uti contra fortem, ſed debilis; ut eò magis appareat ſua omnipotentia: & pariter non eſt ejus conſvetudo facere miracula, cum homines poſſunt ſuperare difficultatem cum ipſius auxilio & benedictione.* Conſequens eſt ergo, ut dicamus, Deum deinceps quoque hoc contra *Antichriſtum* obſervaturum, debiles, vilesq; humanitùs & inopes è medio militantis Eccleſiæ ad glorioſum illud certamen aſſumendo, & aptiſſimos ſuâ gratiâ & cælitum aſſiſtentiâ faciendo.

LI. Hinc jam ulterior (3.) hæc profluit ratio: Quia quod Sancti in hac vita miſera militantes per cæleſtem aſſiſtentiam poſſunt feliciter peragere, ad illud viſibiliter & in propriis ſuis perſonis peragendum, non ſolet Deus Sanctos è Cælis vel Paradiſo huc mittere: Atqui potentiſſimam verbi Dei prædicationem, & univerſam pugnam contra *Antichriſtum*, Mundumque perverſum, Sancti in hac vita miſera militantes per cæleſtem aſſiſtentiam poſſunt feliciter peragere. Ergo non eſt neceſſe, ut Deus præter conſvetum ſuum morem, è Cælis vel Paradiſo ſuos Sanctos huc ideo mittat, ut viſibiliter ſuis in perſonis prædicationem & pugnam contra dictos

hoſtes

(*m*) *Vid.* §. 51. & 52. *h. cap.* (*n*) 1. *Cor.* 1. *v.* 27. (*o*) *In* Difficultat. propagandæ fidei *apud infidel. quod opus ab Authore* Romæ *ad legendum fuit mihi An.* 1697. *communicatum. Verba eius ſunt*: Non è coſtume di Dio, di adoprar il forte contra il forte, ma l' debbole; accioche più compariſca la ſua onnipotenza: è parimente non è coſtume ſuo, di fare miracole mentre gli huomini pono ſuperare le difficolta col ſuo ajuto, è beneditione.

hoſtes peragant. Major præmiſſarum ex proximè præcedenti paragr. patet. Minor autem facilè ſic probatur: Potuerunt olim Apoſtoli contra Mundum detonare & depugnare; quare ergo non poſſint etiam ultimi temporis Sancti excellentes per cæleſtem gratiam contra *Antichriſtum* & Mundum potentiſſimè prædicare & glorioſè decertare, ac omnia illa quæ Apoc. 11. de *duobus Teſtibus* dicuntur, peragere, maximè cum duo illi eorundem Anteſignani, de quibus loquimur, ſingularem *Eliæ* & *Enoch* aſſiſtentiam habituri, & *Spiritû* ac *virtute* tum eorum tum aliorum Prophetarum (juxta ſuperiùs dicta) pleniſſimi futuri ſint?

LII. Huic (4tò,) alia iterùm ratio vicina & cognata hæc eſt: Quia ipſe Chriſtus Dominus non obſcurè videtur prorsùs negare neceſſarium eſſe, ut quiſpiam Sanctorum poſt emenſum miſeræ hujus vitæ ſtadium, è loco quietis & ſtatu omnis miſeriæ & peccati experte (in quali ſunt *Enoch* & *Elias*) ad docendos viſibiliter ſua in perſona peccatores huc mittantur; ſed hoc munus illis commiſſum eſſe docet, qui vivunt inter mortales, & Scripta *Moſis* ac *Prophetarum* interpretantur: quod ſatis patet ex Luc. 16. ℣. 23. 27. 28. 29. 30. 31. Vis argumenti eſt ℣. 29. *Habent Moyſen & Prophetas; audiant illos:* & ℣. 31. *Si Moyſen & Prophetas* (h. e. Scripta Moyſis & Prophetarum à fidis Eccleſiæ Doctoribus propoſita & expoſita) *non audi-* „*unt; neq; ſi quis EX MORTUIS RESURREXERIT, credent.* Subjunge: „Ergo neque ſi quis ex translatione (ut *Elias* cum *Enocho*) huc mittatur, „credent; ſi ſcil. Doctoribus Eccleſiæ non credent. Et reverà cum jam conſtet ex ante dictis, quòd quicquid venturis *duobus Teſtibus* (cum choro Doctorum eis aſſociandorum) peragendum & ſuperandum incumbit, id omne, ex ipſis quoque hominibus miſeram hanc vitam ducentibus, perſonæ ſingulares à Deo excitandæ, & donis ſufficientibus ſupra alios inſtruendæ, in dies ac ſucceſsû temporum peragere poſſunt; planè non eſt neceſſarium, ut è Cælis vel Paradiſo Sancti ideò huc mittantur, ut ipſi dictorum *Teſtium* munus viſibiliter ac ſuis in perſonis peragant. Concedimus tamen, imò aſſerimus, illos ipſos *Teſtes* ex miſeris hominibus aſſumendos, rectè etiam *cæleſtes* certô ſenſû dici poſſe: non ſolùm quia *cælitùs* ad tantum opus, quantum eis incumbit exantlandum, excitandi, inſtruendi & mittendi ſunt; ſed etiam, quia ita in dies ſanctificabuntur toti à Deo, ut nîl niſi *cæleſtia* curent & tractent, eaque inter homines tum per adverſa tum per proſpera totis viribus promovere allaborent: uno verbô, ut in corpore humano vitam & functionem agant Angelicam.

LIII. (5.) Quia *duo Teſtes* in Apocalypſi ita deſcribuntur, tanquam inſignes *pænitentes* ac *lugentes* futuri; *lugentes* inquam, non ſolùm de alienis, ſed primariò de propriis ſuis peccatis, ex originali corruptione profluentibus; (abſq; hoc enim non eſſent verè *pænitentes*;) ut per hoc aliis

etiam

etiam (ævô ſuo tot malis immerſô) exemplaria viva ſint ad veram *pœnitentiam* agendam. Atq; ſic impleri debet, ut in uno, ſic in altero illorum, myſtica illa à S. *Hieronymo* & aliis poſt ipſum in ſuperioribus (*p*) data expoſitio, quòd *Thesbi*, nomen Patriæ Eliæ, *converſionem & pœnitentiam* ſignificat. Scilicet, id debent illi exequi, quod ſcribit S. *Gregorius* M. his verbis: (*q*) *Mens pœnitentiæ doloribus preſſa, in ſemet-ipſa conſtringitur, atq; à cunctis delectationibus carnis, forti cogitatione ſeparatur; ad ſumma proficere appetit.* &c. Cui cognatum eſt illlud S. Bernardi: (*r*) *Vera pœnitentia eſt, ſine temporis intermiſſione de peccatis dolere; ſic plangere commiſſa, ut non committantur plangenda.* Scilicet, eò uſque *plangit* verus *pœnitens*, donec victoriam ſuper peccatis reportet. Hæc ipſorum *pœnitentia* exprimitur quoad ſpiritualem & principalem phraſeos ſenſum per hoc, quòd *amicti SACCIS* prophetaturi dicuntur, Apoc. 11. ℣. 3. (Abſit enim, ut non niſi meram umbram & ſignificationem typicam pœnitentiæ aliorum, in ſola geſtatione externi *ſacci*, aut vilis amictûs monſtrarent tunc *Teſtes* Domini, dum vel maximè realitas & veritas rei per ipſos agenda eſt, ipſaq; myſteria ſub veteribus typis & umbris latentia plenè detegenda ſunt.) Non enim leguntur ulli alii in Scriptura S. *ſaccô* induti fuiſſe, (*ſ*) niſi qui aut pœnitentiam egerunt de peccatis ſuis, (non excluſo dolore ſuper alienis,) aut poterant & debebant egiſſe, utpote peccatores exiſtentes. Hinc rectè ſcribit *Rupertus* de *amictu* duorum Teſtium: (*s*) *Amicti ſacco prophetabunt, id eſt, POENITENTIAM AGENTES, & aliis* (pœnitentiam) *prædicantes, & populo teſtimonium veritatis annunciabunt, & Deo, quatenùs plagam ceſſare faciat, ſive ut ſe, NE IN ERROREM inducantur, liberet, totâ intentione ſupplicabunt.* Et noſter *Pannonius* pariter: (*t*) *Sacci amictus, vilitatem indumenti eorum, ac humiliationem plurimam Prophetarum Dei indicat, in AUSTERITATE POENITENTIÆ.* Et infra: *Pœnitentiam agentes ſupplicabunt Deo.* Atqui hoc de *Enocho* & *Elia*, (vel aliis cælitibus Sanctis,) dicere non poſſumus; ut qui jam ſunt prorsùs puri & liberi à peccato, ac etiam in gratia confirmati, ne ampliùs peccare poſſint. Stat ergò noſtra ſententia.

LIV. (6.) Ratio. Quia Chriſtus Dominus non obſcurè inſinuat nobis, *Eliam* dehinc viſibiliter venturum, (ſeu tertium,) ex hominibus per nativitatem eſſe oriturum, ac inter homines ſenſim adulturum, dum prædicit ex *Iſaia*, quòd eodem *modô*, (*u*) *quô ſcriptum eſt in Filium hominis*, (ſeu, *de Filio hominis*,)

(*p*) §. 36. & 42. b. *cap. p.* 127. & 133. *Confer etiam Remig. in Mal.* 4. *v.* 5. (*q*) *Moral. in Job. Lib.* 8. *c.* 11. (*al. c.* 16.) (*r*) *Medit. c.* 4. *n.* 3. (*ſ*) *Vid.* 4. (*al* 2.) *Reg.* 19. *v.* 1. 2. 2. *Eſd.* 9. *v.* 1. *Eſth.* 4. *v.* 1. *Job.* 16. *v.* 16. *Iſa.* 20. *v.* 2. & 37. *v.* 1. 2. *collat. c.* 22. *v.* 12. & *Baruch.* 4. *v.* 20. *Item, vid. Dan.* 9. *v.* 3. *Joël.* 1. *v.* 13. *Jon.* 3. *v.* 5. 6. 8. *Confer*, 3. *Reg.* 20. *v.* 31. 32. & *Iſa.* 15. *v.* 3. (*s*) *Comm. in Apoc.* 11. *v.* 3. (*t*) *In eund. loc.* (*u*) *Marc.* 9. *v.* 11. (*al.* 12.)

minis,) *multa patietur*, *& CONTEMNETUR* ab hominibus. Reverà è cœleſti gloria, vel (ſi mavis juxta nonnullos loqui) è Paradiſi quiete, cum corpore & anima immediatè huc deſcendenti, & ſine nativitate ac educatione humana inter homines apparenti, planè repugnat, ut eô modô vilis & *contemptus* habeatur ab hominibus, quô Dominus prædixit de *Elia* venturo. Poſſunt fateor, impii homines etiam Angelum de cælo deſcendentem contemnere, præſertim ex eo, quòd per breve tempus ex effectis non poſſunt alii quoq; eum cognoſcere homine eſſe majorem; (quod ex duorum *Angelorum* (*v*) Sodomam ingreſſorum exemplo colligere facilè poſſumus;) verùm Chriſtus Dominus ex verbis *Iſaiæ* cum hîc prædixit modum contemptûs *Eliæ*, quô ipſe Dominus inter homines natus & educatus, ac ſatis notabili temporis ſpatiô cum iiſdem converſatus, fuit *contemptus*. Is enim *contemptus* facit vel maximè homines inexcuſabiles, quô eum *contemnunt* Doctorem, ob ſuî humilitatem & infirmitatem, qui in medio ipſorum natus & educatus eſt, (Deo hac in parte hominibus, & conſveto inter eos ordini ſe ſe accommodante,) cum tamen ſciant illum præclaris ad potenter ædificandum alios dotibus à Deo eſſe inſtructum. Cæterùm, Legatum è Cælis miſſum, nec ipſi impii, externâ ſaltem & apertâ reluctatione contemnere præſumerent, ſi certò ſcirent ac perſvaſum † ſibi haberent, eum reverà è ſupernis & beatis ſedibus, ut à Deo miſſum in terras deſcendiſſe. [Quin potiùs viſis ejus externis operibus terrificis, (ut hîc juxta hypotheſin merè literalis ſensûs, viſô *igne* (*x*) literali homines *devorante*) cum ſtupore conſternati, fugam potiùs aut preces pro ſuî ſalute, quàm reluctationem meditarentur.] Ac per hoc minùs forent inexcuſabiles, ſi eum contemnerent, quem (pro homine ceteris peccatoribus ſimili apprehendentes) ignorant è Cælis aut Paradiſo immediatè, Divinô juſsû huc digreſſum eſſe, quàm ſi eum reputent pro nihilo, quem certò ſciunt ac recognoſcunt, (ut apud ſe natum & educatum,) ex terrena & humili ſorte à Deo aſſumptum eſſe, doniſque ſpiritualibus ſupra alios ita inſtructum & ſublimatum, ut potentiſſimè poſſit ædificare & paſcere Eccleſiam Dei. Hoc autem de *Elia* ſpirituali venturo, etiam ipſi impii cum tempore ſcituri ſunt, atque id vel ſaltem adulatoriè (verè tamen) confeſſuri. Atq; hoc tantò magis inexcuſabiles eos reddet de ejus *contemptu* & perſecutione.

LV. Ut verò vis noſtri hujus *ſexti* argumenti tantò evidentiùs pateat, duo hîc accuratè ſcire debemus. *Primum* hoc: quod in allegato S. Marc. loco, (cap. 9. ℣. 11. * *Et* † *quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis*, &c) in-

(*v*) *Gen. 19. v. 4. 5.* † *Colligitur hoc, ex Act. 14. v. 10. 11. 12.* * *Apoc. 11. v. 5.* (*ex aliorum hypotheſi,*) *collat. 4. Reg. 1. v. 10. 12.* * *Al. v. 12. Confer in eodem verſu verba præcedentia.* † *Rectè hîc lucis causâ interſerunt Theologi* Lovanienſes, *voculam* faut (*h. e. oportet*) *in Gallica verſione*: Et *faut* come il' eſt eſcrit du Fils de homme, *&c. H e.* Et *oportet*, ſicut ſcriptum eſt de Filio hominis, ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur.

&c.) indubitanter Chriſtus Dominus, *Eliæ paſſiones* & *contemptus*, ſuis olim prædictis comparat: quod perſpicuè patet ex ipſa diligenti inſpectione textûs citati. Hinc *Gloſſa* marginal. apud *Lyranum* in eundem verſum ſic ſcribit: *Quaſi dicat: Sicut de Chriſti paſſione Propheta multifariè ſcripſerunt; SIC & Elias MULTA PASSURUS eſt.* Et *Gloſſa interlin.* ibid. ad verba illa, *ut multa patiatur*, ſupernectit hæc: *Sic & Elias.* In proximè autem ſequenti verſu, (ſcil. ℣.12. al.13.) ita loquitur Dominus, (verbis illlis: -- *Sicut ſcriptum eſt de eo;*) ut ejus verba non minùs de *Elia*, (ut jam ex parte venit in Joanne, & pleniſſimè veniet in altero Præcurſore Chriſti) quàm de ipſo Chriſto Domino intelligi poſſint. Imò videntur verba illa proximè de *Elia* eſſe dicta, quatenùs *Eliæ* quoque paſſiones tàm in Joanne toleratæ, quàm in alio Præcurſore tolerandæ, ut Chriſto appropriatæ, implicitè (y) includuntur in prædictionibus de Chriſto editis. *Alterum* hîc benè noſcendum, eſt hoc: Num reverà ad *Iſaiæ* prædictionem, ſcilicet cap. 53. exſtanſtem reſpiciat hîc Dominus, eamque intelligat? Ad quod dico: quòd Dominus non excludit quidem alias quoque prædictiones Prophetarum de Chriſti paſſionibus (vel in typo, vel apertiùs) editas, inprimis in Pſalmis exſtantes; ſed omnind proximè & ſpecialiter dictam *Iſaiæ* (cap. 53.) prædictionem reſpicit: quod ipſa verba Domini, prædictioni illi præ aliis exactè conformia docent. Unde eſt, quòd communiter eruditi Interpretes hanc conformitatem obſervant, ac etiam notant in margine (z) tanquam loca textui S. *Marci* parallela verſum 3tium & 4tum dicti capitis (53.) *Iſaiæ*.

LVI. His rectè cognitis; *primò* diſcimus hinc: *Eliam* tertium ſenſim ac cum ſucceſſu temporum evectum & auctum iri in ſpiritualibus; (ut nempe res ea per aliquod tempus vix imò ne vix quidem appareat hominibus;) quod rectè colligimus ex verbis illis *Iſaiæ*, primariò quidem Chriſto Domino, ut Capiti competentibus, ſed ipsô occaſionem ac lucem nobis monſtrante, in *Eliam* quoque venturum quadam ratione quadrantibus, quæ exſtant dicto cap. 53. Iſa. ℣.2. col. 1. *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Quà *Eliæ* quoque poſt Chriſtum hæc verba congruunt, *aſcenſus* ſeu provectus ejus in ſpiritualibus, incremento *virgulti* comparatus, non ſolùm ejus tenuem ac humilem ſortem, ſed & ſucceſſivè ac ſenſim more hominum (tametſi in gradu excellentiori) futurum progreſſum ad majora ſignificat. *Secundò*; Cum poſt verba illa ℣. 2di, *Et vidimus eum* &c. hæc im-

(y) *Lumen ad hoc accipe ex Reg.6. b. Claſſ. 2da, p. 90. c. 3. §. 1. & ſequ.* (z) *Vide varias edition. Vulgat. in margin. Marc. 9. v. 11. inprimis edit. juſſû Sixt. V. & Clem. VIII. in fol. Lugd. an. 1669. factam, & alias edition. Item, edit.* Venet. *an. 1588 Item, edition. Lat. und cum textu Arabico. juſſû S. Congr. de Prop. Fid.* Romæ *1671. fact. SS Bibl. Gallic. ex interpretatione Theolog. Lovan. tum Rotomag. (1654.) tum Lugdun. (1602.) in fol. & alias edit.*

Digitized by Google

hæc immediatè ℣. 3. ſubjunguntur: *Deſpectum & noviſſimum* (ſeu abjectiſſimum) *virorum, virum DOLORUM, & ſcientem INFIRMITATEM,* ac ipſe quoque Dominus de futuris *Eliæ* paſſionibus & contemptu loquens, in eundem proximè verſum reſpexerit; (ut jam (*a*) patet;) inde non obſcurè colligere poſſumus, *Eliam* ex ſcopo Domini viſibiliter *venturum*, ita fore *multis paſſionibus & contemptui* hominum obnoxium, ut *multa patiendo*, etiam *vir dolorum & ſciens infirmitatem*, ſeu familiaris morbo naturali ſit futurus, (ſcilicet, ad certum aliquod tempus,) ut qui adhuc ob ſuum & commune Adami peccatum, communibus hujus vitæ ærumnis ſubjectus eſſet: quod penitùs inconvenientiſſimum eſt dicere de perſona illa, quæ immediatè è Paradiſi quiete, felicitate, puritate & integritate huc deſcenderet. Nota autem hîc diligenter; quòd τὸ *multa pati*, præmittitur in verbis Salvatoris, deinde verò ſequitur, quòd *& contemnetur.* Quô innuitur, in genere omnes *Eliæ* adverſitates, etiam internas, phraſi illâ priori comprehendi, poſteriori autem, (ubi *contemnendus* dicitur,) ſpecialiter contumelias ei ab hominibus inferendas deſignari.

LVII. Pro majori autem dictorum robore, probè & hoc obſervandum eſt, quòd ipſe Chriſtus Dominus, qui ex muliere natus eſt, & per hoc, viâ conceptionis & nativitatis venit pro nobis in hunc Mundum, omneſque noſtros *dolores* & ærumnas in ſe ſuſcepit hoc ſensû, ut ſuæ usq; ad mortem crucis obedientiæ meritô omnes illas tolleret & averteret à nobis, nosq; dehinc integritati reſtitueret; nuſquam tamen legitur in perſona ſua unquam ægrotâſſe, in lecto ex morbo decubuiſſe, dolores & langvores naturalis ægritudinis ſuſtinuiſſe; (ſalvô hôc, ſano ſensû, quòd ipſe in noſtra natura, (*b*) *tentatus* ſit *per omnia pro ſimilitudine* noſtrî, exceptô *peccato*;) ſuſtinere enim actuali ſensû morbos & langvores, iisq; vexari, dexteritati ejus in munere Prophetico planè obfuiſſet; nec cum tot placidis, quietis & ſerenis ejus nocturnis vigiliis noſtrî causâ laborioſis, conſiſtere illud potuiſſet. Hinc celeberrimus Cornelius à *Lapide* in quædam verba S. Matthæi ex Iſaiæ cap. 53. citata ſcribit ſic: (*c*) *Quos morbos Matthæus hîc ait Chriſtum portâſſe, non quòd eos in ſe ſuſceperit; hoc enim indecens fuiſſet, & impedimentum Chriſto ad circumeundum Judæam, in eaq; prædicandum; ſed quòd portârit eos per compaſſionem.* &c. Dudum verò ante eum S. *Athanaſius* (qui migravit ad Dominum circa an. D. 371.) ſic de hac re mentem ſuam expreſſit: (*d*) *Neq; morbo laborare Dominum decebat, ut qui aliorum morbos ſanabat; neq; etiam infirmitates aliquas corporis pati eum oportebat, in quo & aliorum infirmitates confirmabat.* Hôc ita ſe habente; Chriſti ergò inſtructione fulti, pro certo tenere debemus, quòd Chriſtus Dominus juxta allatum (§. 56.) *Iſaiæ*

(*a*) §. 55. b. cap. (*b*) *Heb.* 4. v. 15. (*c*) *Comm. in Matt.* 8. v. 17. *Confer eundem Comm. in Iſa.* 53. v. 4. *& ad Hebr.* 4. v. 15. (*d*) *De Incarnation. Verbi.*

Iſaiæ vaticinium, *Vir dolorum*, illô ſenſû, quo *dolores* ſæpè morborum corporis & animæ tormenta denotant, & *ſciens* ſeu *expertus infirmitates*, quà *infirmitates* ipſiſſimos animæ & corporis *morbos* ſignificant, (quæ ſignificata à latitudine ſenſûs prophetici excludi non debent,) propriè non in ſe ac ſua perſona, ſed in *Elia*, ut principali ſuo Servo ac membro debuit eſſe: ſive quod idem eſt, verba *Iſaiæ* allata, quà *dolores & infirmitates* ex interno principio corruptæ naturæ ortum habentes in ſe involvunt, non in propria perſona Chriſti, ſed in *Elia* per Chriſtum deſcripto, ut ipſum Chriſtum induto, (*e*) debent juxta plenam emphaſim impleri. [Supponimus nempe hîc, Chriſtum reverà ſuſtinuiſſe *dolores*, ſcilicet, verberum, vulnerum ac totius paſſionis & mortis, nec non triſtitiæ extrinſecùs cauſatæ; item, *infirmitatem* famis, ſitis, fatigii, metûſque, ſeu horroris mortis; ſed hæ in ſubjecto ſano, non ſunt *infirmitates* à morbo naturæ ortum habentes.] Cum igitur abſurdum ſit vel concipere, aliquem è Paradiſi quiete & gloria ad homines venientem, ac ſine ulla nativitate & educatione humana inter homines comparentem, *doloribus* & *infirmitatibus* morborum eſſe ſubjectum, iisq; familiarem; ſequitur, quòd *Elias* viſibiliter venturus à Chriſto deſcriptus, non immediatè è Cælo vel Paradiſo ad homines venire, ſed inter homines naſci & educari debet: quod erat *ſextum* noſtrum argumentum. Unde iterùm infertur principalis concluſio, quòd *Elias* viſibiliter venturus, ac viſibiliter munere ſacro functurus, non vetus ac literalis, ſed myſticus, ſpiritualis & admirabilis, *in Spiritu* nimirum *& virtute* veteris *Eliæ* è medio militantis Eccleſiæ appariturus, eſt intelligendus. Atq; ex hoc, par judicium eſt ferendum de ejus etiam *Socio*.

LVIII. (7.) Ratio hæc eſt: Quia diſertè ſcribit Apoſtolus, (ad Hebr. 11. ℣. 5.) quòd *Enoch translatus eſt*, *NE VIDERET MORTEM*. Quod dictum ſignificat, eum adeò fuiſſe Deo charum & acceptum, ut ipſum à communi ſorte hominum, quâ omnes ordinariè ex lapſu primi parentis morti ſunt obnoxii, exemerit, & è medio mortalium vivum in vitam meliorem tranſtulerit, ne ullam experiretur *mortem*. Alioquî etiam, ut τὸ, (*f*) *non videre corruptionem*, ſignificat perpetuò immunem manere à corruptione; ſic *non videre mortem* in Scriptura S. abſolutè & abſq; ulla limitatione poſitum, denotat non temporariam, ſed perpetuam & in æternum duraturam immunitatem à morte: juxta illud: *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Pſam. 88. (al. 89.) ℣. 49. Semel * legitur cum limitatione de *morte* ſolùm corporali; ſcil. de Simeone, Luc. 2. ℣. 26. quòd *reſponſum acceperit à*

T *Spiritu*

(*e*) *Vide lumen ad hoc ex Regul. 6. b. Claſſ. 2. cap. 3. p. 90. & ſequ.* (*f*) *Act. 2. v. 31. ex Pſal. 15. (al 16.) v. 10. collat. Act. 13. v. 35.* * *Loquor hîc de phraſi illa, cum verbo* videndi *r nam cum verbo* guſtandi, *eundem ſenſum hîc habente, legitur in aliis etiam locis locutio ejuſmodi limitata; videlicet, Matt. 16. v. 28. Marc. 8. v. 39. Luc. 9. v. 27.*

Digitized by Google

Spiritu S. non viſurum ſe mortem, *niſi priùs videret Chriſtum Domini*: at abſolutè, τὸ, *non videre mortem*, idem eſt in re, quòd *non videre mortem in æternum*, juxta Joan. 8. ℣. 51. Pone, quòd hîc (apud S. Joan.) ſpiritualis & æterna mors intelligatur; perinde eſt ad meum ſcopum, cum conſtet abſolutè dictum eſſe de Enocho, *ne videret mortem*: ubi non eſt dubium, quin utraq; mors includatur. Phraſis illa, *non videre mortem*, egregiè illuſtrari poteſt ex alia etiam ei oppoſita; ut cum de *incredulo* dicitur, quòd *non videbit vitam*: Joan. 3. ℣. 36. Ut hîc, ſic ibi (in abſoluta locutione) ſubintelligitur, *in æternum*. Nam aliter, quæ eſſet quæſo hæc gratia, & quidem ſpecialis erga *Enochum*, quòd ipſe inſigni *fide* præditus, adeò fuerit Deo dilectus, ut à morte quidem communi & naturali, ac placidiori ipsâ violentâ, ſervatus ſit, at nihilominùs in longè atrociorem mortem, & crudeliſſimas afflictiones eidem jungendas eſt reſervatus, ut nimirùm ſub furore Antichriſti excarnificetur & interimatur? Quis non videt, quanta hîc ſit contradictio in adjecto, ut loquuntur? Nec etiam legimus unquam, ſanctiſſimum & puriſſimum † ab omni peccato, & quidem *Paradiſi colonum*, uti eſt jam *Enoch*, crudeliſſimis impiorum manibus excarnificandum traditum eſſe, præter unicum Mundi Redemptorem, pro noſtris peccatis luentem: quanquam nec ipſe in forma *coloni* (vel dicam Domini) *Paradiſi*, ſed in forma *Servi*, pro nobis ex muliere nati, & in terris educati, pœnam peccatis noſtris debitam ſuſtinuit. Alioquî, ſanctiſſimi etiam Martyres agnoverunt, ita ſe veritati teſtimonium dediſſe, ita injuſtè quoad impios ſuſtinuiſſe, ut tamen ſuis etiam *peccatis* demeriti fuerint ſibi immiſſam à Deo per impios caſtigationem: ut patet 2. Mach. 7. ℣. 18. 32. 33. collat. S. *Cyprian.* de *Lapſis*, n. 2. Quod hîc dictum eſt de *Enocho*, idem de *Elia* quoque eſt ſentiendum, qui etiam pariter translatus eſt, & pari quoque fruitur cum *Enocho* felicitate. Unde rectiſſimè ſcribit S. Bernardus: (*g*) *Felices & VERE FELICES illi duo viri, Helias & Enoch, quibus omnes materiæ & occaſiones ablatæ ſunt, quæ eorum intellectum impediant vel affectum: quia ſoli Deo viventes, nec noverunt niſi Deum, nec cupiunt niſi Deum.* Suarez etiam ſcribit, (*h*) *confirmatos* eos eſſe *in gratia & in bono, ut nullum peccatum committere poſſint*; *quæ* (inquit) *eſt magna pars illius felicitatis, quam nunc poſſident.* Hæc ille. Eſt ſanè illa non qualiſcunque felicitas, ſed longè major quàm fuit *Adami* ante lapſum, ut qui nondum erat confirmatus in gratia & ſtatu integritatis. Et S. *Ambroſius* ſpecialiùs de *Elia* docet, (*i*) quòd *non minùs beatus* ſit † *Elias quàm Moyſes.* Quod idem cenſendum eſt etiam de *Enocho.*

† *De talibus, h. e. perfectè* juſtis & *ſanctis, vide Sap.* 3. *v.* 1. (*collat. v.* 3. *col.* 2. *ibid.*) Non tanget illos tormentum mortis. (*g*) *Serm* 3. *de Aſcens. Dom.* (*h*) *In Tert. part. D. Thom. Tom.* 2. *Diſp.* 55. *Sect.* 1. *p.* 683. (*i*) *Tom.* 1. *de Jacob. & vita beat. Lib.* 1. *cap.* 8. † *De gloria* Eliæ *cum* Moſe, *vide Luc.* 9. *v.* 30. 31.

Enocho. Num ergo ex tanta beatitudine, in qua abſque ullo vel minimo impedimento *ſoli Deo vivunt*, ſolique ſerviunt, nec poſſunt non ſic ei ſoli vivere & ſervire, in afflictum illum ſtatum terrenum dejicientur magni illi Sancti, in quo (ex hypotheſi merè literalis ſensûs) turbetur in ipſis ſubinde & impediatur per *Antichriſtum*, jucundiſſimus, pacatiſſimus & indeſinentiſſimus Dei cultus, ut ſolet fieri inſeparabiliter in omni atroci perſecutione? Abſurdum eſt hoc de ipſis vel cogitare. Adjungere hîc poſſumus; rectè & eruditè à SS. Patribus notatum eſſe, quòd in *Enochi* & *Eliæ* translatione (præter typicam in Chriſti aſcenſum relationem) monſtratum ſit, (*k*) quomodo homo abſq; ulla morte in ſupernam & ſummè beatam immortalitatem demùm translatus fuiſſet, ſi non peccâſſet. Stat ergo noſtra ſententia in ſuperioribus poſita & explanata.

LIX. Ratio 8va & ultima eſt: Quia niſi ſententia de *duobus Teſtibus* hactenùs à nobis adſtructa ſtaret, ſequeretur, quòd aut *Elias* cum ſuo *Socio* non affuturùs eſſet ſuâ prædicatione in potiſſima, pleniſſima & ultimata converſione *Judæorum*, quæ fiet poſt glorioſum *duorum teſtium* martyrium & exitium *Antichriſti*, (ut infra (*l*) patebit,) atque ſic non *reſtitueret omnia*; quod eſt falſiſſimum; aut dicendum eſſet, quòd iterùm *Elias* & *Enoch* propriè dicti, poſt beatam ſuam reſurrectionem & aſcenſionem in cælum, (ex hypotheſi nempe merè literalis ſensûs,) alterâ vice è cælis in terram hanc ad docendos mortales mitterentur; (uti etiam *Pannonius* (*m*) quaſi coarctatus excurrit in talem conjecturam, ſed minimè definit hoc ita futurum;) quod etiam prorsùs caret omni fundamento Scripturæ S. & SS. Patrum: imò directè adverſatur *quartæ* rationi Scripturariæ ſupra (*n*) à nobis poſitæ. Neque etiam tenent ac propugnant rigidi ſolius literæ aſſertores hunc *Eliæ* & *Enoch* poſt excidium *Antichriſti*, iterandum in terras reditum. Et ſanè, cum Doctores Eccleſiæ, munus docendi juxta dictam *quartam* rationem, jungendam cum *tertia*, feliciter peragere poſſint, præſertim poſt excidium *Antichriſti* in tanta tunc Eccleſiæ felicitate; nulla prorsùs erit neceſſitas, cur Cælites Sancti ac beati ideò in terras viſibiliter deſcendant, ut ipſi ſuis in perſonis munere prædicationis ad *Judæos* vel alios populos fungantur. At verò juxta noſtram ſententiam nulla hîc nos premet dificultas. Ipſi enim *Elias* & *Enoch* propriè dicti, poſtquam ſemel Dei juſsû (ratione ſupra (*o*) explicatâ) aſſiſtere cœperint *duobus Teſtibus*, ac per conſequens eorum ſequacibus & coadjutoribus, ex eo uſque ad extremum Regni Chriſti propagandi actum, aderunt eiſdem in vita & morte ſuâ perſonali aſſiſtentiâ ordinariè inviſibili; ac inſuper aderit *Spiritus & virtus* eorum divinitùs

 eiſdem

(*k*) *Vid. S.* Iren. *Lib. 5. c. 5. & Author. Conſtit. Apoſtolic. Lib. 5. c. 8. &* Primas. *Comm. in Epiſt. ad Hebr. 11. v. 5. Confer etiam* Salmeronem *in eund. loc.* (*l*) *Cap. 10. h. 2. Claſs. §. 19. 22.* (*m*) *Collect. in Apoc. 14. v. 18.* (*n*) *§. 52. h. cap. p. 140.* (*o*) *§. 27. 28. h. cap. p. 119. 120. 121.*

eiſdem internè communicanda, ita ut occumbentibus ad literam per mortem *duobus* ac etiam pluribus ſub furore Antichriſti, manebunt tamen alii *duo* & plures quoq; in vivis, protegendi à Deo in latebris, (quanquam & hi, pro mortuis quoad intentionem *Antichriſti* reputandi,) quibus iidem Sancti continuè aſſiſtent, & in quibus eorum *Spiritus* & *virtus* in dies potentiùs ac potentiùs operabitur. Atq; hi futuri ſunt demùm, qui mutatâ rerum facie in *Antichriſtum* divinitùs excitabuntur, eumq; virtute cœleſti extingvent; (qua de re (*p*) infra pleniùs dicetur;) in quibus ipſi quoq; ad literam occidendi quodam modô (juxta (*q*) *Primaſium*) reviviſcent: ac per hos ipſos, inter *Judæos* quoq; tunc adhuc à vera fide alienos, (ſeu majori ex parte in erroribus reſiduos,) in *Spiritu & virtute Eliæ* præprimis, Regnum Chriſti potentiſſimè propagabitur. Sic fiet modis omnibus, ut *Elias* juxta ſenſum & ſcopum verborum Domini, in dies (*r*) *omnia reſtituat.* Lumen his eximiè affulget ex illis doctiſſimi *Pannonii* verbis: (*ſ*) *Alii* (inquit) *exponi volunt locum hunc* (ſcil. Apoc. II. ℣. II.) *magis ſpiritualiter, de ſpirituali videlicet reſurrectione potiùs quàm corporali; quòd extinctis aliis tempore tribulationis, alii excitentur Teſtes Domini, qui PRIORUM SPIRITUM in ſe habeant, ferantq; conſtantiſſimè de Chriſto teſtimonium, & veritate ejus. Quod dum fiet, quaſi PRIORES SUSCITATI videbuntur, ac terrebuntur illi, qui Chriſti virtutem extinctam eſſe putabant in prioribus.*

LX. Hæc dum proferimus in medium, nolumus negare, quin fieri poſſit, ut in majorem hoſtium veritatis terrorem, ad literam etiam *duo* aliqui inſignes Domini *Teſtes* tunc ex ſua morte divinitùs excitentur,& videntibus iiſdem hoſtibus in cælum rapiantur. Quia tamen literale hujuſmodi implementum, valde nobis eſt obſcurum, malumus hoc Dei omniſcientiæ & liberrimæ ejuſdem diſpoſitioni relinquere, quàm aliquid de eo hîc definire. Sufficit nobis ad ſcopum, quòd ex allatis *octo* rationibus ſtat veritas noſtræ ſententiæ, veterum etiam teſtimoniis jam antehac munitæ; videlicet, quòd *Elias* & *Enoch* ut *duo Teſtes* Domini, quoad viſibile miniſterium, ac viſibile (ſeu ſenſibile) certamen ſubeundum, contra Mundum & Antichriſtum venturi, ſpiritualiter ſunt intelligendi, pro eximiis Doctoribus *Spiritum* & *virtutem* illorum habituris; ſalvô interim hôc, (ut ſubinde eſt repetitum,) quòd & perſonaliter, literalis *Elias* & *Enoch* affuturi ſunt inviſibili (ordinariè) aſſiſtentiâ viſibilibus illis Domini *Teſtibus.*

LXI. Sic jam, ex hactenùs traditis, facilè etiam rationem dare poſſumus, cur in doctrina de *duobus Teſtibus*, ipſi *Elia* nunc *Enoch*, (quod fit communiùs & frequentiſſimè,) nunc *Moyſes*, nunc *Jeremias*, nunc (*s*) *Eliſaus*, imò duobus illis primis, *Elia* nempe & *Enocho*, nonnunquam *Joannes* etiam Evange-

(*p*) *Sub Reg.*22. *b. Claſs.*2. *cap.*10. §.20. & 22. (*q*) *Vid.* §. 38. *b.c.p.*130. (*r*) *Matt.*17.*v.*11. (*ſ*) *In Apoc.*11. *v.* 11. (*s*) *Ita quidam apud* Victorin. *in Apoc.*

Evangeliſta, (ut jam (t) inſinuavimus) adjungitur pro Socio ab antiquis Doctoribus: ac inſuper, apud *Abbatem* Joachim (u) *Joannes* quoq; Baptiſta unà cum aliis quibuſdam Sanctis præter hîc recenſitos, inter illos numeratur, quibus ut typis ſuis aſſimilandi ſunt *duo Teſtes* venturi: ratio (cum ſuperioribus confirmiter) hæc eſt: quia *Teſtes* Domini viſibiliter aſſuturi, dum omnium Prophetarum *Spiritû* potientur, juxta ſuperiùs (x) ex S. *Hieronymo* & aliis dicta, tunc præſertim eximiorum illorum nunc nominatorum Sanctorum *Spiritum* & *virtutem* pro diverſis ſui certaminis occaſionibus ſunt in pleniori menſura habituri; *Eliæ* interim *Spiritû* ac *virtute* in illis, maximè verò in uno eorum, contra *Antichriſtum* & quoslibet perverſos & claudicantes in populo Dei, ſemper præeunte & principatum tenente. Qualis autem & quantus ſit futurus (in ſuo ſubjecto) hic *Spiritus Eliæ*, & quæ pro S. Eccleſia acturus; de hoc ex typo geſtorum (y) ejuſdem *Eliæ* primi, non mediocre lumen affulgebit illis, qui ſacris intelligendis typis delectantur, iiſque ſcrutandis ſtrenuam dant operam. Porrò, quòd alter *Teſtis*, ſeu Socius *Eliæ* tertii, frequentiùs apud veteres *Enochi* quàm alterius Sancti nomine venit; præter congruentiam quandam ex translatione utriuſque ſupra (z) aſſignatam, ratio hæc eſt: Quia ille unà cum *Elia* tertio, ad *judicium* & ad glorioſum Chriſti adventum ſubeundum debebit homines præparare, contra peccata detonando, pœnitentiam ſeriò inculcando, corruptelas in hominibus verâ reformatione deſtruendo, & myſteria typorum ac prophetiarum de terribili illo *judicio* rebusq; ei connexis in dies aperiendo. Certum autem eſt, *Enochum* veterem de *adventu* Chriſti glorioſo ad (a) *judicium*, aliquando *prophetâſſe*, atque in hoc alterius è *duobus Teſtibus* (imò utriuſque) typum geſſiſſe. Qui typus eô eſt congruentior, quòd ut ille ante univerſale *diluvii judicium* prædicavit; ſic & *Enoch* ſpiritualis cum *Elia* tertio ante univerſale *ignis judicium* prædicare debebit.

LXII. Si quis jam quærat; quænam ſint *præclara* illa Scripturæ S. *lo-,,ca*, quæ juxta *Regulam* hujus capitis, ſine hac de *duobus Teſtibus* doctrina ,,rectè intelligi nequeunt; ad hoc paucis dico: præter illa, quæ hîc §. 3. & 4. ſunt citata, eſſe omnia illa, quæ aliquo modo munus & actus futuros *Teſtium* illorum, & ſanctorum ſociorum eorundem nobis deſcribunt: ut ſub *Regul.* 8. 9. 10. 32. & 33. hujus 2dæ *Claſſis*, talia loca eruditus lector invenire poterit. Inſuper, excutiat etiam diligenter cum tempore myſteria ſequentium locorum: Exod. 25. ℣. 17.-22. Num. 10. ℣. 2. Item, 3. (al. 1.)

(t) §. 41. *h. c. p.* 132. (u) *Supr.* §. 44. *h. c. p.* 134. *Imò* Origenes *apertiùs loquitur de* Joan. *Bapt.* (*quoad futurum adventum*,) *quàm Abb. Joachim. Vid.* Orig. *in Evang. Joan. cap.* 1. *v.* 7. (x) §. 36. 40. & 42. *h. cap.* (y) 3. *Reg.* 17. 18. & 19. *cap.* & 4. *Reg. c.* 1. (z) §. 26. *h. c p.* 119. (a) *Epiſt. Judæ*, *v.* 14. & 15.

Reg. 7. ℣. 15. 17. Eccl. 4. ℣. 9. 10. 11. 12. Amos. 3. ℣. 3. Zach. 6. ℣. 13. col. ult. Addantur his, Apoc. 14. ℣. 6. 8. & 19. ℣. 11. 17.

LXIII. Hæc de *duobus Teſtibus* nunc ſufficiant: quæ omnia hactenùs dicta, *Regulam* noſtram in principio hujus Capitis poſitam, & doctrinam de dictis *Teſtibus* in ea incluſam illuſtrant & confirmant.

CAPUT V.

In quo, *de* Luce *majori dehinc in Eccleſia, ac* Populi Chriſtiani *in tot Sectas diſcerpti* renovatione; *de* Gentium *&* Judæorum converſione, *deq;* majori *quàm nunc eſt, populi Dei* ſanctitate, *veraq; ejuſdem in vita & moribus* Reformatione *futura*, Regulæ tres (*Sci. 8va, 9na & 10ma Claſs. 2da*) *traduntur & illuſtrantur.*

REGULA VIII.

I. *DAntur loca de futuris in Scriptura ſacra, quæ nemo unquam ſecùs rectè „ac plenè intelliget, niſi admittat, majorem dehinc fore in Eccleſia „Chriſtiana doctrina lucem & ubertatem, quàm nunc eſt, inſignemq; futuram „Populi Chriſtiani in varias Sectas & Schiſmata miſerè nunc diſcerpti, reno„vationem, reformationem & reſtaurationem in melius.* Ipſe ordo requirit, ut hanc *Regulam* proximè præcedenti ſubnectamus: & ſtante illâ, ſtare debet etiam iſta, unà cum ſubſequentibus duabus. In hac enim (& in proximè ſequentibus duabus,) ea traduntur, in quibus peragendis *Teſtes* paulò ante † deſcripti, præcipui & primarii operarii ſunt futuri. *Loca* autem Scripturæ, quæ ſine admiſſione doctrinæ in præſenti *Regula* inſinuatæ, *rectè ac plenè intelligi* nequeunt, ſi quæras, quænam ſint; en ex multis hæc ſubjicio. Iſa. 11. ℣. 9. *Non nocebunt, & non occident* (ſeu *non corrumpent*) *in univerſo monte ſancto meo; quia REPLETA EST TERRA SCIENTIA DOMINI, ſicut AQUÆ MARIS operientes.* Adjunge ibidem ℣. 11. (collat. cum ℣. 10.) de Eccleſiæ Chriſtianæ ſecutura etiam in Oriente melioratione & reſtitutione: *Erit* (inquit) *in die illa; Adjiciet Dominus SECUNDO manum ſuam ad poſſidendum* (ſeu *acquirendum*) *reſiduum Populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyriis, & ab Ægypto,* &c. Ubi ſanè in noſtrum ſcopum valde emphaticum eſt, quòd dicitur Dominus *ſecundò* adjecturus (ſeu admoturus) manum ſuam Regionibus Orientis & Auſtri, ut *reliquias populi ſui* hinc inde perquirat, colligat, ac è manu inimici vindicatas, ipſe ſolus *poſſideat.* Eſt ibi manifeſtè reſpectus ad *primam* in iis Regionibus Evangelii prædicationem & propagationem aliquando florentem: quæ cum collapſa illic nunc ſit, (populis partium illarum dudum ſub jugo Barbarorum gementibus,) promittit Dominus ſe eam iterùm reſtauraturum: quâ occaſione, etiam ſemen *Iſraëliticum* in iiſdem diſperſum requiretur. Pro majori in illum textum luce, conſulantur verba quædam *Sylveſtri Prieriatis* (Sacri Palatii Magiſtri) à nobis alibi

† *Cap. 4. pag. 101. & ſequ.*

Digitized by Google

alibi jam (*a*) producta in medium: qui Scripturæ S. & S. *Auguſtini* auctoritate fultus, diſertè docet, *iterùm futuram Evangelii SECUNDAM prædicationem, cum MAJORI populorum converſione, quàm* fuit *Apoſtolorum temporibus.* Gloſſa etiam ordinaria *Strabonis* & aliorum, dictum Iſaiæ locum † ad *prædicationem Enoch & Eliæ, & ſuorum diſcipulorum* refert, & illicò iſta ſubjungit: *Prima namq; vocatio fuit per prædicationem Chriſti & Apoſtolorum ejus; ideò dicitur hic SECUNDO.* Deinde ad verſum 13. ibidem paulò „ſequentem, ſcilicet; *Et auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Juda peribunt,* &c. hæc tradit: *Quia tunc omnes credentes ad eorum* (dictorum nempe Teſtium) *prædicationem erunt unanimes.* Refertur hæc eadem expoſitio de *prædicatione Heliæ & Enoch*, in memoratum (cap. 11. ℣. 11.) Iſaiæ locum, etiam apud *Hugonem* de S. Charo Cardinalem, Comment. in eundem locum. *Didacus* quoq; *Alvarez* à Medina, (Ord. Præd.) Comment. in Iſaiam, inſignem illum locum, (*Adjiciet Dominus ſecundo* &c.) diſertè ad ultimum refert tempus, explicando eum de illa *ſpirituali congregatione*, quâ Dominus juxta Joan. 11. ℣. 52. & Pſal. 146. (al. 147.) ℣. 2. *Iſraëlitas per Mundum univerſum diſperſos,-- IN FINE SÆCULI, quando à facie illorum auferetur velamen, congregabit in unum, ut Chriſtum recipiant, & credentes in illum, Eccleſiam per oſtium intrent Catholicam, & fiat unum ovile & unus Paſtor.* Sed de *Iſraëlitarum* converſione, pleniùs & ſpecialiùs proximè ſequenti *Regulâ* dicetur. Et paulò poſt ad ℣. 13. (*Et auferetur zelus Ephraim,* &c.) ſcribit ſic: *Sub Chriſto & ejus Lege Evangelica, hujuſmodi bella FINEM HABITURA eſſe denunciat Propheta: Quoniam SUMMA PAX & concordia erit inter Chriſtanos, ita ut unus contra alterum non pugnet.* Hæc ille. Loco citato Iſaiæ, ſubjungo ejuſdem Iſa. cap. 54. ℣. 13. 14. & cap. 60. ℣. 17. Ubi memorabile eſt, quòd ſub phraſi, *Ponam viſitationem tuam PACEM, & Præpoſitos tuos JUSTITIAM*, Inſpectores ſeu *Epiſcopi Pacis* & *Præfecti juſtitiæ*, h. e. Duces Eccleſiæ *pacis* & *juſtitiæ* amantiſſimi, ejuſdemque *pacis* ac *juſtitiæ* promotores ſtrenuiſſimi nobis promittuntur. Item, Iſa. 65. ℣. 20. --25. & cap. 4. ℣. 2. 3. 4. 5. Et Jerem. 31. ℣. 34. & cap. 33. ℣. 15. 16. 17. Ezech. 34. ℣. 11. -- 16. (Ubi confer etiam antecedentia & conſequentia; & conſule S. *Hieronymum* in eundem locum.) Et cap. 47. ℣. 1. 2.--8. Zach. 14. ℣. 7. 8. Mal. 3. ℣. 3. 4. Apoc. 10. ℣. 7. Job. 38. ℣. 12. 13. 26. 27. Pſal. 71. (al. 72.) ℣. 2. 3. 4. 6. 7. 16. Si cui placet, pro uberiori *Regulæ* noſtræ confirmatione, poterit ea quoq; conſulere, quæ in *Lato ad Lugentes Sion Nuncio*, in Iſa. cap. 30. ℣. 26. & in *Examine Reformationis Lutheri & Sociorum ejus*, cap. 8. ſunt à nobis tradita.

II. Ex *Regula* nunc poſita & aſſerta obſervare obvium eſt; (1.) quàm fruſtrà gloriantur, imò adulantur ſibi quidam, qui cum ipſi ſint in horrenda ſciſſio-

(*a*) *In Examin. Reform. Luth. cap. 7. 5, 106. pag. 383.* † *Gloſs. in Iſa. 11. v. 11.*

ſciſſione, atque ſuis diſſidiis periculoſiſſimis (tum mutuis, tum Matri ſuæ inductis) ita ab *unitate* Catholica diſrupti, ut niſi Deus eorum miſereatur, in dies magis ac magis ab eadem ſe elongent, & in barathrum perditionis ſe profundiùs demergant; nihilominus tamen putant ſe (idq; cum deſpectu aliorum) jam benè eſſe repurgatos & *reformatos*, quaſi jam in ipſis prophetiæ de ultimi temporis felici Eccleſiarum Dei reſtauratione evidenter cœpiſſent impleri. Hoc dum putant, non ſolùm de ampliſſimis Dei promiſſionibus in Eccleſia dehinc implendis, minùs quàm par eſt, ſentiunt, ſed quod deplorandum, planè non vident miſerandam ſuî cæcitatem & infelicitatem, futuræ Eccleſiarum Chriſti renovationi directè contrariam. Renovatio enim illa, vel maximè recollectionem ovium Chriſti diſperſarum in unum Ovile, ſanctamque Chriſtianorum *pacem* & *unionem* ſecum portabit; ita ut, ſi quis ſine hac concipiat veram Eccleſiarum Chriſtianarum renovationem ſeu reſtaurationem, is nugas tantùm aget, & craſſam ſuî in Scripturis ſacris ignorantiam prodet. Vide pro hujus aſſertionis robore ea quæ in *Examine Reformationis* decantatæ (*b*) tradimus, Cap. VIII. Parag. II. III. & V. Confer etiam in hanc rem, ea quæ Tractatû in *Iſa.* 30. ℣. 26. (*c*) Paragr. CVI. & in *Roma Civ. D. Sancta*, part. 2. §. 29. pag. 102. huc facientia dedimus publicæ luci. Cum ergo illi, de quibus nunc eſt dictum, ſint remotiſſimi à ſancta unione & recollectione ovium Chriſti, nec habeant, vel habuerint in medio ſuî *Epiſcopos* illos *Pacis*, & *Præpoſitos juſtitiæ*, quos Dominus (*d*) promittit per Iſaiam, miſerè ſe decipiunt, dum exiſtimant ſe aut ſuos feciſſe aliquam veram *Reformationem* Eccleſiæ Dei. Et cum nullam fecerint veram *Reformationem*, ſed potiùs novam quandam deformationem introduxerint in populo Dei; patet (2.) & hoc, quàm turpiter aberraverint (*e*) à via veritatis, & adhuc errant, dum ſub prætextu *Reformationis*, populum Dei in varias partes ſciderunt & diſcerpſerunt, ac in hunc uſque diem ſecuri placent ſibi in ſua Sciſſione, putantque ſe eſſe in oppoſitione aliorum veram Dei Eccleſiam, electumque ac peculiarem Dei populum; *Romanam* è contra *Eccleſiam* eſſe à Deo rejectam & repudiatam, ut damnatam *meretricem*. Quàm inexcuſabiles de hoc futuri ſunt in Dei juſtiſſimo judicio, niſi maturè ad meliorem redeant mentem, Matremque ſuam agnoſcant & venerentur; unuſquiſque in Dei verbo eruditus ac veritatis amantiſſimus novit.

III. Quoniam verò *Proteſtantes*, celeberrimi *Abbatis Joachim* verbis & ſcriptis ſubinde pro ſua Secta propugnanda abutuntur, eumque (licet ſine vera ratione) ad partes ſuas pertrahere nituntur; placet hîc quædam ex eodem

(*b*) *Pag. 504. 505. 506. 508. Confer cap. 3. p. 88. 89.* (*c*) Læt. Nunc. *pag. 222. 223. Conf. ibid. pag. 8. & 162. 163. 164* (*d*) *Iſa. 60. v. 17. col. ult.* (*e*) *Lucem ad hoc tibi ſume, ex Pſal. 106. (al. 107.) v. 4.*

ex eodem *Abbate* contra ipſos, & contra ipſorum decantatam *Reformationem* in medium afferre. Sic autem ipſe (an. D. 1197.) ſanctos ultimi temporis Prædicatores veroſq; Reformatores deſcribit: (*f*) *Quòd Jacob proficiſcens obediendo in ſeculo*, † Scalam *vidit* & Angelos *Dei*, *ſtravit* lapidem, *fudit* oleum, portam *&* Domum Dei *nominavit, totum intorquendum eſt ad Ducem illius Ordinis* (Ordinis nempe Doctorum & Prædicatorum ultimi temporis, de quibus ſubinde loquitur,) *& ad initium vitæ ejus.* Scala *Religio eſt:* Angeli, *Prædicatores eorum*, deſcendunt *ad reos*, *&* aſcendunt *ad juſtos.* Dominus *innixus* ſcalæ; *Spiritus ſcilicet roborans Ordinem eorum.* Gradus *ſcalæ, profectus illius, vel alii Ordines pœnitentium ſub eo. Quia fortè in ipſo Ordine præter Doctores erunt Clerici, qui Deo ſerviant; Laici, qui continenter & religioſè vivant; Spirituales & pœnitentes Virgines, quæ à turbine ſæcularis converſationis ſe abſcondant.* Oleum, *devotio:* petra, *fides, quam ſubterpoſuit Capiti, & infudit: quia OBEDIENTIAM & REVERENTIAM EXHIBEBIT CAPITI, SUMMO PONTIFICI, & tenebit & obſervabit omnia;* *Apoſtolicam* ſcilicet *Fidem, & Catholicam doctrinam Eccleſiæ, quæ eſt Domus Dei. & porta Cœli. Et hoc propter perfidiam Antichriſti, qui temporibus ipſius Ordinis, in ſignis eſt mendacibus revelandus.* Audi quid dicat, quòd nempe *Ordo* Prædicatorum (ſeu Reformatorum) ultimi temporis, *obedientiam & reverentiam exhibebit Capiti* Eccleſiæ viſibili, *Summo* nempe *Pontifici* Romano: eum enim hîc intelligit; ut unuſquiſque in ſcriptis ejus verſatus novit. Atque hinc damnat ſubinde (*g*) *Patarenos*, tanquam *populum apoſtatantem*, & *adhærentem perfidiæ Antichriſti*, quòd ſe ſe à Romana Sede, & ejus Capite viſibili diſcidiſſent. Alibi etiam ſic ſcribit: (*h*) *Ordo ille futurus, AD OBEDIENTIAM Summi Pontificis dirigetur.* Nôrunt *Proteſtantes*, quòd ipſi quoque *Waldenſes* primitùs (*i*) *Sectam ſuam à Sede Apoſtolica confirmari petebant.* At noſtri *Proteſtantes*, juxta principia & fundamenta ſuarum Sectarum, nihil virulentiùs impugnant, quàm Primatum Pontificis Romani, & ſubjectionem ei debitam. „Idem *Abbas* J. myſticum *loci* illius, (Jerem. 31. ℣. 22.) *Femina circumdabit Virum*, hunc dat ſenſum: (*k*) *Femina hæc, Romana Eccleſia eſt. Hæc circumdabit virum, ſcil. perfectos viros, non pueriliter viventes, ſed in novitate vitæ ambulantes.* Eoſdem etiam hîc Sanctos ultimi temporis Doctores intelligit. De quibus ſtatim ſubjicit: *Græcis redeuntibus ad fidem Rom. Eccleſiæ, revelabuntur in Eccleſia generali Doctores* (verè) *Evangelici, amulantes*

V *lantes*

(*f*) *Abb.* Joachim *in c. 13. Jerem. pag. 168. edit. Col. 1577.* † *Gen. 28. v. 12. 13. & ſequ.* (*g*) *Vide eum in Jerem. c. 1. p. 14.* (*h*) *Loc. nunc cit. p. 14.* (*i*) *Abbas* Uſpergens. *in Hiſt. anni 1212. Et ex eo* Uſſer. *De Chriſtian. Eccl. ſucceſſion. & ſtat. c. 10. pag.* (*mihi*) *356. Conf. ibid. pag. 357.* (*k*) *Abb. Joach. in c. 31. Jerem. v. 22.*

lantes Evangelium verbi Dei. Atqui totô Cœlo inter ſe diſtant, *Romana Eccleſia*, & Doctores *Proteſtantium*, *Evangelicos* ſe nominantes.

IV. Scio benè præcipuum & decantatum hîc pro fovendo pertinaciter diſcidio fundamentum illorum, qui præ aliis inter *Proteſtantes* ferventiores ſunt in ſuæ Sectæ defenſione, & fuga communionis Romano-Catholicorum: ſcilicet, quia meo olim exemplo, perſvaſum ſibi habent, *Antichriſtum* illum magnum & κατ' ἐξοχὴν ſic dictum jam veniſſe, eumq; eſſe *Pontificem* Romanum cum ſuis Conſiliariis. Verùm ſi vel ſolùm Ezechielis capita 38. & 39. de *Gogo* & *Magogo* diligenter ac in timore Domini excuſſerint, & cum Apoc. cap. 20. ℣. 7. & 8. contulerint, neceſſariò unà mecum agnoſcere debebunt, falſam eſſe illam perſvaſionem. Neq; enim hactenus plenum illius prophetiæ de *Gogo* & *Magogo* implementum oſtendere poſſunt. (Interim Lector veritatis amans, conſulat ea quoque, quæ de hoc argumento jam nos in aliis Opuſculis (*l*) edidimus in lucem.) Experientur brevî qui victuri ſunt, Populum Dei, in repulſam & convictionem decantatâ ſuâ *Reformatione* gloriantium, in Occidentis partibus, unitatis ac pacis vinculo tum ſibi invicem tum principali & Matri Eccleſiæ connexis, v. gr. in *Italia*, *Hiſpania* & ſimilibus, (antequam etiam Orientalibus dies ſerenior illuceſcat,) in eam doctrinæ ſalutariter & tranquillè (cum morum correctione & charitatis renovatione) florentis ubertatem ac felicitatem evectum iri à Deo, in cujus fruitione ſentiet ſe excellentium ultimi temporis bonorum juxta ampliſſima Divina in prophetiis promiſſa, verè participem eſſe. Qui de hoc dubitat, vel fortè contrarium ſentit, legat ſubinde & expendat diligenter & attentè in timore Domini vaticinia Prophetarum de ultimis edita temporibus, præſertim apud *Iſaiam* & *Ezechielem*, (familiares ſibi reddendo S. *Hieronymi* in ea Commentarios,) aut ſaltem loca paulò antè ſub *Regula* præſenti in medium producta benè excutiat, non ampliùs hoc in paſſu dubitabit, multoq; minùs contrarium ſentiet. Unum tantum hîc locum (ſed & aliunde illuſtrandum) ex Pſalmis Davidis (alibi quoque (*m*) à me jam ventilatum) pro ſcopo meo ſtabiliendo, & ad erigendos in ulteriorem ſpem expectantes deſideratiſſimam Populi Chriſtiani correctionem & *reformationem*, in medium producam.

V. Exſtat autem is, Pſalm. 87. juxt. Hebr. (al. 86.) ℣. 1. ubi verba hæc leguntur: יסודתו בהררי קדש H. e. *Fundamentum ejus* (ſive, quoad ſenſum, *Fundamenta ejus*) *in MONTIBUS SANCTIS.* Quibus in verbis, conſtructio illa, *Fundamentum ejus*, ſeu *Fundatio ejus*, ad ipſum Dominum Deum, qui olim ſuam Domum curavit fundari in *montibus* ſanctis Urbis Hieroſolymæ, refertur; (quod ipſum affixum maſc. gen. in Hebræo ſvadet;)

(l) In Lat. Nunc. pag. 190. & ſequ. Item, Exam. Reform. pag. 159. 160. (m) In Exam. Reform. Luth. pag. 20. 21.

ſvadet;) ſicut & alibi, dum de ſpeciali Dei opere fit mentio, *fundamentum Dei* nominatur. 2. Tim. 2. ℣. 19. *Firmum fundamentum Dei ſtat* &c. Atq; ſic in allegato loco, ſub figura literalis *fundationis* Domûs Divinæ in monte † *Sion*, (duas partes habente,) reſpiciente tamen etiam alterum Urbis montem, ut ad ſe proximè ſpectantem, ex principali Spiritûs S. ſcopo, & quoad pleniorem verborum emphaſim, ultimi temporis *Sion* myſtica, ſcil. Eccleſia, à locis fundationis ſeu *fundamentis* ejus deſcribitur. Hoc ita eſſe patet ex ſequentibus. Nam *primùm*; quæro hîc ab eo, qui mihi repugnaret: Quando unquam hic Pſalmus, in plenitudine emphaſeos verborum eſt impletus? Certè ſi retrò tempora omnia benè revolvat, non inveniet aliud de plena emphaſi reſpondendum, niſi, *Hactenùs nunquam.* Non enim, ſolùm converſio aliquot populorum hîc prædicitur, ſed talis converſio, quæ ſubſequentem ſecum portet florentem Eccleſiæ ſolidâ & durabili lætitiâ lætantis felicitatem, ℣. 3. 5. 7. qualem Eccleſia Nov. Teſt. prioribus ſeculis, minimè habuit: qua in re nobis S. *Bernardus* ſuis de *amaro* imò *amariſſimo* Eccleſiæ, inter perſecutiones, inter Hæreſes & Schiſmata, ac inter horrendas filiorum ſuorum iniquitates gementis ſtatu (in quali in hunc uſque diem ſumus,) querelis adſtipulatur. Hinc illa (& ſimilia) ejus verba: (*n*) *Amaritudo ejus* (nempe Eccleſiæ) *priùs amara, nunc* * *facta eſt amarior, cùm vipereo quodam malo à filiis ſuis deflebat diſcerpi viſcera ſua.* Et aliquantò infra, poſtquam interna in populo Chriſtiano & Catholico mala deſcripſiſſet, ſic ait: *Hæc ſunt noſtra, hæc ſunt Eccleſiæ pernicioſa tempora, in quibus in* † *pace* (*o*) *facta eſt amaritudo ejus amariſſima.* Longè igitur lætior Eccleſiæ ſtatus hîc propheticè deſcribitur, quàm fuit hactenùs. *Secundò*; Æthiopia etiam ℣. 4. dicti Pſalmi numeratur inter eas Nationes, quæ convertendæ & *Montibus Sanctis* adjungendæ ibidem prædicuntur. Atqui licet ex Scriptoribus Eccleſiaſticis noverimus, (*p*) *Eunuchum Reginæ Æthiopum* per Philippum (Act. 8.) converſum, etiam in *Æthiopia* Chriſtum prædicâſſe, & Sanctum quoque Matthæum * Evangelii prædicandi cauſâ eò penetrâſſe; Evangelii tamen prædicationem tam altas tunc illic egiſſe radices, ut in

V 2 aliis

† *Latiori ſensû hîc accipe* τὸ Sion, *quâ etiam montem* Moria, *ſeu montem Templi ſub ſe incluäit; juxta Iſa.* 8. *v.* 18. *&* 35. *v.* 10. (*quâ litera ſpectatur;*) *Thren.* 1. *v.* 4. *Joël.* 2. *v.* 1. *&* 3. *v.* 17. *Zach.* 8. *v.* 2. 3. *&* 1. *Mach.* 4. *v.* 37. 38. *&* 5. *v.* 54. *Nam alioquî, in ſtricto ſenſu,* mons Sion, *&* mons Templi *diſtingvuntur; qua de re vide S. Hieron. Com. in Zach.* 14. *v.* 1. *& confer inter ſe loca,* 3. (*al.* 1.) *Reg.* 8. *v.* 1. *col. ult. & v.* 6. *ibid. &* 2. *Paral.* 3. *v.* 1. (*n*) *Parabol. de Chriſt. & Eccleſ. col.* 439. *edit. Pariſ.* 1602. * *De tempore* Arrii *& aliorum veterum Hæreticorum hîc loquitur.* † *Confer hîc illa ejus verba in Pſal.* 90. Qui habitat *&c. Serm.* 6. Pax à Paganis, pax ab Hæreticis, ſed non eſt pax à falſis filiis. Multiplicaſti gentem Domine Jeſu! (*Iſa.* 9. *v.* 3.) ſed non magnificâſti lætitiam. (*o*) *Iſa.* 38. *v.* 17. (*p*) *S. Iren. Lib.* 3. *cap.* 12. *& Lib.* 4. *c.* 40. *& poſt eum Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib.* 2. *c.* 1. * *Ruffin. Hiſt. Eccl. Lib.* 1. *c.* 9. *& ex eo Socr. Hiſt. Eccl. Lib.* 1. *cap.* 19.

aliis multis ***montibus ſanctis***, (h. e. Regnis & Regionibus Chriſtianis) in quibus Evangelium ſub initium Nov. Teſt. fuit prædicatum, ex veteri Hiſtoria Eccleſiaſtica minimè conſtat, ſed potiùs contrarium ex ea apparet. Temporibus enim S. ***Athanaſii*** circa an. D. 350. debuit mitti ***Frumentius*** † in interiorem ****Æthiopiam***, (h. e. ***Abiſſinam***) ***Indiam*** ſæpè veteribus dictam, de novo illic tanquam Ethnicis Evangelium prædicaturus. Sed & hujus labor turbatus eſt per ‡ ***Arrianos***. Demùm verò ***Juſtiniano*** imperante, circa an. D. 541. ſunt pleniùs ac magis (quàm antehàc) Nationaliter ***Æthiopes*** ad fidem Chriſtianam converſi; cum nempe † ***Auxumitæ***, pars ****Æthiopum*** olim celebris, Rege ſuô ipſis præeunte, eandem fidem ſuſceperunt: quô tempore jam in dies ob Barbaros aliosque populos feroces paſſim graſſantes, & ob alia incommoda, (inter quæ fuit & eſt peſtis ***Jacobitarum***,) res Eccleſiæ ita in deteriùs cœperunt vergere, ut non potuerit dici ab illo tempore, ***Æthiopiam*** juxta prophetiæ emphaſim, (in ſingularem Sanctorum lætitiam,) conjunctam eſſe ***montibus*** illis ***ſanctis***, de quibus hìc eſt mentio. ***Tertio***; ipſa vel maximè ***Montium ſanctorum*** mentio in hoc loco ſcopum meum confirmat. Quid enim, quæſo, rectiùs & ſcopo textûs congruentiùs hìc per ***Montes*** ſensû ſpirituali, intelligere poſſumus, quàm (q) ***Regna*** quædam, ob ſublimitatem ſuî ſtatûs ſic dicta, (non obſtante, quòd aliquando SS. Patres, ſensû morali per ***Montes*** in bonam partem acceptos, Apoſtolos, aliosque virtute magnos atque claros, imò & ipſam Scripturam ſacram, interpretantur, qui etiam ſenſus, noſtram ex parte juvat explicationem,) ac per conſequens cum epitheto, per ***Montes ſanctos***, Regna Chriſtiana, utpote jam inde ab olim, (præſertim ab Apoſtolorum temporibus) per prædicationem Evangelii, ejuſdemque in illis propagationem ſanctificata? Quorum è numero tantùm abeſt ut ***Italiam*** & ***Hiſpaniam*** vicinasq; Regiones Catholicas excludamus, ut potiùs potiori in loco inter ejuſmodi ***Montes*** numerare debeamus, ſi benè meminerimus priſtinæ ac primævæ in iis Eccleſiarum Dei fundationis; tantòque magis, ſi conſideremus illa Regna ac Regiones unitatem Eccleſiaſticam inter ſe & cum Capite Matreque Eccleſia, (inter tot aliorum in Oriente, Auſtro ceteriſque Mundi partibus pernicioſas ſciſſiones,) retinuiſſe.

VI. In ***montibus*** ergo ***ſanctis***, in illis nempe ***montibus*** ſeu ***Regnis***, in quibus olim magni & celebres Sancti (Apoſtoli ſcilicet, & alii eximii Doctores

† *Socrat. ex Ruffin. loc. nunc cit.* * *Vid.* Valeſii *Notas in Socr. Hiſt. Lib. 1. c. 19.* ‡ *Vide Apologetic. Athanaſ. ad Conſtantium Imp. & ex eo* Vales. *Not. ad Lib. 3. Hiſt. Philoſtorg. cap. 4.* † *Vid. Baron. Annal. ex Cedreno, ad an. D. 541.* * *Hiſt. Philoſtorg Lib. 3. c. 4. n. 6. Et Bochart. Geogr. S. Part. 1. Lib. 2. cap. 15. ex Procopio.* (q) *Juxta illud S. Hieronymi, Comm. in Habac. 3. v. 10.* Viderunt te Deus & doluerunt Montes, excelſa ſcilicet REGNA, & ſublimes hujus ſeculi poteſtates. *Conf. S. Auguſtin. Tract. 4. in Joan.*

ctores antiqui) Evangelium prædicârunt, (ante quorum prædicationem nec poterant *Montes* illi dici *Sancti*,) quærendum eſt fundamentum Dei pro *Sione* illa myſtica, quæ ut non diſtracta huc atque illuc, ſed ſolidè compacta & florentiſſima, ſub uno vero Paſtore in unitate Fidei & Spiritûs futura, in ultima dilata eſt tempora. A' *montibus* autem illis *ſanctis* protendentur tandem ejus pomœria ad alias quoq; Nationes à Chriſto & Regno ejus adhuc alienas. *Montes* hi *ſancti* apud Iſaiam *Montes Dei* dicuntur in quadam prophetia, de *Aſſyrii* novi, hoc eſt, Turcæ Dominatoris in Oriente, ruina, cap. 14. ℣. 25. his verbis: *Conteram Aſſyrium in terra mea, & in MONTIBUS MEIS conculcabo eum.* (Ubi ſub latitudine illius phraſeos, vel maximè *Hungaria* & *Tranſylvania* cum finitimis earum intelliguntur.) Confer, Iſa. 49. ℣. 11. & cap. 65. v. 9. *Montes* quoque *Iſraël* ſensû myſtico ac ſpirituali accepti apud Ezechielem, (cap. 6. ℣. 2. 3. & 36. ℣. 1. 4. 8. & 37. ℣. 22. & 38. ℣. 8. & 39. ℣. 4. 17.) iidem ſunt cum *montibus ſanctis* ſensû latiori acceptis. Et quanquam montes hi *ſancti* in latiori ſuo ſenſu ſub ſe includant omnes illas Orientis, Auſtri & Septentrionis regiones, quæ olim per Evangelii pacis factam in illis prædicationem ad ovile Chriſti fuerant aggregatæ; attamen ſapientiæ & æquitati Dei hoc conſonum eſt, ut non à quibuslibet, ſed ab illis *montibus ſanctis*, tanquam præcipuis & primariis inter alios ejuſdem denominationis, incipiat ſtructuram ſuæ illius futuræ *Sionis* florentiſſimæ, de qua loquimur, qui unitatem Eccleſiaſticam inter ſe & cum Capite ſuo in hunc uſque diem retinuerunt: uti ſunt regiones Occidentales, (*Italia*, *Hiſpania* & ſimiles) in ſuperioribus memoratæ.

VII. Poſtquam Dominus in *Occidente* poſuerit fundamentum hujus ultimi temporis Sionis, (ſeu potiùs ibi jam poſitum ejus fundamentum detexerit, & apparenti ſtructurâ recenti exornaverit,) tunc *Orientis* quoq; & *Auſtri* Chriſtianos nunc miſerè diſciſſos junget in fide & charitate cum *Occidentis* populis, atque ſic muros ſuæ illius Sionis in dies magis ac magis dilatabit. Tunc implebitur illud de magno illo Paſtore viſibili Chriſtiq; Vicario, cujus tempore *unum ovile, unusq; Paſtor* (is ipſe) *erit*, quod jam alibi ex quodam MS. Codice Vaticano à me eſt citatum, quòd is (r) *uniet Occidentalem Eccleſiam cum Orientali*, *unione perpetuâ.* Tunc intelligemus etiam pleniùs ordinis verborum quorumdam rationem apud Iſaiam, in quibus de futuro cultûs ac *timoris Domini* incremento agens, præponit *Occidentales Orientalibus*, ſic prophetando: (ſ) *Et timebunt qui ab OCCIDENTE* ſunt, *Nomen Domini*, *& qui ab ORTU Solis*, *gloriam ejus.* &c. Statim enim verſus proximè ſequens, (s) *Et venerit Sioni Redemptor*, (ſeu Vindex, &c.) collatus cum Rom. 11. ℣. 25. 26. oſtendit non de initio Novi Teſt. ſed de extremis ejus eſſe hanc prophetiam.

 VIII. Vidit

(r) *Rom. Civit. D. Sanct. pag. 17.* (ſ) *Iſa. 59. v. 19.* (s) *v. 20. ibid.*

Digitized by Google

VIII. Vidit de hoc aliquid olim etiam Diabolus tanquam Spiritus ſagaciſſimus, quòd Deus aliquando in *Occidentis* partibus inciperet ſibi ſtruere florentiorem priori Eccleſiam, & uberiorem illic, quàm unquam antea, accendere Evangeli lucem, indeque progreſſurus eſſet in Orientem; atque ex eo tanquam mendaciſſimus Pater mendacii & mendaciloquorum, fabuloſè perſvaſit hoc mendacium Muhammedanis, quaſi proprie dictus & naturalis *Sol*, aliquando in *Occidente* oriturus eſſet, & tranſiturus in *Orientem*; & hoc foret ſignum, quòd finis Mundi appropinquaret. Verba Muhammedanorum in quodam Chronico eorum fabuloſo, hæc ſunt: (*t*) *Finem Mundi propinquum clarificabit ortus Solaris in OCCIDENTE, & occaſus in Oriente.* Sumptum hoc ex *Alcorano*; ubi *Abrahami* ad quendam regnantem, ac ſuos ſubditos pro arbitrio vivificantem & morti tradentem, hujuſmodi reſponſum nobis impoſtor commemorat: (*u*) *Deus facit oriri Solem ab Oriente; fac tu eum oriri ab OCCIDENTE?* (Seu à *latere Occidentis.*) Quibus in verbis ſupponit impoſtor, antagoniſtam illum Abrahami, non poſſe id facere, quod Deus aliquando facturus eſt: nempe, ſicut ille facit *Solem* ordinariè oriri à plaga *Orientali*, ſic aliquando faciet oriri à plaga *Occidentali.* Quod Satanas juxta literalem ſenſum, ſuis perſvaſit Muhammedanis. Ad quod ſuum mendacium, annon etiam ex Zach. 14. ℣. 7. (*Tempore veſpertino erit Lux*;) occaſionem ſibi perperam arripuerit, (collat. Gen. 15. ℣. 17. col. 1. & ult.) diſquiri poteſt. Huic materiæ, de illuſtriori, primùm *Occidentalium*, deinde *Orientalium* Eccleſiarum ſtatu ſecuturo, lux aliqua afferetur etiam infra (*v*) ex iis, quæ de *Signo Filii hominis* Deo opitulante dicturi ſumus. Hæc de *Regula octava* ſatis. Quæ ad pleniorem hujus adhuc *Regulæ* illuſtrationem & confirmationem ſpectant, ea infra in & ſub *Regula decima* videantur. Nunc ad ulteriora progrediamur.

REGULA IX.

IX. „*Sunt loca de futuris in Scriptura ſacra, quæ, niſi admittatur fu-„tura adhuc Gentium & Judæorum valde notabilis converſio, intelligi rectè ne-„quaquam poſſunt.* Pro illis tantùm debui peculiarem hac de re formare *Regulam*, qui aut negant, aut ſaltem nihil curant, nec multùm expectant, aliquam *Gentium* & *Judæorum* converſionem notabilem & turmatim futuram. Ceteroquin res hæc tam clara eſt in Scripturis, & adeò celebrata etiam apud SS. Patres, ut ſi quis jam dehinc, præſertim in tam ſenſibili in dies cœleſtis

doctrinæ

(*t*) *Hæc cum Vulgato Latino* Alcorano *impreſſa inveniuntur, pag.* 214. *Ita &* Pockockius, *in ſuis* Notis *Miſcell.* Portæ Mos. *ſubjectis, pag.* 258. *inter* Signa *majora ex mente Muhammedanorum, appropinquantis reſurrectionis, ſeu finis Mundi, primo loco ponit,* Ortum Solis ab Occidente. (*u*) *Sic in Gallico Alcorano, juxta verſionem S. Du* Ryer. (*Azoar.* 2.) *pag.* (*mihi*) 33. Abraham repondit: Dieu fait leveir le Soleil du coſtè de l' Orient; fais-le lever du coſtè de l' Occident? (*v*) *Poſt Reg.* 33. *huj. Claſſ. cap.* 13. §. 3. 9. *&* 10.

doctrinæ incremento, eam negare præſumeret, is maximam partem prophetiarum, de futura pomœriorum Eccleſiæ ultimis temporibus dilatatione, protervè negaret. Nos illorum præprimis habentes rationem, qui avidè optant & expectant hoc bonum in *Regula* poſitum, illiſque uberius afferre lumen, & eos in ulteriorem ſpem & expectationem tanti boni perſeverantem erigere volentes; ex plurimis Scripturæ S. locis huc facientibus, hæc pro *Regula* fulcimento ſubjicimus. Videlicet: Gen. 22. ℣. 18. Pſalm. 71. (al. 72.) ℣. 11. & 85. (al. 86.) ℣. 9. & 138. (al. 137.) ℣. 4. 5. Iſa. 43. ℣. 5. 6. (al. cap. 42. ℣. 30. 31.) Iſa. 60. ℣. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. &, c. 66. ℣. 8. 9. 10. Ibid. ℣. 18. 19. 20. 21. 22. Jerem. 48. ℣. 47. & cap. 49. ℣. 39. Soph. 2. ℣. 11. & cap. 3. ℣. 9. Zach. 14 ℣. 16. De *Judæis* autem ſpeciatim, exſtat locus inſignis Hos. 3. ℣. 4. 5. Item, Ezech. 36. ℣. 12. Jerem. 32. ℣. 37. 38. 39. 40. Deut. 30. ℣. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Quo in loco *Moſis*, etſi bona Judæis averſis à Deo, ſub conditione promittuntur, ex aliis tamen locis colligere poſſumus, Deum ex ſua ineffabili miſericordia, ultimis temporibus conditionem illam in ipſis per ſuam gratiam effecturum. Huc ſpectat etiam de iiſdem ſpecialis locus, Rom. 11. ℣. 25. 26. collat. cum Iſa. 59. ℣. 20. Adde his junctim de utriſque, Apoc. 1. ℣. 7. Matth. 24. ℣. 30. 31. Monemus interim Lectorem, nos *Judæorum* nomen in Regula latiori ſenſû pro *Iſraëlitis* accipere generaliter, ita ut etiam *decem tribus* olim in *Aſſyriam* abductæ hîc includantur; imò quoad ordinem temporis futuræ Hebræorum converſionis, primariò illæ tribus unà cum reliquiis duarum tribuum è Babylonica ſervitute ac diſperſione nunquam in Patriam ſuam reverſis, hoc loco intelligantur: quarum veram, ſinceram & ſalutarem converſionem, ſequetur deinceps Judæorum illorum, quorum majores Chriſtum crucifixerunt, converſio. Atque hoc ſenſû etiam vel maximè celeberrimum illum Hoſeæ locum jam notatum (c. 3. ℣. 4. 5.) intelligi volumus.

X. Teſtimonia quædam SS. Patrum, quæ huc etiam quadrant, jam alio in loco (*x*) produximus in medium. Afferemus tamen etiam hîc quædam in noſtrum ſcopum, ut eò magis pateat, quàm fixa & conſtans hæc de *Gentium* & *Judæorum* pleniori futura converſione ſententia fuerit ab initio in Eccleſia Dei. Sic *Tertullianus* (an. D. 208.) quodam in loco: (*y*) *In Chriſtum* (inquit) *conveniet ordo Melchiſedech; quoniam quidem Chriſtus proprius & legitimus Dei Antiſtes, præputiati ſacerdotis Pontifex, (tum in Nationibus conſtitutus, à quibus magis ſuſcipi habebat,) cognituram ſe quandoq; circumciſionem, & Abrahæ gentem, quum ULTIMO VENERIT, ACCEPTIONE & BENEDICTIONE dignabitur.* Et paulò poſt: *Inimici ejus pulverem lingent, SUBJECTI utiq; pedibus ipſius.* Item S. *Ambroſius*, poſtquam

(*x*) *Vide Teſtimon. ſub Regul. 5ta (bujus Claſs.)* §. 12. *cap. 2. p. 85. & Reg. 6. §. 7. cap. 3. p. 95. & Reg. 7. §. 13. 14. 15. 16. 17. cap. 4. p. 107. & ſeq.* (*y*) *Adverſ. Marcion. Lib. 5. cap. 9.*

poſtquam typum *Joſephi*, manus oculis Patris ſui imponentis expoſuiſſet, (quam expoſitionem ſupra (z) retulimus,) ſubjicit in eundem ſcopum: (*a*) *Cujus* (populi Judæorum) *ideò diſtulit ſanitatem, ut POSTREMUS CREDERET, qui antè non putavit eſſe credendum, & prærogativam ſuperio-„ris electionis amitteret. Unde & Apoſtolus ait:* (*b*) Quia cæcitas ex parte „contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſraël „ſalvus fieret. Idem alibi ſcribit, (*c*) *judicii diem, velut æſtatis adventum, quô adulti fructus terrarum omnium reconduntur, ex PLENITUDINE ECCLESIÆ, in quam JUDÆI QUOQUE CREDITURI SUNT, eſſe metiendum.*

XI. S. *Auguſtinus* (cujus quædam teſtimonia huc facientia jam etiam ſupra (*d*) vidimus,) ſubinde inculcat hanc quam tuemur doctrinam, ac ſpeciatim de *Gentium* futura converſione uberiori, inter alia multa ſic ſcribit: (*e*) *Adhuc creſcit Eccleſia, donec usq; in finem etiam reliquas Gentes, ubi adhuc non eſt, obtineat.* Subjicit: *Quiſquis aliud evangelizaverit, anathema ſit.* Item: (*f*) *Sunt adhuc nonnullæ Gentes, in quibus nondum eſt Evangelium prædicatum; neceſſe eſt autem impleri omnia, quæ de Chriſto & Eccleſia prædicta ſunt; oportet ergò & in eis prædicari: quod cum impletum fuerit, tunc erit finis.* Idem alibi: (*g*) *Ita & in inſulis ſingulis quibusq; im-„pletur, quod dictum eſt:* (*h*) Dominabitur à mari uſque ad mare, (*quo unaquæq; inſula cingitur,*) *ſicut in univerſo Orbe terrarum;* † *quæ tanquam omnium quodam modo maxima eſt inſula, quia & ipſam cingit Oceanus: ad cujus littora in Occidentalibus partibus Eccleſiam perveniſſe, jam novimus, & quocunq; littorum nondum pervenit, PERVENTURA EST utiq; fructificando atq; creſcendo.* Ibidem aliquantò ſuperiùs; propoſitâ Quæſtione nobili, *Quando Evangeliô Mundus univerſus impleatur?* ſic de hac, mentem ſuam *Heſychio* exponit: (*i*) *Quod putat Venerabilitas tua, jam hoc per ipſos Apoſtolos factum; non ita eſſe certis documentis probavi. Sunt enim apud nos, hoc eſt, in Africa, barbaræ innumerabiles Gentes, in quibus nondum eſſe prædicatum Evangelium, ex iis qui ducuntur inde captivi, & Romanorum ſervitiis jam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promptu eſt. Pauci tamen anni ſunt, ex quo quidam eorum, rariſſimi atq; pauciſſimi, qui pacati Romanis finibus adhærent, ita ut non habeant Reges ſuos, ſed ſuper eos Præfecti à Romano conſtituantur imperio, & illi, & ipſi eorum Præfecti Chriſtiani eſſe cœperunt. Interiores autem, qui ſub nulla ſunt poteſtate Romana, prorsùs nec Religione*

(z) *Ad Reg.* 6. *b. Claſs.* 2. *cap.* 3. §. 7. (*a*) *Lib. de Joſeph Patriarch. c.* 14. *ſub fin. Tom.* 1. (*b*) *Rom.* 11. *v.* 25. (*c*) *Comm. in Luc.* 13. *v.* 6. *Tom.* 3. *col.* 153. *edit. Pariſ.* 1614. (*d*) *Sub Reg.* 7. *b.* 2*dæ Claſs. c.* 4. §. 13. *p.* 107. 108. & *ſub Reg.* 5. *c.* 2. §. 12. *p.* 85. (*e*) *Contra Petilian. Donatiſt. Epiſt. c.* 11. (*f*) *Ibid. c.* 14. (*g*) *Epiſt.* 80. (*al. in edit. nov. Pariſ.* 199.) *de fine ſecul. ad Heſych, An. D.* 419. (*h*) *Pſal.* 71. (*al.* 72.) *v.* 8. † *Leg.* qui (*i*) *Epiſt. citatâ ad Heſych. quæ eſt* 80.

ligione Chriſtianâ in ſuorum aliquibus detinentur, neq; ullo modo rectè dici
poteſt, iſtos ad promiſſionem Dei non pertinere. Non enim Romanos, ſed (*k*)
OMNES GENTES Dominus ſemini Abrahæ, mediâ quoq; juratione promi-
ſit: ex qua promiſſione jam factum eſt, ut nonnullæ Gentes, quæ non tenentur
ditione Romanâ reciperent Evangelium, & adjungerentur Eccleſiæ, quæ fru-
ctificat & creſcit in univerſo Mundo. Adhuc enim habet quò creſcat, donec
,,*fiat, quod de Chriſto in Salomonis figura prophetatum eſt:* (*l*) *Dominabitur à*
mari uſq; ad mare. &c. Reliqua vide (*m*) ſupra. Idem aliâ Epiſtolâ ad
Heſychium ſic ſcribit: (*n*) *Opportunitas verò illius temporis*, (quò nempe
(*o*) *Regnum repræſentetur Iſraël*,) *profectò non erit, antequam prædicetur*
Evangelium in univerſo Orbe in teſtimonium omnibus Gentibus. Apertiſſima
,,*enim de hac re legitur ſententia Salvatoris dicentis:* (*p*) Et prædicabitur
,,hoc Evangelium Regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus Gen-
,,tibus, & tunc veniet finis. *Tunc veniet, quid eſt, niſi antè non veniet?*
Quantò poſt ergò veniat, incertum nobis eſt; antè tamen non eſſe venturum,
(nempe finem Mundi,) *dubitare utiq; non debemus. Si ergò ſuſciperent hunc*
laborem Servi Dei, ut peragrato Orbe terrarum, quantum poſſent, collige-
rent, quod remanet Gentium, ubi nondum eſt Evangelium prædicatum, hinc
advertere utcunq; poſſemus, quantum hoc tempus longè ſit à fine ſæculi. De
Judæorum etiam futura converſione, hujus S. Doctoris mentem, jam ſu-
pra (*q*) perſpicuè intelleximus.

XII. Similiter S. *Hieronymus*, (ita coævus *Auguſtino*, ut eo antiquior
ſit,) eandem cum S. *Auguſtino* tenet de futura *Gentium* & *Judæorum* con-
verſione ſententiam. Illuſtrem planè in hanc rem, & memoratû digniſſi-
mam habet expoſitionem, ad illa verba Iſaiæ, *Parvus erit in millenos*, &c.
referens hujus loci implementum in ultima tempora. (*r*) *Tunc* (inquit) *qui*
,,*parvulus fuit, erit in millia, audiens à Domino:* (*ſ*) *Eſto habens poteſta-*
,,*tem ſuper quinque, vel decem Civitates; ita ut appelletur* χιλίαρχος: *&*
,,*qui cum Apoſtolo dixerat:* (*s*) Mihi minimo omnium Sanctorum data eſt
,,gratia hæc; *Princeps erit magnæ Gentis in* † *cæleſtibus, quando tempore*
conſtituto, miſerit Dominus Angelos ſuos, & congregaverint ad eum omnes
Sanctos (*t*) *à ſummitate Cœli, uſq; ad ſummum ejus, non ſolùm de ISRAEL,*
,,*ſed & GENTIUM POPULO, quem ſignificans loquebatur:* (*u*) Et alias
,,oves habeo, quæ non ſunt de Grege iſto, & illas oportet me congrega-

X

,,re, ut

(*k*) *Gen.* 22. *v.* 16. 17. 18. *collat. ibid. cap.* 12. *v.* 3. & 18. *v.* 18. & 26. *v.* 4. (*l*) *Pſal.* 71. (*al.* 72.) *v.* 8. (*m*) *Hui. Claſs.* 2. *Reg* 5. §. 12. *c* 2. *p.* 85. (*n*) *Epiſt.* 78. (*al.* 197. *in ed. nova.*) *ann. cir.* 418. (*o*) *Act.* 1. *v.* 6. (*p*) *Matt.* 24. *v.* 14. (*q*) *Sub Reg* 7. *b. Claſs.* 2. *c.* 4. §. 13. *p* 107. (*r*) *S. Hieron. Comm. in Iſa.* 60. *v. ult.* (*ſ*) *Luc.* 19. *v* 19. *coll. v.* 17. (*s*) *Epheſ.* 3. *v.* 8. † *Scil. in rebus cæleſtibus & ſpiritualibus.* (*t*) *Matt.* 24. *v.* 31. *Cujus loci uberiorem explicationem infra ſuo loco ex verbis* Auguſtini *habebis: cap.* 10. §. 40. (*u*) *Joan.* 10, *v.* 16.

„re, ut fiat unus Grex, & unus Paſtor. *Hoc autem* (*v*) *ſubitò faciet, ut QUANDO OMNIA FUERINT DESPERATA, tunc in GENTEM FORTISSIMAM congregentur. Quæ licet ex parte in Eccleſia quotidie videmus impleri, tamen in MUNDI CONSUMMATIONE PLENIUS complebuntur, & in ſecundo Salvatoris adventu.* Alibi quoque in quendam „Jeremiæ (*x*) textum, [ſcilicet; *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non „dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti; ſed, „vivit Dominus, qui eduxit & adduxit ſemen Domûs Iſraël de terra Aquilonis*, &c.] ſic idem in noſtrum ſcopum ſcribit: *Cujus* (loci) *hic ſenſus eſt; quòd nequaquam per Moyſen populus de Ægypto liberetur, ſed per Jeſum Chriſtum de omni Orbe terrarum, in quem diſperſus fuerat. Quod ex parte „ó nunc completur in Mundo; & EX TOTO complebitur, quando de* (*y*) *O„riente & Occidente, Septentrione & Meridie, venient & diſcumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob, ut poſtquam* (*z*) *ſubintraverit PLENITUDO Gentium, tunc OMNIS ISRAEL ſalvus fiat.* Idem in celebrem illum de „Iſraëlitis *Hoſea* locum, (cap. 3. ℣. 4. 5.) *Dies multos ſedebunt filii Iſraël ſine Rege* &c. ſic ſcribit: (*a*) *Hæc eſt cæcitas, quæ ex parte accidit Iſraëli, ut ſubintraret plenitudo Gentium, & TUNC OMNIS ISRAEL ſalvus fieret. Et multò poſt tempore revertentur, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum, qui de David ſtirpe generatus eſt. -- Cumq; eum viderint filii Iſraël (qui à ſuis fratribus denegatus eſt,) in Patris & ſua Majeſtate regnantem, PAVEBUNT & STUPEBUNT ad Dominum & ad bonum ejus.*

XIII. Hæc & ſimilia in S. *Hieronymi* Commentariis loca nos docent, quòd dum aliquando idem S. Pater, dicta quædam Scripturæ S. prophetica de ultimis temporibus juxta principaliorem in iis Spiritûs S. ſcopum ſonantia, ad primum tantùm Salvatoris adventum referre, & ſecuturam Nationalem Judæorum converſionem negare videtur, (ut Comm. in Iſa. 11. ℣. 11, & in cap. 59. ſub fin.) id eidem ex pio quodam fervore potiùs in quoſdam carnales & Judaizantes Chriſtianos excidiſſe, quàm eum ſimpliciter & penitùs negâſſe futuram ultimis temporibus nationalem illius populi converſionem, exiſtimandum eſt. Ejus certè Commentarii diligenter inſpecti ac penitiùs excuſſi monſtrant, eum, noſtræ ac communi veterum SS. Doctorum ſententiæ in *Regula* poſitæ prorsùs adſtipulari. Nam præter allegata, quid quæſo clarius & diſtinctius de futura Hebraici populi in fine Mundi converſione dici poteſt, quàm hoc in ſequentibus ejuſdem verbis?

(*b*) *Dum*,

(*v*) *Juxta Iſa. 60. v. ult. col. ult.* (*x*) *S. Hieron. Comm. in Jerem. cap. 23. v 7. 8. Confer eund. Comm. in Jerem. 16. v. 14. 15. & in cap. 31. v. 27. & Epiſt. 125. ad Dam. in fine.* (*y*) *Matt. 8. v. 11. Luc. 13. v. 28, 29.* (*z*) *Rom. 11. v. 25,* (*a*) *S. Hieron. Comm. in Hoſ. 3. v. 4. 5.*

Digitized by Google

(*b*) *Dum, inquit* Dominus, *crediderit gentium populus, & omnis Orbis ad meam fidem adductus fuerit, & intraverit gentium plenitudo, tunc etiam RELIQUIÆ ISRAEL ſalvabuntur: NON ILLÆ Reliquiæ, de quibus „ſcriptum eſt in Regnorum Libro:* (*c*) Dereliqui mihi ſeptem millia &c. *& „de quibus Paulus:* (*d*) Ergo & in iſto tempore reliquiæ ſecundùm electi„onem gratiæ ſalvæ factæ ſunt; -- *SED ILLÆ RELIQUIÆ, quæ, poſtquam omnes ſuſcepti fuerint, IN FINE SUSCIPIENTUR à Deo; & „de quibus nunc dicitur:* (*e*) *Cum omnibus ſuſcipiens ſuſcipiam reliquias Iſraël.* Manifeſtè in his ponit geminam (& ab invicem diſtingvit) Populi *Iſraël* converſionem; unam quæ facta olim fuit temporibus *Apoſtolorum*; alteram, quæ futura eſt *in fine* Mundi.

XIV. Item, S. *Cyrillus* Alexandrinus, ingenioſè ſuo more ac doctè, exponendo typum ſecundi (*f*) *Paſchatis*, (pro immundis & longinquis, menſe ſecundo celebrari mandati,) hæc de Judæis, eorumque (ut & Gentium reſiduarum) futura converſione tradit: (*g*) *Si veriorem intelligentiam quæramus, & nobis qui ſpirituales ſumus convenientiſſimam, immundos † in anima hominis, & eam ob cauſam menſe ſecundo feſtum agentes, & ex Paſcha lege, in Chriſti figuram, immolantes victimam,* * *non alios eſſe cenſebimus, quàm Judæos Chriſti cæde contaminatos, & impuritatis crimine damnatos, quod ipſum Emmanuel contumeliis affecerint. Hi namq́; ab ejuſmodi noſtro feſto penitùs exciderunt; defuerunt etiam & non occurrerunt ad tempus, quo ille omnium vitæ auctor per paſſiones eſt conſummatus:* † *miſericordiâ tamen ejus, qui omnes ſalvare vult, CONSEQUENTIBUS TEMPORIBUS, tanquam ſecundo Menſe, ipſi quoq́; PARTICIPES CHRISTI fient, & unà cum Sanctis, qui in tempore vocati ſunt,* (nempe ex Gentibus,) *feſtum agent. Animadverte enim, ut illi quidem in Ægypto, ſtatim atq́; idololatriæ ſordes abſterſerunt, agnum immolant Menſe primo, ac primum in credendo locum occupant, unctiq́; ſangvine Domini,* (*h*) *contemnent exterminatorem, & mortis atq́; interitûs victores erunt: hi verò* (nempe Judæi ultimo tempore convertendi,) *tanquam anno menſeq́; ſecundo vix accedunt, & immunditiam ſuam confitentur, & ſe in anima hominis impuros eſſe perſpicuè affirmant, & orant,*

 ut eis

(*b*) *S. Hieron. Comm. in Mich. 2. v. 12. juxt. LXX.* (*c*) 3. (*al.* 1.) *Reg.* 19. *v.* 18. (*d*) *Rom.* 11. *v.* 5. (*e*) *Ita juxt. LXX. Mich.* 2. *v.* 12. (*f*) *Num.* 9. *v.* 10. 11. (*g*) *Cyrill. de Adorat. in Spirit. & Verit. Lib.* 17. *pag.* 603. 604. *edit. Pariſ.* 1638. *Tom.* 1. † *Græc.* τοὺς ἀκαθάρτους ἐπὶ ψυχῇ ἀνθρώπου. *Hebr.* טמה לנפש * οὐκ ἑτέρους εἶναι νομιοῦμεν, ἢ ὅτι τοὺς Ιουδαίους ἐπὶ τῇ κατὰ χριστοῦ μιαιφονίᾳ, μεμολυσμένους. ‡ *Græc.* ἐλέου μὲν τοῦ πάντας σώζειν ἐθέλοντος, ἐν τοῖς μετὰ τοῦτο καιροῖς, ὡς ἐν μηνὶ δευτέρῳ μεθέξουσι καὶ αὐτοὶ τοῦ χριστοῦ καὶ συνεορτάσουσι τοῖς ἁγίοις. (*h*) *Græc.* παρ' οὐδὲν ἡγήσονται τὸν ὀλοθρευτὴν, καὶ ἀμείνους ἔσονται τῆς φθορᾶς.

ut eis benedictionem conſequi liceat. Secundo autem loco, & poſt primos feſtum „diem agunt: cum enim (*i*) *PLENITUDO GENTIUM intraverit, tunc „& OMNIS ISRAEL ſalvus fiet. Prædixit etiam de ipſis Propheta:* (*k*) „Et poſt hæc convertentur filii Iſraël, & exquirent Dominum Deum ſu-„um, & David Regem ipſorum, & conſtupeſcent in Domino, & in bonis „ejus in extremis diebus. *Exquiretur enim in EXTREMIS TEMPORIBUS à reſiduis ex Iſraël, ille, ex ſemine David ſecundùm carnem, Chriſtus... In via autem* longinqua *quodam modo, & longè ab Hieruſalem, id „eſt, à Sancta noſtri Salvatoris Eccleſia, ille eſt, qui dicit ligno,* (*l*) Deus meus es tu... *Atq; etiam qui deſertô Creatore, creaturam adorat; aut alio quovis errore tenetur.* Poſtremis in verbis ſuæ hujus expoſitionis (*m*) *Gentiles* hîc & *Hæreticos* manifeſtè intelligit.

XV. Pariter S. *Gregorius* Magnus his adſtipulatur. Dum enim explicaret in *Jobo* myſticè *pullos corvorum* eſcas ſibi vagando quærentes, præmiſsô loco Apoſtolicô, * *Ecce convertimur ad Gentes*, mox iſta ſubjicit: (*n*) *Scientes profectò* (Apoſtoli id dixerunt,) *quòd poſtquam Gentilitas crede-„ret, etiam Judæa ad fidem veniret. Unde & ſcriptum eſt:* (*o*) Donec ple-„nitudo Gentium introiret, & omnis Iſraël ſalvus fieret. *Quia igitur ſummopere ſancti Apoſtoli, & ſtuduerunt priùs audientibus prædicare, & poſtmodùm reſiſtentibus exempla converſæ Gentilitatis oſtendere, quaſi eſurientes pulli, huic Corvo,* (Judaico ſcil. populo,) *eſcam ſuam priùs clamando, & poſtmodùm vagando quæſiêrunt. Unde enim vagantur pulli, inde eſcam corvus invenit. Quia dum per laborem Prædicantium converſam ad Deum Gentilitatem, Judaicus populus reſpicit, ad EXTREMUM quandoq; ſtultitiam ſuæ infidelitatis erubeſcit, & tunc Scripturæ S. ſententias intelligit, cum priùs quàm ſibi, eas Gentibus innotuiſſe cognoſcit; atq; expletâ vagatione † pullorum, ad percipienda ſacra eloquia, os cordis aperit: quia peractis in Mundum curſibus Apoſtolorum, SERO ea ſpiritualiter percipit, à quibus diù ſe perfidiâ abſtringente, jejunavit.*

XVI. Alibi verò idem S. Doctor, dum geminum Eccleſiæ ultimi temporis ſtatum, nempe triſtiorem primùm, ac demùm lætiorem deſcribit, in ipſa lætioris deſcriptione, illicò plenariam *Gentium* & *Judæorum* converſionem futuram (ut maximæ felicitatis Eccleſiæ ultimi temporis argumentum) ſubjicit. Verba ejus ſunt: (*p*) *Tunc, cum in diebus illis,* (nempe ultimis,) *Eccleſia quaſi quodam ſenio debilitata, per prædicationem filios pa-„rere non valet, reminiſcitur fœcunditatis antiquæ dicens:* (*q*) Sicut fui in „diebus

(*i*) *Rom.* 11. *v.* 25. 26. (*k*) *Hoſ.* 3. *v.* 5. (*l*) *Jerem.* 2. *v.* 27. (*m*) *Vid. loc. cit. Cyrill. pag.* 605. * *Act.* 13. *v.* 46. (*n*) *Moral. Expoſ. in Job. Lib.* 30. *c.* 8. (*al.* 14.) *in cap.* 38. *Job. v.* 40. *al. cap.* 39. *v.* 3. (*o*) *Rom.* 11. *v.* 25. 26. † *In genere pios Prædicatores veſtigia Apoſtolorum ſequentes, intelligit.* (*p*) *Moral. in Job. Lib.* 19. *cap.* 9. *in cap.* 29. *Job. v.* 4. (*q*) *Job. loc. cit.*

„diebus adoleſcentiæ meæ: *quamvis POST EOSDEM DIES quibus deprimitur, jam tamen CIRCA IPSUM FINEM TEMPORUM, GRANDI PRÆDICATIONIS VIRTUTE roboretur. Nam ſuſceptis ad PLENUM GENTIBUS, OMNEM ISRAELITICUM POPULUM, qui tunc inventus fuerit, IN FIDEI SINUM TRAHIT. Scriptum quippe „eſt:* (*r*) *Donec plenitudo Gentium introiret, & ſic omnis Iſraël ſalvus fie„ret.*

XVII. Ne hîc omittamus eximiam illam S. * *Bernardi* in quendam „verſum *Cantici* Salomonis (ſcilicet; (*ſ*) *Tenui eum, nec dimittam, donec „introducam illum in domum Matris meæ* &c.) expoſitionem: (*s*) *Magna* (inquit) *Eccleſia charitas, quæ nec æmulæ quidem Synagogæ ſuas delicias invidet. Quid benignius, quàm ut quem diligit anima ſua, ipſum communi„care parata ſit inimicæ? Nec mirum tamen; quia* (*t*) *ſalus ex Judæis eſt. Ad locum UNDE EXIERAT, REVERTATUR SALVATOR, ut reliquiæ ISRAEL ſalvæ fiant. Non rami radici, non Matri filii ingrati ſint. Non rami radici invideant, quod ex ea ſumſere; non filii Matri, quod de ejus ſuxère uberibus. Teneat itaq; Eccleſia firmiter ſalutem, quam Judæa „perdidit, ipſa apprehendit, donec PLENITUDO GENTIUM introëat, „& ſic OMNIS ISRAEL ſalvus fiat.-- In domum Matris meæ introducam „eum, inquit. In quam domum, niſi de qua olim prænunciârat Judæis:* (*u*) „Ecce relinquetur vobis Domus veſtra deſerta?-- *Et nunc iſta pollicetur reducere illum, & domui Matris perditam ſalutem reſtituere.* Huc faciunt & illa ejuſdem ad *Eugenium* Pontificem verba: (*v*) *Ergò & infidelibus debitor es, Judæis, † Græcis & Gentibus. Intereſt proinde tuâ dare operam quam poſſis, ut increduli convertantur ad Fidem, converſi non avertantur, averſi revertantur.--- Eſto de JUDÆIS excuſat te tempus: habent terminum ſuum, qui præveniri non poterit: plenitudinem Gentium præire oportet: Sed de ipſis GENTIBUS quid reſpondes? Imò quid tua conſideratio reſpondet tibi percunctanti ſic! Quid? Viſum eſt Patribus ponere metam Evangelio? Verbum ſuſpendere fidei, donec infidelitas duret? Quâ ratione, putamus, ſubſiſtit velociter currens ſermo? Quis primus inhibuit hunc ſalutarem curſum?-- Quâ fiduciâ, quâ conſcientiâ Chriſtum non vel offerimus eis, qui non habent? An* (*x*) *veritatem Dei in injuſtitia detinemus? Et quidem quandoq; PERVENIAT Gentium PLENITUDO, NECESSE eſt: Expectamus ut in eas incidat Fides? Cui credere caſû contigit? Quomodo credent ſine prædicante?* Hæc S. *Bernardus*: quibus oſtendit ſe adeò addictum fuiſſe ſententiæ de futura *Gentium* & *Judæorum* plenaria converſione, & tam avidè eam expectâſſe, ut zelo

X 3

(*r*) *Rom. 11. v. 25. 26.* * *Migravit hic ad Dominum an. D. 1153.* (*ſ*) *Cantic. 3. v. 4.* (*s*) *S. Bern. Serm. 79. ſuper Cantic. ſub fin.* (*t*) *Joan. 4. v. 22.* (*u*) *Luc. 13. v. 35.* (*v*) *Conſiderat. ad Eugen. Lib. 3. cap. 1.* † *Al.* Judæis & Gentibus. (*x*) *Rom. 1. v. 18.*

ut zelo ſancto ductus, quantum in ipſo ſtetit, nihil in ea maturanda & acceleranda omiſerit.

XVIII. Porrò, quis ordo futurus ſit in converſione reſiduarum *Gentium* & *Judæorum*, num hi vel illæ priùs convertentur; jam ex iis quæ allegata ſunt, nec non ex vi verborum (*y*) S. Apoſtoli, & ex conſiderata etiam ſtupenda Judæorum cæcitate, & obſtinatiſſima in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum malitiâ, primùm *Gentiles* (inter quos latiori ſensû acceptos, *Muhammedanos* etiam comprehendo,) ſatis notabili numero, ac deinde *Judæos*, ubi undiquaque experti fuerint, ſe in ſtolida ſua expectatione fruſtratos eſſe, vicibus diverſis convertendos fore, animadvertere poſſumus. Sic tamen, ut adhuc manſuri ſint etiam ex ſtupidioribus *Gentibus*, & pertinacioribus Hæreticis aliqui, qui partim eodem cum *Judæis* tempore, partim verò poſt ipſos acceſſuri ſunt ad Dominum & ad *bonum* ejus, ſanctum & ſpirituale ei feſtum celebraturi. Quod perſpicuè ex erudita S. *Cyrilli* expoſitione jam allata, (*z*) colligere poſſumus. Pro uberiori tamen in propoſitam quæſtionem luce, notemus hîc in verbis Apoſtoli de futura *Iſraëlitarum* converſione cum *myſterii* involucro loquentis; quòd ipſe non obſcurè inſinuat, (*a*) *plenitudine gentium* in Eccleſiam *introeunte*, *Iſraëlem totum ſalvum* fore: ſeu, ut clariùs loquar; videtur hoc non obſcurè innuere Apoſtolus, vel potiùs Spiritus Domini in Apoſtolo loquens, quòd ubi jam *plenitudo* ſeu innumerabilis multitudo *gentium introiverit*, hoc ipsô etiam *totus Iſraël ſalvus erit*: quia nimirum ſupponit idem Spiritus Domini qui in Apoſtolo locutus eſt, maximam partem populi *Iſraëlitici* pro illo tempore quô convertendus eſt, fore ita immixtam *Gentibus* aliis, ut non aliter ab iis, quàm per ſingularem quandam converſionem, ut quæ admirandum in Divinis zelum, & raram atq; excellentem ſecum latura ſit ſanctitatem, diſcerni queat. Atq; talis futura eſt converſio illorum *Iſraëlitarum*, qui olim in *Aſſyriam* ſunt abducti, & inde, *Medis*, *Perſis*, *Scythis*, aliisq; horum finitimis immixti, ac etiam quorundam ex *Juda*, *Levi* & *Beniamin*, qui nunquam ex *Babylonica* deportatione in ſuam reverſi ſunt Patriam. (Sed peculiarem de his omnibus, Deo dante, *Tractatum*, † aliàs luci publicæ daturi ſumus; ex quo perſpicuè patebit, nullibi veteres illos *Iſraëlitas* hodie inveniri ſecùs, niſi aliis Nationibus penitùs immixtos. Inprimis dum *Turcæ* & *Tartari* convertentur ad veram Fidem Chriſtianam, tunc perſpicuum erit, quod hîc de memoratis *Iſraëlitis* aſſero.) Annon Spiritus Domini jam & olim hanc *Iſraëlitarum* ſecuturam cum Gentibus aliis commixtionem propheticè inſinuaverit, dum per os Jacob Patriarchæ prædixit, quòd (*b*) *ſemen* Ephraim foret *plenitudo Gentium*, [ut habetur

(*y*) *Rom. 11. v. 25. 26.* (*z*) *Supr. §. 14. h. cap. p. 164.* (*a*) *Loc. cit. Rom. 11.* † *Scil.* Reſtitutionem Iſraëlis *juxta Hoſ. 3. v. 4. 5,* (*b*) *Gen. 48. v. 19. v. col. ult.*

betur in Hebræo textu, מלא הגוים. & in Græco, eodem ſenſû, *πλῆθος ἐθνῶν*, ac ſi eſſet, *πλήρωμα τῶν ἐθνῶν*, ut habet Apoſtolus, collatâ Græc. verſione Pſal. 23. (al. 24.) ℣. 1.] meritò diſquiri poteſt. Phraſium certè apud Moſen & Apoſtolum tam exacta ſimilitudo, non eſt penitùs otioſa & vana.

XIX. Dum memorati *Iſraëlitæ* ac ſucceſſivè alii quoq; fratres eorum, ſingulari cum fervore & amore ad Chriſtum Dominum convertentur, tunc implebitur illud Apoſtoli: (*c*) *Si amiſſio eorum* (nempe Judæorum ſeu Iſraëlitarum) *reconciliatio eſt Mundi*, *quæ* erit *aſſumptio*, *niſi VITA EX* „*MORTVIS*? (Scil. *Mundi vita ex mortuis.*) Quaſi diceret: Olim quidem Mundus Gentium reconciliatus eſt Deo per Chriſtum, & hanc re„conciliationem actû percepit, dum per converſionem ad Chriſtum, in „locum & dignitatem Judæorum ſucceſſit; at verò ultimis temporibus, „dum abjecti nunc *Iſraëlitæ* in dignitatem fidelium ac filiorum aſſumentur, „tam excellens futura eſt converſio Gentium Mundi, ut (habitâ præſertim „ratione ſummæ iniquitatis hominum extremi temporis à Chriſto (*d*)Do„mino & ejus Apoſtolis (*e*) prædictæ,) potiùs *vita ex mortuis*, ſeu reſurre„ctio ex dira horrendorum & ad cœlos uſq; accumulatorum morte pec„catorum ea dicenda ſit, quàm nuda converſio. Nam ad exemplum populi tunc *Iſraëlitici*, electi aliarum Nationum, non ſolùm qui confeſſione nominis Chriſti ſequentur Populum *Iſraëliticum*, ſed & qui jam illum in ea præceſſerunt, prioresq; nomen Chriſtianorum aſſumſerunt, ita ſe recolligent ex omnibus ſuis peccatis atqqe erratis, ut ſuâ converſione penitùs renuncient omnibus ſuis lapſibus & prævaricationibus, ſintq; Dei populus ſanctiſſimus, longè ſanctior quàm ante illud tempus Chriſtiani ex Gentibus fuerunt. In hunc pariter ſenſum accipienda ſunt etiam illa memorati Apoſtoli verba: (*f*) *Si delictum illorum* (nempe Judæorum) *divitiæ ſunt Mundi*, *& diminutio eorum divitiæ Gentium*, *quantò magis plenitudo eorum?* Ex his jam patet, quis ordo prioritatis & poſterioritatis temporum in futura *Gentium* & *Judæorum* converſione conſiderari poſſit. Succedat ergo *Regula* hujus Claſſis *Decima*.

REGULA X.

XX. „*Sunt ea loca de futuris in Scriptura S. quæ, niſi quis admittat* „*dehinc ſanctiorem in terris Deo Populum fore, & homines in Eccleſia melio*„*res futuros, quàm nunc ſunt, nunquam rectè intelliget & exponet.* Iſta nempe *ſanctitas*, quæ juxta hanc *Regulam* futura indicatur, tantæ *corruptioni* morum ac vitæ, quanta nunc in Chriſtianis paſſim regnat, directè opponetur.

XXI. Ne-

(*c*) *Rom.* 11. *v.* 15. (*d*) *Matt.* 24, *v.* 12, (*e*) 2. *Tim.* 3. *v*, 1. 2, 3. 4. 5, *&* 2. *Pet.* 3, *v*, 3, 4. *& Juda v*, 18. (*f*) *Rom.* 11. *v*, 12.

XXI. Nemo mihi hîc opponat, (ut ante confirmationem *Regulæ* illud diluam,) Apoſtolum prædixiſſe, homines (*g*) *ultimis temporibus* fore peſſimos, & ipſum Dominum Salvatorem luculenter malitiam hominum ultimi temporis (*h*) accumulandam (quod & pauld antè (*i*) inſinuavimus) prænuntiâſſe; imò alibi etiam de defectu *fidei* in hominibus illius temporis, non obſcurè locutum fuiſſe: (*k*) *Filius hominis* (inquit) *veniens, putas inveniet fidem in terra?* Nam cum tempus *ultimum* ſeu *noviſſimum* (*l*) latiſſimi ſit ſensûs, & multas in ſe res, vel ſimul, vel ſucceſſivè gerendas comprehendat; priori loco Apoſtolus loquitur de illa parte *ultimi* temporis, in qua exorituræ in Eccleſia ampliori & jucundiori luci, ac jam jam illuceſcenti ejus diei lætiori ſtatuiq; feliciori, plurimi perverſi homines, partim ſuis moribus pravis & exemplo, partim deteſtandâ doctrinâ ſe ſe primùm ac protinùs oppoſituri eſſent. At benè ibidem ſubjicit Apoſtolus in conſolationem Eccleſiæ: (*m*) *Sed* (inquit) *ultra non proficient; inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus.* Secundus locus eodem modo eſt reſolvendus. Tertium autem quod attinet locum; (Luc. 18. ℣. 8.) in eo ut nobiliſſimo, & explicatione hîc digniſſimo, aliquantiſper nobis immorandum erit.

XXII. Ante omnia ſciendum hîc eſt, Chriſtum in allegato S. *Lucæ* loco, non ſimpliciter negare ſe *fidem* inventurum in terris in adventu ſuo; ſed quæſtione illâ propoſitâ, (*Putas inveniet*, ſeu, *Num inveniet*,) difficultatem ejus inveniendæ (ac per conſequens raritatem) pro illo tempore inſinuare. Sic etiam apud Ezechielem cap. 37. ℣. 3. dicitur: *Fili hominis! putaſne vivent oſſa iſta?* Quia humanitùs non erat poſſibile & credibile tam arida *oſſa* mox *carne*, *nervis* & *cute* veſtienda, Spirituq; vivificanda fore: ita tamen futurum eſſe verbô Dei prædicebatur; quod & vidit viſione quâdam propheticâ Ezechiel ita factum eſſe. Eodem modo, *Fidem* quoq; in adventu Filii hominis, habitâ ratione immenſi horrendæ iniquitatis hominum diluvii, & charitatis refrigeſcentiæ temporis illius, inveniri non videtur poſſibile & credibile; invenietur tamen aliqua; ut in ſequentibus patebit. Deinde notandum eſt; *Fidem* (præter ſignificationem *fidei* miraculorum, quæ exſtat 1. Cor. 13. ℣. 2. & de qua hîc loqui non eſt neceſſe,) trifariam accipi in Scripturis ſacris. (1.) In genere pro ſimplici *aſſenſu* doctrinæ cœleſtis, ſeu veritatis in verbo Dei revelatæ; quâ quis credit & aſſentitur verum eſſe, quod in verbo & per verbum Dei eſt revelatum. Ut, Rom. 1. ℣. 8. *Fides veſtra annunciatur in univerſo Mundo.* (Ubi tamen quoad electos, aſſenſus *fidei* non nudus, non otioſus, ſed per charitatem operans intelligitur.) Hoc ſenſû dicuntur luxurioſi & luxurioſæ inter Chriſtianos *primam fidem irritam facere*, (1. Tim. 5. ℣. 12.) & *profanas vocum*

(*g*) *2. Tim. 3. v. 1. 2. & ſequ.* (*h*) *Matt. 24. v. 12.* (*i*) *§. 19. h. cap.* (*k*) *Luc. 18. v. 8.* (*l*) *Vid. ſupr. Cap. 2. (hujus Claſs.) Reg. 5. §. 6. p. 81.* (*m*) *2. Tim. 3. v. 9.*

vocum novitatibus & *falſi nominis ſcientiâ* glorianbundi *circa fidem excidere*: 2.Tim.6.℣.20.21. Eodem ſenſû intelligendum eſt illud quoque: (*n*) *Quid proderit, ſi Fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* (2.) Accipitur *fides* pro *fidelitate*, veracitate, ſinceritate, ac per conſequens pro vero veri amore; ut v.gr. in illo Iſaiæ textu: (*o*) *Fides cinctorium renum ejus.* Hoc ſenſû dicitur etiam apud Jeremiam: (*p*) *Periit fides, & ablata eſt de ore eorum.* Eodem ſenſû requirunt etiam Superiores in ſuis ſubditis erga ſe *fidem*; juxta 1. Mach. 10.℣.27. & 2. Mach.9.℣.26. Hoc ſenſû etiam Vulgata verſio verba *Juda* de *Beniamine* coram Joſepho facta, ſic expreſſit: (*q*) *In meam hunc recepi fidem, & ſpopondi dicens: niſi reduxero eum*, &c. Huc ſpectant loca, Matt. 23. ℣.23. 2. Cor. 8. ℣.7.2. Tim.2. ℣.22. (3.) Accipitur pro *fiducia* fidei ſpeciali, & amplexû promiſſionum Divinarum, quô quis Deo tanquam infallibili veritati de ſuis promiſſis certò implendis innititur, in eumque ut Patrem ſummè miſericordem, & Deum omnis (*r*) *conſolationis* humillimè recumbit, ac in eo acquieſcit, ut ſuo Liberatore, Salvatore, Protectore & omnis boni fonte inexhauſto. Sic accipitur *Fides* Rom.4. ℣.9. *Reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam.* Ita etiam Hab. 2. ℣.4. *Juſtus in fide* (vel *ex fide*) *ſua vivet*: collat. Rom. 1. ℣. 17. Heb. 10. ℣.38. Semper autem *fides* hoc ſenſû, conjunctum ſibi habet (ut ſuum principium) aſſenſum generalem ſupra in primo puncto deſcriptum. Atque hoc ſenſû dicitur (*ſ*) *fides per charitatem operari*, eſtque non minùs diſtincta à *fide mortua*, quàm corpus vivum à corpore vitæ experte. Huc refer etiam locum illum, Heb. 11. ℣. 1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* &c. Jam autem, quô ſenſû non invenietur *Fides*, vel invenietur aliqua in adventu Domini, in ſequentibus dicemus: quod ut feliciùs & enucleatiùs fiat, veterum aliquot SS. Patrum de allegato S. *Lucæ* loco ſententias in medium hîc proferemus; quibus præmiſſis, non erit difficile ſcopum Domini Salvatoris de *Fide* ultimi temporis diſtinctè & clarè percipere & verbis exprimere.

XXIII. Sic autem S. *Cyprianus* Doctor & † Martyr, de loco illo S. *Lucæ* lucem nobis ſuppeditat: (*t*) *In nobis ſic unanimitas diminuta eſt, ut & largitas operationis infracta eſt.* (Comparatè ſcilicet ad Apoſtolici ævi Chriſtianos.).. *Sic in nobis emarcuit vigor fidei, ſic credentium robur elanguit; & idcircò Dominus tempora noſtra reſpiciens, in Evangelio ſuo di,,cit:* (*t*) Filius hominis cum venerit, putas inveniet Fidem in terra? *Videmus*

Y

(*n*) *Jac.* 2. *v.*14. *Confer ibid. v.*17.18. 19. 20. 22. (*o*) *Iſa.* 11. *v.*5. *Confer ibidem lucis causâ Græcum textum; ubi pro* fide *habetur* ἀληθεία. *h. e.* Veritas: *quò videtur reſpexiſſe Apoſtolus, Eph.* 6. *v.* 14. (*p*) *Jer.* 7. *v.* 28. *Confer ibid. cap.* 5. *v.* 1. & 3. (*q*) *Gen.* 44. *v.* 32. (*r*) 2. *Cor.* 1. *v.* 3. (*ſ*) *Gal.* 5. *v.* 6. † *Subiit martyrium, an. D.* 258. (*t*) *De* Unitat. *Eccl. n.* 11. (*t*) *Luc.* 18. *v.* 8.

demus fieri, quod ille prædixit. In Dei timore, in lege juſtitiæ, in dilectione, in opere, Fides nulla eſt: Nemo futurorum metum cogitat; diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta, nemo conſiderat. Quod metueret conſcientia noſtra, ſi crederet; quia non credit omninò, nec metuit: ſi autem crederet, & caveret: ſi caveret, evaderet. Et S. *Auguſtinus* ſic de eodem loco mentem ſuam proponit: „(u) *Ipſorum* (electorum ultimi temporis) *vox eſt:* (v) *Salvum me fac Do-„mine; quoniam defecit Sanctus; quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis „hominum: de quibus & Dominus dicit inter abundantiam iniquitatis:* (x) „*Qui perſeveraverit usq; in finem, hîc ſalvus erit.-- Propter hanc enim abundantiam iniquitatis, quam Dominus futuram eſſe* (y) *prædixit, etiam „illud poſitum eſt:* (z) Cum venerit Filius hominis, putas, inveniet Fidem „in terra? *Dubitatio enim cuncta ſcientis, NOSTRAM IN ILLO DUBITATIONEM præfiguravit, quando Eccleſia ex multis, de quibus multum ſperavit, ſæpè decepta, quòd aliter quàm credebatur inventi ſunt, ſic perturbatur in ſuis, ut de nullo facilè boni aliquid velit credere. Ipſos tamen, QUORUM INVENTURUS EST FIDEM, per totum agrum cum zizaniis creſcere, dubitare fas non eſt.* Et alibi idem S. Doctor, uberius adhuc lumen nobis de eodem loco ſuppeditat in cujuſdam versûs Pſalmi explicatione, ſic docens: (a) *Sed quod ſequitur, ſi verè hoc ſignificat, plus doloris habet, quia jam incipit ſentiri, quàm lætitiæ, quia intelligitur. Se-„quitur enim:* Et propter hanc in altum regredere. *Id eſt: Et propter hanc Congregationem generis humani, quâ Eccleſiæ refertæ ſunt, in altum regredere, id eſt, rursùs deſine intelligi. Quid eſt ergo,* Et propter hanc? „*niſi quia & iſta te offenſura eſt, ita ut, veriſſimè prænuncies dicens:* (b) Putas, „cum venerit Filius hominis, inveniet Fidem ſuper terram?-- *Cum ergò & in Eccleſiis, hoc eſt, in illa Congregatione populorum atq; gentium, ubi nomen Chriſtianum latiſſimè pervagatum eſt, tanta erit abundantia peccatorum, quæ jam ex magna parte ſentitur; nonne illa hîc prædicitur, quæ per alium quoq; Prophetam denunciata eſt* (c) fames verbi? *Nonne & propter hanc Congregationem, peccatis ſuis lumen veritatis à ſe abalienantem, Deus in altum regreditur, id eſt, ut aut nullis, aut perpaucis, (de quibus dictum „eſt:* (d) Beatus qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit,) *teneatur & percipiatur SINCERA FIDES, & ab omnium pravarum opinionum labe purgata?* Et aliquantò poſt, in eundem ſenſum dicit, Dominum *in altum regredi, cum peccatores Chriſtianos deſeret intelligentia veritatis.*

Ac ſubjicit

(u) *Epiſt. 48. ad Vicent. Donat. Ejus hæc verba (ex hac Epiſt.) pleniùs in Exam. Reform. pag. 559. & 560. citavimus.* (v) *Pſal. 11. (al. 12.) v. 2.* (x *Matt. 24. v. 13.* (y) *Ibid. v. 12.* (z) *Cit. Luc. 18. v. 8.* (a) *Enarr. in Pſal 7. v. 8.* (b) *Loc. ſæpè cit.* (c) *Amos 8. v. 11.* (d) *Ex Dan. 12. v. 12. juxt. LXX. collat. Matt. 10. v. 22. & cap. 24. v. 13. ibid.*

Ac ſubjicit illicò: *Quia* (inquit) *de ipſo adventu dictum eſt: Putas, veniens „Filius hominis, inveniet Fidem in terra?*

XXIV. Sanctus verò *Hieronymus* quid de eodem loco ſenſerit, ex ſequentibus ejus verbis contra *Luciferianos* prolatis, intelligere poſſumus: (*e*) *Si Eccleſiam per totum Orbem diffuſam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardinia tantùm habet, nimiùm pauper factus eſt.-- Quòd ſi de illa, quæ in „Evangelio ſcripta eſt, ſibi ſententia blandiuntur:* (*f*) Putas ne, cum ve„nerit Filius hominis, inveniet Fidem ſuper terram? *ſciant illam Fidem nominari, de qua ipſe Dominus ajebat:* (*g*) Fides tua te ſalvam fecit. *Et „alibi de Centurione*: (*b*) Non inveni tantam fidem in Iſraël. *Et rursùs ad „Apoſtolos*: (*i*) Quid timidi eſtis modicæ fidei?-- *Neque enim Centurio, aut muliercula illa, quæ per duodecim annos fluxū ſangvinis tabeſcebat, in Trinitatis Sacramenta crediderant, quæ poſt reſurrectionem Chriſti Apoſtolis manifeſtata ſunt, ut meritò fides horum, quæ in myſterio eſt, laudaretur; ſed ſimplicitas mentis, & devota Deo ſuo anima approbata eſt: dicebat enim „in corde ſuo:* (*k*) Si tetigero veſtimentum ejus tantùm, ſalva fiam. *Hæc eſt fides, quàm raro inveniri Dominus pronunciavit. Hæc eſt fides, quæ etiam apud eos, qui benè credunt, DIFFICILE PERFECTE invenitur.* Et paulò pòſt: *Sæpè venit inimicus homo, & inter Dominicam meſſem zizania interſerit.* Et mox: *Indubitata ad Deum fides arduè reperitur.* Item: *Difficile eſt Deo tantùm Judice eſſe contentum.* Hæc ille. Venerabilis *Beda* ex allegato toties loco, colligit magnam (*l*) *electorum* in apparitione Domini fore in his terris *raritatem*, atque eos quoque *torpore* quodam ſpirituali obruendos. *Lyranus* autem ſic verba Domini exponit: (*m*) *Quaſi diceret*, (Dominus:) *parùm inveniet, reſpectivè loquendo de fide formata charitate.* Et *Gloſſa* interlinearis: (*n*) *De perfecta fide dicit.* Eſt autem hîc *fides perfecta* eadem, quæ S. Auguſtino *ſincera & ab omnium pravarum opinionum labe purgata* dicitur, & quâ Deo quiſpiam toto corde in omnibus ſuis tribulationibus conſtanter adhæret.

XXV. Ex his jam præmiſſis, ſic ad propoſitum reſpondemūs. (1.) *Fides* juxta primum diſtinctionis punctum, in genere pro *aſſenſu* doctrinæ cœleſtis accepta, bifariam exponi poteſt. Nam vel intelligitur in ea acceptione aſſenſus *ſincerus* & integer juxta S. *Auguſtinum*, (*o*) quô quis in omnibus Religionis ſuæ punctis rectè & ſincerè credit; vel in genere aliqualis tantùm, quô interim homo doctrinæ Chriſtianæ ſummam & quaſi medullam pro captu ſuo utcunq; tenet, etiamſi ejus aſſenſus ab omni labe opinionum non ſit purus. Priori ſensû, *fides* pro *ſincero* aſſensû accepta, teſte

(*e*) *S. Hieron. adverſ. Luciferian. cap. 6. Tom. Epiſt. pag. 200. edit. Anto. An. 1578.* (*f*) *Luc. 18. v. 8.* (*g*) *Matt. 9. v. 22.* (*b*) *Matt 8. v. 10. & Luc. 7. v. 9.* (*i*) *Matt. 8. v. 26.* (*k*) *Matt. 9. v. 21.* (*l*) *In Luc. 18. v. 8.* (*m*) *Gloſſ. in Luc. 18. v. 8.* (*n*) *Ibid.* (*o*) *S. 23. b. cap.*

teſte S. *Auguſtino*, adeò rara in adventu Domini erit, ut aut *nullius*, *aut* certè *perpaucorum* ea futura ſit, atq; etiam *perpauci* illi, vix aut difficulter mutuò ſe invicem pro ſincerè credentibus ſint agnituri, & ab aliis ſecùs ſe habentibus diſcreturi. Hoc enim eſt, quod ait S. *Auguſtinus* de illo tempore: (p) *Sic* Eccleſia *perturbatur in ſuis, ut de nullo facilè boni aliquid velit credere.* Nam Eccleſia tunc *in ſuis perturbatur*, cum ipſi fideles ac electi, ob graſſantem ubiq; iniquitatem, & refrigeſcentem charitatem, in ſe ipſis ita perturbantur, ut ſe ſe mutuò vix aut valdè difficulter agnoſcant, ſed è contra cohæredes ſuos, non rarò pro hoſtibus ſuis deteſtandis ac fugiendis habeant. Poſteriori autem ſensû, *fides* pro qualicunque *aſſensû* veritatis in genere accepta, tam exuberans & copioſa erit in adventu Domini, quàm futura eſt magna hominum multitudo Chriſti nomen ejuſque doctrinam, inprimis in Symbolo Apoſtolico ſummariè comprehenſam externè tunc profitentium. Nec eſt mens Domini Salvatoris pro tali aſſenſu accipere *Fidem* in allegato loco, cum & Diaboli (q) *credant* & aſſentiantur veritati cœleſti qualicunque aſſensû. (Scopus autem Domini quis in eo ſit, infra declarabitur.) Neq; etiam permittit infallibilitas verbi Divini, talem aſſenſum nudum, generalem & qualemcunque non fore abundantem in adventu Domini; cum appropinquante illo adventu fineque Mundi hujus, *augeri* debeat *ſcientia* juxta prophetiam (r) Danielis, & quidem præprimis *ſcientia ſuperna*, (hoc eſt, ſupernæ veritatis & ex ſuperno Spiritûs S. lumine hauſta,) ut rectè explicat S. *Gregorius* (ſ) Magnus.

XXVI. (2.) *Fides* pro *fidelitate*, ſinceritate ac veracitate, verique ſincero amore ſumpta, rara ſanè, imò rariſſima futura eſt in adventu Domini, ita ut, vix ſibi invicem noſcibiles futuri ſint etiam pauci illi, qui habebunt talem fidem, h. e. fidelitatem, ſinceritatem, verique amorem: quod patet ex prædictionibus ſupra de hominum ultimi temporis iniquitate allegatis. Futuri enim ſunt (s) *homines* tunc (maxima ſaltem ex parte) *ſeipſos amantes*, *cupidi*, *elati*, *ſuperbi*, *blaſphemi*, *parentibus* ac Superioribus ſuis *non obedientes*, *ingrati*, *ſceleſti*: *ſine affectione*, *ſine pace*, -- *proditores*, *protervi*, *tumidi*, *& voluptatum amatores magis quam Dei*; *habentes ſpeciem quidem pietatis*, *virtutem autem ejus abnegantes.* Quis à talibus expectet *fidelitatem*, ſinceritatem & veritatem? Quis in tanta hominum malitia ſciat tunc cui (t) *credere* ſe debeat, etiamſi *amicus* ſibi eſſe videatur? Et annon jam hæc noſtris etiam temporibus ad plenam menſuram impleantur; fideles quique inter horrendas ſeculi iniquitates ſuſpirantes, Deumque vindicem ſuorum expectantes, examinent apùd ſe & dijudicent.

Certè

(p) *Sup. §. cit. p. 170.* (q) *Jac. 2. v. 19.* (r) *Dan. 12. v. 4.* (ſ) *Expoſ. Moral. in Job. Lib. 9. cap. 8. (al. c. 6.) in c. 9. Job.* (s) *2. Tim. 3. v. 1. 2. 3. 4. & 5.* (t) *Mich. 7. v. 5.*

Certè ſi jam tempore S. *Cypriani* (h e. an. D. 250.) dici poterat, (*u*) *Videmus impleri quod* Dominus *prædixit: in Dei timore, in lege juſtitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla eſt; nemo futurorum metum cogitat*, &c. (ob raritatem verè Deum timentium,) quantò magis hoc jam tempore, in tanta iniquitatum exundantia, id dicere poſſumus?

XXVII. (3) Hæc quidem omnia *duobus* in punctis à nobis aſſerta, quoad latiorem Domini noſtri ſcopum includuntur in ejuſdem verbis toties memoratis; at potiſſimùm *tertiâ* hîc ſignificatione accipitur *Fides* ex proximo & principaliori ſcopo ejuſdem noſtri Salvatoris, quà nempe *fiduciam fidei ſpecialem* & amplexum promiſſionum Divinarum (juxta deſcriptionem ſuprà poſitam) ſignificat. Protulerat enim Dominus ante memoratum illud de *Fide* dictum, (citato cap. Luc. 18.) *parabolam* de *Vidua*, urgentiſſimis ſuis precibus etiam impium *Judicem* vincente, cujus parabolæ ſcopum Evangeliſta ſtatim in principio capitis conſignavit, hunc nempe, quòd (*v*) *oporteat* nos *ſemper orare, & non deficere*; hinc Dominus Salvator poſt allatam dictæ *viduæ* uſque ad obtentum reſponſum perſeveranter ſupplicantis hiſtoriam parabolicam, illicò ſubjungit: (*x*) *Audite quid Judex iniquitatis dicat*? (Dixerat autem: *Quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam*:) *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte? Dico vobis, quia* † *citò faciet vindictam illorum.* His ſtatim ad redarguendos ſuos immediatè ſubnectit verba toties memorata: *Veruntamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in „terra*? Quaſi diceret: Deus quidem electorum nocte dieque clamanti„um ad ſe faciet citò vindictam, dum tempus vindictæ aderit; ſed heu! „quàm tepidi, quàm laſſi ſuis in clamoribus, & quam parvæ fidei futuri „ſunt tunc electi de ſecutura *citò* ſuî vindicatione, quando ipſe *Judex* vi„vorum & mortuorum, pro ſuis in glorioſam æternamque libertatem vin„dicandis, & impiis puniendis apparebit! Scilicet, tunc ſubitò hoc fiet, quando ipſi quoq; electi utcunq; clamantes, de futura brevî ſuî liberatione, humanitùs ſpem ſuam abjicient, nec credent tam celeriter eam futuram eſſe, uti verè futura eſt; quin potiùs ad horrenda ſub variis malorum generibus & oneribus erumpent murmura & querelas impatientiſſimas, ac nonnulli eorum conſortio & exemplo malorum improvidè abrepti, plus de (*y*) humanis & evanidis, quàm de Divinis & infallibilibus ſolliciti erunt ſolatiis, ſubſidiis & modis ſuæ liberationis. Atque hinc eſt, quòd de hac *Fide* (tertio ſensû accepta) dixit S. *Hieronymus* in ſuperioribus: *Hæc eſt*

(*u*) *Vide ſupra p.170. §. 23. h. e. hæc verba, ex Tractat. S.Cypr. de* Unitat. *Eccl.* (*v*) *Luc.18. v. 1.* (*x*) *Ibid. v. 6.* † *Confer cum hac phraſi, Iſa. 60. v. 22. col. ult.* Ego Dominus in tempore ejus, SUBITO faciam iſtud. (*y*) *Vide lucis causâ, Iſa. 30. v. 15, 16. collat. ibid. v. 27. 28. 29. 30.*

fides, quam raro inveniri Dominus pronuntiavit: Hæc eſt fides, quæ etiam apud eos qui benè credunt, difficilè perfectè invenitur. Sic jam bono cum Deo, (quantum ejus gratia favit,) explicatum dedimus, quô ſenſû *Fides* in memorato toties loco accipiatur.

XXVIII. Verùm quoad principalem objectionis ex loco illo petitæ ſcopum, nondum videtur difficultas eſſe ſublata, ſi recolamus, quid *Regula* illa tradat, contra quam dicta objectio fuit poſita. *Populum* enim *in terris ſanctiorem dehinc, & homines meliores in Eccleſia futuros, quàm nunc ſunt,* Regula illa pollicetur. Atqui juxta explicationem dicti loci hactenùs traditam, videtur contrarium potiùs formidandum eſſe. Ut ergò omnis hîc difficultas tollatur, pleniorem adhuc celebratiſſimi illius loci explanationem in hæc ulteriora reſervatam pandere debemus. Videlicet, quemadmodum *Fidei* ſignificatum in verbis Domini intelleximus, ſic etiam vocabulum *adventûs* ejus nôſſe debemus, quo ſenſû in iiſdem accipiatur. *Adventus* itaq; Domini futurus, longè latiùs in Scriptura S. accipitur, quàm vulgò humana eum concipit imbecillitas; ut infra (z) pleniùs id docebitur; ita ut, præter perſonalem ejus ſupra capita noſtra glorioſam præſentiam, comprehendatur ſub eo etiam adventus ejuſdem in effectis quibuſdam admirandis & excellentiſſimis, in Eccleſiæ ſuæ exaltationem & hoſtium totalem depreſſionem; atque inter illa erit jucundus ille adventus ejus in electis ſuis, quô ita eos totos ſibi gratioſiſſimâ & potentiſſimâ ſuâ in *anima* & *corpore* eorum præſentiâ occupabit & implebit, ut (a) toti ſancti & *integri*, abſque omni vel minima (b) *macula* aut *ruga*, inveniantur in ipſa perſonali Domini noſtri præſentia, ut quæ ſequetur præſentiam ejus in ſuis electis nunc deſcriptam. Hæc autem omnia infra (c) ſuo loco fient clariora. Nunc hoc unicum tantùm ex S. *Hieronymo* pro lumine & robore noſtræ aſſertionis inculco: quòd is diſertè docet, (d) quòd *in Mundi conſummatione, & in SECUNDO SALVATORIS ADVENTU, faciet* hoc *pleniùs* Dominus Deus, *ut fiat unus Grex & unus Paſtor*, idque adeò præter & ſupra ſpem, *ut quando omnia fuerint deſperata, tunc* fideles *in gentem fortiſſimam congregentur*; ut hæc jam ſupra (e) fuſiùs ex ipſo audivimus, atq; etiam infra (f) ſimilem ex eodem loquendi modum audiemus. Videmus in his, S. *Hieronymum*, pleniorem fidelium in unitatem fidei ac unum ovile congregationem (quæ fit ac fieri debet (g) per verbi prædicationem) ad ipſum planè *ſecundum* Domini *adventum* referre; quod eâ ratione veriſſimum eſt, quia *adventum* Domini ſenſû latiori accipit, ſicut &

(z) *Regul. 32. huj. 2dæ Claſs. Cap. 10. §. 4.5. & ſequ.* (a) *1. Theſſ. 5. v. 23.* (b) *Eph. 5. v. 27.* (c) *Sub Reg. 33 h. Claſs. cap. 10. §. 22. 30. 32. 33. 35. & ſequ.* (d) *Comm. in Iſa. 60. ſub finem.* (e) *§. 12. hoc cap. p. 162.* (f) *31. h. cap. & ſub Reg. 33. (h. Claſs.) c. 10. §. 45. & 46.* (g) *Joan. 10. v. 16.* Vocem meam audient.

ut & nos hîc accipimus. Vel ſaltem illuſtrem Mundi hujus Regum *adventum* in aliquam Urbem longiuſculè à Regia Urbe diſſitam, latiùs poſſumus & debemus accipere, quàm eſſet ipſum punctum perſonalis Regis introitûs in Urbem: (ut hoc exemplum pleniùs infra (*b*) ad ſcopum applicabitur:) quantò magis admirabilis ille & cum tremore omnium ſtupendus Domini *adventus*, in quem tot & tam ardua peragenda dilata & reſervata ſunt, latiùs accipi debet, quàm vulgò concipitur? Atque ſic (ut jam de ultimi quoque temporis partibus † monuimus) diſtingvenda ſunt in *adventu* Domini, ejus adventûs initium, item, progreſſus & complementum.

XXIX. His ita habitis, dicendum eſt, quòd in allegatis Domini verbis, ejus *adventum*, non pro ejuſdem adventûs progreſſu, vel complemento & coronide, ſed pro ejus tantùm initio debemus accipere: quod ipſum quoque participium præſens in textu, ἐλθών, h. e. *veniens*, ſvadere videtur. Videlicet, in initiis quidem *adventûs* ejus, dum electos ſuos incipiet potentiſſimâ ſuâ præſentiâ implere, eoſque in aptiſſima & gratiſſima hoſpitia ſibi totos ſanctificare, difficulter & rariſſimis in ſubjectis inveniet *fidem* illam excellentem, quam ſupra deſcripſimus; at deinceps non ſolùm in complemento ſeu poſtrema parte, ſed in ipſo quoque progreſſu ejus medio, abundantiſſimè inventurus eſt; ut in ſequentibus paulò pòſt patebit. *Oſſa* etiam Ezechiëlis *arida* (*i*) & disjecta, primùm quidem nullam ex ſe monſtrabant ſpem, quòd (præſertim citò & brevî) vitam habitura eſſent; at mox ad vaticinium & imperium Divinæ vocis (*k*) per ipſum Prophetam promulgatum, abſque longa mora, *oſſa ad oſſa acceſſerunt, Spirituq́ʒ* ſumptô *vixerunt, ſteteruntq́ʒ in pedes ſuos exercitus nimis valde magnus.* Ita erit & in adventu Domini. Jam audivimus (*l*) ex Sancto quoque Gregorio, (*m*) *ultimi temporis* ſtatum geminum ab eodem deſcribi; *triſtiorem* nempe in prima ejus parte, & *lætiorem* in poſteriori. In illa, *Eccleſiam quaſi ſenio quodam debilitandam, &* à carnalibus *deprimendam* prædicit; at in hac, (ſcilicet, *circa ipſum finem temporum,*) *grandi prædicationis virtute roborandam* docet. Ita & adventûs Domini pars initialis ab ejuſdem partibus pòſt ſecuturis rectè diſtingvenda eſt, juxta ſuperiùs tradita. Hucuſque nos celeberrimus ille S. *Lucæ* locus pondere ſui ſenſûs detinuit.

XXX. Jam ad adſtruendam *Regulæ* noſtræ veritatem accedamus Ea autem patet; *primùm* ex hoc argumento: Quia aliquando adhuc Eccleſiæ pomœria (ut jam (*n*) oſtendimus) latiùs extendentur, cum ea nimirum ubertate

(b) H. Claſſ. cap. 10. §. 14. collat. 21. ibid. † Supr. h. Claſſ. c. 2. §. 6. p. 81. & h. c. §. 21. p. 168. (i) Ezech. 37. v. 2. & 3. (k) Ibid. v. 4. 7. 9. 10. (l) Supr. h. c. §. 16. ſub Reg. 9. p. 164. (m) Moral. in Job. Lib. 19. cap. 9. in cap. 29. Job. v. 4. Confer lucis causâ eundem ibid. ad v. 1. (n) In Reg. 9. hujus 2. Claſſ. pag 158. & ſequ.

ubertate & efficacia lucis Evangelii, ut *Gentes* quoque & *Judæi* convertantur. Atqui hactenùs exempla veterum ita nos docuerunt, ut dum per prædicationem Evangelii pacis, (o) *lux* aliqua *magna* & nova *orta* eſt *ſedentibus in tenebris*, cum ſenſibili pomœriorum Eccleſiæ in varias Nationes extenſione, tunc (non obſtante operatione Satanæ in multis perverſis ingeniis,) ſanctitas quoq; vitæ fidelium creverit in Eccleſia Catholica. Percurre tempus Apoſtolicum, & tempora proxima poſt Apoſtolos, verum eſſe quod dico, comperies. Quantò magis de ultimo tempore (in quod ampliſſimas adhuc promiſſiones implendas Deus reſervavit,) certò præſumendum eſt, non fore tunc quoq; verbum Dei in Orbe terrarum tam infructuoſum, ut per id mores vere credentium eximiâ aliquâ ſanctitate non reformarentur? Atque huc facit illud (ſub nomine S. *Ambroſii*) Hilarii Diaconi Romani (an. D. 380,) dictum: (p) *Apertum eſt, quia MAGIS DIVES ERIT Mundus hominibus BONIS, ſi & ii qui excæcati ſunt* (nempe Judæi) *convertantur*. Ejuſdem ponderis argumentum peti poteſt etiam ex *Regula* illa, (n. 8va,) (q) in qua docuimus ſecuturam dehinc Populi Chriſtiani *reformationem* ſeu reſtaurationem in melius. Atqui vera *Reformatio* vel maximè in vitæ ac morum reformatione & ſanctificatione conſiſtit. Idem colliges etiam ex *Regula* Septima Secundæ hujus Claſſis, ubi de *duobus Teſtibus* venturis eſt actum.

XXXI. Sed *ſecundò*; habemus etiam clariſſima in hanc rem in Scripturis ſacris teſtimonia. Sic v. gr. S. *Paulus* Apoſtolus, Rom. 11. ℣. 26. poſtquam ex *Iſaia* cap. 59. ℣. 20. collato cum Pſal. 14. & 53. (juxta Hebr.) ℣. ult. dixiſſet, *Veniet ex Sion qui eripiat*, (ſeu *Liberator*,) mox poſterius membrum memorati versûs Iſaiæ, LXX. Interpretes ſecutus, his verbis profert: ϗ ἀποςρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. *Et AVERTET IMPIETATEM* (vel *impietates*) *à Jacob*. His verbis docemur, non eſſe putandum populum Hebræum ita tantùm converſum iri ultimis temporibus, ut doctrinam quidem Salvatoris ſit agniturus & confeſſurus, at in vita & moribus minimè foret ſanctificandus: hoc enim eſſet ipſum mentiri tantùm Chriſto, nec eſſet id, *impietates avertere à Jacob*; quod valde emphaticum eſt. Si ergo ex Judæis tunc àd Chriſtum convertendi, etiam in vita ac moribus ſanctificabuntur à Deo; certè neque de aliis electis illius temporis, diſſimile poſſumus habere judicium, non obſtante, quòd gradus ſanctitatis in electis *Iſraëlis* (r) major tunc futurus ſit, quàm in electis aliarum Nationum. Item, Iſa. 60. ℣. 21. ultimi temporis Eccleſiæ, claris verbis promittitur, quòd *omnis populus* ejus erunt *juſti*. Ut nempe ne regnet iniquitas ita in populo Chriſti, ſicut præcedentibus regnabat temporibus,

ſed ut

(o) *Matt. 4. v. 16. collat. Iſa. 9. v. 2.* (p) *Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 11. v. 12.* (q) *Hoc cap. 5, §. 1. & ſequ. p. 150. & ſequ.* (r) *Rom. 11, v. 15.*

ſed ut membra ejus, pietati, charitati & juſtitiæ exercendæ dent operam; quod etiam ex ℣. 17. ejuſdem capitis colligi poteſt. Atque hinc etiam S. *Hieronymus* in allegatum 21. verſum hæc ſcribit: (*ſ*) *Finitis diebus luctûs atq; completis, quando triſtitia vertetur in gaudium, POPULUS SION ERIT OMNIS JUSTUS, non ad breve tempus, ſed in perpetuum.* Ne putet autem quiſpiam S. *Hieronymum* hîc de illo Eccleſiæ ſtatu loqui, qui extra terræ hujus ambitum in Cœlis futurus eſt: per totum enim ſuum in illud citatum caput Commentarium, ſubinde inculcat, ſe hæc & ſimilia in hoc capite juxta Prophetiæ ſcopum, de militante in his terris ultimi temporis Eccleſia intelligere. Hinc ad ℣. 19. hæc habet: *Ex hoc capitulo* (inquit) *cogimur omnia quæ dicta ſunt, & dicenda, ad ULTIMUM referre TEMPUS.* Et ſtatim ibidem apertè dicit, ſe cum ceteris Catholicis, à crudis veteribus *Chiliaſtis*, circa corticem literæ hærentibus, *non in tempore*, ſed *in qualitate promiſſionum* (non *carnaliter* ſcilicet ſed *ſpiritualiter* accipiendarum) *diſcrepare.* Et ad confirmandum hoc, quod dixit de *Sione*, ſeu Eccleſia ultimi temporis, ejus *populum omnem* fore *juſtum*, affert præclarum Pſalmiſtæ locum de Eccleſia ultimi temporis ſonantem, ex Pſal. 91. (al. 92.) ℣. 14. Ac in fine etiam ſubjicit, quòd hæc *in Mundi conſummatione pleniùs complebuntur, & in ſecundo Salvatoris adventu*; ut jam ſupra (*s*) fuſiùs ex ipſo verba illa audivimus. *Luctus* etiam ille de quo hîc poſt verba Prophetæ loquitur, quando & quomodo finietur, ipſe explicat in hunc modum: (*t*) *Dicendum, quòd afflictam quondam & captivitati traditam* Sionem *in populo Judæorum, in vocatione Gentium reconciliabit ſibi, ita ut portæ ejus ſemper† apertæ ſint, & nec die nec nocte claudantur, & ſalvari cupientibus jugiter pateant; id eſt, ut ei, in gaudio & in tribulatione volentibus credere, introitus non negetur.* Quaſi diceret: Undiquaque libertas „affulgebit ad prædicandum Evangelium, & ad augendos Eccleſiæ filios „& filias: quod opus ad ſtatum Eccleſiæ in his terris conſtitutæ pertinere, extra omne dubium eſt. Illo ergo tempore, quô tanta & tam deſiderata libertas Evangelii prædicandi erit, & quo populus Judæorum Deo reconciliabitur, iſtud quoque futurum eſt, quod jam diximus, ſcilicet ut *omnis* Sionis myſticæ *populus ſit juſtus.* Confer hîc Iſa. 33. ℣. ult. col. ult.

XXXII. Similiter *Sophonias* de reliquiis Iſraëlitarum, (hoc eſt, primariò Hebræorum, ſecundariò autem Chriſtianorum in genere,) ultimo tempore ad Deum verè convertendis, hæc ſcribit: (*u*) *Reliquiæ Iſraël non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingva doloſa.* Magna certè his in verbis futura tunc Populi Dei ſanctitas ſupponitur

Z

(ſ) Comm. in Iſa. 60. (s) §. 12. h. c. p. 162. (t) Ad v. 10. ibid. † De Evangelii libera prædicatione hæc ex mente ejus accipe; juxta Apoc. 3. v. 8. (u) Soph. 3. v. 13. Confer S. Hieron. Comm. in hunc locum, infra §. 41. hoc cap.

nitur. [In quem autem ſtatum redigetur tunc antecedenter populus Dei, quando hæc tanta ſanctitas in Eccleſia proximè eſt expectanda, id quoq; indicat Propheta, verſibus ibidem immediatè præcedentibus, videlicet, ℣. 11. & 12. quibuſcum confer Iſa. 29. ℣. 19. & Pſal. 71. (al. 72.) ℣. 4.] Huc ſpectat & illud Jeremiæ: (v) *In diebus illis, -- quæretur iniquitas Iſraël, & non erit, & peccatum Juda, & non invenietur.* Subjicit illicò Spiritus Dei cauſam & fontem hujus tanti boni, ſcilicet, unicam Dei miſericordiam, his verbis: *Quoniam propitius ero eis, quos reliquero.* Moſes autem pleniùs modum ſimul & cauſam tantæ ſanctitatis futuri Populi Dei ſic deſcripſit: (x) *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in TOTO CORDE tuo, & in TOTA ANIMA tua, ut poſſis vivere.* Confer Jerem. 32. ℣. 39. 40.

XXXIII. Sed audiamus hac de re egregiè ac eruditè diſſerentem, & per hoc veritatem *Regulæ* noſtræ fulcientem S. *Cyrillum* Alexandrinum. Is feſtum tertium Judæorum (Menſe ſeptimo ex Lege Moſaica celebratum) de ultimo tempore (quoad ejus myſterium) explicans, inter alia, hæc pro noſtra Regula ſcribit: (y) Σάββατα δὲ † σαββάτων, τὸν ἐπὶ τοῖς δι καιρὸν εἶναι λέγων, ἐφῆκε νοεῖν, ὡς ἐςὶ λοιπὸν ἀργιῶν ἀργία, τȣτέςιν, ὁλοτελῶς καὶ ὡς ἐν ὁλοκλήρῳ μέτρῳ τῶν ἐργῶν ἀπόθεσις. δῆλον δὲ, ὅτι τῶν εἰς φαυλότητα τι καὶ ἁμαρτίαν. καταλήγοντος δέ τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ, καὶ μονονȣχὶ καταγηράσκοντος τȣ̃ καιρȣ̃, μοῖραν ὅλως ἐν ἡμῖν ποίαν ἂν ἔχοι λοιπὸν ἡ εἰς ματαιότητα σπȣδὴ, καὶ ȣ̓χὶ δὴ μᾶλλον τὰ ἀμείνω φρονήσομεν, τὴν τῷ θεῷ θυμηρεςάτην ἐπιτελȣ̃ντες ἀργίαν, καὶ τῶν οἰκείων περισπασμῶν ἀποφοιτῶντες εἰςάπαν; H. e. *Sabbata autem Sabbatorum dicens eſſe tempus, quod in his* (ritibus) *ageretur, illud nobis oſtendit, quod † reliquum eſt, ceſſationum* nempe *ceſſationem; id eſt, INTEGRAM atq; PERFECTAM abjectionem operum, nimirum eorum, quæ ad vitium atq; peccatum pertinent. Nam hoc ſeculo * ceſſante, ac TEMPORE propemodùm SENESCENTE, quemnam in nobis jam locum habebit VANITATIS STUDIUM? quomodove non potiùs MELIORA SAPIEMUS, otium agentes DEO GRATISSIMUM, & à noſtris domeſticis* (ſeu propriis) *diſtractionibus IN TOTUM diſcedentes?* Plura etiam hujus ſancti Doctoris teſtimonia, in hanc rem facientia, ſed ut magis emphatica, ita etiam in locum altioris conſiderationis reſervata, (z) deinde audiemus.

XXXIV. S.

(v) *Jerem. 50. v. 20.* (x) *Deut. 30. v. 6.* (y) *Cyrill. de Adorat. in Spirit. & Verit. Lib. 17. pag. 619. edit. Par. 1638.* † *Phraſin hanc vide, Lev. 23. v. 32. collat. cap. 16. v. 31. Agitur autem illic de feſto* expiationis. † *Reſpicit hic ad locum Heb. 4. v. 6. 9.* * *Id eſt, fini jam-jam appropinquante.* (z) *Sub Reg. 32. b. Claſſ. Cap. 9. §. 44. 45. 49.*

XXXIV. S. *Hieronymum* quoque noſtræ adſtipulari ſententiæ, jam paulò antè (*a*) audivimus; ubi nempe retulimus ejus verba docentis ex *Iſaia*, quòd ultimis temporibus (dum Judæi Deo & S. Eccleſiæ *reconciliabuntur*) *Populus Sion*, (hoc eſt, Eccleſiæ ſanctæ, cujus *porta* ad excipiendum *credentes, jugiter patebunt,*) *erit omnis juſtus.* Huc faciunt etiam iſta ejuſdem verba: (*b*) *Menſura plenitudinis, menſura Chriſti eſt.* Et aliquantò pòſt: *Cum occurrerint atq; pervenerint ſancti in menſuram ſupradicti viri,* (ſcil. Chriſti;) *tunc intelligentes charitatem Chriſti, augebunt in eo omnia, quæ acceperunt ſemina veritatis.* Subinnuit nempe, juxta mentem Apoſtoli, electos Dei, ſub finem Mundi, appropinquante glorioſâ Chriſti Domini revelatione è Cœlis, ad *menſuram plenitudinis* ejuſdem Domini eſſe perventuros, ut ſic omnibus virtutibus pleni & ornati appareant in conſpectu ejus. Idem, dum *quadraginta duarum* in deſerto *manſionum* myſteria explicaret, atque explicando de *monte Phaſga* dixiſſet, quòd is *reſpiciat ſolitudinem* ſeu vaſtitatem, mox ſubjicit: (*c*) *Quando enim fuerimus in VIRTUTUM CULMINE conſtituti, tunc totius Mundi ruinas, & omnium peccatorum reſpicimus vaſtitatem.* Supponit evidenter in his, appropinquante & jam jam præ foribus exiſtente *Mundi* hujus *ruinâ* & conſummatione, electos Dei in his terris militantes, *in virtutum culmine* fore conſtituendos. Conferat quiſpiam ſequentia ibidem, & nîl dubitabit, non hîc de ſupernæ patriæ poſt Mundi hujus conſummationem felicitate, ſed de ſanctitate electorum in his terris futura memoratum S. Doctorem loqui. Sequitur enim: (*d*) *Poſt Dibon-Gad geritur bellum* (*e*) *contra Seon Regem Amorræorum, & Og Regem Baſan; & diſcimus, quòd CUM VENERIMUS AD SUMMUM, & de fonte* † *Principum Regumq; biberimus, aſcendentes ad montem Phaſga, non debeamus elevari in ſuperbiam, ſi propoſitam nobis è contrario ſolitudinem noverimus.* His parallela ſunt ſequentia alio in loco apud eundem, Spiritû quodam prophetico de futuro meliori & puriori Eccleſiæ ſtatu ab eodem dicta: (*f*) *Dormiente patrefamilias, inimicus homo* (*g*) *zizania ſuperſeminavit; ad quæ eradicanda cum ſervi ire proponerent, Dominus prohibuit, ſibi ſervans palearum & frumenti diſcretionem. Hæc ſunt* (*h*) *vaſa iræ & miſericordiæ, quæ in* (*i*) *Domo Dei ab Apoſtolo prædicantur. Venit* ergò dies, quando THESAURO ECCLESIÆ APERTO, proferet Dominus vaſa iræ, quibus exeuntibus, Sancti dicent:* (*k*) *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utiq; nobiſcum. Nemo poteſt Chriſti palmam ſibi aſſumere;*

Z 2

(*a*) §. 31. *h. cap.* (*b*) *Comm. in Epheſ. cap.* 4. (*c*) *S. Hieron. de* 42*bus Manſionibus, in Manſ.* 39. *Epiſt.* 127. *ad Fabiol.* (*d*) *Ibid.* (*e*) *Num.* 21. *v.* 30. 33. 34. † *Reſpicit ad locum Num.* 21. *v.* 18. *ejusq; myſterium.* (*f*) *S. Hieron. adverſ. Luciferian. cap.* 8. (*g*) *Matt.* 13. *v.* 25. (*h*) *Rom.* 9. *v.* 22. 23. (*i*) 2. *Tim.* 2. *v.* 20. * *Hoc eſt,* Veniet. (*k*) 1. *Joan.* 2. *v.* 19.

mere; nemo ante diem judicii de hominibus judicare. Si jam mundata eſt Eccleſia, quid Domino reſervamus? Verba illa: *Sancti dicent: Ex nobis exierunt*, &c. perſpicuè nos docent, hæc dicta tunc impletum iri, quando adhuc verbi Divini prædicatio & diſciplina Eccleſiaſtica in *Domo Dei* vigebit. Peraget autem hæc Chriſtus Dominus, per ſuos Servos fidiſſimos, quos plenè ſe-ipsô induet, & omnibus Spiritûs ſui virtutibus ad tantum opus peragendum inſtructiſſimos & potentiſſimos faciet. Atque hos nominat ipſemet *Angelos* (*l*) ad *colligenda de Regno ejus ſcandala*, & ad *ſeparandum malos de medio juſtorum*, nec non, ad (*m*) *congregandum electos ejus à quatuor ventis*, &c. mittendos. Quòd autem in iſta miſſione per *Angelos* ſancti atq; Angelici Prædicatores ultimi temporis intelligantur; vel ex ipſo (*n*) S. *Hieronymo*, atq; etiam *Auguſtino* (*o*) diſcere poſſumus. Ac proinde, *diem* quoq; *judicii* in allatis S. Hieronymi verbis, tàm latè debemus accipere, (nomine diei *tempus* (*p*) intelligentes,) ut ſub ea phraſi includatur etiam judicium (*q*) per eoſdem modò dictos Prædicatores & Doctores ſanctos eorumque ſequaces, adversùs impietatem Mundi hujus exhibendum. Sed de *die judicii*, ejuſque latitudine, infra (*r*) ſuo loco ex profeſſo (Deo favente) pleniùs dicturi ſumus

XXXV. Ne omittamus hîc pauca quædam verba S. *Auguſtini*, quibus excellentiam *Sanctorum* ultimi temporis, utpote cum Antichriſto gloriosè pugnaturorum, ſic deſcribit: (*ſ*) *In eorum ſanè, qui TUNC FUTURI SUNT, SANCTORUM atq; fidelium comparatione QUID SUMUS?* (Quaſi diceret: exigui ſumus.) *Quandoquidem ad illos probandos, tantus ſolvetur* (*s*) *inimicus*, (Satan,) *cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.* Ita etiam S. *Hippolytus* Martyr ſcribit de iiſdem, (*t*) *quòd* παρὰ τῦς πρώτυσ μάρτυρας ἐνδοξότεροι καὶ ὑψηλότεροι, *prioribus Martyribus illuſtriores & ſublimiores declarandi ſunt.*

XXXVI. In noſtrum etiam ſcopum appoſitiſſimè faciunt illa S. *Gregorii* Papæ dicta: (*u*) *Tantò* (inquit) *locupletiùs* Eccleſia *ditabitur, quantò & manifeſtiùs innoteſcit, quòd ad finem præſentis vitæ temporalitas urgetur. Prædicatores namq; ſancta Eccleſia benedictione EXTREMI TEMPORIS* „*Pſalmiſta ditari conſpexerat, cum dicebat:* (*v*) Adhuc multiplicabuntur in „ſenecta uberi; & benè patientes erunt, ut annuntient. *In ſenecta ſcilicet uberi multiplicabuntur: quia cum eorum vita differtur, ſemper ad MELIUS for-*

(*l*) *Matt.* 13. *v.* 41. 49. (*m*) *Ibid. cap.* 24. *v.* 31. (*n*) *Comm. in Ezech.* 30. *v.* 9. (*o*) *S. Aug. Epiſt.* 80. *ad Heſych.* (*p*) *Sic explicat S. Auguſt. Lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 1. (*q*) *Dan.* 7. *v.* 22. 27. *collat.* 1. *Cor.* 6. *v.* 2. (*r*) *Sub Reg.* 33. *b. Claſs. cap.* 10. & 11. (*ſ*) *Lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 8. *Confer hîc verba ejus ex Epiſt.* 80. *citata infr. cap.* 10. (*huj. Claſs.*) §. 38. *ibi*: Sed ideò &c. (*s*) *Apoc.* 20. *v.* 7. (*t*) *Orat. de Conſumm. Mundi, Bibl. SS. Patr. Tom.* 12. (*u*) *Moral. in Job. Lib.* 35. *cap.* 10. (*al. c.* 16.) *in cap.* 42. *Job,* (*v*) *Pſal.* 91. (*al.* 92.) *v.* 15.

„*US fortitudo producitur, eiſq; per augmentum temporum, creſcunt etiam*
„*LUCRA MERITORUM. Benè autem patientes ſunt, ut annuncient: quia cœleſtia prædicantes, tantò robuſtiùs adverſa tolerant, quantò & per tolerantiam ſuam animarum COMMODA LOCUPLETIUS reportant.* Conſona his ſunt illa S. *Auguſtini* de extrema ætate Eccleſiæ: (*x*) *Seneſta Eccleſia, candida erit rectè factis.*

XXXVII. Horum veſtigia & mentem ſecutus eſt, eximius quoque *Abbas Joachim* (an. D. 1200.) in iis, in quibus futuram extremi temporis populi Dei ſanctitatem fusè & eruditè deprædicat, ac per hoc noſtræ *Regula* veritatem confirmat. Is enim per *Populum Sanctorum* apud Danielem propheticè memoratum, illos ipſos extremi temporis *juſtos* & ſanctos intelligit, quos futuros *Regula* noſtra tradit, & SS. Patrum documenta in medium allata adſtruunt. Qui de his agendo, poſtquam præmiſiſſet iſta „verba Danielis: (*y*) *Regnum autem & poteſtas & magnitudo Regni, quæ* „*eſt ſubter omne Cœlum, dabitur populo Sanctorum Altiſſimi*, illicò ſubjicit: (*z*) *Hic eſt populus ille ſanctus, Ordo ſcil. juſtorum CIRCA FINEM futurus, de quo in typo Salomonis dictum eſt à Domino per Nathan Prophetam:* „(*j*) Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium. *Neq; enim, ſecundùm quod apertè docet Angelus in præſcripta viſione Danielis, de ſolo Filio Dei intelligenda ſunt iſta; ſed tàm de ipſo, quàm de his qui ſunt ejus; de illis videlicet ſanctis hominibus circa finem futuris, qui* † *ſecuti ſunt ad integrum veſtigia ejus, & in quibus occurſurus eſt ad integrum Chriſtianus populus* (*a*) *in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Et mox ſubjungit, quandam Zachariæ prophetiam, ut de his editam, in iſtis ver„bis: (*b*) *Extendam manum meam ad parvulos, & erunt in omni terra.--Et* „*ducam tertiam partem per ignem, & uram eos ſicut uritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum.*

XXXVIII. Rectè autem præclarus *Abbas* obſervat, non de *ſolo Filio Dei* intelligenda eſſe illa, quæ tùm per Nathan, tùm per Danielem de eo prædicta ſunt, ſed etiam *de Sanctis illis hominibus*, qui *futuri* ſunt ultimis temporibus, ob rationem ab eo implicitè inſinuatam; quia illi plenè *ſecuturi ſunt veſtigia ejus*, & illi integrè *occurſuri* ſeu perventuri ſunt *in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis* ejuſdem *Chriſti* Domini. Eſt & alia ratio planè ſpecialis, ob quam non ſoli Chriſto præciſè in ſola ſua perſona dictæ prophetiæ (& ſimiles) ſunt applicandæ, ſed etiam myſtico ejus corpori, & in eodem, uni alicui excellentiori modô. Quia ultimis temporibus in myſtico ejus corpore erit *unus*, ipſe nempe Chriſti Vicarius &

(*x*) *Enarrat. in Pſal.* 91. (*al.* 92.) *v.* 11. (*y*) *Dan.* 7. *v.* 27. (*z*) *Abb.* Joach. *in Libr. Concordiæ Nov. ac Vet. Teſtam. Lib.* 5. *cap.* 18. *fol.* 69. *edit. Venet. an.* 1519. (*j*) 2. *Reg.* 7. *v.* 14. & 1. *Paral.* 22. *v.* 10. † *Leg.* ſecuturi. (*a*) *Eph.* 4. *v.* 13. (*b*) *Zach.* 13. *v.* 7, 8, 9.

Summus in his terris Paſtor Eccleſiæ viſibilis, ſub quo (ut *uno* omnium ovium Chriſti futuro *Paſtore*) *unum ovile erit*, in quo Chriſtus excellentiſſimô modo præ omnibus aliis efformabitur, quive omnes alios in his terris Sanctos ſanctitate aliisq; virtutibus ſuperabit. Congruum enim eſt, ut populus tam ſanctus, qualis dehinc futurus eſt, etiam Prælatos ſuos, ſtatui ipſorum convenienter ſanctos, & inter eos Caput ſuum viſibile, ſanctitate, aliisq; virtutibus ſuo muneri & dignitati proportionatis, toti Gregi præeminens habeat. Atque hic ipſe Vicarius Domini, dicitur poſt Chriſtum, ſub Chriſto, & propter Chriſtum ſpeciali ratione *Paſtor* (*c*) *unus*, *David* myſticus, & *Rex unus omnium*, in *diſperſione*, & deplorando populi Chriſtiani ſtatu eidem à Deo (*d*) *ſuſcitandus* apud Ezechielem: hicque futurus eſt ſummus & principalis labore ſuo inter Angelicos illos Doctores, (de quibus ſupra (*e*) ex verbis Domini diximus,) qui (*f*) *colligent* & tollent *omnia ſcandala de Regno* Chriſti, & omnes (*g*) *electos* potentiſſimâ verbi Dei *tubâ congregabunt* hinc & inde in (*h*) *unitatem Fidei*, ac in *unum ovile*.

XXXIX. De hoc eodem ſonat etiam illud paulò antè memorati *Abbatis Joachim* vaticinium: (*i*) *Hic ſolus aperiet Librum ſcriptum digito Dei vivi.* Et mox: *Ad alta vocaris ô Princeps mente canus! Quid agonizas? Surge & eſto robuſtus: interfice Neronem, & eris ſecurus. Sana vulneratos; accipe flabellum; interfice muſcas; ejice vendentes de Templo: doctrinam illuminatam aſſume; annuncia juſtum; vita † circumciſos; dirige columbam; reprime ſitibundos.* De eodem exſtant etiam ſub nomine B. *Amadei* Ord. S. Franc. (qui floruit an. D. 1482.) iſta in duobus Codicibus MSS. Vaticanis: (*k*) *Dominus noſter vult iterùm miſereri generi humano, & vult Mundum purgare* [à] *cunctis erroribus, & ad unum veritatis gremium reducere omnes homines, & Eccleſiæ ſuæ præficere PASTOREM, quem ipſe elegit, ut paſcat oves ſuas, & nutriat populum ſuum in juſtitia & veritate.* Et infra: (*l*) *Eliget ſibi Dominus virum ſanctum, ſecundùm cor ſuum, & ponet eum paſcere Gregem populi ſui.---Et docebit omnes Gentes voluntatem Dei ſui.*

(*c*) *Ezech.* 34. *v.* 23. & 37. *v.* 22. 24. *collat. Joan.* 10. *v.* 16. & *Eccl.* 12. *v.* 11. (*d*) *Ezech loc. cit.* (*e*) §. 34. *h. c. p.* 180. (*f*) *Matt.* 13. *v.* 41. (*g*) *Ibid. cap.* 24. *v.* 31. (*h*) *Ephes.* 4 *v.* 13. (*i*) *Vaticinia, ſive Prophetiæ Abb. Joach. edit. Venet. an.* 1589. *Vaticin.* 13. † *Falſos* Judæos *ſpirituales intellige, de quibus eſt mentio Apoc.* 2. *v.* 9. (*k*) *Cod. Vat.* 4671. *fol* 1. *collat. ibid. Codic. n.* 3825. *Habetur autem ſimilis Codex MS.* Romæ, *etiam apud PP. Franciſcan. ad S.* Bonavent. *Vidi etiam alibi ibidem exſcriptum. De hoc B.* Amadeo, (*ex quo hìc citantur quædam,*) *vide proximè Cornelium à* Lapid. *Comm. in Apoc.* 1. *v.* 4. *col. ult. ubi eum vocat*, virum ſanctitate, miraculis & PROPHETIIS illuſtrem, *ſcribitq;* fuiſſe *eundem* illuſtris familiæ Luſitanæ, *ac annùm à* Sixto IV. Pontifice in Confeſſarium electum. *Quòd autem monet poſt alios,* (& *quìdem rectè*) Revelationibus *B.* Amadei varia à variis eſſe addita; *id nequaquam de iis quæ ex ipſo hìc adduximus, ſed de aliis longè diverſis curioſitatibus intelligit; ut exempla ab ipſo notata docent.* (*l*) *Fol.* 18, *in uno*, & *fol.* 14. *in altero Codice.*

ſui, quem toto corde amabit.--- Erunt qui ei adverſabuntur & inimicabuntur; ſed confringet Deus capita inimicorum ſuorum, & proſternet eos, ut ſciant hi, qui ab (m) *Oriente, & qui ab Occidente, quia* (n) *manus Domini fecit hac. Omnes Gentes infidelium ad fidem veram convertentur, & ei ſicut Patri obedient, & reget omnes Gentes in timore Dei... Erit omnium hominum unum ovile & unus Paſtor. Canones & antiquas Patrum conſvetudines obſervabit. Omnes pravas Leges & conſvetudines extirpabit, & bonas inſeret & plantabit: curam habebit magis animarum & ſpiritualium negotiorum, quàm temporalium; neq; ad theſauros intendet, niſi prout Eccleſia expediens fuerit, & orphanis, viduis & aliis pauperibus.* Et poſt aliquot folia: (o) *Paſtor quem Deus amat, & elegit, quando venerit, intrabit in Templum, &* (p) *ejiciet foras ementes & vendentes, menſas numulariorum evertet, & ſanctificabit Templum: purgabit & reformabit Eccleſiam;* (h. e. in genere populum Chriſtianum:) *& omnes admirabuntur & ſtupebunt. -- Purgabit Mundum à cunctis erroribus; docebit omnia qua ſunt adhuc abſcondita.* Item: (q) *Paſtor iſte aſſimilabitur David Regi: quia ſicut ipſe renovavit ipſam Hieruſalem, & in ea fecit arcem & Civitatem ſuam; ita iſte reformabit novam Hieruſalem; hoc eſt, Romam & Eccleſiam.* Hæc ibi. Quibus conſona habentur etiam apud noſtratem Greg. Cœlium *Pannonium* Ord. S. *Pauli* prim. Eremit. ejuſdemque Ordinis circa an. D. ‡ 1528. Romæ Priorem. Qui poſtquam primò indicâſſet, per *Angelum aſcendentem ab ortu Solis* (Apoc. 7. ℣. 2.) deſignari *Prædicatores ultimi* temporis Spiritû Chriſti plenos; mox aliam etiam ſuæ huic ſententiæ haud diſſonam (nec à ſe improbatam) affert expoſitionem his verbis: † *Legi quendam ex recentioribus Franciſcani Ordinis, hominem alioqui doctiſſimum, qui extra omnes expoſitores ſuſpicatur, -. per hunc Angelum aſcendentem, figurari PASTOREM, quem ANGELICUM vocat, qui reformaturus ſit totam Eccleſiam Dei; qui idcircò Angelus dicetur, quia ſpiritualis totus erit, ſignum Dei in verbo vita habens.* Et paulò poſt: * *Magna vox, magna potentia in Domino Jeſu: in Angelis virtus prohibitiva: in PASTORE illo, quem memoravimus, magna autoritas.*

XL. His auditis, ne miremur, quòd in *Prophetia* ſub nomine (r) *Malachia* Archiepiſcopi Hiberniæ, (an. D. 1140.) Ord. Ciſtercien. eruditis notiſſima,

(m) *Iſa. 45. v. 6.* (n) *Pſal, 117. (al. 118.) v. 15. 16. 23.* (o) *Fol. 41. in uno Codice, & in alio, fol. 30.* (p) *Juxta Joan. 2. v. 14. 15.* (q) *Fol. 237. in uno, & fol. 142. in altero Codice.* ‡ *Hanc ejus ætatem colligo ex lectione ejuſdem in Apoc. 12. v. 17. 18. Quòd* Tirinus *ad an. D. 1500. & editor* Commentarii *ejus in* Canticum *Cantic. ad an. 1548. referunt ejus ætatem; de longævo hac inter ſe conciliari poſſunt.* † *Pannon. Collectan. in Apoc. 7. v. 2. edit.* Tyrnav. *An. 1682. pag. 160.* * *Ibid.* (r) *Vide eam integrè apud Arnold.* Wion. *Ord. S. Ben. in Opere, quod inſtitulat,* Lignum vitæ.

Digitized by Google

notiſſima, aliquis inter futuros ultimo tempore Pontifices Romanos, dicitur *Paſtor Angelicus*; (ob eximiam nempe ejus ſanctitatem cum ſingulari lumine cœleſti junctam, quam ex gratia Chriſti habebit;) aliquis verò (ſcil. ultimus) *Petrus* nominatur: quia nimirùm in Spiritu & virtute S. *Petri* Apoſtoli potentiſſimè ædificabit Eccleſiam Dei, & quia *Petra* illa firmiſſima, *Chriſtus* nempe in eo pleniſſimè habitaturus, faciet eum ſolidiſſimam & inexpugnabilem *Petram* contra omnes hoſtes Eccleſiæ Dei. Quibus autem gradibus hic ad tantam coram Deo gratiam, ſanctitatem & dignitatem ſit perventurus, & quomodo etiam alii pro ſuo ſtatu ſibi congruentem ſolidæ ſanctitatis & excellentiæ menſuram poſſint conſequi; ex ſequentibus S. *Hieronymi* verbis diſcere poſſumus: (ſ) *David* tertiò unctus eſt; quod nos non intelligamus ſuper eo qui peccavit, & iterum ungitur; [ſufficit enim † leproſo, ut poſt primum ungventum perditum ungatur ſecundò;] ſed ſuper eo, qui PER DIES SINGULOS PROFICIT, & ſemper ejus augetur unctio, & de leproſi oleo migrat ad oleum populi atq; ſanctorum, & de oleo populi ad oleum pervenit Sacerdotum, & à Sacerdotibus tranſcendit ad chriſma Pontificis, à Pontifice quoq; ad Regem; à Rege ad Patriarchas, & à Patriarchis pergit AD CHRISTUM*, (ſcilicet, in profectu & & augmento virtutum,) *& ungitur (s) oleo exultationis; quô qui fuerit linitus, unus cum Deo efficitur Spiritus, & ubi Pater & Filius eſt, ibi etiam ille erit.* Idem alibi tradens modum illuminandi & ſanctificandi fideles ultimi temporis, ait, (t) *ipſum DOMINUM, Divinumq; Sermonem ingredi in conſcientias eorum, & quaſi tineam (u) comedere quodcunq; perverſum eſt, & predatum malarumq; cogitationum facere vaſtitatem, & ambulare (v) ſuper normam & regulam veritatis; eos ipſos ad rectum retrahere, qui pravis opinionibus ducebantur; & hoc facere in lumine veritatis, & in (x) DIE ILLO, quando qui SANCTI ſunt, & electi de Eccleſia; aſcendent ad ſpeculam, & in ſublimitate doctrinarum atq; operum ſuorum de rebus cœleſtibus diſputabunt.*

XLI. Sed ut omnia pro *Regula* noſtræ veritate hactenus dicta ſint clariora & firmiora; ſubjungamus hîc iſta etiam ejuſdem S. Doctoris *Hieronymi* verba aureis planè literis digna: (y) *In die illa, quâ nobis Chriſti* „lumen

(ſ) *Comm. in Hab.* 3. *v.* 13. * 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 16. *v.* 13. *&* 2. *Reg.* (*al.* 2. *Sam.*) 2. *v.* 4. *&* 5. *v.* 3. † *Quanquam* leproſi *ad literam olim bis fuerint (quodam modo) uncti; ſcil. primùm* ſangvine, *deinde* oleo, *juxta Lev.* 14. *v.* 14. 17. 18; *at hic S. Hieronymum, ad* leproſum *ſpiritualem, h. e. ad agentem publicam pœnitentiam, poſt perditum Baptiſmi ungventum, reſpicere, verborum ejus contextus oſtendit. Eam autem, (ſcil. publicam pœnitentiam) olim non fuiſſe iteratam, teſtis eſt S* Auguſtinus *Epiſt.* 54. *ad Macedon.* (s) *Pſal.* 44. (*al.* 45.) *v.* 8. (t) *S. Hieron. Comm. in Mich.* 7. *v.* 1. *& ſequ.* (u *Juxt. LXX. Mich.* 7. *v.* 4. (v) *Ibid. Græc.* (x) *Juxt. LXX. Mich.* 7. *v.* 4. ἐν ἡμέρᾳ σκοπιᾶς, *h. e.* in die ſpeculæ. (y) *Comm. in Soph.* 3. *v.* 11, 12, 13.

*„lumen fuerit exortum, dicetur ad ſingulos noſtrûm: Non confunderis ex „omnibus tuis adinventionibus; cogitationibus videlicet peſſimis, quibus impiè agebamus contra Dominum. Et tolletur univerſa ſuperbia & contumelia, per quam erigebamur contra Dominum, & contra Montem ſanctum ejus, Dominum noſtrum & Salvatorem: pro ſuperbis vaniſq́, nominibus relinquetur in nobis ‡ populus manſuetus & * humilis; ut nihil arrogans, nihil tumens, nihil quod Deo diſpliceat cogitemus. Simulq́, conſidera, quòd in die judicii, & in conſummatione Mundi tollantur univerſa † nomina Dignitatum, & unus Populus remaneat & Grex ſub Paſtore bono, qui ſit manſuetus & humilis. Tunc etiam populus Iſraël, (z) plenitudine gentium ſubintrante, (quia concluſit Deus (a) omnes ſub peccato, ut omnibus miſereatur,) timebunt „nomen Domini: (b) & reliquiæ Iſraël, non facient ultra iniquitatem, per quam Dominum negaverunt; neq́, loquentur vana, ineptas ſibi fabulas promittentes; nec invenietur in ore eorum lingva mendacii, Chriſto per eos, qui veritas eſt, loquente. Tunc enim paſcentur & ipſi in uno Grege, & accubabunt in Eccleſia, & veri Nabuchodonoſor impetus non timebunt.* Subdit illicò: *Hæc videntes & loquentes tanta myſteria, clamemus cum Apoſtolo atq́, „dicamus: (c) O profundum divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm in„ſcrutabilia ſunt judicia tua!* &c. Porrò, quòd *dies judicii* hîc quoque in eadem latitudine debeat accipi, in qua jam ſupra (*d*) occaſione verborum ejuſdem S. Doctoris accipiendum eſſe monuimus, ipſe contextus verborum & rerum perſpicuè oſtendit. *Gentium* enim illo die *ſubintrare plenitudinem* in Eccleſiam; *Populum Iſraël* ad verum *nominis* Divini *timorem* converti; eumq́ue *in uno Grege* (& quidem *manſueto & humili*, ſub *Paſtore bono*) *paſci*, atque *accubare in Eccleſia*, ſtatum Eccleſiæ in his terris conſtitutæ, efficaciſſimamq́; in ea Evangelii prædicationem ſupponunt, ac per hoc non unicum *diem* naturalem, ſed *diem* Propheticum, hoc eſt, *tempus* ſatis longum pro ſuî implemento requirunt. [Sed de hoc *die* infra (*e*) pleniùs.]

XLII. Hæc omnia hactenùs dicta & congeſta perſpicuè & ſufficienter docent, illuſtrant & confirmant id quod *Regula* noſtra, ad loca quædam (eaque non pauca) Scripturæ S. de futuris ſonantia rectè intelligenda & exponenda neceſſariò tenendum requirit, videlicet; *fore dehinc ſanctiorem in his terris Deo populum, & homines in Eccleſia meliores futuros, quàm nunc ſunt:* quod cum implebitur, tunc aderit vera & optatiſſima

A a

Populi

‡ *De hoc ſonat Pſal.* 101. (*al.* 102.) *v.* 19. Populus, qui creabitur, &c. * *Apud Zachariam, cap.* 11. *v.* 7. & 11. *dicuntur tales*, pauperes gregis. *Ibid. c.* 13. *v.* 7. parvuli. *Conf. Jerem.* 49. *v.* 20. & 50. *v.* 45. parvuli gregis. † *Non dicit* opera, *ſed* nomina; *ut alibi ipſemet explicat, Comm. in Soph.* 1. *v.* 4. (z) *Rom.* 11. *v.* 25. (a) *Ibid. v.* 32. (b) *Soph.* 3. *v.* 13. (c) *Rom.* 11. *v.* 33. (d) §. 34. *h. cap. p.* 180. *Conf. infr. Reg.* 33. (e) *Sub Reg.* 33. *h. Claſs.*

Populi Chriſtiani *reformatio*, inanem hodiernorum, *Reformatos* ſe ſe vel *Evangelicos* nominantium gloriationem confundens.

XLIII. Porrò, ſi quis quærat; quænam ſint ea Scripturæ S. loca de futuris ſonantia, quæ ſecùs intelligi & exponi rectè nequeunt, niſi admittatur doctrina in ſuperioribus tradita, de *futuro ſanctiori in his terris populo Dei*; facilè reſpondemus, eſſe partim illa, quæ ſupra ad confirmationem *Regulæ* ſunt in medium adducta; (ut, v. gr. Iſa. 59. ℣. 20. collat. Rom. 11. ℣. 26. col. ult. Iſa. 60. ℣. 21. (collat. cap. 33. ℣. ult.) Soph. 3. ℣. 13. Jer. 50. ℣. 20. Deut. 30. ℣. 6. collat. Jerem. 32. ℣. 39. 40.) partim alia, illis quoad ſuî ſcopum ſimilia. Certè vel ſolùm unicum penultimum (h. e. 21.) caput Apocalypſeos de *nova Jeruſalem* (conſideratis ibi & ritè excuſſis ℣. 2. 24. & 26. & ſtatû Eccleſiæ ibidem deſcripto) nunquam rectè quiſpiam exponet, niſi admittat & teneat doctrinam *Regulæ* noſtræ tot SS. Doctorum teſtimoniis aſſertam. Huc faciunt illa etiam loca, in quibus *terra hæreditario* jure *poſſidenda, terra* nempe S. Eccleſiæ, uberrimos Deo fructus ſpirituales productura, ſolis *juſtis*, ſolisq; *manſuetis* & *mitibus* promittitur in futurum. Pſal. 36. (al. 37.) ℣. 29. & ibid. ℣. 11. & Matt. 5. ℣. 4. (al. ℣. 5.) collatô interim loco parallelo de *juſtis*, Iſa. 60. ℣. 21. nec omiſſô lucis causâ, Iſa. 65. ℣. 9. & 57. ℣. 13. & Pſal. 24. (al. 25.) ℣. 13. De *terra* verò myſtica, conſultô Prov. 12. ℣. 11mô. Excutiendus eſt hîc etiam locus ille myſterio plenus de *circumciſione* ſpirituali, in deſcriptione Templi Ezechielis, procul dubio in ultima tempora ſpectans: † *Omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne NON INGREDIETUR SANCTUARIUM meum.* De cujus loci ſenſu conſulatur S. **Hieronymus*.

XLIV. Sed dices: Omnia illa Scripturæ S. loca, quæ eximiam illam Populi Dei futuram deſcribunt Sanctitatem, quæ & qualis nunquam adhuc poſt lapſum fuit, non in terris, ſed in cœleſti beatitudine implebuntur, juxta illud S. Hieronymi: (*f*) *Vera & abſq; omni ſorde perfectio in COELE-„STIBUS reſervatur, quando Sponſus loquetur ad Sponſam*: (*g*) *Tota pul-„chra es amica mea, & macula non eſt in te*: Cui ſimile eſt & iſtud apud eundem: (*h*) *Vide quanta habeat loca Eccleſia, & quomodo illud Apoſtoli-„cum*, (*i*) *ut ſit ſine macula & ruga, in futuro, & IN COELESTIBUS ſervetur.* Verùm reſpondeo. Contextus accuratè inſpicientem docet, in utrisq; locis, ſcilicet & in Cantico, & in verbis Jeremiæ, quæ S. *Hieronymus* in Operibus ſuis, hîc in margine citatis exponit, de ſtatu Eccleſiæ in his terris conſtitutæ ſeu conſtituendæ eſſe ſermonem, non obſtante quòd pleniſſi-

† *Ezech. 44. v. 9.* * *Comm. in eund. loc.* (*f*) *Lib. 3. ad verſ. Pelag. cap. 5.* (*g*) *Cant. 4. v. 7.* (*h*) *Hieron. Comm. in Jerem. cap. 31. v. 38. 39. 40.* (*i*) *Eph. 5. v. 27. Confer de hoc loco S. Hieron. Lib. 3. adverſ. Pelag. cap. 5, Cujus verba in hunc locum, vide infra h. 2. Claſſ. cap. 9. §. 46. in margine.*

pleniſſima electorum Dei perfectio & felicitas ſupra hanc terram in ſupremo cœlo eſt repoſita. Ipſe ergo nos S. *Hieronymus* doceat, quomodo phraſis illa, *in cœleſtibus*, vel *in cœlis*, etiam de locorum nunc memoratorum & ſimilium inſinuato implemento, (h. e. de futuro etiam in his terris ſtatu Eccleſiæ ſanctiori & meliori) rectè poſſit & debeat adhiberi. Sic enim ipſe alibi, modum illum loquendi, *in cœleſtibus* apud S. Paulum (de benedictione cœleſti) explicat: (*k*) *Sive igitur, quòd* (*l*) *converſatio noſtra in Cœlis eſt, & non* (*m*) *ſumus de Mundo iſto, ſed depoſitâ imagine* (*n*) *choici*, (ſeu terreni,) *portamus imaginem ſupercœleſtis, & in carne non vivimus,* (*o*) *ſed in Spiritu, &* (*p*) *theſaurizamus nobis in Cœlis ubi & cor habemus, dicimur nunc COELESTI benedictione benedicti; ſive certè quòd omnis benedictio ſpiritualis in Chriſto, licet IN TERRA ſit, tamen de COELESTIBUS computetur.* Sic igitur etiam de ſanctitate & perfectione populi Dei in hiſce terris aliquando futura pariter dicere poſſumus, quòd ea omninò in *cœleſtibus* erit ſensû ſpirituali nunc explicato, etiam dum populus ille loco-tenùs in terris futurus eſt. Quia longè magis quàm unquam hactenùs omnis ejus *converſatio* omniſque meditatio & delectatio cordis *in Cœlis* erit, & ille multò perfectiùs portabit *imaginem cœleſtis* Adami, nempe Chriſti, quàm nos huc uſque portavimus: item, quia omnis ejus ſcientia, omnis ſapientia, omnis vita, omnis ornatus, omneſque ejuſdem actus de *cœleſtibus*, ſeu de *cœlis*, hoc eſt, purè cæleſtis originis erunt. Atq; hanc ob rationem dicitur etiam ultimi temporis Eccleſia ſancta (ſub titulo *nova Jeruſalem*) *de Cœlo deſcendere*, Apoc. 21. ℣. 2. (collat. cap. 3. ℣. 12.) Quô capite, (21.) quòd ſtatus Eccleſiæ in his terris futurus deſcribatur, ex eodem ipſo S. *Hieronymo* diſcere poſſumus, ſic ad verba quædam Iſaiæ ſcribente: (*q*) *Adhuc loquitur* Dominus *ad Eccleſiam, humilem priùs atq; pauperculam,--quòd ipſe veniat, ipſe deſcendat, & ædificet IN TERRIS CÆLESTEM HIERUSALEM, quæ in Apocalypſi Joannis* (*r*) *vocatur Sponſa & uxor Agni, habens lumen ſimile lapidis pretioſi.* &c. Vel ſola illa verba capitis memorati; (*ſ*) *deſcendentem de Cœlo à Deo*; item, (*s*) *Reges terræ afferent gloriam ſuam & & honorem in illam*, perſpicuè oſtendunt ſtatum Eccleſiæ in his terris futurum ibi deſcribi.

XLV. Quod diximus ad objectionem memoratam, ſcil. ex S. *Hieronymo* petitam, idem dicere poſſumus ad iſta etiam ejuſdem verba: (*t*) *Terra* (inquit) *mitium, terraq; viventium, non eſt DEORSUM, ſed SURSUM.* Scilicet, per *terram mitium* atque *viventium* ipſa *terra Sion*, ſic

 Hierony-

(*k*) *S Hieron. Comm. in Epiſt. ad Epheſ cap.* 1. *v.* 3. (*l*) *Phil.* 3. *v.* 20. (*m*) *Joan.* 15. *v.* 19. (*n*) 1. *Cor.* 15. *v.* 49. (*o*) *Rom.* 8, *v.* 9. (*p*) *Matt.* 6. *v.* 20 21. (*q*) *Comment. in Iſa.* 54. *v.* 11. (*r*) *Cap.* 21. *v.* 2, 9. (*ſ*) *Ibid. v.* 2. (*s*) *Ibid. v.* 24. (*t*) *Comm. in Iſa.* 58. *v.* 14. *collat. Comm. in Iſa.* 57. *v.* 13.

Hieronymo ex LXX. interpretibus (*u*) dicta, ſpiritualiter intellecta, ſeu *Civitas Dei* juxta eundem (*v*) S. *Hieronymum* per Pſalmiſtam (*x*) celebrata, h. e. ipſa Eccleſia ultimi temporis ſanctiſſima, membris nempe Deo ſanctè *viventibus* exornanda, ac per hoc indeſinenter fructus ſpirituales uberrimos productura intelligitur; quæ *non deorſum* in rebus carnalibus, mereque terrenis & perituris cum Judæis & Judaizantibus quærenda & conſtituenda eſt, ſed in iis, quæ de *ſurſum* habent originem; h. e. in cœleſtibus, ſpiritualibus & æternis. Atque ſic tunc patebit vel maximè, dictum illud piiſſimi Thomæ a' *Kempis* etiam in his terris verum eſſe: (*y*) *Eſſe cum Jeſu*, eſt *dulcis Paradiſus.* Patebit etiam, tunc pleniùs quàm unquam hactenùs, impleri illud, quod *Cornelius à Lapide* ex *Clemente* Alexandrino ſcribit.; (*z*) ſcilicet, *Chriſtum ſuâ incarnatione & adventû in Orbem, TERRAM in COELUM COMMUTASSE.* Et alibi: (*a*) *Hanc benedictionem Chriſtus aſcendens in Cœlum immiſit in Terram, ut ſcilicet ipſa TERRA, CONVERSATIONE COELESTI poſſit fieri COELUM.*

XLVI. Doctrina *Regulæ* noſtræ hactenùs adſtructa, inſtruit nos, ne deploranda hominis infirmitas ad bonum opus faciendum, coram præſentis ſeculi perverſis, & ſuæ ſalutis ſeriâ curâ vacuis hominibus, ad peccandum cum delectatione non ſolùm proniſſimis, ſed planè currentibus, & in peccatorum cœno ſordidè ſe ſe volutantibus, ob idq; eâ veritate abutentibus, nimis exaggeretur; ſed potiùs modis omnibus, nunc placidâ invitatione, nunc juſtis cùm terroribus, motiva ad ſanctam & inculpatam vivendam vitam efficaciſſima, iis ſubinde inculcentur. Perſeveranter intimandum eſt ipſis, quòd ſive moriantur, ſive protrahant vitam evanidam in perverſo ſuo ſtatu, electorum tamen boni & gaudii hæredes futuri non ſunt. Si moriantur absq; vera pœnitentia, conſvetis & dilectis peccatis ſuis fœdiſſimis coinquinati, & iis velut inſepulti, cœleſti beatitudine certò certiùs excludentur, terribile cum ceteris ſibi ſimilibus accepturi judicium. Si verò aliquamdiù adhuc in hac vita dies prolongent, attamen donec ſibi ſuis in peccatis placuerint, & quamdiu bellum irreconciliabile illis non indixerint, ſemper maledicti futuri ſunt coram Deo, neq; etiam poterunt arcana myſticæ Sionis ultimi temporis ea cum jucunditate contemplari, quâ ſancti & electi Dei contemplabuntur. Huc huc appoſitiſſimè facit illud S. *Hieronymi*, admirandum Ezechielis Templum explicantis, digniſſimum quod ſubinde tùm quiſque ſibi, tùm Doctor Eccleſiæ & verbi Divini Præco aliis, hoc tempore ingeminet & inculcet: (*b*) *Iſta* (inquit) Domus, *quæ Ezechieli, &*

(*u*) *Iſa. 32. v. 2. juxt. edit. Græc. apud* S. Hieron. *Epiſt. 129. ad Dardan.* (*v*) *S. Hieron. Epiſt. 129. modo cit.* (*x*) *Pſal.* 36. (*al. 87.*) *v. 3. coll. ibid. v. 2.* (*y*) *Thom. à* Kemp. *De Imit. Chriſt. Lib. 2. cap. 8. n. 2.* (*z*) *Comm. in 1. Epiſt. S Petr. cap. 3. v. 18.* (*a*) *Comm. in Apoc. 21. v. 2.* (*b*) *S. Hieron. Comm. in Ezech. cap. 43. v. 10. 11.*

eli, & per Ezechielem domui Iſraël oſtenditur, TALIS EST, ut qui eam mente conſpexerit, CESSET AB INIQUITATIBUS ſuis, non quibuſdam, SED OMNIBUS; ſive ut in Hebraico continetur, CONFUNDATUR ET SUSTINEAT TORMENTUM SUUM, PRO OMNIBUS QUÆ FECERIT. Suſtinet enim tormentum iniquitatum ſuarum, qui ceſſat præterita facere peccata; multumq; prodeſt ei, qui ante peccaverit, videre Domum Dei, & omnis fabricæ ejus noſſe rationem; & ut peccare deſiſtat, & „habens illius deſiderium dicat ad Dominum: (c) Domine dilexi decorem Do„mus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Unum petii à Domino, hoc re„quiram, ut habitem in Domo Domini. &c. Idem in aliud caput ſic ſcribit: „(*d*) *Quod autem ſequitur*: Et adduxit me per viam portæ Aquilonis, &c. *illud latenter oſtendit, quòd ſtatim ad portam Orientalem pervenire non poſſumus, niſi per viam portæ Aquilonis longo circuitû perveniamus ad eam. Niſi enim ventum frigidiſſimum vicerimus calore fidei, & calcaverimus re„giones ejus, (ut impleatur illud in nobis Apoſtolicum:* (*e*) Deus autem pa„cis conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter;) *portam per quam egrediuntur* † *aquæ, & ſunt à latere dextro, ingredi non valebimus. Et nota, quòd aquæ iſtæ, quæ egrediuntur per portam Orientis, in tantum lævas partes fugiunt, ut à dextris altaris, ad meridiem pergere deſcribantur.* Et paulò pòſt, ubi dimenſiones aquarum exponit: *His* (inquit) *gradibus ad ſublimia pervenimus; quæ tamen ipſa ſublimia, uſq; ad lumbos & renes perveniunt, ut omnis in nobis ignobilis libido truncetur, & poſſideamus ſanctificationem corporis,* (*f*) *ſine qua nemo videt Deum. Unde & in hoc eodem Propheta, à pedibus* (*g*) *uſq; ad lumbos Deus igneus cernitur: indigent enim IGNE & PURGATIONE opera Lumborum, dicente juſto:* (*h*) Quoniam „lumbi mei repleti ſunt illuſionibus; *per quos nobis, & in die & in noctium phantaſmate illudit inimicus. A' lumbo verò uſq; ad caput & verticem, pretioſiſſimo metallo, electri fulgore reſplendet, ut nihil in ſe habeat ſordium, nihil habeat vilitatis.*

XLVII. Summa eſt: Inferiora, terrena, carnalia & frigida, calcanda, reſecanda & vincenda ſunt primùm in nobis, atque interea igne tribulationum exurenda, antequam coram Deo, ſplendore ac nitore ſpirituali fulgeamus, & ad ſecretiora Divinæ Domûs Κειμήλια contemplanda admittamur. Hinc illud S. *Gregorii* Papæ: (*i*) *Menti noſtræ, de conſideratione cæcitatis ſuæ, priùs ignis tribulationis immittitur, ut omnis vitiorum ærugo*

 concre-

(*c*) *Pſal. 25. (al. 26.) v. 8.* (*d*) *In cap. 47. Ezech.* (*e*) *Rom. 16. v. 20.* † *Per aquas,* Salvatoris doctrinam *intelligit in ſuperioribus, allegando Iſa. 2. v. 3.* De Sion exibit lex. *&c. Quæ tamen junctim cum Spiritûs S. donis debet accipi.* (*f*) *Heb. 12. v. 14.* (*g*) *Ezech. 8. v. 2.* (*h*) *Pſal. 37. (al. 38.) v. 8.* (*i*) *Moral. Exp. in Job. Lib. 24. c. 8. (al. c. 6.) in cap. 33. Job. v. 26.* Videbit faciem ejus cum jubilo.

concremetur: & tunc mundatis oculis cordis, illa lætitia Patriæ cœleſtis aperitur: ut priùs purgemus lugendo quod fecimus, & poſtmodùm manifeſtiùs contemplemur per gaudia, quod quæramus. Priùs à mentis acie, exurente triſtitiâ, interpoſita malorum caligo detergitur, & tunc reſplendente raptim coruſcatione incircumſcripti luminis, illuſtratur.

XLVIII. Sed ut unuſquiſque, qui *Regulæ* noſtræ veritati ita adſtipulatur, ut ſimul velit etiam ardenter vitæ ſuæ ſanctitate pars implementi eſſe doctrinæ in ea poſitæ, noſcat ſe, quantum jam in vitæ ſanctitate profecerit, & ut ad altiores etiam ejuſdem ſanctitatis gradus, inter quaſcunque horrendas & atrociſſimas tribulationes, tentationes ac deſolationes ſpirituales, in dies magis ac magis enitatur; è re noſtra eſſe judico, ſequentia eximii Doctoris *Tauleri* verba in medium hîc producere, ſic docentis: (k) *O quàm rarum eſt hodie inter homines, æquè in doloribus & afflictionibus, ut in rebus lætis & proſperis, Deum amare! Dicam hîc ad extremum de tribus internæ ac virtuoſæ vitæ gradibus, quorum vel infimum, vel medium, vel ſupremum homo aſſequi poteſt.* Primus, *qui & dirigit atq; deducit hominem ad ſupremam vicinitatem Dei; id eſt, ut ſe ſe homo TOTUM ad ſtupenda miraq; Dei opera, & ineffabilium donorum ac munerum illius exhibitionem, occultaq; bonitatis ejus effluxus advertendos contemplandosq; convertat: unde exercitium quoddam naſci ſolet, quod* jubilationis *habet vocabulum.* Secundus *eſt, Spiritûs quædam paupertas, & ſingularis ſubtractio ſeu occultatio, dum ſe ſe Deus omnipotens, cunctaq; dona ſua Spiritui ſubtrahit, & in langventi Spiritûs inopia ipſum relinquit.* Tertius *eſt, exceſſus in eſſe Deiforme, per Spiritûs creati cum exiſtente Spiritu Dei unionem ſive unitatem: qui gradus eſſentialis converſio dici poteſt. Huc quiſquis rectè pertingit, ut aliquando excidat à Deo, credi vix poteſt. Ad* primum *gradum, quem* jubilationem *diximus, ita pervenitur; ſi quis dulciſſima, ſeu gaudioſiſſima amoris ſigna, à Deo nobis & in Cœlo & in terra mirabiliter exhibita, & bona innumera nobis & aliis creaturis omnibus ab eodem præſtita, ſtudiosè obſervet & attendat, conſiderans, ut omnia floreant, vigeant & plena ſint Deo; utq; incomprehenſibilis benignitas Dei creaturas omnes maximis donis ſuis perfundat, ut ipſum diù tolerârit, quæſierit, muneratus ſit, invitârit, commonuerit, expectaverit, propter ipſum homo factus ſit, multa perpeſſus ſit,* &c. *Hæc ubi homo internus amoroſâ contemplatione verâq; dilectione percurrit, ingens in eo actuale gaudium ſuboritur, tantâq; intùs exultatione repletur atq; perfunditur, ut corpus fragile ipſam continere non poſſit; unde fit, ut in ſingulares quoſdam geſtus erumpat.--- Secundus gradus eſt, poſteaquam Deus eatenùs hominem extra omnia abſtraxit, & jam ille puer eſſe deſiit, abundeq; dulcedinis*

(k) *Joann.* Tauler. (*qui floruit an. D.* 1350.) *Serm.* 1, *Dominic. V. poſt Trinit. pag.* 376. *edit. Colon. An.* 1603.

dulcedinis Divinæ refocillatione roboratus eſt; deinde panem ei cibarium porrigit, utpote qui vir effectus, & virilis ætatis annos aſſecutus eſt. Expedit planè veterem hominem duro ac ſolido cibo paſci, &c. *Vaſtam igitur, tenebroſam, deſolatamq; ejuſmodi homini Deus viam proponit, per eamq; ipſum deducens, aufert ab eo omnia, quæcunq; illi unquam largitus eſt. Hic jam adeò totus ſibi ipſi relinquitur, ut nullam habeat Dei notitiam, talemq; preſſuram incurrit, ut ſi unquam benè habuerit, vel etiamnum Deum habeat, nec ne,* (ut ſuum nempe Patrem benignum,) *prorsùs ignoret;* (quantum ad ſenſum;) *ac tantô deniq; dolore perfunditur, ut vaſtiſſima Mundi ſpatia nimis illi anguſta videantur. Nihil ſentit Dei, nullam habet notitiam Dei,* (ſcilicet, quoad jucundum Divinæ dulcedinis, & ſpecialis providentiæ paternæ ſenſum, ad tempus,) *& cetera omnia nihil eum afficiunt, nihilq; ſapiunt, eſtq; ei, velut inter duos parietes pendeat, aut (quod in Proverbio dicitur.) à fronte præcipitium, à tergo lupi ſint; ubi non eſt, quò ſe vertat, nihil quod agat, niſi hoc tantùm, ut ſe ſeſſum recipiat, & dicat:* Salve amaritudo amariſſima, † omnis plena gratiæ. *Certè ſi infernus in hac vita haberi poſſet, plus ſibi quàm infernus videretur, impensè ſcilicet amare Deum, & eodem dilecto penitùs fruſtrari atq; carere. Unde quicquid illi dici poteſt, non magis eum conſolatur, quàm lapidem, nec poteſt patienter audire, ſi quid ei de creaturis,* * *quaſi pro capiendo inde ſolatio, dicatur. Quantò autem abundantiore priùs gaudio & conſolatione perfuſus fuit, tantò nunc amaritudo & dolor in hac ſubtractione vehementior eſt intolerabiliorque. Verùm quiſquis hæc experiris, viriliter age, probè te geras; certò certiùs proximus adeſt tibi Deus tuus; tantùm vera ac viva fidei ſtipiti fortiter innitere, citò meliùs habebis; omnia proſperè cedent.--. Deinde, ubi jam Dominus hominem talem, per hanc intolerabilem crucem ſatis ſuperq; præparavit, (magis enim hæc ipſum præparant, quàm omnia poſſent exercitia, quæ homines univerſi agere queant,) accedit pius Dominus, & ipſum ad* tertium *(l) perducit gradum; ubi jam velut pallium omne aufert ab oculis ejus, & veritatem manifeſtat. Et tunc lucidiſſimi in ipſo Solis radii oriuntur, totusq; ex omnibus anguſtiis, miſeriis, calamitatibus ſuis liberatur, eripiturque, videturq; ſibi à MORTE ad VITAM revocatus à Deo. Interim Dominus abducit eum extra ſe ipſum in ſe, omnè eum miſeriâ--abſolvens, abundè recreans, & UNIVERSA illius (m) SANANS*

NANS

† *Hoc innuit; quod homo talis in ſe reverſus, flens & gemens in corde, in ſolis ſuis amaritudinibus ſeſe tunc conſolatur, & ex iis concludit ſe eſſe in gratia Dei, etiamſi tunc ei jucundo ejus ſensû frui non detur; juxt. Pſal.* 22. (*al.* 23.) *v.* 4. Virga tua *&c. & Thren.* 3. *v.* 21. *collat. cum verſibus præced. ibid.* * *Ut v. gr. ſi quis eum invitet ad convivandum, confabuliandum, vel ſpatiandum &c. cum aliis hominibus eximiis, quantumlibet jucundum humanitùs videatur ejuſmodi conſortium, vel ſpectaculum.* (*l*) *Hæc piè & eruditè à* Taulero *obſervata, egregiè illuſtrantur ex* Eccleſiaſtici *cap.* 4. *v.* 18. 19. 20. 21. *Lege ibi textum.* (*m*) *Pſal.* 102. (*al.* 103.) *v.* 3.-5.

NANS VULNERA: ſimulq́; extra humanum modum trahit ac rapit ipſum in Divinum quendam modum, extraq́; omnem calamitatem in Divinam ſecuritatem; ubi adeò homo deificatur, ut quicquid ipſe eſt & agit, Deus in ipſo ſit & operetur; tamq́; ſublimiter ſupra naturæ ſuæ effertur modum, ut quod Deus eſt eſſentialiter per naturam, ipſe fiat per gratiam. Hæc ille. Cui de *tertio* & tam ſublimi hoc ſanctitatis gradu nunc deſcripto, prævivit jam olim S. *Hieronymus*, verbis quidem aliis, ſed re ipſa idem ſignificantibus, non ita pridem (*n*) à nobis in medium productis; in quibus deſcribit hominem *per dies ſingulos* in melius *proficientem*, uſque dum *pergat ad Chriſtum* in profectu & incremento virtutum; ſeu, uſq; dum juxta Apoſtolum perveniat in (*o*) *virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

XLIX. Tantò autem libentiùs *Tauleri* noſtri verba in medium hîc attuli, quòd ſciam eum ad *veram* hominis *reformationem* etiam ab eximio *Gerardo ab Hamont*, Priore Carthuſiæ Colonienſis, in Dedicatione Operum ejuſdem *Tauleri* (*p*) verbis ad *Adolphum* Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem, an. D. 1552. directis, inſigniter commendari. Verba ejùs ſunt: *A' tanti ſuſceptione muneris, nervis in hoc omnibus incumbis, ut plebs tua commiſſa fidei, terraq́; omnis tua ſubdita poteſtati, ab erroribus repurgata, ad Catholicæ fidei redeat ſynceritatem, moresq́; tum in Clero, tum in Populo, quàm optimi reviviſcant; cumprimis utile nobis viſum eſt, ut inſignem hunc Authorem tuæ Celſitudini dedicaremus. Si enim ad VERAM REFORMATIONEM, quam molitur Reverendiſſima Paternitas Tua, nihil ita poteſt eſſe accommodum, quàm ut ſe ſe quisq́; diſpiciat, ſcrutetur, exploret, ac ubicunq́; à prima illa, in qua conditus eſt Adam protoplaſtus, utriusq́; hominis † integritate ſe defeciſſe ac degeneraſſe perſpexerit, pro virili, Divinâ fretus ope, ſe ſe reformare contendat; id autem quâ oporteat ratione fieri, cum copioſiſſimè ſimul & luculentiſſimè ab hoc noſtro Authore tradatur, nimirùm decuit eum piiſſimo optimoq́; Reformationis ſcientiſſimo Præſuli nuncupari.--Dignus quidem meo judicio, quem omnis celebret poſteritas, quiq́; obviis (quod ajunt) ulnis excipiatur ab omnibus, maximè qui veræ ſtudent ſapientiæ, quosq́; juvat, certum, facile, expeditum noſſe iter ad Chriſtianæ perfectionis, totiusq́; ſanctitatis apicem contingendum. Totus namq́; in hoc incumbit, ut quatenus quidem ,,fieri poteſt, omnes ad Dei proximiq́; dilectionem inſtituat; cunctos ad vitio,,rum exſtirpationem, interioris hominis pervigilem curam, virtutum ſtudium, ,,propriæ voluntatis, pravarumq́; cupiditatum abdicationem invitet; crucem ,,ſuam omnes Chriſti exemplo tollere, & Dominum ſuum per aſpera multa, per ,,varios caſus, per tot diſcrimina rerum, conſtanter humiliterq́; ſequi, & ani,,mam deniq; cum univerſis viribus illius, eidem feliciſſimè uniri, unumq́;*

eum eo

(*n*) §. 40. *h. cap. p.* 184. (*o*) *Epheſ.* 4. *v.* 13. (*p*) *Vid. Edit. Colon. in* 4*to. an. D.* 1603. † *Interioris ſcilicet & exterioris.*

cum eo Spiritum fieri doceat: quod totum utiq; nihil aliud eſt, quàm diligere Deum ex toto corde, totâ animâ, totâ mente, cunctiſq; viribus ſuis, & proximum ſicut ſe ipſum. Hæc ille, piè, rectè & eruditè de Authore piiſſimo; quibus, ſicut *Tauleriana* inſtitutionis medullam, ſic *vera* quoque *Reformationis* ſummarium requiſitum eleganter expreſſit, ac ideò tantò fortiùs me movit, ut ejus verba plus quàm pauculis in lineis, ad maturandam & accelerandam in pectoribus omnium veri & boni amantium, jucundiſſimam illam Populi Chriſtiani correctionem & mutationem in melius, quam futuram juxta præſentis capitis *Regulam*, ſupra adſtruximus, ob oculos legentibus hîc ponerem. Omittamus vaniſſimas vanitatum vanitates, rixarum nempe & contentionum virulentiſſimas reciprocationes, privatæ gloriæ laudiſq; in diſputationibus acerrimis ſtudium, cum horrendo proximorum odio & deteſtatione conjunctum; item, perverſum Mundi hujus & periturorum ejus bonorum amorem; è contra, noſtras corporis & animi miſerias inde ab Adamo contractas, laqueoſq; Diaboli, quibus irretiti ſumus, humiliter cognoſcamus, ex iiſq; liberari ardenter deſideremus & pro viribus enitamur, atque hoc agendo, Deum & proximum ſancto amore diligamus; [ac ita quidem, ut unuſquiſq; noſtrûm hanc emendationem à ſe ipſo incipiat, antequam alios emendare & *reformare* velit:] tunc expetiemur affore in nobis *ſapientiam* illam cœleſtem, cujus (*q*) *initium* eſt *timor Domini*, ac per conſequens veram noſtrî *reformationem*, & deſideratiſſimam in univerſo Populo Chriſtiano pacem & (*r*) *fidei unitatem.* Hactenus de Regula *decima* ſatis.

CAPUT VI.

In quo, *de* Promiſſorum *etiam* corporalia *ſpectantium impletione aliquando ſecutura*; *de* Literali *prophetiarum & typorum* ſenſu, *quando & ubi talis admittendus eſt*; *de* ſpiritualitate corporalium *bonorum in Eccleſia certo ſenſu*; *de eo, ubi maximè* ſpiritualis ſenſus *eſt ſpectandus*; *item*, *de rebus* ingentibus *&* magnificis *adhuc in Eccleſia & Mundo futuris*, Regulæ ſeptem (*ab 11ma uſq; ad 17mam incluſivè*,) *traduntur & illuſtrantur*.

REGULA XI.

I. „*Deus in omnibus quidem ſuis promiſſis ſpiritualia & aterna præcipuè ſpectat; veruntamen ſubinde juxta ſpiritualia, etiam corporalia bona ſuis abundè ſuppeditare ſolet.*

II. Primum *Regula* membrum ſatis notum eſt Theologis, & omnibus qui præcipuum tum Theologiæ tum ipſius hominis finem nôrunt. Alterum patet, ex Pſal. 33. (al. 34.) ℣. 11. *Inquirentes Dominum*, *NON MINUENTUR OMNI BONO*; ſeu, *non indigebunt ullo bono.* Confer ibid. ℣ 10. (Quod præcipuè ultimo tempore, dum emendatio vitæ hominum, juxta decimam

(*q*) *Pſal. 110, (al. 111,) v. 10. & Prov. 1. v. 7. (r) Eph. 4, v. 13.*

cimam capitis ſuperioris *Regulam*, conſpicua erit, implebitur.) Item, Iſa. 1. ℣. 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Quo in loco, licet Spiritus S. primariò & principaliter intendat loqui de bono ſpirituali, quod illi terræ Deus daturus eſſet, attamen includit ibi ſecundariò etiam corporale bonum. Ita etiam Pſal. 80. (al. 81.) ℣. 17. per *adipem frumenti, & mel petra*, præcipuè quidem ſpiritualium bonorum copia & dulcedo (quantum ad propheticum typi ſenſum) deſcribitur; ſed tamen bona quoq; corporalia ſecundariò ibidem includuntur. Ad hunc modum explicabis etiam Iſa. 60. ℣. 17. & 62. ℣. 8. 9. & ſimiles locos. Sed clariſſimè & diſertiſſimè ſummus Prophetarum & omnium Eccleſiæ Doctorum Magiſter Chriſtus Dominus, veritatem *Regulæ* noſtræ adſtruit, dum præmiſsâ admonitione, (*a*) *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* ſic deinde ſuos inſtruit: (*b*) *Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc OMNIA* (ſcil. cibus, potus & alia temporalia) *ADIICIENTUR vobis.* Huc facit etiam illud Apoſtolicum: *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ NUNC eſt, & futuræ.* (1. Tim. 4. ℣. 8.) Experientia quoq; teſtatur veritatem *Regulæ* noſtræ. Nempe, ſæpè Deus populo ſuo, cum copia Ducum ſpiritualium, ſuſcitat externos quoq; Patronos, & cum pace ſpirituali & Eccleſiaſtica doctrinæq; ſenſibili incremento, pacem quoq; externam & Politicam, bonorumq; corporalium abundantiam largitur. Conſule hîc Commentarium S. *Hieronymi*, in Iſaiam, inprimis in cap. 60.

III. Hoc nimirum eſt Dei ſapientiæ & infinitæ bonitati congruentiſſimum, ut ſuo tempore (dum ſic opportunum eſſe judicat,) exhibeat largiter illa quoque ſuis, quæ (rectè iis utentibus) adminicula certiſſima ſunt ad ulteriorem & uberiorem in bonis ſpiritualibus profectum. Talia autem ſunt bona corporalia illis, qui (multis præſertim calamitatibus excocti & probati) benè iis uti nôrunt. Quis enim Deum ardenter amans, non longè ardentiùs & alacriùs tunc Deum colat, rebus ejus animo hauriendis intendat, ejus gloriam promoveat, aliaq; bona opera exerceat, dum bonâ fruitur *ſanitate*, quàm cum atrociſſimis ac diuturnis obruitur morbis & infirmitatibus, iiſque velut ſepelitur? juxta illud piiſſimi Thomæ à Kempis: (*c*) *Multa bona potes operari dum ſanus es; ſed infirmatus, neſcio quid poteris:*

(*a*) *Matt. 6. v. 31.* (*b*) *Ibid. v. 33.* (*c*) *Lib. 1. de Imit. Chriſt. cap. 23. n. 4.* Conf. Eccli, 30. v. 16. 17. 18. *Obſervatû hîc dignum eſt illud* Platonis *apud* Laërtium *in vita ejus, docentis*, Finem *hominis* eſſe Deo ſimilem fieri, *ac* virtutem ſufficere quidem ad benè beatéque vivendum; (ὀργάνων δὲ προσδεῖσθαι τῶν περὶ σῶμα πλεονεκτημάτων, ἰσχύος, ὑγιείας, εὐαισθησίας, τῶν ὁμοίων. *h. e.*) inſtrumentis autem (*ſeu* mediis) indigere, CORPORIS bonis, ROBORE, SANITATE INTEGRITATE ſenſuum, & ceteris id genus. *Sed vide propiùs etiam apud S.* Auguſtin. *Enarrat. in Pſal. 101. ſub initium, quantum ſit bonum,* Corporis ſanitas, ſenſus, confirmatioque membrorum.

ris: imò juxta illud Divini Pſalmiſtæ: (*d*) *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam*? Quis item, zelo gloriæ Divinæ, & amore omnis boni, veri & juſti ſuccenſus, non longè ferventiùs & hilariùs Deum tunc laudet, ejus gloriam, ejus veritatem & juſtitiam promoveat, Eccleſiam ædificet, & in variarum exercitio virtutum progrediatur, dum ad hæc agenda plenâ fruitur libertate & facultate, quàm dum his privatus, ac mille & mille impedimentis præpeditus, ſub aliena captivus tenetur poteſtate, ut olim Dei populus, dicens cum gemitu & fletu juxta *flumina* Babylonis: (*e*) *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Unde patet, quàm ſint in ſe apta media & adminicula, ipſa bona corporalia rectè iis utentibus, ad eximium in ſpiritualibus & æternis profectum.

IV. Hinc ergo obſervatû hoc obvium eſt, quòd dum populus Dei hôc vel illô adverſorum & moleſtiarum genere preſſus, unà cum ſuis Superioribus recto ad Deum corde converſus, eique verâ, ſincerâ & inconcuſsâ fide innixus fuerit, tunc omninò ſperare & certò expectare poterit, quòd ab incumbentibus ſibi variorum malorum (ſive morborum crudeliter ſubinde graſſantium, ſive aliarum preſſurarum & gravaminum) oneribus & impedimentis, atque etiam à metu hoſtium liberabitur, ad hoc, ut Deum ſuum in animi ſui lætitia & tranquillitate colat, laudet, ejusq; nomen celebret. Conſule Deut. 28. ℣. 59. 60. 61. collat. ibid. cap. 30. ℣. 1. 2. uſque ad ℣. 7. Atque tunc ſanè, ut gladio ſpirituali ab una parte, ſic ab alia, gladio quoque corporali, eôque gladiô juſtitiæ, Eccleſia Dei contra hoſtes ſuos, potentiſſimè, feliciſſimè & glorioſiſſimè ſemper protegetur, & cum ſenſibili animarum lucro propagabitur. Vide Lev. 26. ℣. 3.--7. 8. 9.

REGULA XII.

.V „*Quicquid Deus Eccleſia ſua, quâcunq; ſub conditione promiſit, illud* „*tandem aliquando* (*conditione etiam implendâ*) *certò implebit.*

VI. Fundamentum *Regulæ* eſt: Quia Deus non eſt ſicut homo, ut dicat, promittat vel præmonſtret aliquid futurum, & demùm id quod dictum, promiſſum & in ſignis præmonſtratum ſeu præfiguratum eſt, prorsùs in caſſum ire & evaneſcere ſinat. Hinc diſertè de ipſo dicitur apud Moyſen: † *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur: Dixit ergo, & NON FACIET? Locutus eſt, & NON IMPLEBIT?* Quem locum Cornelius à *Lapide* eruditè illuſtrat, dum *quatuor cauſis*, ex quibus *homo ſolet promiſſum negare*, recenſitis, ſic ſcribit: *Hæc à Deo longiſſimè abſunt. Nam primò, non mentitur ut homo: Secundò, non pœnitet, ut filius hominis: Tertiò, NON HOMINIS MERITUM aut demeritum, ſed SUAM BONITATEM ac*

(*d*) Pſal. 87. (al. 88.) v. 12. (*e*) Pſal. 136. (al. 137.) v. 4. † Num. 23. v. 19.

FIDELITATEM aſpicit: Quartò, habet fortitudinem ut rhinoceros, ideò poteſt præſtare quod promittit; & quia poteſt, re ipſâ præſtat. Huc faciunt etiam illa apud S. Auguſtinum: * *Nihil promittit* Dominus *& non reddit; fidelis ille factus eſt debitor, eſto tu avarus exactor.* Item: *Qui miſericordiam diligit, miſeretur; qui autem miſeretur, non poteſt promittere, & non dare.* Et in Pſam. 109. ſub initium, idem ſic docet: *Tempus conſtituit Deus promiſſis ſuis, & tempus eis quæ promiſit implendis. Promiſſionum tempus erat tempore Prophetarum usq; ad Joannem Baptiſtam: ab illo autem & deinceps USQUE IN FINEM, tempus eſt implendi ea quæ promiſſa ſunt.* Et alibi, ſcil. in Pſal. 131. (al. 132.) *Quid ergo, ſi* (filii David *teſtamentum & teſtimonia* Dei) *non cuſtodierint? Periit promiſſio Dei? NON.* Et aliquantò pòſt: *Si non in te complebitur, putas, quia non complebitur?* Subindicat, quòd ſi in iis, qui ſe factis ſuis teſtantur non eſſe veros filios *David* in fide, nec eſſe hæredes promiſſionum, non impletur promiſſio Dei, erunt alii, in quibus implebitur. Et in Pſalm. 144. ſic idem ſcribit: *Fidelis Dominus in verbis ſuis. Quid enim promiſit, & non dedit?--- Adhuc quædam promiſit & non dedit: Sed creditur illi ex his quæ dedit.-- Noluit ſibi credi dicenti, ſed voluit teneri Scripturam ſuam ſanctam.* Et in Pſal. 88. (al. 89.) ℣. 39. & ſequ. *Manet omninò Deus quod promiſiſti: nam & Chriſtum tuum non abſtuliſti, ſed distuliſti.* Et alibi, in Pſal. 39. (al. 40.) ℣. 2. *Dominus promiſſa non aufert, ſed differt.* Univerſaliter loquitur in his S. *Auguſtinus* de omnibus Dei *promiſſis*, nullô exceptô; ut verba ejus diſertè monſtrant. Ita enim & S. Apoſtolus nos docet, (2. Cor. 1. ℣. 20.) quòd, *quotquot ſunt promiſſiones Dei, in Chriſto* ſunt *EST*, & *per ipſum AMEN.* Iniquitas enim & infidelitas hominum, nunquam *evacuabit fidem* ſeu fidelitatem *Dei*; (ut patet ad Rom. 3. ℣. 3.) nec facit ut aliqua Dei promiſſio ad ſuam Eccleſiam facta, penitùs & in æternum evaneſcat, neq; fiant in quibus ea demùm impleatur. *Differt* quidem (humanitùs loquendo) Deus promiſſi inplementum, ſed *non aufert*; (ut ex S. *Auguſtino* ſuprà patet;) & dum *differt*, per hoc vult hominem interim variis ac variis modis exercere, ad declarandam demùm ſuam juſtitiam, ſapientiam infinitam, & immenſam bonitatem ac miſericordiam, ut homo undique de ſua miſeria ſpirituali & ingratitudine convictus & confuſus, eò majori cum ardore & ſiti ad Divinam humillimè confugiat miſericordiam. Atque hoc tempus *dilationis*, rectè ſtylo S. *Auguſtini* † vocari poteſt *tempus exercendæ infirmitatis* electorum, *& non eſcæ opportunitatis*: quod ſimul eſt tempus *patientiæ* Domini, quô hominum expectat *pœnitentiam*, juxta 2. Pet. 3. ℣. 9. Sic demùm in iis, qui vera cum *pœnitentia* ad

* *Enarrat. in Pſal. 32. (al. 33.) v. 4. Conc. 2. Confer. de hoc argumento S.* Juſtin. *Mart. Apolog. 2. pro Chriſtian. p, (mihi) 87. ubi de prophetiis implendis agit.* † *Enarrat. in Pſal. 144. v. 15.*

Dei miſericordiam confugiunt, *conditio* quoque promiſſionibus adjecta, per efficaciſſimam Divinæ gratiæ aſſiſtentiam (ſuppoſitâ eorum quoque de quibus loquimur cooperatione) perficietur, atq; hoc modô *promiſſum* quoque Divinum (quodcunq; illud ſit,) in ſancta Eccleſia exactiſſimè implebitur. Vide Iſa. 43. ℣. 25. (al. ℣. 12.) & cap. 54. ℣. 7. 8. 10. Jerem. 32. ℣. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Ezech. 36. ℣. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. collat. ibid. cap. 11. ℣. 17. 18. 19. 20. Item, Deut. 30. ℣. 6. collat. ℣. 1. ibid. Atq; hoc ſensû intelligendum eſt illud antiquum Sapientum Judæorum dictum: (*f*) כל דבר שיוצא מפי הקבה' לטובה אפילו על תנאי אינו חוזר. H. e. *Omne verbum quod prodierit ex ore Domini in bonum, etiam conditione additâ, non tamen revocat.* Ex tenore itaque hujus *Regulæ* diſcere poſſumus, Deum omnes ſuas promiſſiones ampliſſimas, in *Moſe & Prophetis* extantes, tandem Eccleſiæ ſuæ, in plena verborum emphaſi (ſtatui Novi Teſt. convenienter) impleturum. Nam & conditionem promiſſionibus adjectam, ipſe in ſuis, (ſuæ nempe gratiæ cooperaturis, ut paulò antè dictum,) ex ſua miſericordia ineffabili, effecturus eſt.

REGULA XIII.

VII. *Ubicunq; proprius ac literalis verbi Divini ſenſus, nullam importat inconvenientiam, inſulſitatem ac inutilitatem ad declarandam Dei gloriam, neq; ullam repugnantiam cum analogia & rectitudine Fidei, quin potiùs decorum aliquid, ac naturaliter bonum, Deiq; gloriæ illuſtrandæ, & ſaluti noſtræ promovendæ inſerviens, in ſe includit; is, quantumcunq; videatur alienus eſſe ab hominum ſenſu & opinione, tamen abſq; dubio admittendus eſt, ſuoq; tempore plenſſimè implebitur.*

VIII. Ut à contrario primùm *Regulæ* illuſtrationem incipiam; ſic v. gr. *Circumciſio*, & *Sacrificia* de animalibus (peccatum olim nondum expiatum commemorantia & exprobrantia) ita proponuntur per Ezechielem, quantum ad literam, quaſi etiam dehinc ultimis temporibus, ad literam & ad veterem modum forent in populo Dei exercenda: (Vide, de *circumciſione* etiam *carnis*, ut litera ſonat, Ezech. 44. ℣. 7. 9. & de *ſacrificiis*, cap. 43. ℣. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 25. & cap. 45. ℣. 15. -- 23. & cap. 46. ℣. 2. 4. 11. 13. 15. 20.) atqui planè inconveniens, ineptum ac inutile eſt ad Dei gloriam declarandam & celebrandam, noſtræ autem ſaluti prorſùs noxium, ut jam dehinc, poſtquam Chriſtus ſemel in cruce oblatus eſt, ac veteres ceremoniæ, quantum ad corticem literæ, ſunt ſepultæ, iterùm *circumciſio* & *ſacrificia*, in Eccleſia quantum ad literam (more Judaico) reſumerentur, ac per ea Deus coli putaretur. Verùm (ſecundò,) quia integra corporis *ſanitas* à Moſe [partim ſub generali benedictione, Deut. 28. ℣. 3. partim

(*f*) *Citatur hoc à* R. Majmonide *in* Porta Moſis, *edit. à Pocock. p.* 24. 25.

ſub benedictione fructûs ventris humani, ibid. ℣.4. partim etiam ſub contraria maledictione implicitè & per ſequelam, ibid. ℣. 21. 22.59.] promiſſa, eſt ſuâ naturâ bonum ejuſmodi, quod apud pios & Deum timentes, (ut & ſupra * innuimus,) medium convenientiſſimum eſt ad Dei gloriam promovendam ac celebrandam, propriamque ſalutem majori cum alacritate quærendam; hinc ea ex eorum numero bonorum eſſe ſtatuitur, quæ aliquando in Eccleſia Dei implebuntur. [Confer hîc *Jobi* reſtitutionem in integrum: Job. cap.42. Item, exemplum Ezechiæ, Iſa. 38. collat. 4. Reg. 20.] Hæc legentes impii, & Mundi immundi filii filiæque, (quà tales manent,) nihil hinc pro ſua cupiditate conſolationis arripiant. Non enim pro illis, (quà in ſuis perſeverare volunt peccatis,) ſed pro contritis corde, pro piis & Deum timentibus, hæc & ſimilia dicimus. Procul hinc, procul eſte profani. Non placent vobis amara, ut ſub illis vos ſanctè humilietis, ea patienter & conſtanter ob futurum bonum toleretis, & ad Dei miſericordiam verè contritô corde confugiatis, vitæque veteris hominis renuncietis; non ergò de bonis ſanctæ Eccleſiæ promiſſis vos conſolari poteſtis. Etſi enim ob majorem veſtrî futuram inexcuſabilitatem, partem aliquam habere de bonis Mundi hujus vobis permiſſum eſt; (imò vos magis quàm ipſi pii hactenùs eorum fuiſtis participes;) attamen gratioſæ Dei promiſſiones etiam de terrenis & corporalibus bonis, nequaquam propter vos, ſed propter electos factæ ſunt; è contra verò luctuoſa ſors & portio pro vobis eſt denunciata, dum electis & Deum timentibus eximia bona præſertim (*g*) ultimis temporibus implenda, promiſſa ſunt. Vide Iſa.65.℣.11.12.13.14.15. Deut. 28. ℣. 15.16. & ſequ. uſque ad fin. cap. collat. ibid. ℣. 1. 2. & ſequ. uſque ad 14.

IX. Porrò, ſi quis nimis curiosè hîc inquirat, cur Deus bonorum quorundam promiſſorum, ſcilicet, vitæ huic feliciter ducendæ neceſſariorum, (ut eſt, *ſanitas* corporis, *pax* ſecura Eccleſiæ & Reipub. ac ſimilia,) literalem & pleniorem adductionem, exhibitionem & impletionem in ultima diſtulerit tempora; ei hoc tantùm inſtructionis hâc vice do; ut nimiam mentis inquietæ curioſitatem hac in re compeſcat, & patienter (pia inter ſtudia ac preces) expectet à Deo, donec ipſe id quoque cum multis aliis occultis, ſuo tempore Eccleſiæ ſuæ revelaturus eſt. [Interim ſe reflectat etiam ad quandam parentheſin, ſupra Cap. 2. hujus 2dæ Claſs. §. IX. ſub *Reg*.5ta p.83. poſitam.] Res ipſa ſatis evidens eſt ex iis, quæ hactenùs tùm hîc tùm ad proximè præcedentes *Regulas* diximus, quòd omninò Deus aliquando bona à ſe promiſſa (etiam corporalia) impleturus eſt ſuæ Eccleſiæ: non ergò hoc in dubium ideò à quopiam vocandum eſt, quia nondum ei patet ratio, ob quam dicta bona, non priùs quàm ultimis temporibus

* §. 2. h. cap. pag. 194. (*g*) Act. 3. v. 21.

tibus juxta plenam promiſſionum emphaſim adduci & exhiberi debeant. Jam audivimus ſupra, (*h*) Chriſtum quoque Dominum diſertiſſimè promiſiſſe, bona corporalia aliquando ſuis fidelibus adjectum iri; ſed vult ut (*i*)*primùm Regnum Dei & juſtitiam ejus* diligenter *quæramus*, atq́; hæc quærere primariam curam habeamus. Loco igitur nimiæ curioſitatis, vel etiam dubitationis memoratæ, hoc potiùs faciendum eſt, quod Chriſtus jubet; ſpiritualia nempe & æterna bona primariâ ſemper intentione quæramus; ſic cum tempore experiemur etiam corporalium promiſſorum ad literam impletionem; à majori ad minus ſumptô hîc argumento.

REGULA XIV.

X. *Quicquid Deus proprio ac literali ſensû, de bonis corporalibus Eccle-„ſiæ ſuæ ultimo tempore implebit, id quoq́, in electis & ſanctis, non carnale, „ſed ſpirituale bonum dicendum erit.* Dum *carnale* hîc amoveo, per hoc non nego rem (*k*) *carneam* vel corpoream poſſe dici certô ſensû corporale bonum ejuſmodi, de quo hîc ſermo eſt; ſed loquor ex receptiori vocis illius uſu Scripturario & Theologico, quatenùs τὸ (*l*) *carnale*, (ob naturæ noſtræ depravationem,) corruptum, vitiatum, impurum, deteſtandum in ſe, improbandum, ineptum & inerme ad bonum, ac ſpiritualitati repugnans aliquid ſignificat. Hoc ſensû, illa bona non erunt *carnalia*, in electis & ſanctis, ſed *ſpiritualia*, & à *Spiritu* potiùs quàm à *Carne* denominanda. (1.) Quia bona illa, non occaſiones, non incentiva vel fomenta malorum, (per eorundem abuſum,) ſed media tantùm & adminicula, eaq́; optatiſſima erunt electis, per quæ aptiores & alacriores reddantur ad Dei gloriam promovendam, Eccleſiam ædificandam & propagandam, propriæque ipſorum ſalutis operationem in dies continuandam. Erunt ergò illa propter ſpiritualia & æterna; ideoq́; à potioribus illis (quibus conſtanter apud electos inſervient) denominationem ſumere debebunt: ſicut à S. Paulo, *manna* vetus & *aqua* Petræ, ob ſpiritualem uſum & ſacramentalem ſignificationem *ſpiritualia* dicuntur, etiamſi in ſua natura res corporeæ fuerint. 1. Cor. 10. ℣. 3. 4. (2.) Quia dum bona illa in hunc uſum quem diximus ſanctificabuntur à Deo electis, tunc ipſi quoque electi ita Spiritû Dei implebuntur & gubernabuntur ab eodem, ut bonis illis ne abutantur, (ſicut impii,) ſed unicè in eum finem iis utantur, in quem à Deo ſunt deſtinata.

XI. Cum ergò *Spiritus* Dei in electis in ea plenitudine qua nunc diximus regnabit, & cum ipſa quoq́; bona eorum corporalia evidentem in ſe monſtrabunt Dei pro electis factam benedictionem, tunc certè nulla eorum *carnalia*, ſed à potiori, h. e. à *Spiritu* Dei, *ſpiritualia* dicenda erunt. Sicut

(*h*) *Sub Reg.* 11. *h. Claſſ. & h. cap.* §. 2. (*i*) *Matt.* 6. *v.* 33. (*k*) *Vid. Rom* 15. *v.* 27. *&* 1. *Cor.* 9. *v.* 11. (*l*, *Rom.* 7. *v.* 14. 1. *Cor.* 3. *v.* 2. 3. 2. *Cor.* 1. *v.* 12. *Heb.* 7. *v.* 16, 1. *Pet.* 2. *v.* 11.

Sicut nempe olim (*m*) *arca fœderis*, (typus Chriſti & Eccleſiæ eximiorum membrorum,) unà cum vectibus ſuis, item, (*n*) *menſa* panum, (*o*) *altare thymiamatis*; (*p*) *tabula* ſeu aſſeres (ſive latera) tabernaculi, & alia quædam in tabernaculo, erant quidem è ligno cedrino fabricata; ſed quia *auro* undique erant tecta & involuta, ideò non dicebantur lignea, ſed à parte pretioſiori, ab *auro* nempe undiq; ea tegente & exornante, *aurea*; ſic ultimis etiam temporibus, quia *Spiritus* Dei in Eccleſia tunc pleniùs regnaturus, omnem priorem bonorum corporis carnalitatem & imperfectionem abſterget ſuâ præſentiâ & abolebit, eaque pura, ſancta & ſalutaria pro electis efficiet, ideò non à *Carne*, ſed à *Spiritu* ea obtegente & exornante quoad electos, denominanda erunt. Ut enim homo qui ſe totum *Spiritui* ſancto dat regendum, (*q*) *ſpiritualis* dicitur à prædominio *Spiritûs*, non carnalis; ſic bona quoque electorum, ubi ipſi ſe totos *Spiritui* S. tradiderint, & omnibus ſuis bonis, penitùs & ſemper abſque ulla deviatione, juxta ductum & placitum Spiritûs S. uſi fuerint, jam tunc & ipſa per eundem Spiritum ſanctificata & largâ benedictione exornata, non *carnalia*, (ſicut impiorum,) ſed *ſpiritualia* dicenda erunt.

XII. Ex hac *Regula* (ſuperioribus juncta) hoc nobis obſervandum inferimus: Non ergo cum Judæis (vel Judaizantibus Cerinthianis, aliisq; ſimilibus) & Turcis ſentiunt ullo modo veri fideles in Eccleſia Dei, nec cum illis carnaliter ſapiunt, vel illorum ſomnia ſomniant, dum juxta Scripturam S. & SS. Patrum expoſitionem corporalia quoque bona expectant (imò & petunt ea quotidie ſub latitudine *Panis quotidiani*) pro ſe & pro tota Dei Eccleſia pleniùs danda in futurum. Judæi enim & Turcæ (vel quicunque his in errore ſimiles,) unicè circa corticem literæ quiſque ſuæ hærent; & neglecto eô quod præcipuum eſt, nempe, amplexû Chriſti per fidem, ut unici Salvatoris, & ardenti deſiderio Regni Dei ſpiritualis, nominisq; Divini glorificandi in Eccleſia; nec non, omiſsô veræ & ſolidæ pietatis exercitio, ea ſolummodò (vel præcipuè) volvunt & ſomniant mente, quæ ſunt corporalia, (vix aliquo modo, pauci eorum ſpiritualia attingentes,) & ut homines carnales Mundiq; filii, ad corporalia illa, principali (imò aliqui omni) animi anniſû & voto anhelant. Ideoq; juſtiſſimum eſt, ut illi in ſtolidis ſuis imaginationibus repulſam penitùs patiantur. Unde meritò, & quidem more ſuo ſalsè caſtigat S. *Hieronymus* hac de re *Judæos* & ſimiles carnales hunc in modum: (*r*) *Judæi & noſtri Semi-Judæi, qui auream atq; gemmatam de Cœlo expectant Hieruſalem, hæc † in mille annorum Regno futura contendunt; quando omnes Gentes ſervitura ſunt Iſraël, & cameli Madian*

(*m*) *Exod.* 25. *v.* 10. 11. 13. (*n*) *Ibid. v.* 23. 24. (*o*) *Ibid. cap.* 37. *v.* 25. 26. (*p*) *Ibid. cap.* 26. *v.* 15. 29. (*q*) 1. *Cor.* 2. *v.* 15. (*r*) *Comment. in Iſa.* 60. *ſub init.* † *Scilicet quæ ſunt cap.* 60. *Iſa. v.* 1. *& ſequ.*

Digitized by Google

Madian & Epha, de Saba venientes, aurum deferent & thus; & omnes oves Cedar congregentur, arietesq́; Nebajoth veniant, ut immolentur ſuper altare Templi, quod fuerit exſtructum: de Inſulis quoque, & maximè navibus Tharſis, volare filias illius ut columbas, auri & argenti divitias conferentes.---Et pro uno homine habituram eam (nempe Hieruſalem) *mille fortiſſimos viros, & pro parvulis Gentes robuſtiſſimas poſſeſſuram. Hæc illi dicunt, qui TERRENAS DESIDERANT VOLUPTATES, & uxorum quærunt pulchritu-„dinem, ac numerum liberorum,* (nempe carnalium,) *quorum* (*ſ*) *Deus venter „eſt, & gloria in confuſione eorum.* At verò viva & ſancta Eccleſiæ Dei membra, primariò & principaliter *Regnum Dei & juſtitiam ejus* quærunt; hoc primâ & ſummâ intentione, totoq́; pectoris ardore deſiderant & agunt, ut Deus glorificetur in ſuis Sanctis, ut Chriſtus per ſuum Spiritum evidentiſſimo & exuberantiſſimo cum effectu regnet in Eccleſia, atque ſic Regnô Satanæ debellatô, viribuſque iniquitatis ad impotentiam redactis, homines (*s*) *ſobriè, juſtè & piè vivant in hoc ſeculo.* Fruentur ergo electi ſuo tempore promiſſione Domini etiam in externis ac corporalibus bonis, longè uberiùs quàm hactenùs; (eâ nempe menſurâ & ubertate, quâ Divina Sapientia, ſuæ gloriæ & animarum ſaluti congruere judicabit,) cum ſit impoſſibile verbum ejus exactè non impleri, promittentis, (ut jam non ſemel * retulimus) primariò *Regnum Dei & juſtitiam ejus quærentibus*, etiam ea *omnia* quæ ad corpus ſpectant, *adjicienda* eſſe.

XIII. Nec erunt ſancti & electi Dei horum conſecutione *carnales*, vel, non ſe volutabunt in carnalibus, (ut τὸ (*t*) *carnale* ſæpiùs in deteriorem partem accipitur in Scripturis,) ſed & in plena eorundem fruitione *ſpirituales* futuri ſunt, & bona quoque eorum corporalia, ſenſû jam dicto, *ſpiritualia* erunt: quia in totum & abſque ullo abuſu rebus *ſpiritualibus* inſervient, & ab auro (ut ſic dicam) ſeu fulgore ac præſtantia Divini Spiritûs ejuſque chariſmatum in electis prædominantium, omnis eorum vilitas obducetur & exornabitur. Si quis neque hoc ſenſû, (orthodoxô reverà & Catholicô,) promiſſionibus Dei quantum ad externa & corporalia uberiùs dehinc implendis, aſſentiatur, (ſicut aliquis zelô contra *Judæos* abreptus, (*u*) imprudenter & planè contra (*v*) Scripturam S. & Fidem Chriſtianam docet, *Chriſtum, non corporum, ſed animarum* tantùm *Liberatorem* eſſe;) videat ille, ne nunquam innumera Prophetiarum & Typorum loca rectè intelligat, & dum claras etiam ac orthodoxas expoſitiones negat vel contemnit, metuat, ne demùm, tàm à ſpiritualium quàm à

corpo-

(*ſ*) *Philip. 3. v. 19.* (*s*) *Tit. 2. v. 12.* * *Parag. 2. & 9. h. c. p. 194. & 199.* (*t*) *Vid. loca paulo antè cit. ad §. 10. h. c.* (*u*) *Author Theol. Judaic.* (*Ant. Huls.*) *in Not. in* אבקת רוכל *pag. 6. & 7. edit. Bred. An. 1658.* (*v*) *Rom. 8. v. 23. 1. Cor. 6. v. 15. 19. 20. Philip. 3. v. 21. 1. Theſſ. 5. v. 23. Confer Eccli. 51. v. 3. (al. v. 2.) & Luc. 1. v. 74.*

corporalium bonorum fruitione penitùs excidat. Certè S. *Hieronymus*, quo nemo ex veteribus SS. Patribus ſeverior fuit in eos, qui dicti ſunt *Chiliaſtæ*, adeò hîc mecum ſentit, de implendis etiam quoad corporalia bona propheтiis in Eccleſia, ut non curatâ modificatione illâ vocis, *carnalis*, (quam ego, filum & ductum Scripturæ ſecutus, juſta de cauſa hîc adhibui (*x*) in ſuperioribus,) apertè dicat, prophetiam quandam Iſaiæ, etiam *carnaliter* in veteri Eccleſia Catholica impletam eſſe. Ubi tamen τὸ *carnaliter*, (ex mente ipſius) pio ſensû idem tantùm ſignificat, quod eſt *externè* & *corporaliter* in Eccleſia impleri. Verba ejus huc facientia ad „verſum illum Iſaiæ, *Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos*, &c. hæc ſunt: (*y*) *Quod, vel CARNALITER accipitur,* (inquit,) *vel ſpiritualiter. Si CARNALITER; videmus Cæſares Romanos Chriſti jugo colla ſubmittere, ædificare Eccleſias expenſis publicis, & adverſùs perſecutiones Gentium, atq; inſidias Hæreticorum, Legum-ſcita pendere. Si ſpiritualiter; quicunq; in eis continentiâ, eloquentiâ, ſanctitate Principes ſunt, & animæ imperio, carnis ſubjugant ſervitutem, ipſi adminiſtrant & aſſiſtunt, vel auxiliantur ei.* (Vides jam hîc implicitè involvi illud, quod ego clariùs docui; videlicet, ubi quis Spiritui S. ſe totum tradit regendum, jam ejus externæ quoque actiones in bonum Eccleſiæ editæ, *ſpirituales* dicendæ erunt; uti ſunt, *ædificare expenſis Eccleſias*, eis *aſſiſtere*, & eaſdem externè defendere.) Ibidem in Eccleſiæ conſolationem, immediatè hæc obſervanda ſubjicit: *Quam*, ſcilicet Eccleſiam, *ſæpè propter negligentiam deſerit*, (nempe Deus,) *vel perſecutorum percutit virgâ, ut RURSUM propter miſericordiam diligat.* Hoc eſt, ex ejus ſcopo, ut iterùm pios Principes det Eccleſiæ, eiq; tum in ſpiritualibus tum in corporalibus uberrimè benedicat. Conferri hîc poſſunt de locutione ſuperiùs memorata, etiam hæc ejuſdem (ad verba illa Iſaiæ, *Et REGES in ſplendore ortûs tui*,) dicta: (*z*) *Quod* (inquit) *& ſpiritualiter impletur & CARNALITER; ut Reges--ambulent in ſplendore naſcentis Eccleſiæ.* Hæc omnia monſtrant, fideles Dei in S. Eccleſia, nullâ ratione cum *Judæis* vel *Judaizantibus* conferri poſſe aut debere, nec eos *carnales* ex hoc dicendos eſſe, quòd ad literam *corporalia* etiam bona pleniùs dehinc in Eccleſia, juxta promiſſiones Divinas affutura expectent.

XIV. Moneo tamen in fine hujus *Regulæ*, ut benè unuſquiſque ſibi & ſuis conceptibus attendat, ne quo pactô literalem huic vel illi loco ſenſum, pro nudæ tantùm rationis aut ingenii per naturam ſagacis ductu, affingendo, multum aberret à ſcopo Spiritûs ſancti; ſed ſemper in dubiis primô loco meditetur ea, quæ purè ſunt myſtica & ſpiritualia. Ad hoc ergò, proximè ſequentes duæ *Regulæ* ſunt obſervandæ.

REGU-

(*x*) *Hôc §. & 10. h. cap.* (*y*) *S. Hieron. Comment. in Iſa. 60. v. 10.* (*z*) *Ibid. ad v. 3.*

Digitized by Google

REGULA XV.

XV. „*Quæcunq; in Scriptura S. magnificis quibuſdam vocabulis, ac phra-„ſibus ſublime ſonantibus, captû tamen quoad grammaticum & ex ſono pri-„mâ fronte apparentem ſenſum, menti humanæ facilibus, ac ideò ipſam „mentem, ut plurimùm ad ejuſmodi ſenſum in litera obvium & apparentem „quaſi trahentibus promittuntur vel denunciantur futura; in illis (poſt ter-„minos & terminorum nexus grammaticè intellectos) primariò ſemper & præ-„cipuô labore ſenſus myſticus & ſpirstualis eſt quærendus; ne ſi primò „ſtatim in literali tam ſublimium ſenſu ex ſono vocum nobis obvio & præcon-„cepto mentem figamus, à veritate multùm aberremus.*

XVI. Per *ſenſum grammaticum*, ac primâ fronte obvium, quid hîc intelligam, eruditis eſt notum. Ipſam nempe vocum & phraſium ſignificationem ex arte Grammatica, vel ex uſu eam ſupplente hauſtam & vulgò notam. Ut, cum audimus dici *Cœlum novum*, vel *Stellas cadere de Cœlo*; Grammaticè & vulgò quid hæc ſignificent, ſtatim ex ipſis vocibus diſtinctè perceptis novimus: ſed ab hoc ſenſu merè grammatico & vulgari, in prophetiis illis, de quibus præſens *Regula* ſonat, longè diſtingvendus eſt ſenſus earundem literalis (ſi quæ talem habent) Theologicè conſideratus, & à Spiritu S. unà cum ſenſu ſpirituali, pro futuro implemento intentus. Nam & quoad literam, longè ſublimior adhuc dari poteſt ſenſus ſublimium dictorum ſacrorum, inprimis de *Cœlo & cœleſtibus* ſonantium, quàm corrupta mens humana ſubſidiô artis, vel uſûs vulgaris inde eruere poſſet. Ad hoc tamen valet ſenſus ille *grammaticus* & vulgò notus, in præſentis *Regulæ* prophetiis, ut ſit fundamentum ſpiriritualis intelligentiæ. In aliis autem prophetiis, in illis videlicet, quæ jam ad literam, (pleniùs vel parciùs) impletæ ſunt, quaſve ſic impletas eſſe certô teſtimonio novimus; (ut, v. gr. quæ olim prænunciabant captivitatem Judæorum *Babylonicam*, vel eorundem inde ſecuturam liberationem; & quæ ſunt his ſimiles;) primùm requiritur, ut illud ipſum literale implementum pro fundamento ſenſûs ſpiritualis noſcamus, antequam earundem ſpiritualem ſenſum rimemur. Sic ſemper in prophetiis, ſenſus (hôc vel illô modo) literalis prærequiritur, ad ſpiritualem earum ſenſum eruendum; quod jam alibi quoq; (*a*) inſinuavimus.

XVII. Ratio autem *Regulæ* noſtræ eſt: Quia ſpiritualis prophetiarum in *Regula* deſignatarum ſenſus mente perceptus, longè plus facit in noſtram ſalutem, quàm earundem (quarum nempe datur) ſenſus in implemento futuro literalis; ideoque Spiritus S. in talibus illum vult primariô & principali labore per nos inveſtigari. Atque hoc nos monet etiam ipsâ ſublimitatè vocum & phraſium, quibus in ejuſmodi prophetiis utitur. Deinde:

(*a*) *Claſſ. 1. ſub Reg. 3. Cap. 1. §. 6. pag. 24.*

Prophetiæ in *Regula* deſignatæ, vel tales ſunt, quæ aliquando etiam literaliter implebuntur; vel quæ nunquam literaliter ac propriè, ſed ſolùm ſpiritualiter: (qua de re in utramque partem judicium ferri poteſt ex *Regula* (*b*) ab hinc tertia.) Quæ literale implementum non admittunt, (ut, v. gr. cum dicitur, (*c*) *inebriari in Cælo gladium* Domini; (*d*) *tabeſcere omnem militiam cælorum*; (*e*) *complicari Cælos, ſicut librum*; (*f*) *omnem militiam Cælorum defluere*, ſeu (*g*) *ſtellas cadere de Cælo*; *erubeſcere* (*b*) *Lunam, & confundi Solem*;) in illis tantò magis, (poſt ſimplicem ac vulgarem terminorum intellectum) ſolummodò ſenſus ſpiritualis eſt quærendus. Quæ verò ex illis literale etiam pro futuro admittunt implementum, eædem quoque primarium noſtrum laborem pro ſpirituali ſenſu inveſtigando impendendum requirunt, hâc ratione: Quia bonum illud, quod in literali talium implemento, pro parte noſtrî eſt reconditum, neceſſariò ad ſuî conſecutionem, ipſum ſpirituale earundem prophetiarum implementum, ut medium à Deo ordinatum præſupponit & prærequirit; imò quædam illarum prophetiarum, de quibus nunc loquimur, in nobis planè debent ſpiritualiter impleri, antequam experiamur earundem literale implementum. Sic ergò, quemadmodum cœleſtia nobis (*i*) *primùm* ſemper quærenda ſunt, ac deinde ſequitur uberrima etiam in corporalibus benedictio; ita in intelligendis quoq; deſcriptis in *Regula* prophetiis, (quæ nempe ex iis literale quoque implementum requirunt,) ſpiritualis ſenſûs inveſtigatio & inventio præmittenda eſt pleniori ſenſûs earundem literalis à Spiritu S. intenti, inveſtigationi.

XVIII. Exemplis jam *Regulam*, quâ parte adhuc requiritur, (ſcilicet, quoad proximè dicta) illuſtremus. Sic v. gr. ubi (*k*) *Cæli novi & terra nova* promittuntur; ſenſus quidem etiam literalis Deo notus, in illo promiſſo non eſt negandus; ſed tamen primariò & directè id nobis hîc inveſtigandum & ſciendum eſt, quid *Cælum* & quid *Terra* in myſterio poſſint ſignificare in ejuſmodi promiſſo. Illud nempe ſublimiorem in Eccleſia ſtatum; hæc inferiorem, attamen feracem, (ſi excolatur,) & talem, quæ è *Cælo* myſtico, tanquam è nubibus accipiat pluviam & rorem ſpiritualem. Vel ſi volumus cum S. *Auguſtino* loqui, (*l*) *Cælum magnos* in Eccleſia, *Terra* autem *puſillos* ſeu infirmiores fideles, (qui tamen *creſcendo futuri ſunt cælum*) ſignificat. Ac *Cælum cæli* (phraſis ſublimior,) excellentiores illos *Sanctos* (juxta eundem) (*m*) deſignat, quorum *mentes in tantum*

(*b*) *Scil. Reg. 13. b. c. §. 7. p. 197.* (*c*) *Iſa. 34. v. 5.* (*d*) *Ibid v. 4.* (*e*) *Ibid. & Apoc. 6. v. 14.* (*f*) *Ibid. in Iſa.* (*g*) *Matt. 24. v. 29. Marc. 13. v. 25. & cit. Apoc. 6. v. 13. Confer hîc Comm. Cornel. à Lapid. in Apoc. 6. v. 13.* (*b*) *Iſa. 24. v. 23.* (*i*) *Matt. 6. v. 33.* (*k*) *Iſa. 65. v 17. & 66. v. 22. & 2. Pet. 3. v. 13. Apoc. 21. v. 1.* (*l*) *Enarrat. in Pſalm. 113. (al. 115.) v. 15, 16.* (*m*) *Ibid. ad v. 16.*

Digitized by Google

tum Deus *ſublimavit*, *ut nulli hominum*, *ſed ipſi Deo ſuo docibiles fierent*, & per hoc, (*n*) *non ab homine, neque per hominem, ſed per ipſum Deum carperent ſinceritatem ubertatemque ſapientiæ*. Conferat hîc Lector ea quoque, quæ jam alibi, (*o*) de ſpirituali *Cæli & terræ* ſignificatione ex S. *Hieronymo* diximus. Sic intellectâ myſticâ vocum ſignificatione, facilè concludemus etiam de ſcopo totius promiſſi quoad eandem ſignificationem; ac deinde paulatim pateſcet etiam, quis ſit verus literalis ſenſus ejuſdem promiſſi. Alioquî, ſi quis temerè, abſque ſpeciali Spiritûs S. lumine, ſolâ ingenii ſui humani (licet communi aliquo *cæleſti dono* (*p*) illuminati) perſpicaciâ fretus, aggrediatur determinare modum & formam futuræ *renovationis Cælorum* & *Terræ* literaliter acceptorum, procul dubio multùm is à veritate aberrabit. Nec etiam exiſtimet aut confidat quis habere ſe ad hoc ſpeciale lumen, ſi nondum in ſpirituali prædictorum renovationis ſenſu inveſtigando practicè (ſeu, cum ſui ipſius ſpirituali renovatione) ſit exercitatus. Juſtum enim & æquum eſt, ac ſapientiæ Divinæ ſummè conſentaneum, ut ea, quorum implementum ex parte, noſtrî eſt emendatio & renovatio, rectè & plenè intelligi nequeant, niſi ab iis, qui præmiſerint in ſe ſpirituale eorum (quà ad ipſos ſpectant,) implementum. Quæ quidem tantò pleniùs eis cum tempore patebunt, quantò plùs ipſi in ſpirituali talium implemento profecerint. Nunc ipſis quoque aliquantulum jam in palæſtra ſpirituali progreſſis, ſufficiat ſcire hoc in genere; quòd dum (*q*) *creatura* à vanitate & *ſervitute corruptionis* (quâ ipſa quoq; elementa & alimenta homini ſunt nociva,) *liberabitur in libertatem gloriæ filiorum Dei*, & quando nova (ſeu renovata) habebimus in Cœlis & terra oculorum objecta, ad celebrandas Dei laudes in Eccleſia Sanctorum ſpectantia, tunc ſanè etiam literaliter *novi* nobis *Cæli, novaq; terræ* erunt. Ceterùm, modum & formam diſtinctiorem renovationis eorum determinare, in ulteriora tempora, ulterioremque noſtrî in ſpiritualibus profectum relinquamus. Ad hanc etiam *Regulam* ſpectat illud, quô dicitur, (*r*) *Angelos miſſum iri* ad *colligendum è regno* Chriſti *omnia ſcandala*; item (*ſ*) *Angelum ſtare in Sole*. Huc referendus eſt eximius quoque S. Petri locus, de futuro (*s*) *cælorum tranſitu impetuoſo*, futuraque *elementorum* ac Mundi hujus *per ignis ardorem* conflagratione. Hujus etiam loci ſunt iſtæ prædictiones: v. gr. (*t*) *Lucem Lunæ* futuram *ſicut* eſt *lux Solis, & lucem Solis* fore *ſeptuplam*; item, (*u*) *Induendos Cælos tenebris* ſeu *atrore*; (*v*) Chriſtum *venturum in nubibus*, ſeu *cum nubibus*. (Ubi quid, & qui ſpiritualiter per *nubes* intelli-

(*n*) *Ibid.* (*o*) *Supr. h. Claſſ. 2. Cap. 1. §. 22. punct. 3tio, pag. 73.* (*p*) *De quo eſt mentio, Heb. 6. v. 4.* (*q*) *Rom. 8. v. 21. collat. v. 20. ibid.* (*r*) *Matt. 13. v. 41.* (*ſ*) *Apoc. 19. v. 17.* (*s*) *2. Pet. 3. v. 10. 12.* (*t*) *Iſa. 30. v. 26.* (*u*) *Iſa. 50. v. 3.* (*v*) *Matt. 24. v. 30. Marc. 13. v. 26. Luc. 21. v. 27. Apoc. 1. v. 7. collat. Dan. 7. v. 13. & Marc. 14. v. 62.*

intelligi debeant, infra (*x*) audiemus.) Hujus *Regulæ* ductû explicanda eſt etiam inſignis prophetia *Zachariæ*, (*y*) de fortiſſimis & animoſiſſimis Eccleſiæ Dei bellatoribus & propugnatoribus.

REGULA XVI.

XIX. *Quæcunq; in Scriptura S. phraſibus ac vocabulis demiſſioribus, & „parvum quid (ſaltem non ſublime, non valde magnum) quoad literam ſo-„nantibus promittuntur vel denunciantur futura; ſciendum eſt, magnam in „iis rem in myſterio & ſensû ſpirituali ſignificari.*

XX. Ita nimirum Deo ſapientiſſimo (hominum linguæ & infantiæ ſe ſubinde accommodanti) placet, ſuam inexhauſtam etiam per humilitatem verborum, rerum ac phraſium declarare ſapientiam. Non ergo in nuda talium litera eſt hærendum, ſed myſterium grande ſub litera latens diligenter inveſtigandum. Ut, v. gr. dum promittitur apud Iſaïam, quòd (*z*) *arida erit in ſtagnum*; quòd (*a*) *in cubilibus, in quibus priùs Dracones habitabant, orietur viror calami & junci*; quod (*b*) *aſpera erunt in vias planas*; quòd (*c*) *in deſerto abies, ulmus & buxus ponentur*: quòd Dominus (*d*) *calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*; item, dum prædicitur per eundem Prophetam, quòd (*e*) *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit*. &c. item, quòd (*f*) *Vitulus & urſus unà paſcentur*, ac *ſimul requieſcent catuli eorum, & Leo quaſi bos comedet ſtramen*; (*g*) *& delectabitur infans ab ubere* (ſeu *lactens*) *ſuper foramine aſpidis*, &c. & quòd (*h*) *ſerpenti panis* (ſeu *eſca*) futurus ſit *pulvis*, aliaq; (*i*) his ſimilia, talia ſunt, in quibus ſub ſimplicitate & tenuitate vocum & phraſium, ardua latent ſensûs ſpiritualis myſteria. Juxta ductum hujus *Regulæ* exponendum cenſeo etiam locum citati *Iſaiæ* de (*k*) *comeſtione butyri & mellis*, collatum cum loco *Jobi* de (*l*) *torrente mellis & butyri*. Quid autem ex talibus poſſit etiam literaliter impleri, & quid non; *Regula* decima-tertia ſuperiùs tradita, accuratum Studii Prophetici cultorem docebit.

REGULA XVII.

XXI. *Sunt ea Scripturæ S. loca de futuris, quæ, niſi quis admittat „dehinc adhuc res valde magnificas, ſummè arduas, ſummè admirandas, „æviq; hujus experientiam, & communes hominum præſentis ſeculi cogitatio-„nes longè excedentes, futuras in Mundo & in Eccleſia, nunquam rectè in-„telliget.*

XXII. Ad

(*x*) *Sub Reg.* 33. *b.* 2. *Claſs. cap.* 10. §. 33. 34. 45. *collat.* 48. 49. 50. *ibid.* (*y*) *Zach.* 12. *v.* 6. & 8. *Conf. Iſa.* 13. *v.* 2, 3. 4. & *Ezech.* 39. *v.* 9. (*z*) *Iſa.* 35. *v.* 7. (*a*) *Ibid.* (*b*) *Iſa.* 40. *v.* 4. (*c*) *Iſa.* 41. *v.* 19. (*d*) *Iſa.* 42. *v.* 3. (*e*) *Iſa.* 11. *v.* 6. (*f*) *Ibid. v.* 7. (*g*) *Ibid. v.* 8. (*h*) *Iſa.* 65 *v.* 25. (*i*) *V. gr. Iſa.* 1. *v.* 3. *col.* 1, & *cap.* 7. *v.* 23. 24. 25. & *cap.* 32. *v.* 20. &c. (*k*) *Iſa.* 7. *v.* 15. & 22. (*l*) *Job.* 20. *v.* 17.

Digitized by Google

XXII. Ad ſcopum planè Sanctorum Prophetarum, de ultimis temporibus valde magna, ardua & admiranda prophetantium, loquitur *Siracides* in quadam ſua oratione hunc in modum: (*m*) Ἐγκαίνισον σημεῖα, καὶ ἀλλοίωσον θαυμάσια. H. e. *INNOVA SIGNA, & immuta MIRABILIA.* Vel clariùs quoad ſenſum: *Ede NOVA Signa, & fac res ALIAS ADMIRANDAS.* Loca tantùm aliquot hîc pro *Regula* fulcienda ſubjiciam. Scilicet, Iſa. 4. ℣. 2. 3. 4. 5. & cap. 30. ℣. 26. 27. & ſequ. & cap. 25. ℣. 8. & 32. ℣. 1. 17. 18. & 35. ℣. 9. 10. & 42. ℣. 9. 13. 14. 15. & cap. 52. ℣. 12. 15. & 63. ℣. 4. 5. 6. & 64. ℣. 2. 3. (al. ℣. 7. 8.) & 65. ℣. 14. 15. 17. 18. 19. 20. 21. 23. & cap. 66. ℣. 8. 9. ibid. ℣. 14. (collat. cum Ezech. 37. ℣. 11. 12. 13. 14.) Item, ℣. 21. 22. ibid. Dan. 12. ℣. 6. 10. 12. Zach. 10. ℣. 10. & cap. 12. ℣. 6. 7. 8. 9. & cap. 14. ℣. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 16. Mal. 3. ℣. 16. 17. 18. & cap. 4. ℣. 2. 3. Hæc & multa alia hujus generis, ſi quis ritè excutiat, animadvertet vetera miracula per *Moſen* & alios Sanctos facta, ita fuiſſe firmamenta cœleſtis doctrinæ, ut comparata cum futuris ultimi temporis operibus Dei admirandis, illa typi & imagines horum futurorum omninò fuerint. Ne ergò quiſpiam hîc *miracula* tantùm ad literam priſtinis penitùs ſimilia expectet; ſed ut Siracides ait, *Signa nova* ſeu *innovata*, & *alia* ſeu *immutata mirabilia*; h. e. priſtinis longè excellentiora, eaque ſucceſſivè perficienda. (Juxta quem ſenſum debent exponi etiam illa *Pannonii* in Apoc. 14. ℣. 18. verba: *Circa finem Mundi crebreſcent miracula.*) E' numero talium *mirabilium* ſeu *miraculorum* erit hoc, quòd v. gr. immaniſſimæ & furioſiſſimæ Nationes, ſubitò manſveſcent Chriſto, & ſtolidiſſimæ ac cæciſſimæ Gentes, velociter ac inſperatò jucundâ Evangelii luce illuſtrabuntur, & ſapientes evadent; idque Deus per vilia & abjectiſſima media, eôque modô, quem humana mens nunquam cogitâſſet, efficiet. Similiter quando Deus animos hominum ſub nomine Chriſtiano, inter ſe odio pluſquam Vatinianô de Fide atrociſſimè digladiantium, ex inſperato ad ſanctam adducet unionem, cunctoſque ſuæ Eccleſiæ hoſtes, veritati & ſanctæ paci animô obſtinato reluctantes debellabit, viâque omnem humanam cogitationem ſuperante prorſùs ad incitas rediget, è contra Eccleſiæ ſuæ ſanctæ cornua ubique glorioſè eriget, erit id quoque è numero talium ſummè admirandorum. Idem dicendum eſt, dum Deus ad tanti operis executionem, ſuos Servos, in ſe ineptos, viles & infirmos, in ſtatu rebuſque eorum humanitùs deſperatis, contra omnem ſpem & opinionem humanam, aptiſſimos, excellentiſſimos, & contra omnia adverſa fortiſſimos reddet. Non eſt hîc omittendum, quòd Sanctus quoque *Juſtinus* Martyr noſtram illuſtrat & fulcit *Regulam* verbis illis, quibus docet

(*m*) *Eccli, cap. 36, v. 6.*

Digitized by Google

docet (*n*) *eventura* juxta *Prophetarum* prædictiones adhuc deinceps (ultimis nempe temporibus) talia, quæ antequam eveniant, *ignorantur*, & (humanitùs) *non creduntur*. Ad ulteriora jam progrediamur.

CAPUT VII

In quo *de Libris* Job, Proverbiorum & Eccleſiaſtæ, Regula (*ordine 18va*) *traditur, quâ docetur, hos* Libros, *præter Literalem eorum ſenſum piis ſcrutatoribus ultrò obvium*, myſteria *etiam futurorum continere*, *eſſeq; profundè* propheticos.

REGULA XVIII.

I. *NOn ſolùm Prophetarum* κατ' ἐξοχὴν *ſic dictorum, & pariter pro-,,phetantium in Novo Teſt. Apoſtolorum loca de futuris* δυσνόητα *,,& obſcura, ſed etiam Libri Morales Veteris Teſtamenti explicatû difficiles, ,,uti ſunt*, Job, Proverbia & Eccleſiaſtes, *profundam & uberrimam in ul-,,tima tempora habent in ſe latentem prophetiam.*

II. Non negatur hâc *Regulâ* ſenſus ille, qui primo intuitû in his Libris, (nunc memoratis,) piis Scripturæ S. ſcrutatoribus ultrò obvius eſt; ſed præter eum ulterior adhuc & altior quærendus intimatur. Si quis *Regulam* hanc non admittat, nunquam certè principalem Spiritûs S. in dictis Libris ſcopum aſſequetur. Ipſimet Libri illi, ſuâ emphaticâ in dicendo gravitate, fœcundâ ac ponderosâ obſcuritate, rerum ſublimi majeſtate, verborum & ſententiarum admirabili ordine, loquuntur, ſe eſſe profundiſſimè propheticos. Audiamus de his SS. Patrum judicium, & quidem primò de Libro S. *Job*.

III. S. *Ambroſius* cum explicaret locum, in quo *Job* (*a*) diei ſuæ maledixit, docet ibi, in ejus dictis prophetiam & myſterium eſſe. (*b*) *Quòd ,,maledicit* (inquit) *diei dicens:* Pereat dies illa, in qua natus ſum; & *in-,,fra:* (*c*) Sed maledicat ei is, qui maledixit diem illam, qui habet ma-,,gnum Cetum opprimere; *ad PROPHETIAM pertinet; eò quòd Diabolum tanquam proceloſi ſæculi iſtius Cetum, Dominus noſter Jeſus Chriſtus oppreſſit. Et generationis ſuæ carnalis diem perire deſiderat, ut dies ejus in* † *Regeneratione numeretur. Pereat, inquit, dies ſæcularis, ut dies ſpiritualis oriatur. Ergò in tentatione ſanctus Job, MYSTERIA LOQUITUR.* Quod dicitur hîc de *Ceto* ſeu Leviathan *oppreſſo*; (quo in dicto, Græcos ſequitur S. Ambroſius, χειρώσασθαι, *manibus ſuperare, domare*;) non eſt putandum, ad illud tantùm pertinere tempus, quô Chriſtus in cruce, morte devictâ,

(*n*) *Apolog. 2. pro Chriſtian. pag.* (*mihi*) 87. (*a*) *Job. 3. v. 2.* (*b*) *Ambr. Comment. in Luc. 4. v. 12.* (*c*) *Hæc juxta LXX. interp. ſonant, Job. 3. v. 8. in Græc.* (*al. v. 7.*) † *Ita reddè, non autem ſicut quædam editiones habent*, generatione. *Reſpexit procul dubio ad locum, Matt. 19. v. 28. quem confer cum Pſal. 109. juxt. Hebr. v. 3. col. 2.*

devictâ, Diabolum quoque vicit; ſed maximè ad tempus illud ‡ ultimum, quô in ſuis fidelibus, (quos ſuâ potenti virtute induet,) vincet Diabolum & Angelos ejus. In Hebræo (עורר. * *Orer*,) id ponitur, quod eſt initium illius certaminis victorioſi; in Græco verò finis & exitus ejuſdem. Præterea, in hac ſuæ *diei maledictione*, ſupponit S. *Job* tempus ejus primum, hoc eſt id, quod morbis & aliis calamitatibus fuit plenum, uſque ad ſuſ reſtitutionem, fuiſſe typum horrendorum illorum malorum, quæ electi debebant in perpetuum ſuſtinere, niſi Chriſtus (cujus typus erat *Job*,) pro illis ſatisfeciſſet. Optat ergò ut *dies* illa malis plena pereat, ne ſcilicet ultimis illis temporibus, quibus Chriſtus Dominus horrenda ſua judicia (ulteriorum & majorum prænuncia atque initia) in Mundum hunc profundiſſimæ peccatorum voragini ſecuriſſimè immerſum effuſurus eſt, ne inquam, ita graſſetur in electos, ut eos abſorptura, detentura, vel nimis diù afflictura eſſet, ſed (*d*) abbrevietur illis, atque ſic in æternum (quoad illos) aboleatur, oriaturque & illuceſcat illis *dies* alia, *dies* nempe ſemper beata, (*e*) *ſemper læta*, & *ſemper ſecura*.

IV. S. *Hieronymus* ejuſdem Regulæ noſtræ veritatem de Libro *Job*, paucis hiſce expreſſit: (*f*) *Job exemplar patientiæ, quæ non MYSTERIA ſuo ſermone complectitur?-- Singula in eo verba plena ſunt ſenſibus.* Sanctus autem *Gregorius* Papa, adhuc pleniùs confirmat id de eodem Libro *Job*, quod *Regula* noſtra tradit: qui ad verba illa, (Job, cap. 29. ℣. 1.) *Addidit* „*quoq; Job, aſſumens Parabolam ſuam*, &c. ſic ſcribit: (*g*) *Quia enim* Parabola *ſimilitudo nominatur, apertè conſtat, quòd per exteriorem verborum formam, myſteria loquitur, qui ad loquendum PARABOLAM aſſumſiſſe memoratur. Cum etenim SUA NARRAT, quæcunq; ſunt SANCTÆ ECCLESIÆ VENTURA, DENUNCIAT; & per hoc quod ipſe patitur, indicat quid illa patiatur.-- In hac verò ultima ſui parte ſermonis, ULTIMUM TEMPUS deſignat Eccleſiæ; quando adverſarios ſuos, id eſt, Carnales quoſque, vel Hæreticos atque Gentiles, quos nunc ſtudet ſapientiæ auctoritate compeſcere, effrenatâ jactantiâ elatos cogitur irriſa tolerare.-- Et ipſa ordinis ratio expoſcit, ut per verba beati Job ultima, extremi ſanctæ Eccleſiæ deſignentur dies, quando perſecutione creſcente, apertas Hæreticorum voces tolerare compellitur.-- Nunc enim, ſicut per Joannem dicitur, (h) Draco in abyſſo clauſus tenetur; quia Diabolica malitia in eorum ſubdolis cordibus occultatur.* Hæc ille. Plura qui vult noſſe, quomodo ſequentia ibidem verba S. *Job* emphatica, (v. gr. de *ſplendente lucerna*, & de aliis) explicet,

‡ *Sic S.* Gregorius *M. diſertè ad* finem Mundi, *ac ſpecialiter ad tempus* Antichriſti *refert myſterium loci hujus*: Moral. *in Job Lib. 4. cap. 12. in cap. 3. Job. v 8.* * *H. e.* ſuſcitare. (*d*) *Matt. 24. v 22.* (*e*) *Vide de hac* die *Thom à Kemp. de Imit. Chriſt. Lib. 3. cap. 48. n. 1.* (*f*) *S. Hieron. Epiſt. 103. ad Paulin.* (*g*) *Moral. in Job, Lib. 29. c. 7.* (*h*) *Apoc. 20. v. 3.*

conſulat eundem. Hæc certè & alia apud eundem S. Doctorem, ſatis docent, quàm ſint profundè verba Libri S. *Job* prophetica.

V. Quis porrò in *Proverbiis* Salomonis, ubi legit de *Sapientia*, quæ (*i*) *ædificavit ſibi domum*, & *excidit columnas* ſuas *ſeptem*; *immolavit victimas ſuas*, *miſit ancillas ſuas*, &c. qui vel mediorem jam ſcientiæ Scripturariæ guſtum habet, non animadvertat, eſſe ibi eximiam de Novo Teſt. & præcipuè de ultimis ejus temporibus prophetiam? Hinc S. *Ambroſius* dum locum iſtum ſibi allegaret, mox ſubjicit: (*k*) *Nonne* (inquit) *in Evangelio, poſt incarnationem hæc omnia videmus eſſe completa?* (Videmus ſcilicet in dies & ſucceſſivè.) *Quòd ſacri convivii* (Chriſtus) *celebravit* „*myſteria*; quòd *Apoſtolos miſit*; *voce magnâ clamavit*, *dicens*: (*l*) *Si quis* „*ſitit*, *veniat ad me & bibat*. Quantò magis hæc ultimo tempore implebuntur adhuc pleniùs, cum prædicatio verbi Divini, & lumen Evangelii Orbem terrarum latiùs & potentiùs (quàm hactenùs) occupabit? Similiter, idem S. Doctor, in iiſdem Proverbiis, ſub typo & imagine *Mulieris fortis* ac ſtrenuæ, ſuoque Viro fidiſſimæ, non obſcurè indicat nobis propheticè repræſentari, ultimi temporis Eccleſiam, quæ caſtiſſima, ſanctiſſima & integerrima Chriſto Domino venienti præſentabitur. Verba ejus ſunt: (*m*) *Mens qua credidiſti Deo*, *eſto fortis mulier*, *qualis illa*, *vel anima*, *vel Eccleſia*, *de qua dicit Salomon*; (*n*) *Mulierem fortem quis inveniet?* Deinde infra, verbis quaſi hujus *Mulieris* myſticæ, h. e. Eccleſiæ, ſic pergit: *Moras facit Vir meus venire*; *feſtinabo ipſa ad eum*; *occurram ei facie ad faciem*, *quùm venire cœperit in gloria ſua*. Et ſubjicit: *Veni Domine Jeſu*, *ut invenias Sponſam tuam*, *non contaminatam*, *non adulteratam*, *quæ non violaverit Domum tuam*, *non mandata neglexerit*. *Dicat* „*tibi*: (*o*) *Inveni quem dilexit anima mea*: * *introducat te in domum vini*, (*vinum enim* (*p*) *lætificat cor hominis*,) *inebrietur* (*q*) *Spiritû*, *agnoſcat myſterium*, *loquatur oraculum*.

VI. De eodem Libro *Proverbiorum*, huc facit etiam illud S. Hieronymi: (*r*) *Proverbia non hoc ſonare quod ſcriptum eſt*, *etiam in Evangeliis* (*ſ*) *edocemur*.--*Ex quo manifeſtum eſt*, & *PROVERBIORUM LIBRUM*, *non ut ſimplices arbitrantur*, *patentia habere præcepta*; *ſed quaſi in terra AURUM*, *in nuce NUCLEUS*; *in hirſutis caſtanearum operculis*, *ABSCONDITUS FRUCTUS inquiritur*; *ita in iis DIVINUM SENSUM ALTIUS perſcrutandum*. Rectè Venerabilis quoque *Beda* † planè in no-

(*i*) *Prov.* 9. *v.* 1. 2. & *ſequ.* (*k*) *Lib.* 1. *de Fide ad Gratian. Aug. cap.* 7. (*l*) *Joan.* 7. *v.* 37. (*m*) *S. Ambr. Comment. in Luc.* 16. *v.* 18. (*n*) *Prov.* 31. *v.* 10. (*o*) *Cant.* 3. *v.* 4. * *Ibid. cap.* 2. *v.* 4. (*p*) *Pſal.* 103. (*al* 104.) *v.* 15. (*q*) *Cant.* 5. *v.* 1. (*r*) S. Hieron. *Comment. in Eccleſiaſten*, *cap.* 12. *v.* 9. (*ſ*) *Matt.* 13. † *Obiit* Beda *an. D.* 731. *ut jam ſupr. p.* 52. *notavimus*. *Alii paulò aliter. Natus an. D.* 671. *de quo vide* Baron. *ad an. D.* 731.

in noſtrum ſcopum notavit in principio ſui in *Proverbia* Commentarii de ratione tituli hujus Libri: * *Quod* (inquit) *huic Libro vocabulum*, (nempe *Parabolarum*) *Salomon ob id impoſuit, ut ſciremus, altiùs, & non juxta literam tantùm nos intelligere debere quæ dicit. In quo, DOMINUM SIGNIFICAT, PER PARABOLAS turbis fuiſſe locuturum.* Hæc ille. Certè etiam hodie loquitur Dominus (& loquetur multò magis dehinc) Turbis per *parabolas*, cum non ſolùm *parabolas* Evangelicas, ſed etiam *Salomonis*, & alias exponit (& exponet) eis per ſuos Servos, Eccleſiarum nempe Doctores, indicando quid illæ in futurum ſignificaverint. Myſteria enim in *Prophetiis* & *typis* recondita, non omnia Chriſtus Dominus olim per ſe ipſum explicuit; ſed maxima ex parte ſuis Servis reliquit per Spiritum ſuum ſanctum explicanda. Hinc pius & eruditus Auctor Commentarii in *Apocalypſin* inter opera S. *Ambroſii*, de Libri *ſigillis ſeptem* obſignati apertione eruditè obſervat; quòd (*s*) *Chriſtus quando ex Virgine natus eſt, quando paſſus eſt, & reſurrexit, & in Cœlum aſcendit, Librum Veteris Teſtamenti aperuit; quia quæ ibi ſignificabantur, opere implevit. Poſtea verò ea, quæ in Vet. Teſtamento OBSCURA erant, & in Novo, DOCTORIBUS Eccleſiæ, per inſpirationem Spiritûs Sancti aperuit. Quæ apertio, reſeratio eſt ſigillorum.* Adde his, quòd etiam nunc per Spiritum S. reſerat ſuis ea, quæ adhuc reſeranda ſunt, & in poſterùm etiam reſerabit, ſive in *Apocalypſi*, ſive in *Jobo*, ſive in *Proverbiis*, ſive alibi ſint in Scripturis recondita.

VII. De *Eccleſiaſte* rectè dicit verbis paucis S. *Hieronymus*, quòd Salomon (*t*) *in Eccleſiaſte matura virum ætatis inſtituit.* Quod dictum ex ſcopo Spiritûs S. (qui talia verba ipſi hîc ſuggeſſit,) idem eſt, quòd Liber *Eccleſiaſtæ*, ea tradit, quæ Eccleſiam præcipuè ultimi temporis, jam adultiorem in fide, decent, eamq; inſtruunt, ut magis ac magis evadat in *maturæ ætatis virum*, in *virum* nempe illum *perfectum*, de quo ſcribit S. Paulus, Eph. 4. ℣. 13. Sed pro exemplo aliquid hîc ex hoc Libro aſſumamus, quò pateat Librum *Eccleſiaſtæ* præter literam eſſe etiam ſublimiter propheticum.

VIII. Sic S. *Ambroſius*, dum locum illum Eccleſiaſtæ, (*u*) *Generatio vadit, & generatio venit*, ſpiritualiter interpretatur, ejuſque implementum ad novum refert Teſtamentum, quando (*v*) *prior Fidei generatio*, Judæorum nempe, deſerta à Deo, viis ſuis ire permiſſa eſt, & ejus loco, *ſecunda Fidei generatio*, Gentilium nempe (cum paucis credentibus Judæis) in fœdus gratiæ aſſumpta; ſatis per hoc ſcopum noſtrum de *Eccleſiaſte* confirmat. Dum enim unum & alterum profundi ſensûs locum ex Libro illo

* *Vide hæc inter opera* S. Hieron. *Tom. 8, & inter opera* Bedæ, *Tom. 4. edit. Colon. Expoſition. in Parabol. Salomon.* (*s*) *Comm. in Apoc. 5. ad v. 8.* (*t*) *Comm. in Eccleſ. ſub initium.* (*u*) *Eccl. 1, v, 4.* (*v*) *Phraſis eſt S. Ambroſii de Judæis, loco mox citando.*

myſticè explicat; eò ipsô viam nobis monſtrat, & docet, quòd & integrum illum Librum quoad principalem Spiritûs S. ſcopum myſticè ac propheticè debeamus accipere. Verba ejus ſunt: (x) *Vadit generatio*, (Judaicus nempe populus, ut in antecedentibus (y) expoſuit;) *quia divites* (Judæi) *eguerunt & eſurierunt: qui antè abundabant gratiâ, poſtea tamen propter perfidiam ſuam egere cœperunt. Qui autem pauperes erant, populi Nationum, jam per fidem Chriſti ſatiantur & abundant.* Hæc de *generatione veniente*, ultimis etiam temporibus (& quidem pleniùs) implebuntur; quando nempe Deus ob contemptum verbi ſui, (poſt longam patientiam) unam Chriſtiani nominis *generationem* ſpiritualem & Eccleſiaſticam abjiciet, & alteram faciet in locum ejus ſuccedere.

IX. Idem S. *Ambroſius* proxima ibidem verba Eccleſiaſtæ; *Oritur Sol & occidit*, &, *Vadit ad Auſtrum, & gyrat ad Aquilonem*; *gyrando gyrat Spiritus*, ſic explicat: *Oritur Sol* (juſtitiæ) *juſtis, occidit autem injuſtis:* „*Oritur tranquillitati piæ mentis; occidit iracundiæ: Unde ait:* (z) *Sol non* „*occidat ſuper iracundiam veſtram.- Ipſe oriens, inquit, vadit ad Auſtrum,* „*& gyrat ad Aquilonem. Ille utiq; Oriens, qui ait:* (a) *Oriens nomen eſt* † *mihi: qui ſemper oritur piis, nunquam occidit. Ipſe oriens populo Hebræorum,* (nempe per nativitatem, & alia conſequentia,) *ad Auſtrum ivit, ad molliorem populum, luxuriâ magis ferventis corporis lubricum, quàm impietatis immanitate pradurum: aut certè ad nobiliorem Plebem, quæ erat genus electum, vendicans ſibi Patriarcharum proſapiam. Sed quia perſeverabat in vitiis, nec emendabat errorem, ideò Sol juſtitiæ gyravit ad gentes, quæ antè eloquiis cœleſtibus defraudata, immanes & ignobiles habebantur.* (b) *Aquilo enim gravis ventus, & populi Nationum. Sed qui erant antè graves perfidiâ, nunc ſuper * aquilas leviores facti ſunt fide atq; pietate.--- Et ecce ſunt noviſſimi, qui erant primi.* &c. Et paulò infra: *Gyravit igitur ad Gentes; gyrando autem gyravit Spiritus Dei, & in gyros ſuos converſus eſt, ut fieret Deus omnia, & in omnibus.*

X. Hæc S. Doctoris verba talia ſunt, quæ magnam nobis lucem monſtrant, quomodo præmemorata Salomonis verba, etiam de ſubſecutis initia Novi Teſt. temporibus, atque etiam de ultimis, & quidem in pleniori emphaſi, explicare poſſimus. Poſtquam verò in uno atque altero verſu pondus rei habente, fundamentum intelligentiæ noſtræ poſuerimus, (quod & paulò antè † innui,) cetera etiam deinceps in timore Domini, apertiora

(x) *S. Ambroſ. in Pſal. 118. (al. 119.) Octon. 12. ſub Lamed, v. 90.* (y) *Ibid.* Populus Judæorum (*inquit*) prior fidei generatio, & ideò infantior & infirmior; populus autem Chriſtianus, fidei ſecunda generatio, ideò robuſtior & venerabilior, quia maturior ſenectute. (z) *Eph. 4. v. 26.* (a) *Zach. 6. v. 12.* † *Senſum expreſſit, non verba.* (b) *Prov. 27. v. 16. juxt. LXX. collat. Jerem. 4. v. 6.* * *Phraſin hanc Vide 2. Reg. (al. 2. Sam.) 1. v. 23. in Hebr. & Græc. collat. Jerem. 4. v. 13.* † *§. 8. h. cap.*

pertiora in dies habebimus. Sanè verſus Salomonis allegatus de *Solis* motu, tam evidens argumentum eſt eruditis, ut eô majus hîc deſiderari non debeat, ad perſvadendum hoc, quòd Spiritus Dei, qui ſcientiâ & ſapientiâ omnes Mundi *Aſtronomos* infinito ſuperat intervallô, nequaquam hîc tam ſimplici & vulgari omnibusque notâ *ortûs* & *occaſûs Solis* deſcriptione, vel tali ac tali ejus viâ, nec non *ſpiritûs* ſeu aëris circumgyratione, res tantummodò naturales intendit deſcribere, ſed ſub vulgaribus dicendi modis, ſublimiſſima futurorum tradit myſteria. Atque hinc toties memoratus S. Doctor *Ambroſius*, dum locum Pſalmiſtæ, (c) *Fundaſti terram, & permanet*, explicaret, & lucis causâ verba illa Jobi, (d) *Suſpendens terram in nihilo*, in medium produceret, mox iſta ſubjicit: (e) *Non eſt cura Sanctis, axem Cœli & elementorum ſpatia, Philoſophico more, numeroſq; deſcribere. Quid enim hoc prodeſt ſaluti? Quia Sancti ſpiritualibus ſemper intendunt, & vitæ æternæ profutura, vel cognoſcere geſtiunt, vel docere.* Et illicò ſubjungit: *Deniq; hunc locum* (*terram* nempe in Pſalmo & Jobo.) *pulchrè nobis aperuit ECCLESIASTES*, (f) *ſpiritualem eſſe, non materialem.* Reliqua videantur apud eximium Authorem.

XI. Sed ut juxta proximè dicta, tantò firmiùs nobis perſvaſum habeamus, Spiritum Dei ſive apud *Jobum* ſive apud *Salomonem*, per ea, quæ in ſe apud homines *Aſtronomicæ* ſunt conſiderationis, non in naturali ſcientia tradenda vel ea illuſtranda, ſed in altiſſimis ſub eorum involucro myſteriis ſuæ Eccleſiæ proponendis ſuam intentionem terminare; placet adhuc *Regula* præſentis capitis (ut eximiæ in futurùm utilitatis) immorari, & ex S. *Gregorio* Magno (Librum *Job* explicante) quædam huc facientia in medium producere. Aſſumemus autem hîc nobiliſſimum locum de *Stellis* (ſeu *Conſtellationibus*) quibuſdam in Libro *Job* (cap. 9. ℣. 9.) hâc verborum ſerie memoratis: *Qui facit Arcturum & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri.* Pro *Orione* S. Gregorius habet *Orionas* in plurali, & *Arcturum* quantum ad literam, (ſecùs quàm communiter † Aſtronomi,) pro *Urſa Majore*, ſeu *Plauſtro* cœleſti accipit; ut verba ejus non obſcurè indicant; locum autem de dictis *Stellis* ſpiritualiter acceptis ſic exponit: (g) *Nequaquam ſermo Veritatis*, (h) *vanas Heſiodi, Arati & Callimachi fabulas ſequitur, ut* Arcturum *nominans, extremam ſtellarum ſeptem, caudam Urſæ ſuſpicetur, & quaſi* Orion *gladium teneat, amator inſanus. Hæc quippe Aſtrorum nomina, à cultoribus ſapientiæ carnalis inventa ſunt; ſed Scriptura ſacra, idcircò eiſdem vocabulis utitur, ut res, quas inſinuare appetit, notitiâ uſitatæ ap-*

(c) *Pſalm.* 118. (*al.* 119.) *v.* 90. (d) *Job.* 26. *v.* 7. (e) *Loc. ſupr. cit. in Pſalm* 118. *v.* 90. (f) *Cap.* 1. *v.* 3. 4. † *Vide* Heſiodum, Aratum *& hodiernos Aſtronomos.* (g) *S. Gregor. Expoſ. Moral. in Job, Lib.* 9. *cap.* 6. *in cap.* 9. *Job. v.* 9. (h) *Non* Aſtronomia *ſana hîc damnatur, ſed mera vanitas fabulatorum circa aſtra, pro ingenio ſuo, qualibet fingentium.*

Digitized by Google

ta appellationis exprimantur. Nam ſi Aſtra, qua vellet, per ignota nobis nomina diceret, homo, pro quo hac eadem Scriptura facta eſt, neſciret procul dubio quid audiret.-- In Scriptura igitur ſacra, dum nota Aſtrorum nomina audimus, de quibus Aſtris ſermo movetur, agnoſcimus. Cum verò qua enarrantur Aſtra, perpendimus, reſtat ut ex eorum motibus ad SPIRITALIS intelligentia ARCANA ſurgamus. Neq; enim juxta literam MIRUM ali-„quid dicitur, quòd Deus Arcturum, Orionas *&* Hyadas *fecit; de quo nimirum conſtat, quòd omninò in Mundo nihil ſit, quod ipſe non fecerit. Sed ſanctus Vir, hac feciſſe Deum dicit, PER QUÆ SIGNARI PROPRIE EA, QUÆ SPIRITALITER GERUNTUR, intelligit. Quid namq;* ARCTURI *nomine, qui in Cœli arce conſtitutus, * ſeptem ſtellarum radiis fulget, niſi Eccleſia univerſalis exprimitur, qua in Joannis Apocalypſi, per SEPTEM ECCLESIAS, ſeptemq; CANDELABRA figuratur? qua dum dona in ſe ſeptiformis gratia Spiritûs continet, claritate ſumma virtutis irradians, quaſi ab axe veritatis lucet. Penſandum quoq; eſt, quòd* Arcturus *ſemper verſatur, & nunquam † mergitur: quia & ſancta Eccleſia, perſecutiones iniquorum ſine ceſſatione tolerat, ſed tamen uſq; ad Mundi terminum, ſine defectu perdurat.*-- Arcturus *ergò dum verſatur, erigitur: quia tunc ſancta Eccleſia valentiùs in veritate reficitur, cum ardentiùs pro veritate fatigatur. Unde aptè poſt* Arcturum, *protinùs* Orionas *ſubdit:* Oriones *quippe in ipſo pondere temporis hyemalis oriuntur; ſuô quoq; ortû tempeſtates excitant, & maria terraſq; perturbant. Quid igitur poſt* Arcturum *per* Orionas, *niſi Martyres deſignantur? Qui dum ſanctam Eccleſiam ad ſtatum pradicationis erigunt, pondus perſequentium, moleſtiaſq; paſſure, ad Cœli faciem quaſi in Hyeme venerunt. His etenim natis, Mare terraq; turbata eſt. Quia dum Gentilitas mores ſuos deſtrui, apparente illorum fortitudine doluit, in eorum necem, non ſolùm iracundos ac turbidos, ſed etiam placidos erexit. Ex* Orionibus *itaq; hyems inhorruit; quia inclareſcente Sanctorum conſtantiâ, frigida mens infidelium, ad tempeſtatem ſe perſecutionis excitavit.* Orionas *ergò Cœlum edidit, cum ſancta Eccleſia Martyres miſit. Qui dum loqui recta rudibus auſi ſunt, omne pondus ex frigoris adverſitate pertulerunt. Benè autem pro-*

* *Hac monſtrant, S. Gregorium, per* Arcturum *intelligere* Urſam, *ſcilicet majorem. Ita etiam disertè* Lyranus (*in Amos. cap. 5. v. 8.*) *ſcribit* Arcturum vocari Urſam majorem. *Confer etiam Rupertum Abb. in Amos. 5. v. 8. Imò etiam* Buxtorfius, *tum in Lexico Vulgari Hebraico, tum in Talmudico, (ſecutus Aben Ezram) in voce* עש, *hanc quoq; de* plauſtro, (*ſeu* Urſa *majore,*) *ſignificationem adſert. Sic aliquot Biblia ſeu verſiones Proteſtantium; ut* Hungarica, Belgica, Germanica *Luth.* Gallica Mareſii, Italica *Diodati, hoc in loco,* (*Job. 9. v. 9.*) plauſtrum *cœleſte habent. Ita etiam* Catholicorum *Biblia* Hungarica. *At* Veneta *Bruciol retinent vocabulum Graco-Lat.* Artur. *Retinent illud etiam* Anglica & Bohemica. *De communiore* Arcturi *ſignificatione, infra dicemus.* † *Hoc notum eruditis, de Urſa utraque.*

tem protinùs Hyadas *ſubdit; quæ juveneſcente vernô, ad Cœli faciem prodeunt, & cum jam Sol caloris ſui vires exerit, oſtenduntur. Illius quippe Signi initiis* (ſeu capiti) *inhærent, quod Sapientes ſeculi* Taurum *vocant; ex quo augeri Sol incipit, atq; ad extendenda diei ſpatia, ferventior exurgit. Qui itaq; poſt* Orionas Hyadum *nomine, niſi Doctores ſanctæ Eccleſiæ deſignantur? Qui ſubductis Martyribus, eo jam tempore ad Mundi notitiam venerunt, quô Fides clariùs elucet, & repreſsâ infidelitatis hyeme, altiùs per corda fidelium Sol veritatis calet. Qui remotâ tempeſtate perſecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis, tunc ſanctæ Eccleſiæ orti ſunt, cum ei jam per credulitatis vernum, lucidior annus aperitur. Nec immeritò Doctores ſancti,* Hyadum *nuncupatione ſignantur.. - Quia ortæ* (hyades) *procul dubio imbres ferunt. Benè ergò* Hyadum *appellatione expreſſi ſunt, qui ad ſtatum univerſalis Eccleſiæ, quaſi in Cœli faciem deducti, ſuper arentem terram humani pectoris, ſanctæ prædicationis imbres fuderunt.. Dum ergo* Hyades *cum pluviis veniunt, ad Cœli ſpatia altiora Sol ducitur: quia apparente Doctorum ſcientiâ, dum mens noſtra imbre prædicationis perfunditur, fidei calor augetur. Et perfuſa terra ad fructum proficit: quia uberiùs frugem boni operis reddimus, dum per ſacræ eruditionis flammam in corde clariùs ardemus. Dumq; per eos, diebus ſingulis, magis magiſq; ſcientia cœleſtis oſtenditur, quaſi interim nobis LUMINIS VERNUM TEMPUS aperitur; ut NOVUS SOL noſtris mentibus rutilet, & eorum verbis nobis cognitus, ſe ipsô quotidie clarior micet. Urgente enim MUNDI FINE, SUPERNA SCIENTIA PROFICIT, & LARGIUS CUM TEMPORE EXCRESCIT. Hinc namq; per „Danielem dicitur:* (*i*) Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. *„Hinc Joanni in priori parte Revelationis Angelus dicit:* (*k*) Signa, quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua: *cui tamen in ejuſdem Revelationis termino „*(*l*) *præcipit dicens:* Ne ſignaveris verba Prophetiæ Libri hujus. *Pars quippe Revelationis anterior ſignari præcipitur, terminus prohibetur: quia quicquid in ſanctæ Eccleſiæ initiis latuit, FINIS quotidie oſtendit.. - Vir igitur Sanctus,* (Job,) *redemptionis noſtræ ordinem contemplans admiratur.*

XII. Paucis deinde interjectis ſic pergit ad ulteriora: (*m*) *Sed poſt iſta quid reſtat, niſi ut ſancta Eccleſia laboris ſui fructum recipiens, ad videnda ſuperna Patriæ interna perveniat? Unde & aptè, quia dixit:* Qui facit Ar„cturum, & Orionas & Hyadas; *protinus addidit:* Et interiora Auſtri. *Quid namq; in hoc loco* Auſtri *nomine, niſi FERVOR SANCTI SPIRITUS deſignatur? Quô dum repletus quiſq; fuerit, ad amorem Patriæ ſpiritalis „igneſcit: Unde & Sponſi voce, in Canticorum Canticis dicitur:* (*n*) Surge „Aquilo, & veni Auſter; perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

Auſtro

(*i*) *Dan.* 12. *v.* 4. (*k*) *Scilicet Apoc.* 10. *v.* 4. *Comparatè prior pars ea dicitur.* (*l*) *Hoc eſt, in fine; Apoc.* 22. *v.* 10. (*m*) *S. Greg. loc. ſupr. cit. in Job. c.* 9. *v.* 9. (*n*) *Cant.* 4. *v.* 16.

Auſtro quippe veniente, Aquilo ſurgens recedit, cum adventû S. Spiritûs, expulſus antiquus hoſtis, qui in corpore mentem conſtrinxerat, deſerit. Atque hortum Sponſi Auſter perflat, ut aromata defluant; quia nimirum, dum ſanctam Eccleſiam, donorum ſuorum virtutibus Spiritus veritatis impleverit, ab ea longè latèque odores boni operis ſpargit. Hæc ille. Quæ omnia (propiùs dicta) feliciorem ultimi temporis Eccleſiam in his terris, ac in donis Spiritûs S. locupletiorem nobis deſcribunt. Quòd autem Sanctus Doctor ſubjungit: *Interiora ergo Auſtri, ſunt* (inquit) *occulti illi Angelorum Ordines, & ſecretiſſimi Patriæ cœleſtis ſinus, quos implet calor Spiritûs Sancti: illuc quippe Sanctorum animæ, & nunc corporibus exutæ, & poſtea corporibus reſtitutæ perveniunt, & quaſi in Auſtri abditis occultantur*; hoc ita intelligendum eſt, quòd pius Doctor latiùs jam hîc extendit explicationem *Interiorum Auſtri*; videlicet, cum incepiſſet eam ab Eccleſia ultimi temporis feliciore quàm nunc eſt in his terris, gradatim procedendo, tandem ſuum ſermonem terminavit in ipſa cœleſti beatitudine. Alioquî verba illa, *ad amorem Patriæ ſpiritalis igneſcere, adventû Spiritûs S. expulſum antiquum hoſtem, mentem corpore conſtrictam deſerere*, (unà cum ſequente *defluxûs aromatum* explicatione) talia ſunt, quæ vitæ in his terris conſtitutæ propriè conveniunt.

XIII. Longum eſſet omnia quæ hîc noſtro lucem afferrent ſcopo, ex hoc eximio Expoſitore huc tranſcribere; qui in multis ita procedit, ut diſcreto & attento lectori facilè perſpici poſſit, eum non ſine Spiritû prophetico talia proferre. Adeò quidem, ut ſi quis eum cum judicio legat, etiam ex iis, quæ jam præteritis ille applicat, multam de futuris intelligendis lucem haurire, & myſteria in *Jobo* exſtantia, quoad pleniorem emphaſim ultimo tempori applicare queat. Atq; hæc eſt cauſa, quòd præcedentem etiam de *Arcturo, Orione, Hyadibus* & *interioribus Auſtri* expoſitionem paulò latiùs ex ipſo recenſui; ut nimirum judicioſus Lector in dies poſſit inde etiam de pleniori prophetiæ illius emphaſi in reſpectu ad ultimum tempus, conceptum aliquem ſibi formare. Rectè enim animadvertit toties memoratus S. *Gregorius*, (o) quòd *non diceretur hîc* (eruditis) *mirum aliquid*, ſi tantùm *juxta literam* hæc intelligenda eſſent. *Mirum* autem, & quidem ſummè mirandum hîc dici, apparet ex verſu proximè ſequenti, nempe decimo: (p) *Qui facit magna, & incomprehenſibilia*, (ſeu *imperveſtigabilia*,) *& mirabilia, quorum non eſt numerus*. Sicut ergò verſus paulò antecedens, nempe ſeptimus, *Qui præcipit Soli & non oritur, & Stellas claudit quaſi ſub ſignaculo*, præcipuè & maximè ſenſû myſtico intelligendus eſt; ſic etiam verſus de *Arcturo, Orione*, & aliis ibi notatis. Scilicet, *Sol* tunc *non oritur* myſticè, quando Verbi Divini prædicatio Populo ob ejus ingratitu-

(o) *Supr. hoc cap. §. XI. pag. 214.* (p) *Job. 9. v. 10.*

gratitudinem ſubtrahitur: quod ex hiſce S. *Gregorii* M. verbis, clarius nobis efficitur: (*q*) *Aliquando* (inquit) *in ſacro eloquio, SOLIS nomine Prædicatorum claritas deſignatur; ſicut per Joannem dicitur:* (*r*) Factus eſt SOL ut ſaccus cilicinus. *In EXTREMO quippe TEMPORE, Sol quaſi cilicinus ſaccus oſtenditur; quia fulgens vita Prædicantium ante reproborum oculos, aſpera & deſpecta monſtratur. Qui STELLARUM quoq; claritate figurantur: quia dum recta peccatoribus prædicant, tenebras noſtræ noctis illuſtrant: Unde & SUBTRACTIS PRÆDICATORIBUS, per Prophetam dicitur:* (*ſ*) *Prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum.* Et paulò poſt: *Oriri Plebi Judaicæ Solem noluit, à qua Prædicantium animum divertit. Et quaſi ſub ſignaculo Stellas clauſit; qui dum Prædicatores ſuos, per ſilentium intra ſemet-ipſos retinuit, tacis iniquorum mentibus, cæleſte lumen abſcondit.*

XIV. Ut verò adhuc præclaro huic loco, aliquid de *Arcturo, Orione* & adjunctis affulgeat lucis, imprimis de poſterioribus jam temporum Novi Teſt. partibus; hæc ſequentia, quæ in ſuperioribus omiſſa ſunt, annotanda eſſe, conſultum duxi.

XV. (1.) *Arcturus* apud Aſtronomos tum recentiores, tum veteres, diſignat (ut notum eſt,) Stellam illam lucidiſſimam primæ magnitudinis, quæ eſt in Aſteriſmo *Boota* ſeu Arctophylacis, inter genua ejuſdem, declinatione Boreali, (ab æquat.) grad. 21. m. $17\frac{1}{2}$. (*s*) poſt caudam ſcilicet *Urſæ Majoris*: unde etiam fluxit denominatio ejus, ἀπὸ τῆς ἄρκτȣ ϗ οὐρᾶς, h. e. ab *urſa* & *cauda*, eò quòd ſit poſt *caudam Urſæ*; vel potiùs ἀπὸ τῆς ἄρκτȣ ϗ οὖρȣ, h. e. *ab urſa & cuſtode*, eò quòd ſit quaſi *cuſtos Urſæ*. Quod latiùs ſumptum nomen *Arctophylax*, pro *Boote*, ſignificat. Oritur in hoc noſtro Climate, ortû *acronycho*, (ſeu veſpertino, Sole nempe occumbente,) circa 18. diem Martii; *coſmico* autem, vice verſâ, (ſcilicet matutino,) circ. d. 20. Septembris. Hebraicè vocatur in Codice ſacro (ut notum eruditis,) עש. (*Aſh.*) Quod ſi derivetur a' עשש. (*Aſas*) *contabeſcere* vel *depaſci*, ſignificat eum qui *contabuit*; vel propriè *tineam*, ut eſt Job. 13. ℣. ult. (Al. cap. 14. ℣. 1.) Atque hoc *Arcturo* myſtico, h. e. Chriſto Domino, in ejus humili ſtatu convenit, quatenùs pro nobis ad tempus quaſi contabuit in ipſis paſſionibus, & quaſi *vermis* eſt factus. Sed ſi ab עוש (*Uſh*) h. e. *Coire*, vel *congregari* derivetur, (ut aliquibus (*t*) placet,) jam ſic ſignificat, *coëuntem* ſeu *convenientem*, & ſe cum aliis *congregantem*. Quod etiam in myſterio optimè convenit Chriſto, qui nun-

quam

(*q*) *Expoſit. in h. loc. nempe Lib. 9. in Job, cap. 3.* (*r*) *Apoc. 6. v. 12.* (*ſ*) *Jerem. 3. v. 3. (al. cap. 2. v. 40. apud Jun. Tremell.)* (*s*) *Sic ex* Crugero *poſt* Tychonem, *pro præſenti tempore colligo: Tabul.* Cruger. *pag.* (*mihi*) *12. collat. Doctrin. Aſtron. Sphær. ejuſd. pag. 71. & 72.* (*t*) *Vid. Buxtorfii Lex. Hebr.*

quam ſe vult dividi ab Eccleſia, ſed cum ea ſemper conjunctionem & unionem habere: nec vult in ea diſſenſiones, ſed pacem, coitionem ſeu *congregationem, unitatem* & charitatem. Dum vero hoc nomen dicto ſenſû Chriſto Domino convenit, convenit per conſequens (per eundem Dominum in ſuis habitantem,) etiam ſervis ejus pacificis, de quibus dicitur: (*u*) *Beati pacifici*; *quoniam filii Dei vocabuntur.* Qui nempe, non lites, non contentiones, non bella, & non virulentas diſputationes, ſed (quantum in ipſis ſtat,) ſanctam pacem, unionem, ſuîque cum aliis Chriſtianis, ac aliorum inter ſe, & ſecum arctam coalitionem & in *unitatem fidei* congregationem volunt, & pro viribus operantur, atque ſic veritatem, modeſtâ & pacificâ mente promovent. Unde ſequitur, verorum Chriſti Servorum & imitatorum, verorumque ejus fidelium, ac per conſequens veræ & ſanctæ Eccleſiæ proprium ſignum eſſe, non ſciſſiones ac diſſenſiones exercere ac promovere, & non ſe in diverſas Sectas diſgregare, dividere & diſſipare, ſed potiùs pro omni poſſe ſuo, coire, congregari, ac fraternam membrorum inter ſe unionem ſervare, atque etiam alios diſſidentes Chriſtianos ad eandem unionem ſanctam invitare. Græci LXX. *Plejadas* hîc loco *Arcturi* verterunt, *Arcturum* in tertium locum (poſt *Orionem*) collocantes. A' quibus non nimis longè abſunt Talmudici illi, qui dixerunt per Hebraicum *Ash* (עש) in Jobo, רישא דעגלא (*v*) *Caput Tauri* ſignificari. Arabes vocant *Arcturum*, סמאך אל ראמח, *Simák Al rámih*, (*x*) quaſi *exaltans* (vel efferens) *haſtifer.* Aliquando ſine epitheto vocant tantùm *Al-ramih*, h. e. haſtiferum. Totum Aſteriſmum, in quo principatum tenet fulgore *Arcturus*, nominant iidem, עוא, (*y*) *Auwa*, h. e. *Vociferatorem.* Annotat etiam eruditus Vir D. *Hyde*, (z) ex Joanne *Tzetze*, Arcturum aliquando etiam Ἑωσφόρον dici, h. e. *Luciferum.* Hæc de nomine *Arcturi.*

XVI. Si jam ſitus & propinquitas *Aucturi* ad *Plauſtrum* (ſeu Urſam Majorem) conſideretur; non eſt mirum, quòd SS. Patres per Arcturum, *Plauſtrum* cœleſte intellexerunt. Et poteſt fieri, (imò hoc ſupponere debemus,) quòd Spiritus S. latiori ſenſû, (quantum ad myſticum ſenſum) pro geminis illis Septentrionalibus Aſteriſmis, Plauſtro & Arctophylace, (non excluſis fortè etiam vicinis quibuſdam,) Hebraicum עש (*Ash*) ita acceperit, ut tamen principalitas penes fulgentiorem Arctophylacis ſtellam, (nempe *Arcturum,*) & quæ ei fulgore propiùs (in utroque) accederent, reſideret. Sicque *Plauſtrum* illud Eccleſiam tanquam *currum* (*a*) myſticum,

Aucturus

(*u*) *Matth.* 5. *v.* 9. (*v*) *Vid. Lexic. Talmud. Buxt. ad vocem* עש *col.* 1677. (*x*) *Vide Tabul. Stell. Ulugh Beigbi à D.* Hyde *Oxon. edit. pag.* 22. *&* 23. *coll. in ejuſd. Comm. pag.* 16. (*y*) *Vid. Lex. Golii Arab. col.* 1038. *& Grot. in* Arateis, *pag.* 38. (z) *Ulugh Beigh Tab.* 1. *p.* 19. *& D. Hyd. Comm. in Tab.* (*a*) *Vide lucis causâ Pſal.* 67. (*al.* 68.) *v.* 18. Currus Dei *&c.*

Arcturus autem, ſive totus *Arctophylax*, Chriſtum & Eccleſiæ Doctores (tanquam veros cuſtodes, directores & agitatores myſtici currûs) deſignaret. Vel etiam, Eccleſiam in ejus ætate adhuc minùs adulta, in minùs lucidis *Plauſtri* ſtellis, & remotioribus ab Auſtro; ad adultiorem verò (ſeu perfectiorem) ætatem jam properantem, (poſterioribus nempe temporibus,) in *Arcturo* & aliis *Boota* ſideribus myſticè nobis delinearet. Notandum, quòd etiam *Domus* tribuitur huic myſtico *Aſh* ſeu *Arcturo*, (aliàs *tinea*,) Job. 27. ℣. 18. ad cujus ſimilitudinem, ſive umbraticam imitationem, (*b*) etiam רשע, h. e. *impius* κατ᾽ ἐξοχὴν (*c*) ſic dictus ædificaret ſibi *domum*. Quod etiam ſanè non caret magno myſterio. Scilicet, Diabolus in *Antichriſto*, ut Simia imitari ſtudebit *Chriſtum* & ejus Servos in hoc, quòd ad ſimilitudinem *Domûs Dei*, quæ eſt Eccleſia, conabitur ſibi Domum ſeu Synagogam Sedemque ſuam exſtruere. Porrò, Domûs etiam hujus (myſtici *Arcturi*) conſideratio, ulteriori luce nobis id confirmat, quod paulò antè de voce Hebræa *Aſh* (h. e. *Arcturo*) inſinuavimus; videlicet, quòd tametſi latiorem quoq; admittat ſenſum, attamen ſpeciali ratione Chriſtum & ejus Servos (Eccleſiam ſanctam ædificantes) ſignificat. Non ignoro autem hîc (ut obiter id moneam) virum eruditum, ac in lingvis Orientalibus peritiſſimum D. Thom. *Hyde*, (*d*) Hebraicum עש, *Aſh*, vel עיש *Aiſh*, Job. 38. ℣. 31. pro Stella dicta *Capella* (in ſiniſtro humero *Auriga*) accipere, ex eo præſertim, quòd celebris *Ulugh Beigh* cum cæteris doctis Orientalibus, vocabulum *Aiyuk*, quod in Arabica translatione, Job. 9. ℣. 9. & 38. ℣. 31. Hebraico *Aſh*, vel *Aiſh* reſpondet, eandem deſignare Stellam doceat. Verùm nullâ ratione video, cur ex hoc fundamento debeam communiſſimam inter Occidentales Chriſtianos de exponendo *Arcturo* ſententiam deſerere, aut ſaltem huic illam eruditi viri præponere; cum & vox Arabica *Aiyuk*, agnoſcente ipſomet D. *Hyde*, (*e*) non eodem modo apud Orientales exponatur. Hæc de *Arcturo* ſufficiant.

XVII. (2.) *Orion* apud Aſtronomos eſt Aſteriſmus, tùm ab humero, tùm à baltheo, tres † ordine micantes ſtellas complectente notiſſimus. Ita jacet ſub Æquatore, ut paulò tantùm ſupra *cingulum*, ſeu *baltheum* Æquator

(*b*) *Vid. Job.* 27. *v.* 13. *collat. v.* 18; (*c*) *Iſa.* 11. *v.* 4. *col. ult.* & 2. *Theſs.* 2. *v.* 8. (*d Comm. in* Ulugh *Beig. Tab. ad* Aurig. *pag.* 22. & 23. (*e*) *Ibid. pag.* 21. & 22. † *In totum ſtella* Orionis *numerantur apud* Grotium 38. *in* Notis *ad Imagines Aſtrorum, pag.* 61. & 62. S. Hieronymus *autem pro ſuo avo, ex Gentilium fabulis ſeu obſervationibus*, viginti duas *eum* habere *ſcribit*: *Comm. in Iſa. Lib.* 6. *in cap.* 13. *Iſa. v.* 10: *Ante eum verò* Hyginus *temporibus Auguſti, circa an. D.* 5. decem & ſeptem *eundem habere ſcripſit*; *Poëtic. Aſtron. Lib.* 3. *in* Orione. *fol.* 93. *Videtur tamen S.* Hieronymus *in alleg. loc.* Orionem *ex mente aliorum, pro* Boote *accipere*; *quod & verba ejus produnt. Ita accipitur etiam apud S.* Baſilium, *in Iſa*, 13. *v.* 10.

ipſi tranſeat. Eſt igitur prima *Cinguli* ejus ſtella, in declinatione Auſtrali ab æquatore, pro hoc tempore circiter minutorum $32\frac{1}{2}$ è numero ſtellarum 2*da* magnitudinis. *Dexter* humerus *Orionis* [quibuſdam primæ, (ob diverſos habitantium ſitus,) quibuſdam ſecundæ magnitudinis,] eſt in declinatione Boreali grad. 7. minut. circiter 20. Oritur noſtro hoc ævo, & in hoc climate, quoad humerum dextrum, ortû acronycho, ſeu veſpertino, (qualis intelligitur in verbis S. *Gregorii*,) circa 27. Decembr. ſt. ver. (ſicut tempore *Gregorii* M. circa 12. Decembr. tempore *Virgilii*, circa 3. Decembr. & tempore *Heſiodi*, circa 21. Novembr. oriebatur;) quoad *cingulum* oritur circa 10. 12. & 14. Januar. ſt. nov. Coſmico autem ortû, in oppoſitis Menſibus & diebus quærendus eſt ſtellarum ejus ortus. Hebraicè dicitur tum apud *Jobum*, loc. cit. cap. 9. ℣. 9. & cap. 38. ℣. 31. tum apud *Amos*, cap. 5. ℣. 8. כסיל. *Cheſil.* Quod ſignificat *inſipientem* ſeu *ſtolidum*; ut patet, Pſalm. 49. (al. 48.) ℣. 11. coll. Prov. 1. ℣. 31. At cum hîc in bonam partem accipiatur hoc ſidus, (tum in *Job*, tum in *Amos*;) itaque eô modô & ſensû intelligitur Chriſtus cum ſuis Servis & Martyribus in hujus myſterio *inſipiens*, quô ejus Evangelii prædicatio huic Mundo videtur eſſe (*f*) *ſtultitia*, & ejus Prædicatores (*g*) *inſanientes*. Reductivè ergò ejus myſterium ſummè ſapientem ſignificat. Diſquiri tamen meritò poteſt, annon olim apud Hebræos vox *Cheſil* præter dictam (*inſipientis*) ſignificationem, aliam etiam habuerit excellentiorem; videlicet, *fulgidi*, vel *flammei coloris*, aut quid ſimile; cum in noſtra verè Orientali lingva Hungarica in hunc uſque diem (non paucis) *Keſel* ſignificet id quod eſt *coloris* quaſi *flammei*. Confirmat hoc, illud quod habet S. *Hieronymus* Commentariô in Amos. cap. 5. ℣. 8. his verbis: *Hebræus, qui nos in Scripturis ſanctis erudivit*, כסיל (Cheſil) *interpretari putat SPLENDOREM, & ſignificare generaliter aſtra fulgentia.* Atque hinc juxta hanc ſignificationem, rectè Vulgatus interpres, dictæ vocis *Cheſil*, ſed in plurali poſitæ, ſenſum antiquiſſimum expreſſit, dum eam Iſa. 13. ℣. 10. *ſplendorem* vertit. Hâc ſignificatione ſervatâ, rectè etiam in dicto loco Iſaiæ *τὸ Cheſilehem*, vertitur à multis, *ſidera eorum*, ſcilicet excellentiora & lucidiora. Hôc ſenſû vocis, innuitur in ejus myſterio, (apud Jobum & Amoſum,) *fulgida* lux & *ſplendor* doctrinæ Salvatoris, ac ſimul Servorum ejus fidiſſimorum vita eximia. Taceo nunc, quòd apud nos, vox *Keſelyű*, [cognati prioribus ſoni,] *Vulturem* ſignificat. Nunc ad noſtrum ſaltem ſcopum ſufficit, quòd vox toties memorata *Cheſil*, poſt S. *Hieronymum* à doctiſſimis in Occidente Interpretibus Sacrorum Bibliorum Hebræos ſecutis, communiter *Orion* vertitur. Sic vertit etiam *Buxtorfius* in cujuſdam textûs Talmudici

(*f*) *1. Cor. 1. v. 21. 23.* (*g*) *Actor. 26. v. 24. collat. Joan. 10. v. 20.*

mudici verſione, verbis ipſius textûs talem verſionem requirentibus: (*h*) &c. אלמלא חמה של כסיל H. e. *Niſi eſſet calor Orionis, non poſſet ſubſiſtere Mundus propter frigus Plejadum; & niſi eſſet frigus Plejadum, non ſubſiſteret Mundus propter calorem Orionis.* Supra memoratus vir eruditus, D. *Hyde*, (*i*) exiſtimat non rectè כסיל (*Cheſil*) communiter verti *Orionem*, ſed debere potiùs transferri *Canopum*, (Arabibus *Soheil*) ſtellam valdè Auſtralem & lucidiſſimam in Aſteriſmo *Navis*; ubi etiam affert *Kimchii* ex R. *Jona* ſententiam idem tenentis, adductâ priùs etiam quâdam ſimilitudine radicis Arabici סחלא, *Sahala*, (h. e. *lenis, facilis* vel *planus fuit*) cum Hebraico כסל, *Chaſal*. Non tamen hæc tanti momenti ſunt, ut propter iſta communis & ordini verborum ſacri textûs magis congrua deſerenda ſit ſententia. Quid dehinc de myſteriis hujuſmodi Aſtrorum, Orbi Chriſtiano Deus deteget, ut aliquando etiam ſub *Canopi* nomine, ſimilia quodam modo iis quæ per *Orionem* deſignantur, poſſint intelligi, (ſicut aliquando res eadem, nunc per hoc nunc per aliud emblema ſignificatur,) hoc adhuc latet in ipſius Dei ſolius omniſcientia. De Aſteriſmo, *Orion* dicto, omnia nobis in myſterio clariora ſunt, (non negatâ tamen magnâ & hîc rerum multarum in mente noſtra obſcuritate,) quàm de *Canopo*, vel alio Sidere. Celebris *Grotius* (*k*) putat non integrum *Orionem*, ſed tantùm *Cingulum* ſeu *baltheum Orionis* eſſe τὸ *Cheſil*. Verùm dum ipſe non improbat verſionem quorundam, Job. cap. 38. ℣. 31. τὸ *Moſechoth Cheſil*, vertentium *lora Orionis*, (pro *cingulo* ipſius,) inde potiùs dicere debebat, ipſum *Orionem*, cui *cingulus* ſeu *lorum* tribuitur, ſignificari per illud Hebraicum *Cheſil*.

XVIII. Græci LXX. in textu *Jobi* toties memorato, (ſcilicet cap. 9. ℣. 9.) loco *Orionis* habent Ἕσπερον, h. e. *Heſperum*: in qua translatione ſine dubio ad *fulgorem* & celebritatem Aſtri hujus (nempe *Orionis*) reſpexerunt. Hinc illud ex S. *Baſilio* citatum in *Gloſſa* ordinaria: (*l*) *Heſperus* †, *Sidus eſt lucidiſſimum, qui Lucifer etiam appellatur. Auroram enim antecedit, ut hac diem.* Cum igitur *Orion* ſit ſidus eximiè lucidum, quod etiam certis temporibus fulgidè *auroram* antecedit, non eſt mirum quod nomine *Heſperi* * apud LXX. interpretes, & poſt hos, apud Græcos SS. Patres veniat. Quòd autem dicitur in allegato textu Gloſſæ, *Heſperum auroram antecedere*; hoc ita eſt intelligendum: quòd eadem Stella (v. gr. *Veneris*) quæ dicitur *Heſperus*, ex eò, quia certis vicibus veſperi Solem ſubſe-

(*h*) *Buxt. in Lexic. Talmud. ad voc.* כים *col.* 1031. (*i*) *Comment. in Tabul.* Ulugh B. *pag.* 58. *ad* Navim. (*k*) *In Notis ad* Imagines *Siderum. pag.* 46. *in* Tauro. (*l*) *Gloſſ. Ord. in Job.* 9. *cap.* 9 *edit. Paris. An.* 1590. † Huſperes *in edit. memorata.* * *Nota hîc lucis causâ, quod Vatablus ſcribit in ſuis Annot. in Job. c.* 9. *v.* 9. Oriona,-- Hebræi volunt eſſe Heſperum.

ſubſequitur, (primaque præ aliis ſtellis poſt ejus occaſum lucet,) aliquando viciſſim *auroram* & per conſequens Solem antecedit: ſed tunc jam ſpeciali nomine *Phoſphorus* (ſeu *Lucifer*) dicitur. Juxta hanc quoque LXX. Int. verſionem, myſterium etiam *Heſperi*, ſeu *Phoſphori*, rectè applicari poſſe Chriſto Domino in ſuis ſanctis Servis & Martyribus conſiderato, oſtendere poſſemus, niſi brevitati etiam ſtudendum hîc eſſet. Porrò, non ignoràſſe etiam eoſdem Interpretes, nomen Hebræum כסיל. (*Cheſil,*) quod in dicto loco vetterunt *Heſperum*, ſignificare apud Jobum propriè *Orionem*, apparet ex eo, quòd Job. 38. ℣. 31. idem vocabulum verterunt per τὸ *Orion*, in his: ϰ̀ φραγμὸν ὠρίωνος ἤνοιξας; h. e. *Et ſepimentum* (ſeu *munimentum*) *Orionis* (num) *aperuiſti*? Confer eoſdem LXX. etiam Iſa. 13. ℣. 10. Hæc de Græca verſione. Arabibus *Orion* dicitur non ſolùm † *Al-Gjauza*, (cujus nominis rationem eruditè D. *Hyde*, (*m*) à media hujus in Cœlo, ſcilicet in æquatore, ſituatione, rectiùs quàm à nucis forma deducit,) ſed etiam גבאר. **Gjebbar*, h. e. *Gigas*, ſeu, *Potens*, *fortis* & *ſtrenuus*. [Notat Grotius, & doctrinæ quoque Aſtrorum Sphæricæ in Globis delineatores conſentiunt, etiam *Bellatorem* ab Arabibus hunc vocari. Quod conſentit cum dicto nomine *Gjebbar*, & Hebræo *Gibbor*.] Paraphraſtes Chaldæus in toties citato Jobi textu, pro Hebraico כסיל (*Cheſil,*) habet נפלא (*Niphla*,) h. e. *Gigantem*: (quo nomine à Nautis quoque Hollandis *Orionem* nuncupari, *Grotius* (*n*) ſcribit:) quod etiam hoc in loco idem eſt, quod *fortis* & *robuſtus*. Quàm propè autem accedat etiam Latina interpretatio vulgatiſſima, nempe τὸ *Orion* ſuo ſensû originali ad vocabulum *Gigas*, ſeu *robuſtus*, imò quàm ſint utraque idem; apparet ex collatione ejus cum nomine Hungarico ac verè orientali, *Orias*, nobis *Gigantem* ſignificante, & ex utriuſque originis (ex Hebr. *Ari*, h. e. *Leo*,) à me alibi (*o*) facta deductione.

XIX. Porrò, cum ſciam, ex *Arato* etiam Spiritum S. per Apoſtolum Paulum, non dedignatum fuiſſe aliquid transponere (*p*) in Codicem ſacrum; non inutile fore judicavi, pro ulteriori myſterii *Orionis* intelligentia, ſi aliquid hîc de fabulis *Arati* & ejus interpretibus tranſcribam. Non quòd fabulæ, quà tales, per ſe hîc aliquid valerent; ſed veritas aſtû Satanæ in iis occultata, & mirè ac fœdè interpolata nobis eſt ſub latebris perquirenda, & à nugis ſecernenda. Sic autem de inimicitia *Scorpii* in *Orionem*, & fuga *Orionis* à conſpectu ejus, atque ejuſdem inimicitiæ cauſa, (*præmiſsâ Scorpii* exorientis mentione,) ſcribit *Aratus*:

(*q*) Ὃς ϰ̀

† *Aliter*, Elgeuze. (*m*) *Comm. in Tab.* Ulug B. *pag.* 23. *coll. p.* 45. * *Vid. Tabul.* Ulugh Beigh, *pag.* 113. *Not. ad imag. Arat. pag.* 62. (*n*) *In Not. ad Imagines Sider. pag.* 64. (*o*) *In Originib. Hung. Part.* 2. *pag.* 62. 63. & 64. (*p*) *Act.* 17. *v.* 28.

(q) Ὃς καὶ ἐπερχόμενος, φοβέει μέγαν ὠρίωνα,
Ἄρτεμις ἱλήκοι. προτέρων λόγος οἵ μιν ἔφαντο,
Ἑλκῆσαι πέπλοιο χίῳ, ὅτε θηρία πάντα,
Καρτερὸς ὠρίων στιβαρῇ ἐπέκοπτε κορύνῃ.
Θήρης ἀρνύμενος, κείνῳ χάριν οἰνοπίωνι.
Ἡ δὲ οἱ ἐξ αὐτῆς ἐπετείνατο θηρίον ἄλλο
Νήσου, ἀναῤῥήξασα μέσους ἑκάτερθε κολώνας,
Σκορπίον, ὅς ῥά μιν οὖτα, καὶ ἔκτανε πολλὸν ἐόντα,
Πλειότερος προφανείς, ἐπεὶ ἄρτεμιν ἤκαχεν αὐτήν.
Τοὔνεκα δή καὶ φασὶ περαιόθεν ἐρχομένοιο
Σκορπίου, ὠρίωνα περὶ χθονὸς ἔσχατα φεύγειν.

Quæ *Germanicus* Cæſar Poëta ſic tranſtulit:

(r) Scorpius Oriona fugat, pavet ille ſequentem.
Sis Vati placata precor † Latonia Virgo!
Non ego, non primus; veteres cecinère Poëtæ.
Virginis intactas quondam qui tangere veſtes,
*Auſum hominem, Diva * ſacrum temeraſſe pudorem.*
Devotus pœna tunc impius ille futura,
Nudabatq; feris anguſto ſtipite ſylvas,
Pacatamq; Chion dono dabat (ſ) Oenopioni.
† At patiens etenim Phœbi (s) germana repente,
Numinis ultorem, mediâ tellure revulsâ,
Scorpion ingenti majorem, contulit hoſtem.

Adjiciamus ſequentia etiam in eundem ſcopum ex Feſto *Avieno*:

(t) Ergo ut falcatis monſtrum petit Oriona
Morſibus, & totas in membra ferocia chelas
Intulit;

(q) *In edit.* Grotii *Plantiniana, An. 1600. pag. 23. & 24. Latinè ſimplici ſtylo ſic ſonant:* Qui etiam (*ſcil. Scorpius*) ſuperveniens, terret magnum Orionem. Diana parcat! Majorum ſermo, qui ipſum fabulati ſunt: Arripuiſſe peplo in Chio, (*nempe Dianam*,) quando feras omnes, Fortis Orion, validâ cædebat clavâ; Venationis adminiſtrans (*ſeu* captans *vel* conſequens) illi gratiam Oenopioni. Illa autem ei ex ipſa immiſit feram aliam Inſula, diſtringens medios utrinque colles, Scorpium; qui quidem ipſum vulneravit & interfecit grandem exiſtentem; Major præcellens, quoniam Dianam læſit ipſam. Ob hoc etiam ajunt, ab imo veniente Scorpiô, Orionem circa terræ extrema fugere. (r) *Germ. in citat. edit. Plantinian. pag. 91.* † Dianam *intelligit, Aratus habet:* Ἄρτεμις ἱλήκοι. * *Et hic* Dianam *intelligit.* (ſ) *De* Oenopione *vide Pauſan. Lib. 7. pag. (mihi) 404. & 407.* † In cit. edit. *Ad* (s) *Scilicet Apollinis ſoror, ipſa* Diana. (t) Avien, *in edit. cit. Plantin. pag. 110.*

Intulit; ille mali pœnas luit. - -
- - *Metus hic, metus acer in aſtro*
Permanet, & primò cum Scorpius editur ortû,
† *Orion trepido terra petit extima curſû.*

XX. *Scorpius* hoc in loco eſt Diabolus in ſuis menbris. *Orion* ὁ καρτερὸς, *robuſtus* ille, (ut vocat *Aratus*, qui & *magnum* dicit eum,) eſt Chriſtus in ſuis potentioribus membris, inprimis, in Prædicatoribus & eximiis Confeſſoribus atque Martyribus. *Diana* eſt multitudo Gentilium, unà cum Diabolo ſuo Præſide, ſuo Ductore & inhabitatore conſiderata, quam arripuit & læſit tunc myſticus *Orion* Chriſtus, dum è medio ejus, innumeros & innumeras in myſticam Sponſam pro ſe vendicavit per ſuorum Servorum prædicationem, atque ſic è faucibus Diaboli eripuit. *Inſula* venationis cum ſua *ſylva*, eſt pars Orbis terræ cultior, (velut mari aliarum gentium rudiorum cincta,) olim Romano imperio ſubjecta. *Feræ* ejus ſunt, partim noxii Spiritus infernales, quos Chriſtus per ſuos Servos potenti venatione Evangelicâ illaqueavit, alligavit, enervavit, & quantum ad priſtinam eorum inter gentes potentiam, interfecit; partim verò ipſi homines, quos peccato & Diabolo morte affectos, ſibi ipſi vivificavit. *Oenopion* (ſeu Οἰνοπίων,) h. e. *Vinipotor*, eſt ipſemet Chriſtus Dominus ut caput ſuorum conſideratus, non ſolùm ex eo, quòd probroſè olim (*u*) ſic dictus eſt, ſed etiam, quia ipſe ſacrum nobis inſtituit (*v*) Convivium, quod conſtat Pane & *Vino* conſecratis, h. e. vero Corpore & Sangvine ejuſdem. Huc referendæ ſunt etiam in genere deliciæ ejus ſpirituales, quæ ſubinde (*x*) *vini* nomine veniunt in Scriptura ſacra; quibus ut ipſe pleniſſimus eſt, ſic ſuos quoque (tempore ſuo) affatim implet & exhilarat; idque vel maximè ultimis temporibus facturus eſt. Huic *feræ* pro convivio apportantur, dum animæ è faucibus Diaboli eripiuntur, & ipſi Chriſto inſeruntur. Dolet hoc valde *Diana*, & in ea Satanas, dum ipſi olim *ſacrata nemora* (ut loquitur *Avienus*) myſticè intellecta, *& frondentia latè brachia lucorum*, myſticus Orion *demolitur*. Porrò *Diana* hæc, (ſcil. dicta multitudo Gentium in impiis) excitavit tunc formidandum θηρίον *Scorpium*, cum Satanam in Mundi Potentibus, (Nerone aliiſque,) contra Chriſtianos olim concitavit: qui & ipſum Caput eorum Chriſtum inter Judæos, ad necem usq; fuerat perſecutus. *Fugit* tunc *Orion* myſticus à facie exorientis (h. e. caput elevantis & dominantis) *Scorpii*, dum Chriſtiani non ſolùm averſati ſunt Gentili-

† *Experientia monſtrat, quòd cum* Scorpius (*inter aſtra*) *oritur, tunc* Orion *occidit, & ſub terram ſe abdit. Sed apage hinc fabuloſam ejus trepidationem.* (*u*) *Matth.* 11. *v.* 19. (*v*) *Matt.* 26. *v.* 27. 28. 29. *Marc.* 14. *v.* 22. *Luc.* 22. *v.* 19 20. 1. *Cor.* 11. *v.* 24. 25. (*x*) *Prov.* 9. *v.* 2. 5. *Cant.* 5. *v.* 1. *& cap.* 8. *v.* 2. *& Iſa.* 55. *v.* 1.

Digitized by Google

Gentilium perſecutorum deteſtandas ſuperſtitiones, ſed etiam coacti fuêre metû ejuſdem *Scorpii* infernalis, interdum ad tempus ſe ſe occultare, atq; ſic quodammodo *terræ extima* petere. Notum eſt eruditis, quoties olim Chriſtiani quidam, vel fugâ ſibi ob metum perſecutorum, vel ſui in cryptis ſubterraneis occultatione (ut *Romæ* (y) factum) conſuluere. Cum autem deinceps quoq; Evangelium prædicari debeat inter Mundi Nationes, & quidem pleniùs quàm hactenùs, omnia etiam hæc, tunc, qui vexerint, pleniùs implenda experientur; ſignanter in ultimo illo & graviſſimo certamine (z) Eccleſiæ Dei cum *Antichriſto* magno: ſic tamen, ut demùm, non *Scorpii*, ſed *Orionis* myſtici futura ſit ultima & plena (a) victoria.

XXI. (3.) Tertium in *Jobi* textu Aſteriſmum, vetus interpres (S. *Hieronymus*) tranſtulit *Hyadas* †. Et ſic paſſim apud veteres Latinos Doctores. Sic etiam ex recentioribus Pagninus (b) in margine correctæ verſionis ejus. (Verſio enim *Ar. Montani* interlinearis retinet Hebræum *Chima*.) At *Vatablus*, item Proteſtantes, *Junius* & *Tremellius*, *Germani*, *Angli*, (d) *Galli*, (e) *Itali & Hungari*, vel eodem vocabulo, vel æquipollenti (per *Gallinam* exprimentes) *Plejadas* * vertunt. *Bohemi* etiam, ſi mea me non fallat obſervatio, (non enim habeo nunc eorum Biblia ad manus,) ita vertunt. Catholici *Hungari* (in verſione Georgii *Káldi*,) eodem modo quô Proteſtantes, per *Fias-tyúk* (h. e. per *Gallinam pullos habentem*) exprimunt. Antonii etiam *Bruccioli* Biblia Italica ex Hebr. & Græc. tranſlata, *Venetiis* an. D. 1532. edita, habent *le Plejade*, h. e. Plejadas. *Belgæ* (Proteſtantes) generali vocabulo, per τὸ *Sevengeſternte*, h. e. *ſeptem ſtellas* tranſtulerunt: quæ tranſlatio etiam *Hyadibus* accommodari poteſt. Non magna inter hanc & illam (vocis Hebr. *Chima*) verſionem, quoad ſitus prædictarum conſtellationum, (ut taceam nunc eoſdem utriuſque à veteribus fingi parentes ‡,) eſt diſcrepantia. Nam utraque ſita eſt in ſigno Tauri. *Hyades* in capite *Tauri* ſunt ſitæ: quarum præcipua & lucidiſſima, *oculus* nempe *Tauri* Auſtrinus, ſtella primæ magnitudinis, *Aldebaran* Arabibus dicta, declinat ab Æquatore versùs Boream, grad. 15. m. 54. Oritur autem in hoc noſtro climate ortu acronycho, (ſeu veſpertino,) circa diem 19. Decembr. ſt. n. Ortû verò coſmico circa 18. Jun. *Plejades* item, (quæ ſeptem eſſe dicuntur, ſed ſex apparent, quarum ut & *Hyadum*

(y) *Conſule* Rom. Subterran. *inprimis Epitaph.* Alexand. *Mart.* (z) *Apoc.* 12. *v.* 6. 14. *Qui locus ut olim in aliquo præludio eſt impletus, ſic pleniùs dehinc implebitur.* (a) *Dan.* 7. *v.* 27. *& cap.* 12. *v.* 1. *Apoc.* 12. *v.* 9. 10. *& cap.* 19. *v.* 20. 21. *& cap.* 20. *v.* 9. 10. † *Aliàs* Suculæ *vocantur.* (b) *Vid. Pagn. Job.* 9. *v.* 9. (c) *Vid. Toſſan. in Bibl. Germ. Luth.* (d) *Vid. Mareſ. Bibl. Gall.* (e) *Vid. Diodat. Bibl. Ital.* * *Aliàs*, Atlantides *dictæ*, *Latinis*, Vergiliæ. ‡ *Scimus* Atlantem *& ejus uxorem.*

dum nomina apud ſuos authores videantur,) ſunt in numero ejuſdem *Tauri*, vel ſupra genua ejus: quarum præcipua, *Lucida* Plejadum dicta (tertiæ magnitud.) declinat ab æquat. versùs Boream, gr. 23. m. 10. Oritur ortû acronycho in noſtro climate circ. 10. Novembr. ſt. n. Chaldæus cum voce textûs Hebræi hîc conſentit. Rabbinorum aliqui, Hebræum כימה (*Chima*,) quod hîc occurrit, (*f*) *caudam Arietis* interpretati ſunt: fortè ob vicinitatem *Plejadum* ad *caudam Arietis* hoc fecerunt. Alii tamen ex iis disertè docent, כימה (*Chima*) eſſe *Plejadas*, ſeu id, quòd Arabes *Thuraiya* vocant; ut oſtendit toties citatus vir doctus Thom. *Hyde*, (*g*) in ſuis ad Tabulas Ulug-Beighianas Commentariis. Qui & illud obſervat, (*h*) quòd alterum nomen *Plejadum* apud Judæos ſit סכות בנות (*i*) (*Siccut benoth*, vulgò *Tabernaculum filiarum*,) eò quòd olim idolum illud (docente Jarchio) fuit *in ſimilitudine Gallinæ cum pullis ſuis*. Græci LXX. hoc in loco, (ſcil. Job. 9. ỳ. 9.) pro *Chima*, poſuerunt *Arcturum*; (quòd & ſupra (*k*) jam aliis verbis inſinuavimus;) cum tamen alibi (ſcilicet Job. 38. ỳ. 31.) hoc ipſum nomen verterint πλειάδος (*Plejados*) in Genit. ſingulari conſtructum cum alio nomine ei adjuncto. Cujus rei cauſam non facilè nunc poſſum indicare; niſi dicamus eſſe tranſpoſitionem duorum nominum, *Plejadum* nempe & *Arcturi* apud LXX. Int. in loco *Jobi* priùs allegato. Utrumque enim occurrit apud LXX. Job. cap. 9. ỳ. 9. Sed illud primo, hoc verò (ſcilicet *Arcturi*) poſtremo loco; medio autem loco, pro *Orione* ponitur *Heſperus*, ut jam * vidimus. Myſterium *Plejadum*, quantum ad ſignificationem illam, quâ apud nonnullos populos (non adverſantibus etiam Judæis) exprimitur conſtellatio illa per *Gallinam pullos habentem*; dicere poſſumus, Sidus hoc eſſe emblematicam imaginem Chriſti Domini in ſuis Prædicatoribus fidis, ad ſanctam pacem ac *unitatem Fidei* credentes invitantibus, & piis Eccleſiæ Nutritiis conſiderati, cum ſuis in Eccleſia diſcipulis; quod ex ipſius etiam Domini Salvatoris verbis facilè colligere poſſumus: Matth. 23. ỳ. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem*, &c. *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum GALLINA congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*. Et cum ipſe *mittet* (*l*) *Angelos ſuos*, † Angelicos nempe Eccleſiarum Doctores, *cum tuba* prædicationis Evangelicæ, ejusq; *voce magna*, & efficaciſſima, (longè nimirùm ampliori & efficaciori quàm hactenùs fuit,)

(*f*) *Vid. Buxtorf. Lex. Talmud. col.* 1031. (*g*) *Pag.* 32. (*h*) *Ibid.* (*i*) *Occurrit prima vox, Amos. 5. v. 26. integrè autem habetur utraque, 2. (al. 4.) Reg. 17. v. 30.* (*k*) §. 15. *h. c. p.* 218. * §. 18. *h. cap.* (*l*) *Matt. 24. v. 31.* † *Ita hæc debere accipi, lumen nobis ad hoc ſuppeditat*, S. Auguſt. *Epiſt. 80. ad Heſych.* & Gloſs. *Ordin. Lyran. ed. Lugd. in Matt. 24. v. 31. in illa expoſitione Morali*: Tunc mittuntur Angelici viri cum TUBA prædicationis, ad congregandum electos hinc & inde in UNITATE charitatis. *Confer S. Ambroſ.* de Fide Reſurrect. *Et infr. cap. 8. hujus 2da Claſs.* §. 9. (*ſub, fin.*) 10. 11, 12. 13, 14. & 15, *de* Tuba. *Item, de* Angelicis *Doctoribus, cap.* 10. §. 40,

Digitized by Google

fuit,) ut illi per talem prædicationem *congregent electos ejus à quatuor ventis* ſeu plagis Mundi, tunc eò magis patebit myſterium *Plejadum* cum pullis ſuis. Si quis dicat, Eccleſiam per hoc Sidus cœleſte, cum ſuis filiis & filiabus deſignari; idem quoad rem, cum proximè indicata expoſitione dicet; dummodò Eccleſiam, *unitatem* ſanctæ *Fidei* amantem & ſervantem, ejuſque filios & filias eidem unitati cum Matre ſua adhærentes intelligat.

XXII. (4.) De *interioribus* (ſeu *penetralibus*) *Auſtri* brevitatis ſtudiô (properans ad ulteriora, quæ adhuc in hoc Libro reſtant,) plura dicere excludor, ne jam præclaris illis, quæ à S. *Gregorio* Magno dicta, & in ſuperioribus relata ſunt, aliquid hîc ſuperaddam. Hoc tantùm obiter de litera textûs indico: Chaldæum hîc interpretari, &c. אדרוני שטרי מזליא hoc eſt, *Conclavia* (vel *cubicula*) *dominationis Siderum*, (quod verti poteſt etiam (*m*) *Planetarum*,) *in latere* (vel extremittate) *Auſtrali*. *Vatablus* autem in Notis in hunc locum hæc habet: *Interiora Auſtri*; *id eſt*, *Aſtra meridiei ſic dicta*, *quòd occultentur*, *& non videantur ab iis*, *qui habitant in oppoſito hemiſphario*, (*nempe Polo arctico*;) *ut ſunt*, *Canopus*, *& ſimilia*. *Quaſi diceret*: *Qui facit omnia Signa cœleſtia*, *tàm Septentrionalia*, *quàm Meridionalia*. (Scilicet Deus habet, non ſolùm manifeſtos, ſed & occultos hominibus, eoſque longè plures fideles in æternam vitam electos & ſanctificatos.) De omnibus autem his *Aſteriſmis* hoc unum poſtremò addo. Annon etiam ex conſideratione ſitûs eorum ad diverſas Terræ partes, è regione ipſis (quoad grad. longitud. & latitud.) certo aliquo tempore reſpondentes, (dummodò eam artem & peritiam habeamus, quâ unum ex his, v. gr. *Arcturum*, tanquàm Anteſignanum & primo loco apud *Jobum* nominatum, convenienti cum loco terræ conferre, & in eo, mente noſtrâ quodam modo figere poſſimus,) aliquid lucis de myſteriis horum accepturi ſimus, eventus dehinc docebit. Hæc nunc de *Jobo*, de *Proverbiis* & *Eccleſiaſte*, ac ſpecialiter de *Aſtris* in *Jobo* memoratis dicta ſufficiant. Ad alia jam Studii hujus Prophetici *axiomata* ſeu *Regulas* progrediendum eſt.

CAPUT VIII.

In quo, *de quibuſdam prophetiarum* proprietatibus, methodo, conſonantia, numeris *myſticis*, *conſvetis quibuſdam* dicendi modis *ſeu* phraſibus *ſubinde* recurrentibus, *& ſimilibus cognitû in hoc ſtudio neceſſariis*, Regulæ tredecim (*ſcilicet à* decima nona, *uſq; ad* triceſimam primam *incluſivè*) *traduntur*; *quarum pleraq; breviter tantùm*, *aliquæ verò*, (*ut* 20ma. *&* 28va.) *pleniùs ceteris illuſtrantur*; *at ſignatè circa* 20*mam*, momentum *&* ordo reſurrectionis *futuræ*, *ut &* Tuba *eam præcedens explicantur*.

(*m*) *Sic in Bibliis Londinenſibus*, *an.* 1657. *& apud Buxtorf. in Lex. Talmud. ad voc.* שטר *col.* 2381. *& alibi*.

I. Aliquot hîc *Regulas* breviter tantùm, (exceptis 20mâ & 28vâ, præceteris pleniuſculè illuſtrandis,) ſine prolixa earum illuſtratione proponam, properans ad ulteriora non parvi adhuc momenti in hoc Libro dicenda.

REGULA XIX.

II. ,,*Dicuntur multa in Scripturis ſacris ut jam facta & penitùs con-*,,*ſummata*, (*propter jactum videlicet firmiſſimum eorum fundamentum*,) *quæ* ,,*tamen adhuc ſunt in ſpe poſita, ac ſuo tempore plenè implenda.* Regulam hanc noſtram totidem ferè verbis tradit S. *Auguſtinus*, dum ſic ſcribit: (*a*) *Multa dicuntur in Scripturis, tanquam facta ſint, cum in ſpe adhuc* ,,*eſſe intelligantur. Unde eſt & illud, quòd Dominus Diſcipulis ait:* (*b*) *Omnia* ,,*quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Quod usq; adeò ſecundùm ſpem* ,,*dictum eſt futurorum, ut eis poſtmodùm dicat:* (*c*) *Multa habeo vobis di-*,,*cere, ſed non poteſtis portare modo.* Jam verò in hanc rem in antecedentibus, locum quoq; illum adduxerat: (*d*) *Spe SALVI facti ſumus.* Porrò, *præteritum* pro *futuro* poni, quàm ſit frequens in ſtylo Prophetarum, † non eſt neceſſe ut de eo moneam eruditos; ſufficit hîc vel ſaltem obiter illud indicaſſe.

REGULA XX.

III. ,,*Dicuntur in Scripturis quædam, quæ nobis ex litera & ſono ver-*,,*borum, videntur, aut velociſſimè ac in inſtanti ſine notabili aliqua tempo-*,,*ris mora eſſe peragenda, aut ſaltem breviſſimô* (*humanitùs*) *temporis ſpatio* ,,*affutura, vel duratura; cum tamen & illa aliquam, & hæc majorem noſtrâ* ,,*opinione humanâ admittant temporis moram & ſucceſſionem.*

IV. Poſterius *Regulæ* membrum, (ut inde eam priùs illuſtrem,) clarum eſt ex eo, quòd multi * olim (inprimis ſeculo tertio & proximè ſequentibus, ut taceam primum ‡ ſeculum ratione quorundam,) ex quibusdam † Scripturæ S. dictis, putabant jam planè imminere diem noviſſimum & Mundi finem; cum tamen eventû teſtante, ſecùs (quàm putabatur) erat Verbi divini ſcopus. Sic etiam mora peragendi ultimi *judicii*, pariter ex litera quorundam ſacri textûs verborum, longè minor ab hominibus fore putatur, quàm reverà eſt futura: quo de argumento, infra (*e*) peculiari ſuo locô (Deo dante) dicturi ſumus. Primum verò membrum illuſtrat commu-

(*a*) *Lib. ad Dardan. de Præſentia Dei, ſeu Epiſt.* 57. (*al.* 187. *in edition. nov. Paris. An.* 1679.) (*b*) *Joan.* 15. *v.* 15. (*c*) *Joan.* 16. *v.* 12. (*d*) *Rom.* 8. *v.* 24. † *Conſule S. Auguſtin. Enarrat. in Pſal.* 43. *v.* 8. & 103. *v.* 6. * *Sic* S. Cyprianus, S. Ambros. & *alii in cumulo citati apud Cornel. à* Lapid. *Comment. in Apoc.* 20. *v.* 4. *Et adde* Auguſt. *Lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 53. *de quibuſdam.* ‡ *Expende* 2. *Theſſ.* 2. *v* 2. † *Vide S.* Auguſtin. *Epiſt.* 80. *ad Heſych. quomodo olim aliqui ex* 1. Joan. 2. *v.* 18. & Dan. 9. *v.* 24. 25. 26. 27. *ſuam illam opinionem colligebant.* (*e*) *Sub Regul.* 33. *Cap.* 10. & 11. *b. ada. Ciaſs.*

Digitized by Google

communis noſtra (ſcilicet & mea quondam) opinio de velocitate ac ſubitaneo puncto *reſurrectionis* omnium & ſingulorum hominum, quaſi in uno eodemque inſtanti temporis puncto futuræ, collata cum ipſa rei veritate in Scriptura ſacra. Cum enim Scriptura S. dicat *reſurrectionem*, ac præſertim *immutationem* Sanctorum illorum, qui vivi in Adventu Domini deprehendentur, (*f*) ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, *in momento, in ictu oculi* futuram eſſe; hinc nullâ Scripturâ parallelâ favente, nullâque auctoritate publicâ Eccleſiæ id definiente, imò nec unanimi potiorum & antiquorum Eccleſiæ Doctorum conſenſû probante, ex ſola mentis humanæ (literam faciliùs quam Spiritum capientis) infirmitate, ejuſdemq; præjudiciis quibuſdam, velut de manu ad manum acceptis, putatur vulgò (atque etiam à me quondam putatum eſt) reſurrectionem omnium & ſingulorum in uno eodemque *momento* temporis propriè dicto, ſine ulla notabili mora velociſſimè futuram eſſe, ac per hoc, homines è medio pulverum & ſepulchrorum rapidiſſimè ſe ſtituros tribunali Chriſti; cum tamen S. *Paulus* eodem ipſo capite, in quo τοῦ ἀτόμου (*momenti*) facit mentionem, longè aliter doceat. Nam præterquam quòd non obſcurè innuit, *Reſurrectionem* piorum aliquantò (*g*) priùs futuram eſſe quàm impiorum, (verbis illis; (*h*) *Primitiæ Chriſtus*; *deinde ii*, *qui ſunt Chriſti*, &c.) certè de reſurrectione piorum proximè, ſeu eorum qui in Chriſto obdormierunt, (quod pauci accuratè expendunt,) diſertè ſic docet: (*i*) ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι. H. e. *Unuſquiſque IN SUO ORDINE*, ſcilicet *vivificabitur*, ſeu reſurget. Ipſum Græcum τάγμα, vocabulum militare, quod hîc occurrit, eſt planè ſententiæ noſtræ (imò ipſius Apoſtoli) illuſtrandæ convenientiſſimum. Significat enim τὸ τάγμα certi numeri cohortem nunc minorem nunc majorem, ordinatè cum aliis cohortibus ſeu agminibus in aliquo exercitu militari diſpoſitam. Accipe de eo lumen ex iſtis *Arriani* verbis: (*k*) Αὐτίκα ἐπὶ τῷ λόχῳ ἑκκαίδεκα ἀνδρῶν τὸ βάθος ὑπεθέμεθα, τέσσαρες ϗ εἴκοσι ἐπὶ τοῖς χιλίοις ἔσονται οἱ λόχοι ἐν τῷδε [τῷ ἀριθμῷ. ϗ ὅτι μεμερισμένοι ἐς τάγματα, ὧν ἑκάστῳ ϗ ὄνομα οἰκεῖον πρόκειται. Quæ in recenſione Nicolai *Blancardi* ſic vertuntur: *Et quia ordinis verſuſve cujuslibet latitudinem virorum ſedecim conſtituimus, quatuor & viginti ſupra mille ordines erunt dicti numeri totius.* (Scilicet totam multitudinem integri exercitûs (pedeſtris) faciunt ejuſmodi *lochi* ſeu *ordines* ex 16. viris con-

(*f*) *1. Cor. 15. v. 52.* (*g*) *Conſule Theophylact. Comm. in 1. Cor. 15. v. 23. col. 2.* (*h*) *Cit. cap. 1. Cor. 15. v. 23. col. 2. collat. 1. Theſs. 4. v. 16. (al. v. 15.) col. ult. collat. Joann. 5. v. 28. 29.* (*i*) *Loc. cit. 1. Cor. 15. v. 23. col. 1.* (*k*) Arrian. *in Art. Tactic, pag. 28. edit. Amſtel. an. 1683. Floruit hîc* Arrianus *an. D. 145.*

conſtantes, mille & viginti quatuor.) *Hi autem* (inquit) *dividuntur in TAGMATA SUA: quorum quodlibet deinde ſuum habet nomen.* Subjicit illico: *Nam ordines* (ſeu *lochi*) *duo juncti inter ſe, vocantur dilochia, conſtans viris triginta duobus, quique praeſt eis, Dilochita. Tetrarcha verò qui viris ſexaginta quatuor praeſt.* Sic ergò juxta hanc *Arriani* partitionem, minimum *τάγμα* (*agmen*) militare erat 32. virorum; & iſtô proximè majus, 64. virorum. Atque ſic conſequenter. Juxta *Ulpianum* autem, (qui floruit circa an. D. 220.) ſive potiùs juxta veteres Græcos, quorum ipſe ſententiam refert, *τάγμα millenarium* agmen ſignificabat. Sic enim ille ſcribit: (*l*) *Graci mille hominum multitudinem, τάγμα appellant.* Atq; hinc vult (juxta quartum Etymon à ſe poſitum) *militem* quoque ab hujuſmodi tagmate, *quaſi milleſimum quemque dictum*, ſicut & *Ducem* talis tagmatis *χιλίαρχον appellatum.* Quicquid ſit de hoc *militis* etymo; verum ſaltem eſt juxta ejus teſtimonium, *Tagma* per excellentiam, ac numerô rotundô, (qui 62. *lochos* cum octo viris in ſe complectitur) exercitum ordinatum *mille* viris conſtantem Græcis olim ſignificâſſe, non obſtante quòd nonnunquam pro latitudine ſuî ſenſûs & uſûs, minus etiam vel plus habentem ſignificârit.

V. Propiùs autem ad noſtrum ſcopum & longè clariùs mens noſtri Apoſtoli (in allegato loco) illuſtratur ex aliquot Scripturæ S. verſibus, juxta LXX. Interpretum verſionem, de ordinata caſtrorum populi *Iſraël* profectione in deſerto ſonantibus: ut, v. gr. Num. 2. ℣. 2. *κατὰ τάγμα*, h. e. *ſecundùm turmam*; ℣. 3. ibid. *πρῶτοι κατ' ἀνατολὰς, τάγμα παρεμβολῆς Ἰȣ̍δα*: *Primi ad Orientem, Turma* (ordinata ſeu vexillata) *caſtrorum Juda*: ℣. 10. ibid. *Τάγματα παρεμβολῆς Ῥȣβὴν πρὸς Λίβα. Turma* (vexillatæ) *Caſtrorum Ruben, ad meridiem:* item, ℣. 18. *Τάγμα παρεμβολῆς Ἐφραίμ παρὰ θάλασσαν.* H. e. *Turma caſtrorum Ephraim juxta mare*, ſeu *ad occidentem:* & ℣. 25. ibid. *Τάγμα παρεμβολῆς Δὰν πρὸς Βοῤῥᾶν.* H. e. *Turma caſtrorum Dan ad Boream.* Confer ibid. ℣. 31. & præcipuè ℣. 34. *ὅτω παρενέβαλον κατὰ τάγμα αὐτῶν, καὶ ὅτως ἐξῆρον ἕκαςος ἐχόμενοι κατὰ δήμȣς αὐτῶν.* H. e. *Sic caſtrametati ſunt* [filii Iſraël] *ſecundùm turmam* [quiſque] *ſuam*, (ſeu ut Vulgatus Interpres habet, *per turmas ſuas*,) *& ſic moverunt* caſtra, (ſeu *profecti ſunt*) *unuſquiſq; adhærendo ſuis populis.* Confer etiam apud eoſdem LXX. Num. 10. ℣. 14. 18. 22. & 25. In quibus omnibus locis, iidem Interpretes Hebræum דגל (*Degel*,) quod propriè *vexillum* ſignificat, tranſtulerunt per *τὸ τάγμα*, (Latinus autem vetus

(*l*) *ff. Lib.* 29. *t.* 1. *de Teſtam, milit. l.* 1. §. Miles.

Digitized by Google

vetus Interpres, *turmas*, & aliquando *ordines* (m) id ipſum vertit,) eò quòd ſub *vexillo* turma certa & ordinata ſolet haberi, ita ut à numero *vexillorum* æſtimari poſſit, quot ſint *turmæ* ſeu cohortes in aliquo caſtrenſi exercitu. Hinc illud Hebræum in Canticis, כנגדלות. (n) *ut vexillata*, (Græcè, *ὡς τεταγμέναι*,) per Latinum Interpretem vertitur, *ut caſtrorum acies ORDINATA.* In Bibliis etiam Regiis B. Ariæ *Montani* quatuor lingvarum, Græcum *τάγμα* in allegatis ſupra locis, transfertur Latinè, *Ordo*: ut & in Apoſtoli textu citato, idem vocabulum cum præpoſitione conſtructum, communiter vertitur, *in* (*ſuo*) *ordine*. Ubi *ordo* ſeu *τάγμα*, juxta præmiſſa, ſignificat certum & *ordinatum agmen*, ſeu exercitum particularem, in majori exercitu (ut partem in toto) comprehenſum: ut jam ſtatim & immediatè poſt citata verba Apoſtoli inſinuavimus. Scilicet, ſupponitur in iiſdem verbis, exercitus fidelium Dei, pro diverſitate menſuræ gratiæ & donorum iis communicatorum, juxta ſapientiſſimam ejuſdem diſpoſitionem, ad ſimilitudinem quodam modo ordinis & exercituum Angelicorum, cum gradibus certæ ſuperioritatis & inferioritatis diverſos eſſe ac varios, eoſque omnes ordinatiſſimè inſtructos. Unde jam hic ſen- „ſus verborum iiſdem congruentiſſimus emergit: Unuſquiſque pro men- „ſura gratiæ & donorum à Deo acceptorum, in ſuo ordinato exercitu, „ſuáque claſſe reſurget. Atque hinc jam ſequitur, quòd in reſurrectione, *ordo dignitatis* ita ſervabitur, ut ſimul etiam *ordo temporis* aliquis ſit obſervandus. Cum enim ipſa figura proximi procinctûs & proceſsûs fidelium versùs cæleſtem *Chanaan*, (ac in genere futuræ populi Dei reſtaurationis, cujus coronis & apex eſt ipſa reſurrectio,) ſupra (o) de exercitibus *Iſraël* memorata, *ordinem temporis* (cum dignitate) in ſuî motu ac profectione habuerit; nulla certè eſt evidens ratio, ob quam idem rei per figuram ſignificatæ negari debeat. Præſertim cum Apoſtolus in allegato loco (ſcil. 1. Cor. 15. ℣. 23.) utatur eâ voce, (ſcilicet, *τοῦ τάγματος*.) in cujus uſu non poterat non habere reflexionem ad LXX. Interpretes ſibi optimè notos, & non rarò ſuis in Epiſtolis in uſum adhibitos, (quoſve tam frequenter in deſcriptione profectionis caſtrorum *Iſraël* voce illâ uſos fuiſſe, ignorare non poterat,) ſupponendum eſt, eum, *ordinem temporis*, non minùs in ſuis verbis, quàm apud illos ſubintelligendum nobis dediſſe. Ita etiam in *oſſium* apud Ezechielem (p) *reviviſcentium* exemplo, manifeſtiſſimè *ordo* quidam *temporis* notatur. Ipſa quoq; phraſis Apoſtoli (v. gr. *Unuſquiſq; in ſuo ordine*,) non obſcurè *ordinem* quoque *temporis* hîc ſubintelligendum eſſe indigitat.

VI. Ut

(m) *Num. 2. v. 17. col. ult.* Singuli per loca & ORDINES ſuos proficiſcentur.
(n) *Can. 6. v. 9.* (o) *Hòc §. V, ex Num. 2. v. 2. 3. 10. 18. 25. 31. & 34.* (p) *Ezech. 37. v. 7. 8. 10.*

VI. ,,Ut enim, ſi quis dicat; Unuſquiſq; militum *in ſuo ordine*, ſuo- ,,que agmine ſurget è ſtatione, movebitque ſe in ulteriora; perſpicuè innuit per hoc, quòd aliqui priùs, aliqui poſteriùs ac tardiùs debeant ſurgere & movere ſe è ſtatione priori versùs ulteriora; ſic etiam in phraſi Apoſtoli innuitur, quòd aliqui priùs, aliqui poſteriùs movebuntur è priori ſua ſtatione, ſcilicet è poteſtate mortis & ſepulchri, ut vivant deinceps in æternum. Ita etiam, ſi dicatur de certis militum cohortibus ſeu ordinibus, ,,poſt labores & excubias dormientibus & quieſcentibus: Unuſquiſq; mi- ,,litum quieſcentium, *in ſuo ordine* (ſive juxta ſuum ordinem) excitetur; manifeſtè ſupponitur, non omnes & ſingulos ordines in uno eodemque temporis punſto, ſed in diverſis, pro diverſitate ordinum, fore excitandos. Nam alioquî, quæ cauſa erat hujuſmodi locutionis, ſi non per eam *ordo* quoque *temporis* indigitetur? Poterat enim ſimpliciter dici: ,,Omnes ordines ſeu cohortes (hoc vel illo tempore) excitentur. Facilè jam & hanc ſimilitudinem textui Apoſtolico applicare poſſumus. Ita pa- ,,riter, ſi dicatur de Sacerdotibus Hebræorum, quòd unuſquiſque eorum *in* ,,*ſuo ordine* (de quo vide 2. Paral. 5. ỷ. 11. & 1. Eſdr. 6. ỷ. 18.) debuerit ,,munus ſuum obire; conſtat verſatis in Scriptura S. (1. Paral. 24. ỷ. 6. 7. 8. & ſequ. collat. Luc. 1. ỷ. 5.-8.) *ordinem temporis* hîc ſubintelligi. Vel ,,hodie ſi dicatur: Unuſquiſque Clericorum ſeu Eccleſiaſticorum *in ſuo ordine* accedat ad ſacram Communionem; certum eſt, *ordinem* & ſucceſſionem *temporis* (unà cum dignitate) neceſſariò hîc ſubincludi. Priùs enim ſic accedent *Epiſcopi*, (ſi adſint,) ac deinde *Presbyteri* & *Diaconi*: & ſic conſequenter. Non eſt difficilè, erudito lectori, hæc quoque exempla in ſcopum præſentem applicare. Præterea, conſideratô totô contextû Apoſtoli, quid faciebat ad rem, dictum ſuum per exemplum *ordinem temporis* in ſe habens illuſtrare, ſi non hîc aliquem *temporis ordinem* futurum voluerit inſinuare? Verbis enim allegatis illicò ſubdit: *Primitiæ Chriſtus*; *deinde ii*, *qui ſunt Chriſti*. Certè cum ex hoc adſtruat quod priùs dixit, *Unumquemq; in ſuo ordine vivificandum* eſſe; ſequitur evidenter, quòd ut Chriſti reſurrectio tempore præceſſit futuram fidelium ejus reſurrectionem; ſic etiam reſurrectio fidelium altioris ordinis, (& per hoc, excellentiâ gratiarum Chriſto propinquioris,) præcedet reſurrectionem aliorum fidelium inferioris ordinis, ſalvâ ſemper veritate *Catholicâ* contra quoſvis *Millenarios* Judaizantes. Sic ergò unuſquiſque habebit quidem cum ſuo ordine ſuum *momentum*, ſuum nempe breve tempus in quo reſurgat; ſed tamen non omnes & ſinguli cujuslibet ordinis fideles, in uno eodemque momento (ſeu unico & indiviſibili brevi temporis ſpatio) reſurgent.

VII. Ut autem hactenùs de *ordine* reſurrectionis ad textum S. *Pauli* à nobis dicta, clariora & firmiora ſint; digniſſimum judico, magni & piiſſimi

piiſſimi illius Doctoris S. *Ambroſii* (nîl obſtante cujuſquam hoc in puncto in eum cenſurâ) ſententiam de futuro reſurgentium *ordine* in medium producere. Sic autem ille (poſt præmiſſam duarum Moſis *tubarum* argentearum explicationem myſticam) ſcribit: (q) *Adverte juxta typum legis, ordinem gratiæ. Cum tuba prima cecinerit,* (r) *Orientales congregat, quaſi præcipuos & electos. Cum ſecunda, ſuppares meritis, qui ſecundùm Auſtrum ſiti, dereliquerunt ludibria Nationum. Cum tertia, eos qui tanquam in mari exagitati iſtius flatû Mundi, ſeculi hujus fluctibus vacillârint. Cum quarta, illos, qui* † *duritiam mentium nequaquam ſatis potuerunt eloquiis ſpiritualis mollire præcepto, & ideo ſecundùm Boream vocati ſunt. Boreas enim ſecundùm Salomonem,* (ſ) *durus eſt ventus. Itaq; licet in* * *momento reſuſcitentur omnes, omnes tamen meritorum ordine ſuſcitantur. Et ideo, PRIMI reſurgent, qui maturo devotionis occurſû, & quodam antelucano fidei exortû, prodeuntis Solis æterni radios receperunt. Quod vel de Patriarchis, juxta Veteris ſeriem Teſtamenti, vel de Apoſtolis juxta Evangelium jure memoraverim. SECUNDI autem, qui ritum gentium relinquentes, ab errore ſacrilego tranſierunt in Eccleſiæ diſciplinam. Et ideò illi primi ex Patribus, iſti ſecundi ex gentibus. Ab illis enim lux fidei cœpit, in iſtis uſq; ad Mundi occaſum ſuſcepta duravit. TERTII ſuſcitantur, qui ab Auſtro, & qui ab Aquilone ſunt.* Hæc S. Patris verba, uſque dum tam ſublime pleniùs intelligamus myſterium, juvant nos, & ad pleniorem veritatis in hoc puncto inquiſitionem excitant, ne putemus novum quid & peregrinum auribus noſtris ingeri, dum audimus *ordinem* aliquem *temporis* fore in reſurrectione mortuorum, & per conſequens etiam in immutatione Sanctorum tunc in terris futurorum.

VIII. *Sedulius* etiam Scotus (an. D. 430. vel 440.) ad verba Apoſtoli, *in ſuo ordine*, ſcribit ſic: (s) *In ſuo ſcilicet honore, vel ordine, TEMPORE SERVATO.* Et *Primaſius* Epiſcopus Africanus † (an. D. 550.) ad eadem verba ſic: (t) *TEMPORIS, vel honoris,* (ſcil. *ordine.*) Quibus verbis, oſtendit ſaltem ſe non repugnare, quin *ordo temporis* futurus ſit in reſurrectione fidelium. Nos apertiùs juxta præmiſſa, copulativè dicimus, & *temporis* & *honoris* (ſeu dignitatis) *ordinem* fore. Habetur etiam in *Gloſſa* quadam, quòd (u) *qui minùs Chriſto digni ſunt, reſurgent poſteriores TEMPORE, & dignitate minores.* Quæ verba nequaquam poſſunt de impiis & in æternum perituris intelligi, cum illi nullam planè tunc habituri ſint *dignitatem*; ſed de illis *credentibus*, de quibus ibidem (in

 Gloſſa)

(q) *S. Ambr. de* Fide Reſurrect. *in Satyri fratr. ſui obitu. Oper. Tom. 4.* (r) *Num. 10. v. 5. 6. 14. 18. 22. 25. collat. Num. 2. v. 3. 10. 18. & 25.* † *In editis exempl. habetur*, duram. (ſ) *Prov. 27. v. 16. juxta LXX. Int.* * *Vide h. cap. §. 6. ſub. fin.* (s) *Collect. in 1. Cor. 15. v. 23.* (t) *Comm. in 1. Cor. 15. v. 23.* † Uticenſis *vulgò dicitur.* (u) *Apud N. Lyran. in 1. Cor. 15. v. 23.*

Gloſſa) immediatè præcedit: *Qui in Chriſtum credunt.* Nam ex *credentibus*, tantò quis per gratiam *dignior* eſt Chriſto, quantò plus participat de gratia, & quantò meliùs ac diligentiùs utitur gratiâ ſibi datâ. Illi *minùs digni*, poſſunt dici juxta S. Auguſtini doctrinam (v) *medii* inter eximiè bonos, & extremè malos. Non procul abit etiam Alphonſus *Salmeron* (Soc. Jeſ. Theologus) à noſtra ſententia; qui *ſenſum* verborum (1. Cor. 15. ℣. 23.) *primitiæ Chriſtus*, docet (x) *hunc etiam eſſe poſſe, ut Chriſti nomine intelligamus eos Apoſtolos, qui unà cum Chriſto futuri ſunt ad judicandum.* Et mox infra, diſertè per *Chriſtum* (verſu citatô) *primarios viros* intelligit; poſt quos, inſinuat *juſtos* adhuc alios (ſcilicet minoris ordinis) fore reſuſcitandos, *in ſecundo ordine reſurgentium.*

IX. Sed urgebit fortè hîc aliquis in contrarium verba S. Pauli jam audita; quòd ipſe diſertè doceat, (y) *in momento*, *in ictu oculi* futuram *reſurrectionem* ex morte in vitam, & *immutationem* ex præſenti ſtatu miſero in meliorem. Unde etiam S. *Ambroſius* poſt Apoſtolum recognoſcit, omnes *in momento* fore reſuſcitandos. Ad quod ſic reſpondeo. Cum certum ſit eruditis, omnia Scripturæ S. verba plena eſſe myſteriis, (ut jam peculiari hoc *Regulâ* ſupra (z) docuimus,) atq; hîc inprimis ob profundam doctrinæ hujus ſublimitatem ipſemet S. Apoſtolus hanc præfatiunculam verbis ſuis præmittat; (a) *Ecce myſterium vobis dico*; certô certiùs tenere debemus, etiam *momentum* atq; *ictum oculi* hîc poſita, myſticè potiſſimùm eſſe intelligenda. Si ſunt in Scriptura *dies* myſtici, *menſes*, *ſeptimanæ & hora* myſticæ; eſt ergo etiam *momentum* myſticum, ac per conſequens myſticus *oculi ictus*. Quale *momentum*, ſufficiat nunc ſcire in genere, (nec enim brevitatis ſtudium hîc permittit omnia plenè explicare,) pro brevi tempore (comparatè ad alia præterita longiora tempora) accipiendum eſſe, & pro tali ἀτόμῳ, *indiviſibili*, quod jam ampliùs in Dei & mundana hominum negotia dividi nequeat. Alioquî, ſi tantùm pro noſtro naturali captu, literale tantùm *momentum*, & propriè dictus *oculi ictus* hîc intelligerentur, jam ſic nullum eſſet hac in parte in verbis Apoſtoli *myſterium*. Nemo certè ſanus, Iſa. 26. ℣. 20. in verbis illis: *Vade populus meus, ---abſcondere modicum* (b) *AD MOMENTUM*; vel ibid. cap. 54. ℣. 7. 8. *AD PUNCTUM in modico dereliqui te*; item: *In MOMENTO indignationis abſcondi faciem meam parumper à te*, ipſum *momentum* & *punctum* pro literali & propriè dicto illo momento illoq; puncto temporis, (ab homine quovis

(v) *Vid. S. Aug. Enchir. ad Laurent. cap.* 110. *& Lib.* 21. *de Civ. Dei*, *cap.* 27. *collat. noſtro Exam. Ref. cap.* 6. *pag.* 150 *&* 151. (x) *Salm. Diſput. in* 1. *Cor.* 15. *Diſp.* 23. *ad v.* 23. *Floruit hic an. D.* 1540. *& ſequ. obiit an. D.* 1585. (y) 1. *Cor.* 15. *v.* 52. (z *Regul.* 4. *Claſs.* 2. *Cap.* 2. *pag.* 78. *&* 79. (a) 1. *Cor.* 15. *v.* 51. (b) *Vide tum in hunc, tum in ſequentem locum Comm. S.* Hieron.

quovis per ſolam rationis indaginem facilè intelligibili,) quod *minima* pars eſt † *horæ*, accipit. Addantur hîc lucis causâ loca ſequentia: Job. 20. ℣. 5. & 21. ℣. 13. & 34. ℣. 20. Pſal. 30. ℣. 6. juxt. text. Hebr. Iſa. 29. ℣. 5. (al. ℣. 6.) & ℣. 17. ibid. & c. 30. ℣. 13. & 47. ℣. 9. & 60. ℣. ult. col. ult. Jerem. 4. ℣. 20. & 49. ℣. 19. & 50. ℣. 44. Luc. 21. 34. 35. 1. Theſs. 5. ℣. 3. Et cum *ictu oculi* conferatur *fulgur jaculi* Divini, (Zach. 9. ℣. 14. collat. Pſal. 96. [al. 97.] ℣. 4.) ſpirituales hominum in peccatis ſuis profundè dormientium & ſtertentium *oculos* potentiſſimè ferientis & perſtringentis, ut eos, ad videndum & credendum Judicem Mundi adeſſe, ſine ulla cunctatione vel inviti aperiant, & in ſuperna elevent. Quia verò hujus tremendæ *oculorum* apertionis, tremendique *momenti* myſtici initium ſubitò erit; hoc ſensû, (quoad illud in ſingulis repentinum initium,) concedimus etiam literale *momentum* in verbis Apoſtoli hactenùs ventilatis, non penitùs excludi: Potiſſimam tamen myſtici *momenti* hîc rationem haberi, ſuperiora oſtendunt. Quibus accedat iſtud: Quòd *momentum* cum *ictu oculi* ab Apoſtolo memoratum, ejuſdem eſt temporis, cujus & *noviſſima tuba.* Sic enim fluunt ejus verba: (*c*) *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Atqui *noviſſima* illa *tuba*, † nequaquam erit unius tantùm exigui *momenti* literalis, ſed ſatis juſti & eidem adæquati temporis. Erit enim *tuba* illa (quæ alias (*d*) *ſeptima*, & (*e*) *vox magna* (*f*) ac *tuba Dei* dicitur,) non alia, quàm potentiſſima Dei vox, omnia arcana Scripturæ S. & doctrinæ Eccleſiæ pandens, atque etiam lapidea hominum corda ſingulari cum terrore penetrans, per fideliſſimos, ſanctiſſimos ac Deo pleniſſimos ejuſdem Servos, velut totidem Angelos, proximè ante apparitionem Judicis * prædicanda, ad hoc, ut homines in ſua carnali ſecuritate ſtertentes, è lethargo ac morte ſuorum peccatorum excitentur, & in præſentiam Judicis citentur & præparentur.

X. Talem hîc *Tubam* debere intelligi, non erit dubium ei, qui morem & ſcopum Scripturæ S. in hujuſmodi locutionibus diligenter expenderit. Audiamus S. *Ambroſium* de voce *Tuba* (imò *Tubarum*) ipſam Reſurrectionem præcedente differentem: (*g*) *Requiramus* (inquit) *in Scripturis veteribus, quid de tubarum genere legerimus.* Ubi mox interſerit ex Lev. 23. ℣. 24. & Num. 10. ℣. 2. de *Tubis* typicis; citat etiam illud Apoſtoli: (*h*) *In tuba Dei deſcendet de Cœlo*, & paulò poſt ſic pergit: *Si quis*

† Scaliger *in una* hora *numerat 1760.* momenta. *De emendat. Temp. Lib. 1. pag. 5. edit. Lugd. Bat. an. 1598.* (*c*) *1. Cor. 15. v. 52.* † *Vid. Cæl. Pannon. in Apoc. 11. v. 15. cujus verba habes infr. b. Claſs. cap. 10. §. 28.* (*d*) *Apoc. 10. v. 7. & 11. v. 15. collat. cap. 8. v. 2.* (*e*) *Matt. 24. v. 31. collat. Iſa 27. v. ult.* (*f*) *1 Theſſ. 4. v. 15. (al. 16.)* * *Ideò hæc vox*, Lingua *Domini dicitur*, quaſi ignis devorans. *Iſa 30 v. 27. col. ult.* (*g*) *Tom. 4. de* Fide Reſurrect. *in obitu Fratris ſui* Satyri. (*h*) *1. Theſſ. 4. v. 15. (al. 16.)*

imaginem Dei (nempe Chriſtum) *videre deſiderat, debet diligere Deum.* --*Faciat ſibi rationabiles tubas duas ductiles, argentô probato, hoc eſt, pretioſo VERBO compoſitas & ornatas.*-- *TALI enim tubarum SONITU* (*i*) *MORTUI EXCITANTUR*, (mortui ſcilicet in peccatis,) *non crepitû utiq; aris, ſed verbo veritatis animati.*-- *Nec tamen omnium eſt utrâq; canere tubâ, nec eſt omnium univerſam colligere Synagogam; ſed ſolis* (*k*) *Sacerdotibus & Miniſtris Dei canentibus, iſta prerogativa defertur.*-- *Hàc igitur* † *geminâ tubâ ad illam ſanctam Terram, Reſurrectionis ſcilicet gratiam pervenitur: & ideò ſemper tibi concinat, ut ſemper audias Dei voces; ſemper te Angelorum Prophetarumq; oracula excitent atq; commoveant, ut ad ſuperiora feſtines.*

XI. Sed longè propiùs & accommodatiùs ad præſentem ſcopum S. *Hieronymus* de hac ultima *tuba* & *voce* (ad verba Apoſtoli, 1.Theſſ.4.℣.15. „*Quia ipſe Dominus* &c. *deſcendet*,) ſcribit: (*l*) *Deſcendet* inquit, Dominus *miſſus à Patre, non diverſitate virtutis, ſed diſpenſatione Judicis: & deſcendet ad eos, qui deorſum ſunt, Verbum Dei, & ſapientia, & veritas, & juſtitia. Et quanquam mortui ſint, ad quos dignatur deſcendere; non tamen ſunt ab eo alieni. Mortui enim vocantur in Chriſto.* (Illos nempe hâc vice intelligit per *mortuos in Chriſto*, qui jam fidem dederunt Chriſto, non tamen adhuc plenè ex morte peccatorum ſuorum evigilârunt.) *Qui autem vivunt*, (*qui* nempe * *fidei magnitudine ſemper vivunt* [vitam ſanctam] *in Chriſto, nec dormiunt* in peccatis,) *hoc habent privilegium, quòd eliguntur è pluribus. Attamen utrumq; agmen, & mortuorum in Chriſto, & viventium, rapientur pariter in nubibus obviam Chriſto.*-- -- *Deſcendit igitur Sermo Divinus, voce Archangeli PRÆCEDENTE, & PRÆPARANTE VIAM in iis, qui ejus poſſunt ferre præſentiam. Quod ut queamus intelligere, primi adventûs myſteria cognoſcamus. Scriptum eſt de Joanne, qui Præcurſor ejus* „*fuit, quòd in eremo dixerit:* (*m*) *Ego Vox clamantis in deſerto, & reliqua.* „*Quid clamavit vox in deſerto? Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.*-- *Nunc autem nequaquam vox Prophetæ* (veteribus ſimilis) *in deſerto erit, ſed vox Archangeli* (Eliæ nempe myſtici cum ſuo ſocio, Archangelicô Spiritû & ipſo Chriſto pleniſſimi futuri) *parantis vias, non in carnis humilitate venienti, ſed ei, qui eſt apud Patrem Verbum Deus. Et tunc quidem egrediebantur in deſertum, ut audirent aſſumpti hominis præcurſorem, & viderent arundinem vento agitatam.* &c. *Nunc autem in voce Archangeli* *PRÆ-*

(*i*) *Confer lucis causâ, Joann. 5. v. 25.* (*k*) *Num. 10. v. 8.* † Spiritûs gratiam & mentis induſtriam *hic S. Ambroſius intelligit per hoc, quòd* duæ *dicuntur hæ Tubæ. Ego lucis causâ addo: quòd potiſſimùm ob* duos *Teſtes* (*juxta Apoc. 11.*) *futuros, hic numerus hoc loco uſurpatur.* (*l*) *S. Hieron. Epiſt. 152. ad Miner. & Alexandr.* * *Verba ſunt S. Hieronymi in ſuperioribus, in Epiſt. cit.* (*m*) *Matt. 3. v. 3.*

PRÆCEDENTIS Dominum deſcendentem de Cœlis, & in clariſſima tuba, unuſquiſq; credentium, vel AD PRÆLIUM, vel AD SACERDOTALIA MINISTERIA PROVOCATUR. Legimus in Numerorum Libro (n) ſacratas Deo tubas, quæ ante oſtium perſonent. Sin autem magna eſt vox Angeli, & tuba Archangeli; quantò major erit tuba Dei, quæ PARAT VIAS, primùm dormientium & mortuorum in Chriſto, deinde eorum qui vivunt, & in præſentiam Dei reſervantur?

XII. Hæc certè, tanta & talia *Tubæ ultimæ* opera, prædicationem verbi Divini potentiſſimam, & per hoc, longè plus temporis requirunt, quàm parvum aliquod *momentum* propriè ſic dictum. Quæ tamen non ita accipienda ſunt, quaſi *mortui in Chriſto* apud S. Paulum, non alii, quàm ſoli fideles in Chriſtum ut ſuum Redemptorem fide recumbentes, in peccatis tamen adhuc ſuis magna ex parte dormientes intelligendi eſſent: non enim eſt dubium, quòd S. Paulus per *dormientes* & *mortuos in Chriſto* (tam 1. Theſſ. 4. quàm 1. Cor. 15.) potiſſimùm & immediatè illos intellexerit, qui in verâ & vivâ Fide Chriſt. hinc morte corporali exceſſerunt: ſed quæ ex dictis in noſtrum ſcopum notare debemus, iſta ſunto: (1.) Quòd latiori ſensû, per *mortuos in Chriſto*, illi quoque ſubintelligi poſſunt, quos S. *Hieronymus* in memoratis ſuis verbis (*o*) intelligit: ſicut certum eſt, ipſos quoq; electos, jam ad fidem Chriſti converſos, non rarò (*p*) *dormire*, quoſdam planè ſtertere, & quaſi mortuos jacere in ſuis quibuſdam peccatis ad tempus, ac per hoc, eis quoque convenire illud monitum: (*q*) *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* (2.) Quòd allegata S. *Hieronymi* verba (quantum ad noſtrum ſcopum) eò potiſſimùm tendunt, ut ſciamus, vel maximè mortuos in peccatis, (ſive jam dederint illi fidem Chriſto, ſive non, vel ſi dederunt, ſive id ſincerè, ſive dolosè fecerint,) excitandos eſſe primùm ex ſua carnali ſecuritate per terribilem illam ultimam prædicationis *tubam*, antequam mortui corpore reſurgant. Atque hæc eſt ratio, quòd toties in Scriptura S. adventui Domini, & reſurrectioni mortuorum *tuba* hæc adjungitur. Propter illos enim primi generis mortuos *tuba* hæc propriè neceſſaria eſt; quâ etiam vel maximè impii & Deo exoſi excitabuntur hôc ſensû, ne jam ampliùs poſſint ſtertere & ſibi placere in ſuis erroribus, ſuis peccatis, & carnali ſecuritate, ſed ſciant Judicem adeſſe, gemantque & plangant (licet jam † fruſtra) de peccatis ſuis, & terrore diſtrictiſſimi judicii perculſi, etiam ante ſententiam horrendè torqueantur. Electi autem ita ſuis ex peccatis ſuiſq; erroribus excitabuntur, ut tandem in æternum Deo vivant. Ita certè ſapientiæ

(*n*) *Num. 10. v. 2. 3.* (*o*) §. 11, *h. cap.* (*p*) *Hinc illud Matt. 25. v. 5. Ubi cum aliis etiam Virgines prudentes* dormierunt. (*q*) *Eph. 5. v. 14. Confer Iſa. 26. v. 19.* Vivent mortui tui *&c.* † *Vid. infr. cap. 10. h. Claſſ.* §. 35. *ſub. fin.*

pientiæ Dei ordinatiſſimè omnia agentis conſentaneùm eſt, ùt reſurrectio ſpiritualis, electorum nempe nunc memoratorum à *morte* ſpirituali plenus tranſitus (*r*) ad *vitam* integrè ſanctam, præcedat reſurrectionem corporalem. Poſtquam tales ſpiritualiter mortui excitabuntur, ſequetur tunc immediatè reſurrectio corpore mortuorum. Imò illi ipſi electi in carne tunc victuri, ſuâ verâ ex morte peccatorum reſurrectione, & evidentiſſimo in vera ſanctitate progreſsû, unà cum aliis paucioribus Sanctis ipſos in converſione præcedentibus, accelerabunt quodam modo apud Deum ipſam quoq; Sanctorum olim in Domino corpore mortuorum reſurrectionem, ut nempe illis præſentibus & (*ſ*) *cum Jeſu adductis*, ipſi quoque penitùs immutati, æternâ cum illis gloriâ & felicitate fruantur. Unde tantò evidentior eſt ratio paulò antè (*s*) inſinuata, ob quam *tuba* efficaciſſimæ prædicationis reſurrectionem mortuorum præcedere debeat.

XIII. Porrò, quòd verbis jam citatis, S. *Hieronymus* iſta ſubjungit: (*t*) *Forſitan ſimplicis tubæ clangor dormientibus & mortuis in Chriſto neceſſarius eſt; vox autem Archangeli & tuba Dei iis, qui vivunt & in præſentiam Dei reſervantur*; ea hoc modo ſunt intelligenda. *Ultima Tuba*, una eademque *Tuba Dei* erit; ſed pro diverſitate potentiæ ſuæ, gradatim pleniùs ac pleniùs exerendæ, dici poteſt, nunc *Tuba ſimplex*, (quaſi communis Angeli,) efficaciſſima tamen comparatè ad omnes præcedentes voces ac prædicationes Doctorum; (nec enim unquam in Scriptura S. quælibet prædicatio, ſed ea, quæ præ aliis ſingularem habet efficaciam & ſvavitatem, figuratur vel ſignificatur per *tubam*;) nunc *Tuba* ſeu *vox Archangeli*, nunc autem, (quando in maxima ſuî efficacia ab omnibus ſentietur,) *Tuba Dei.* Tantæ ergò efficaciæ erit *tuba* illa ultima, ut ſtatim primô ſuo ſonitû fideles & electos, qui tunc *dormientes* & quaſi *mortui* in ſuis quibuſdam peccatis jacentes deprehendentur, excitet & plenè convertat ad Deum ex omnibus ſuis peccatis & erroribus, etiam antequam animadvertatur ab iis, quòd ea ſit jam *tuba ultima*. Qui autem verè *vivent* vitam ſanctam (pauciſſimi licet,) & erecto capite vigilabunt ſemper, Domini ſui adventum (*u*) avidiſſimè expectantes, illi ſtatim in principio hujus *tubæ*, tenuique ejus ſonitu, ſcient eam eſſe *tubam* ultimam, *tubam Archangelicam* & *tubam Dei*; & quantò certiùs id noverint, tantò ardentiùs, tantoque alacriùs omnibus vel minimis peccati reliquiis ſe ſe opponent, ut eas in ſe penitùs aboleant, & ſanctiſſimam ac planè Angelicam Deo vitam agant, atque ſic dignos ſe jucundo conſpectû majeſtatis & gloriæ Chriſti venientis exhibeant. Ex his jam intelligimus, quis ſit ſenſus verborum S. *Hieronymi.*

XIV. Ul-

(*r*) *Conſule lucis causâ, Rom.* 11. *v.* 15. *col, ult.* (*ſ*) 1. *Theſſ.* 4. *v.* 13. (*al, v.* 14.) (*s*) *Hôc Parag. n.* 2. (*t*) *Epiſt. cit.* 152. (*u*) *Luc*, 12. *v.* 36, 37.

Digitized by Google

XIV. Ulterioris lucis & roboris cauſâ, de *Tuba ultima*, quidnam ea ſit futura, addamus ſuperioribus etiam hæc ſequentia ex *Ruperto* Abbate Tuitienſi: (*v*) *Juxta ſenſum* (inquit) *ſpiritualem, clangor tubarum VOX EST PRÆDICATORUM, ſine quibus utique, quamvis pulchra, quamlibet ordinata caſtrorum acies, terribilis non eſt. Nam quòd prædicationem, vel peccatorum increpationem tubarum clangor ſignificet, in Prophetis tacitum non eſt.* Et pauló pòſt: *Quid enim aliud nunciat tuba prædicationis, niſi futurum diem tremendi judicii, quemadmodum & in Propheta Johel dictum eſt,* (*x*) *quia prope eſt dies Domini?* Et alibi ad verba Zachariæ, *Dominus in tuba canet*, ſic ſcribit: (*y*) *Quid eſt in tuba canere, niſi futurum judicium audiente Mundo univerſo declamare?* Itém, ad verba illa Apocalypſeos; ,,*Tunc & ſeptem Angelis ſeptem tubæ datæ ſunt*, iſta ſubjicit: (*z*) *Videlicet ad intonandum judicium adverſus peccata gentium. Tubæ inquam illis* ,,*datæ ſunt, videlicet, ad excitandum Orbem terrarum, ut pugnaret pro Deo* (*a*) *adverſus inſenſatos.* Speciatim autem de *ſeptima* ſeu ultima *tuba* hæc ſcribit: (*b*) *De ſeptem tubis una ſupereſt tuba noviſſima, poſt quam tuba ejuſmodi nulla † canitura eſt.-- Profectò ſeptima quæ ſupereſt, NOVISSIMA eſt, quam & Apoſtolus non ignorans Corinthiis dicit: Omnes quidem* &c. ,,(*c*) *Canet enim tubâ, & mortui reſurgent incorrupti. Item, ad Theſſaloni*,,*cenſes:* (*d*) *Quoniam ipſe Dominus* &c. *in tuba Dei deſcendet de Cœlo. Hoc idem videlicet, quòd hæc Tuba ſeptima, noviſſima ſit, jurans hîc protinus* ,,*fortis Angelus adſtruit, dicendo:* (*e*) *Quia tempus ampliùs non erit; ſed in* ,,*diebus vocis ſeptimi Angeli, conſummabitur myſterium Dei.* &c. *Hîc timor & tremor, & valde terribilis expectatio eſt. Non enim hæc tuba ceteris conſimilis exiſtimanda eſt. Alius fragor, alia tempeſtas, quàm in ceteris cantibus tubarum, in illius tuba clangore comparebit. Nam & Propheta circa ejus* ,,*deſcriptionem valde laborat cum dicit:* (*f*) *Dies iræ, dies illa, dies tri*,,*bulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies TUBÆ & clangoris.-- Filius Dei ſuo illam ADVENTUI PRÆVENIRE curavit, & declamare nobis ſuâ voce, quòd illa talis tuba * canitura ſit, ut non ſimus imparati.* Hæc ille. *Pannonius* etiam, ſic paucis de myſtica *tuba* (ubi & *ſeptimam* ſeu *ultimam* comprehendit) in Apoc. 8. ℣. 2. ſcribit: *Tuba prædicationis ſummæ veritatis eſt typus.* Item: *Tuba eſt veritatis annunciatio.*

XV. Hæc omnia perſpicuè docent, per *Tubam noviſſimam* intelligendam eſſe efficaciſſimam verbi Divini *prædicationem* (in eum finem

quem

(*v*) *Rupert. Abb. de Trinit. & Oper. ejus, Comment. in Num. Lib. 1. cap. 25. Scil. in Num. cap. 10. Tom. 1.* (*x*) *Joel. 2. v. 1.* Canite tubâ in Sion &c. (*y*) *Comm. in Zach. c. 9. v. 14.* (*z*) *Comment. in Apoc. cap. 8. (Tom. 2.)* (*a*) *Sap. 5. v. 21.* (*b*) *Rupert. Comment. in Apoc. cap. 10.* † *Sic in textu, pro* cantura. *Ita habemus etiam ſimilem locutionem in Vulgata verſ. Apoc. 8. v. 13.* (*c*) *1. Cor. 15. v. 51. 52.* (*d*) *1. Theſſ. 4. v. 15. (al. 16.)* (*e*) *Apoc. 10. v. 6 & 7.* (*f*) *Sophon. 1. v. 15, 16.* * *Ita in textu, ut ſupra; pro,* cantura.

quem audivimus) proximè judicium præceſſuram, ac per conſequens *momentum* futuræ reſurrectionis & immutationis eidem *Tuba* contemporaneum, (ſeu, ſub ejus tempore includendum,) non eſſe propriè pro parvo tantùm aliquo momento literali accipiendum; quod erat pro fulcienda *Regula* noſtra *vigeſima* demonſtrandum. Jam itaque ad ulteriora progrediamur.

REGULA XXI.

XVI. „*Futura ſub certa periodo Synchrona, ſeu contemporanea, tali ſa-„pientia Divina per varia Scriptura S. loca, illa diſſeminantis methodo pra-„dicuntur ac præfigurantur in eadem Scriptura, ut una pars eorum hic, alte-„ra & cetera partes alibi quari debeant.*

XVII. Ita, ſi quis (v. gr.) opus redemptionis noſtræ cum ſuis requiſitis, ex veteri; vel ſtatum Eccleſiæ ultimi temporis cum rebus ad eum pertinentibus, vel extremum judicium cum ſuis connexis, ex utroque Scripturæ Divinæ inſtrumento vult accuratè diſcere, & aliis quoq; deſcribere, oportet ut juxta *Regulam* nunc poſitam, partes horum diverſis in locis quærat, non obſtante, quòd inveniat locum vel loca, ubi longè pleniùs quàm alibi id ipſum quod quærit, prædicitur vel præfiguratur. Utitur autem Deus methodo illâ in axiomate poſitâ, partim propter rerum in prædictione ac in eventu principalium, miram & nudæ humanæ rationi corruptæ incognitam imò imperveſtigabilem cum aliis multis rebus connexionem & correſpondentiam; partim verò in majorem noſtræ circa Scripturam induſtriæ, vigilantiæ & attentionis excitationem & exercitationem. Unde diſcimus, quanta circa totum ſacrum Codicem induſtria, quantus labor, quanta attentio, quantaque cum eodem familiaritas requiratur in eo, qui vult eventum prophetiarum & typorum accuratè noſcere, ac vice verſâ prophetias & typos ex implementis illuſtrare. Interim lector pro uberiori in hanc *Regulam* luce, conſulat etiam infra *Regulam* hujus *ſecunda* Claſſis *vigeſimam tertiam*.

REGULA XXII.

XVIII. „*Spiritus Dei in Prophetiis, ſapè dicit rem totam primùm ſuc-„cinctè velut in compendio; aliquando item, poſtrema rei; mox verò in ſub-„ſequentibus, à primis initiis rem ipſam fuſiùs & clariùs deſcribit.* Sic quoad primum membrum; ſtatûs populi Chriſtiani in varias partes miſerè diſcerpti reſtauratio ſecutura, velut in compendio ponitur, Iſa. 30. ✠. † 26. & mox in ſequentibus 27. 28. 29. & 30. verſibus, pleniùs ea à cauſa efficiente, & modo, quô futura eſt, deſcribitur. Ad primum etiam membrum pertinet

† *De hoc verſu, vide Tractatum meum, cum titulo*: Lætum ad Lugentes Sion Nuncium.

pertinet illud Iſa. 46. ℣. 1. (*Confractus eſt Bel,*) collatum cum toto capite 47. ſequenti. Quantum ad alterum membrum; ſic Iſa. 2. ℣. 4. pax plena Eccleſiæ, (verbis illis: *Conflabunt gladios ſuos in vomeres*, &c. item, *non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium,*) tanquam ſequela, ſeu poſtrema pars rerum aliarum proximè præceſſurarum ponitur, & mox ibidem ℣. 12. 13. & ſequ. uſque ad ℣. 21. initium & modus futuræ illius pacis pleniùs enarrantur. (Confer ibidem cum ſuperioribus, 3. & 4. cap.) Ita etiam Iſa. 32. ℣. 1. cum verſibus ibidem ſequentibus, & cap. 52. ℣. 15tus, collatus cum toto cap. 53. juxta ſecundum *Regulæ* noſtræ membrum explicari debent.

REGULA XXIII.

XIX. „*Synchroniſmus futurorum, cognoſcitur ex eo, ſi non ſolùm phra„ſes, (ſive iiſdem verbis, ſive æquipollentibus conſtantes,) ſed præcipuè cir„cumſtantiæ, in diverſis Scripturæ locis, vel apertè vel in myſterio indicata, „inter ſe conveniant.* Hanc *Regulam* exercitatio, ac inprimis locorum (*g*) parallelorum (aut verbis, aut ſensû inter ſe convenientium) obſervatio, ſtudii hujus prophetici cultori in dies pleniùs ac pleniùs illuſtrabit.

XX. Teneat autem cultor hujus Studii prophetici, ſequentem obſervationem olim à S. *Auguſtino* de Apocalypſi poſitam, eamque toti Scripturæ Propheticæ & Typicæ (quoad multa) applicet. Verba ejus ſunt de Libro memoratæ Apocalypſeos: (*h*) *Sic eadem multis modis repetit, ut alia atq; alia dicere videatur; cum* (tamen) *aliter atq; aliter hæc ipſa dicere inveſtigetur.* (Hæc ille.) Ita etiam aliæ prophetiæ, non raró rem eandem iterùm atque iterùm (tum apud eundem, tum apud diverſos Prophetas) ſic repetunt, ut primô intuitû minùs exercitatis videantur res alias atque alias dicere, cum tamen accuratè prophetias ejuſmodi inſpicienti & excutienti, patebit, in multis locis ſub apparenti diverſitate res non ſolùm ejuſdem temporis, ſed quoad eſſentialia, rem planè eandem prænunciari & præſignificari. Sic Iſa. cap. 3. & 5. juxta hanc obſervationem inter ſe conſona ſunt. Item, ea quæ exſtant, Iſa. 4. ℣. 3. & 4. ac Soph. 1. ℣. 12. 13. ſibi invicem harmonica & ſynchrona ſunt. Similiter Iſa. cap. 11. (quoad principalem ſenſum,) & cap. 66. rem eandem diverſo modo prædicunt. Obſervandum tamen eſt; quòd omnis illa diverſorum textuum de eadem re agentium diverſitas, momentoſiſſimam ob rationem adhibetur. Semper enim aliquid alteri prædictioni ſuperaddit, quô altera illuſtretur, & res in ea contenta perfectiùs quoad eventum deſcribatur. Pro tali diverſitate in uſum hîc revocanda eſt *Regula* vigeſima prima, pauló ante à nobis tradita.

Hh REGU-

(*g*) *Loca aliquot parallela citata, infra in hac Claſſe, ſub Reg. 25. vide.* (*h*) *S. Auguſt. Lib. 20. de Civ. Dei, cap. 17.*

REGULA XXIV.

XXI. „*Quicunq; numerus certus in Scripturis ſacris ſubinde uſurpatur,* „*& nobis velut inculcatur, certum eſt ſubindicari eô ſemper aliquid tale fu-* „*turum, quod myſterio ejuſdem, non qualitercunque, ſed determinato &* „*congruo modo, (licet nobis aut nondum penitùs, aut ſaltem non plenè &* „*diſtinctè adhuc cognitô) reſpondere debeat.* Ruizius *Abbas* in genere de *numeris* ſacris ſic docet: (*i*) *Numeros in ſacris Literis MULTA MYSTERIA continere, Theologorum omnium ſententia eſt.* Myſteria certè multa continere *numeros* ſacros, vel maximè juxta noſtram *Regulam* veriſſimum & certiſſimum eſt.

XXII. *Regula* hujus veritas ſatis patet ex eo, quòd ne vir quidem ſapiens, vellet numerum aliquem certum de futuris in ſuo arbitrio & poteſtate poſitis ſubinde uſurpare aliter, niſi intentionem haberet, tali ſuâ locutione certum aliquid, proportionaliter tali numero reſpondens, ſignificandi & intimandi de futuris à ſe adducendis. Quantò minùs putandum eſt de Deo ſapientiſſimo & potentiſſimo, quòd aliquem *numerum* certum in prophetiis & typis ſubinde nobis repeteret & inculcaret de futuris, non alio ſensû, quàm vagô, indeterminato & incertô, ita ut nunquam poſſemus intelligere, quid determinatè & congruenti ad ejuſmodi numerum indicatum ratione, ipſe velit? Tempus me deſereret, & ſcopum etiam Libri hujus (ut mea nunc eſt intentio) excederem, ſi ad multitudinem *numerorum* in Scriptura S. myſticorum explicandam, nunc excurrerem: (quanquam nec occaſio, nec facultas virium, ad quælibet profunda enucleanda, etiam exercitatiſſimis ſemper adeſt;) ſperans interim, Deo vitam meam in ſui nominis gloriam inter tot vitæ hujus ærumnas conſervante, & vires è cœlis largiente, me aliquando adhuc de iis amplius aliquid dicere poſſe; nunc ſolummodò de celeberrimo in Scripturis numero *ſeptenario* inculco hoc quibuſdam; ne putent meram eſſe vanitatem quorundam magni nominis Theologorum laborem, in eruendo myſterio *ſeptenarii* circa Eccleſiam, (non obſtante imperfectione ſtudii eorum in hac parte,) nec etiam imaginentur merum eſſe figmentum recentiorum Scholaſticorum, arcanum aliquid in eventu rerum dicto *numero* certô modô reſpondens, credere ſubeſſe in omnibus illis typis & prophetiis, quæ nobis *ſeptenarium* de futuris Eccleſiæ rebus ſubinde inculcant. Certè apud *Clementem* Alexandrinum, qui, ut notum, ſub exitum ſeculi ſecundi, circa an. D. 194. vixit, jam legimus apertè de (*k*) *ſeptem Periodis*.

XXIII. Sed

(*i*) *Regul. intelligendi Script. S. Reg. 33. edit. Conſtantienſ. an. 1599.* (*k*) *Clem. Strom. Lib. 4. pag.* (*mihi*) *532.* εἴτ' οὖν ὁ χρόνος εἴη, ὁ διὰ τῶν ἑπτὰ περιόδων τῶν ἀριθμουμένων. *&c. H. e.* Sive ergo fuerit tempus, quod per SEPTEM, quæ enumerantur, PERIODOS, in ſummam redit quietem, *&c.*

XXIII. Sed illud longè adhuc memorabilius eſt pro ampliori in hanc rem luce, quod legitur apud S. *Cyprianum* de dicto *ſeptenario* numero, tanquam myſtico, in ſequentibus: (*l*) *Sic ſeptem* (*m*) *fratres* (Machabæi) *in martyrio cohærentes, ut primi in diſpoſitione divina* (*n*) *SEPTEM dies, annorum ſeptem millia continentes; ut ſeptem* (*o*) *Spiritus, & Angeli ſeptem, qui aſſiſtunt & converſantur ante faciem Dei, & lucerna* (*p*) *ſeptiformes in Tabernaculo martyrii, & in Apocalypſi* (*q*) *ſeptem candelabra aurea, & apud Salomonem* (*r*) *columnæ SEPTEM, ſuper quas ædificavit domum Sapientia: ita & iſtic ſeptem fratrum numerus, ECCLESIAS SEPTEM numeri ſui quantitate complexus, ſecundùm quod in primo Regnorum Libro* „(*ſ*) *legimus*, ſterilem ſeptem peperiſſe. *Et apud Eſaiam*; (*t*) Septem mu„lieres unum hominem apprehendunt, *cujus invocari ſuper ſe nomen expoſcunt. Et Apoſtolus Paulus, (qui hujus legitimi numeri & certi* † *meminit,) ad* * *ſeptem Eccleſias ſcribit. Et in Apocalypſi Dominus mandata ſua divina, & præcepta cœleſtia ad ſeptem Eccleſias, & earundem Angelos dirigit, qui nunc iſtic in fratribus numerus invenitur, ut conſummatio legitima compleatur.* Hæc ille. Porrò, de *diebus ſeptenariis* in Scriptura S. myſticis, eorumque myſteriis, ſi cui placet, poterit conſulere meum in Iſa. 30. ℣. 26. (*t*) Tractatum: Ubi etiam de *ſeptem* Nov. Teſt. *periodis*, & de *ſeptem Eccleſiis* Aſiaticis myſticè intellectis, (*u*) diximus paucis & breviter aliquid. Addat hîc illis Lector, pro præſentis Regulæ ſcopo, (*v*) *Menſis ſeptimi* in Lege Moſaica feſtum Tubarum, & *ſeptimanam annorum*, (*x*) ſive ſimplicem, ſive per *ſeptem* (*y*) multiplicatam.

REGULA XXV.

XXIV. „*Phraſes & dictiones quædam peculiares, velut nucleum Prophetiarum continentes, ac in Scripturis ſubinde recurrentes, diligenter ob„ſervata, notata, in unum collecta, memoria benè infixa, & (debitâ, dum „oportet, diſtinctione adhibitâ) ritè excuſſa, dici nequit, quantam in hoc ſacro* „*ſtudio*

(*l*) *Cyprian. de Exhortat. Martyr. ad Fortunat. cap.* 11. *Confer eund. Lib.* 1. *Teſtimon. adv. Jud. cap.* 20. (*m*) 2. *Machab.* 7. *v.* 1. *& ſequ.* (*n*) *Gen.* 1. *collat. cap.* 2. *v.* 2. (*o*) *Apoc.* 4. *v.* 5. *collat. cap.* 5. *v.* 6. *& cap.* 1. *v.* 4. *Item Tob.* 12. *v.* 15. (*p*) *Exod.* 25. *v.* 31. 37. *collat. cap.* 37. *v.* 17.-23. (*q*) *Apoc.* 1. *v.* 12. 13. 20. *& cap.* 2. *v.* 1. (*r*) *Prov.* 9. *v.* 1. (*ſ*) 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 2. *v.* 5. *Hebr. & Græc. textum illic conſule.* (*t*) *Iſa.* 4 *v.* 1. (*al. cap.* 3. *v.* 28.) † *Citatur pro hoc locus Hebr.* 11. *v.* 30. *cui addi poteſt, Hebr.* 4. *v.* 4. *Sed meliùs judicari puto, hæc quæ parentheſi incluſi, ab alio non indocto inſerta olim eſſe: cum aliàs Epiſtolam ad Hebræos, (ſub nomine Pauli) non ſoleat* Cyprianus *citare. Contr. Jud. Teſtim. Lib.* 1. *cap.* 20. *ſic tantùm habet:* Et Paulus ſeptem Eccleſiis ſcribit. *Vel ſi dicamus eam quoque parentheſium* Cypriani *eſſe, potius locum, Rom.* 11. *v.* 4. *de* ſeptem millibus *non curvantibus genua ante Baal, huc adducere poſſumus.* * *Intelligit,* Romanam, Corinthiam, Galatarum, Epheſinam, Philippenſem, Coloſſenſem, *&* Theſſalonicenſem. (*t*) *Sub titulo:* Lætum ad Lugent. Sion Nunc, *pag.* 82, 83. 84. *& ſequ.* (*u*) *Pag.* 106. *&* 107, 108, 109. (*v*) *Levit.* 23. *v.* 24, 25. *& Num.* 29. *v.* 1. (*x*) *Lev.* 25, *v.* 3. 4. (*y*) *Ibid. v.* 8.

„*ſtudio afferunt lucem, diligentibus & piis Prophetiarum ac typorum ſerva-*
„*tatoribus.*

XXV. Ex talium numero aliquot hîc recenſebo. V. gr. De *juſtis*, de *ſuſtinentibus* ſeu *expectantibus Dominum*, item de *manſuetis*, dicitur, quòd *hæreditate poſſeſſuri ſunt terram.* Iſa. 60. ℣. 21. Pſalm. 36. (al. 37.) ℣. 29. Ibid. ℣. 9. 11. & 34. collat. ibid. ℣. 22. Et Matt. 5. ℣. 4. (al. ℣. 5.) Huc ſpectat etiam Iſa. 57. ℣. 13. (al. ℣. 17. col. poſt. & Pſal. 24. (al. 25.) ℣. 13. Item, Apoc. 2. ℣. 26. 27. Et quod alibi in eundem ſenſum de Chriſto Domino dicitur, id certo ſensû Eccleſiæ quoque ejus competit. Pſal. 2. ℣. 8.

XXVI. Legitur etiam non rarò phraſis, *expectare Dominum*, vel *expectare ſalutare* ejus, vel abſolutè, *expectare*, (nunc in ſingulari, nunc in plurali numero) ſensû æquipollenti. Iſa. 8. ℣. 17. & 30. ℣. 18. & 33. ℣. 2. & 40. ℣. ult. & 64. ℣. 4. (al. ℣. 8.) Pſal. 25. (al. 24.) ℣. 3. 5. 21. & Pſal. 27. (al. 26.) ℣. 14. & 33. (al. 32.) ℣. 20. & 37. (al. 36.) ℣. 9. & 34. & 40. (al. 39.) ℣. 2. & 69. (al. 68.) ℣. 4. & 7. & 71. (juxt. Hebr.) ℣. 5. 14. & (in eundem ſenſum) Pſal. 119. (al. 118.) ℣. 74. 81. 116. 147. 166. (Ubi, cum poſtremo hoc verſu, confer Gen. 49. ℣. 18.) Pſal. 130. (al. 129.) ℣. 5. 6. 7. & 131. ℣. 3. Mich. 7. ℣. 7. Hab. 2. ℣. 3. Dan. 12. ℣. 12. Philip. 3. ℣. 20. 1. Cor. 1. ℣. 7. 1. Theſſ. 1. ℣. 10. Tit. 2. ℣. 13. Quibus adjunge Luc. 2. ℣. 25. 38. Rom. 8. ℣. 23. 25. & Jac. 5. ℣. 7. 8. & 2. Pet. 3. ℣. 12. 13.

XXVII. Item, occurrit ſubinde *Montium* (ſensû myſtico acceptorum) mentio; partim cum *ſancti*, partim cum *Dei*, partim cum *Iſraël montes*, aut cum alio aliquo epitheto, vel abſolutè tantùm *Montes* dicuntur. Pſal. 87. (al. 86.) ℣. 1. Iſa. 14. ℣. 25. & 44. ℣. 18. & 49. ℣. 11. & 65. ℣. 9. Pſal. 36. (al. 35.) ℣. 7. Ezech. 6. ℣. 2. 3. 13. & 7. ℣. 7. 16. & 18. ℣. 15. & 33. ℣. 28. & 34. ℣. 13. 14. & 36. ℣. 1. 4. 6. & 37. ℣. 22. & 38. ℣. 8. & 39. ℣. 2. 4. 17. Deut. 33. ℣. 15. collat. Gen. 49. ℣. 26. Cant. 8. ℣. ult. ibid. cap. 2. ℣. 8. Iſa. 2. ℣. 2. 14. & cap. 7. ℣. 25. & 18. ℣. 3. & 22. ℣. 5. & 37. ℣. 24. & 40. ℣. 12. & 41. ℣. 15. & 49. ℣. 13. & 52. ℣. 7. & 54. ℣. 10. & 64. ℣. 1. (al. ℣. 5.) ibid. ℣. 3. & 65. ℣. 7. Jerem. 31. ℣. 5. & 50. ℣. 6. Pſal. 18. (al. 17.) ℣. 8. & 46. (al. 45.) v. 3. 4. & 50. (al. 49.) v. 10. & 65. (al. 64.) v. 7. & 72. (al. 71.) v. 3. 16. & 90. (al. 89.) v. 2. & 97. v. 5. & 98. v. 8. & 114. (al. 113.) v. 4. 6. & 121. (al. 120.) v. 1. & 125. (al. 124.) v. 1. 2. & 144. (al. 143.) v. 5. Job. 9. v. 5. Prov. 27. v. 25. Oſeæ 10. v. 8. Joel. 2. v. 2. 5. & 3. v. 18. Amos. 9. v. 13. Mich. 1. v. 4. & 4. v. 1. & 6. v. 1. 2. Nahum. 1. v. 5. 15. & 3. v. 18. Hab. 3. v. 6. 10. Agg. 1. v. 11. Zach. 6. v. 1. & 14. v. 5. Matt. 24. v. 16. Luc. 21. v. 21. (cum quibus confer Iſa. 22. v. 5. juxt. Hebr. & Græc. text. & Ezech. 7. v. 16.) Luc. 23. v. 30. Apoc. 6. v. 15. 16. & 16. v. 20. & 17. v. 9. Adjunge his de *Monte* in ſingulari cum certo aliquo epitheto; ut Pſal. 2. v. 6. & 3. v. 5. & 15. (al. 14.) v. 1. & 24.

Digitized by Google

& 24. (al. 23.) v. 3. & 43. (al. 42.) v. 3. & 48. (al. 47.) v. 2. 3. 12. & 68. (al. 67.) v. 16. & 74. (al. 73.) v. 2. Et ſubinde in iiſdem Pſalmis *Mons Sion* myſticè acceptus invenitur. Huc refer, Iſa. 2. v. 2. 3. & 8. v. 18. & 10. v. 12. & 11. v. 9. & 14. v. 13. & 16. v. 1. & 24. v. 23. & 27. v. 13. & 30. v. 29. & 31. v. 4. & 40. v. 9. & 56. v. 7. & 57. v. 7. 13. Iſa. 66. v. 20. Ezech. 20. v. 40. & 28. v. 14. & 40. v. 2. Jerem. 31. v. 6. & 23. Zach. 4. v. 7. &c.

XXVIII. Item, dum legimus in Scriptura S. *Annum redemptionis* Domini, ſeu propiùs ad textum Hebr. *annum redemptorum* ſive *vindicandorum* Domini, Iſa. 63. v. 4. & *Diem ultionis*, ibid. col. 1. illicò conferre poterimus alia loca huic conſonantia. V. gr. Iſa. 34. v. 8. & cap. 35. v. 4. & 59. v. 17. & 61. v. 2. Jerem. 11. v. 23. & cap. 23. v. 12. & 46. v. 10. & 48. v. 44. & 50. v. 15. 27. 28. & 51. v. 6. 11. Quibus jungantur, Soph. 1. v. 14. 15. 16. Malach. 4. v. 1. & Iſa. 30. v. 27. 28. 30. & Luc. 21. v. 22. collat. Matt. 24. v. 21. 22. Ita de *Reſtitutione omnium* futura, concordant inter ſe loca, Actor. 3. v. 21. Matth. 17. v. 11. Marc. 9. v. 11. (al. v. 12.) Quibus conſonat etiam id quod habetur Amos. 9. v. 11. Iſa. 30 v. 26. & 58. v. 8. 12. & 65. v. 17. & 66. v. 22. Legitur etiam *Panis* electis in ultima tempora promiſſus, ſensû ſanè myſterium magnum in ſe involvente. Pſal. 131. (al. 132.) v. 15. Prov. 9. v. 5. Iſa. 30. v. 20. & 33. v. 16. & 51. v. 14. Luc. 14. v. 15. Quibus conſona ſunt quoad ſenſum, Pſal. 21. (al. 22.) v. 27. Iſa. 65. v. 13. Item, *Bonum electorum*, vel, *Bonum Domini*, vel ſimpliciter *Bonum*, præcipuè in ultima tempora dilatum. Pſal. 106. (al. 105.) v. 5. Hoſ. 3. v. 5. Pſal. 25. (al. 24.) v. 13. & 27. (al. 26.) v. 13. & 84. (al. 83.) v. 12. (al. v. 13.) & 85. (al. 84.) v. 13. & 103. (al. 102.) v. 5. Jerem. 17. v. 6. & 29. v. ult. & cap. 31. v. 12. 14. & 32. v. 40. 41. 42. & 33. v. 9. Adde Pſal. 4. v. 7. & 16. (al. 15.) v. 2. 3. & 34. (al. 33.) v. 13. & 119. (al. 118.) v. 122. Iſa. 52. v. 7. & 55. v. 2. Job. 36. v. 11. & Zach. 1. v. 17. Occurrit etiam τὸ *Manè*, non ſine myſterio. Ut, Pſal. 46. (al. 45.) v. 6. & 49. (al. 48.) v. 15. & 59. v. 17. & 65. (al. 64.) v. 9. & 90. (al. 89.) v. 14. & 92. (al. 91.) v. 3. Quibuſcum confer, Pſal. 5. v. 4. & 30. (al. 29.) v. 6. & 57. (al. 56.) v. 9. & 101. (al. 100.) v. 8. & 143. v. 8. Adde Iſa. 17. v. ult. [al. cap. 18. v. 3.] (Ubi etiam oppoſitam *veſperam* invenis; collat. Zach. 14. v. 7.) Item, Iſa. 21. v. 4. 12. & Eccl. 11. v. 6. Si cui placet *auroram* quoque ipſi *manè* vicinam, item, *diem* (abſolutè) & *noctem* ſibi oppoſitos, partim ſeorſim, partim conjunctim, in ſenſu myſtico videre, ut & *meridiem* pariter myſticam; conſulat de his *Concordantias Bibliorum* ſacrorum. Non eſt negligenda etiam phraſis, *Terra viventium*. Pſal. 27. (al. 26.) v. 13. & 52. (al. 51.) v. 7. & 116. juxt. Hebr. v. 9. & 142. (al. 141.) v. 6. Job. 28. v. 13. Iſa. 38. v. 11. & 53. v. 8. Jerem. 11. v. 19. Ezech. 26. v. 20.

 & cap.

& cap. 32. v. 23. 24. 26. 27. 31. Conſona his ſunt loca, in quibus legitur, *Lux viventium*; Job. 33. v. 30. & Pſal. 56. (al. 55.) v. 14. Adde locum de *Faſciculo viventium*, 1. Reg. (al. 1. Sam.) 25. v. 29. Et illud ex Pſalmis, inprimis juxta LXX. & juxta textum Lat. Vulgatum: (z) *Non mortui laudabunt te Domine; -- ſed nos qui VIVIMUS, benedicimus Domino.* Benè excutienda ſunt etiam loca illa, in quibus eſt mentio *judicii*, & *judiciorum* Domini, vel *judicandi* (per eum) *Orbis terrarum.* Item, *Adventûs Domini*, (de quo peculiari in loco (a) dicturi ſumus,) vel, *Diei Domini*, vel *Conſummationis* ſeu *finis ſeculi.*

REGULA XXVI.

XXIX. „*Orationes, gemitus, & querula voces Sanctorum in Prophetiis, „ſuiſq; conſolationes, (ut & gratiarum actiones ac laudes eorum ad Deum ef„fuſa) ita ſunt à Spiritu S. formata & accommodata, ut alii quoq; eximii „fideles & verè pii, ſucceſſu temporis in ſimili ſorte conſtituti, (pracipuè pu„blicam Eccleſia Dei cauſam ſtrenuè agentes & tractantes,) ſingulari quodam „modo pra aliis, eas ſibi applicare poſſint; idq; ex intentione & ſcopo Spiri„tûs Sancti.*

XXX. Excutito benè id, quod dicitur Pſal. 101. (al. 102.) v. 1. *Oratio pauperis, cum anxius fuerit*, &c. & confer verſum illum cum integro textu ejuſdem Pſalmi, (notando inprimis v. 18. col. 1. *Reſpexit ad orationem* &c.) non dubitabis de veritate hujus *Regula.* Uti enim illic Pſalmi author conqueritur, gemit, & orat pro populo Dei; impoſſibile eſt verba ejuſmodi querelæ, gemitûs & orationum alteri quoque Sancto viro, in ſimili ſuî, ac populi Dei ſorte conſtituto non convenire. Multa alia ſimilia invenies paſſim in *Pſalmis*, item, in *Jeremia* & in *Jobo*. Ita etiam, cum beatiſſima Virgo, verbis quibuſdam S. *Anna* ex futuro in præteritum mutatis, (ſcilicet, *Reſpexit humilitatem ancilla ſua*,) de ſe utitur, non eſt dubitandum, quin illa ex ſingulari etiam Spiritûs S. intentione ei conveniant. Vide Luc. 1. v. 48. col. 1. & confer 1. Reg. (al. 1. Sam.) 1. v. 11. Ubi verba Hebræa rectè quoad ſenſum ſic per LXX. Int. ſunt Græcè expreſſa: ἐαν ἐπιβλέπων ἐπιβλέψῃς ἐις ταπείνωσιν τῆς δούλης σου. H. e. *Si reſpiciens reſpexeris in humilitatem ancilla tua.*

XXXI. Multum hanc *Regulam* confirmat, id, quod docet S. *Gregorius* M. hunc in modum: * *Deus ſingulorum cordibus, privatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquium conſtruit, per quod cunctorum quaſtionibus ſatisfacit. In SCRIPTURÆ quippe ejus eloquio, cauſas noſtras SINGULI, ſi requiri-*

(z) *Pſal. 115. (al. 113.) v. 17. 18.* (a) *Infr. h. Claſſ. Reg. 33. cap. 10. & 11.* * *Moral. in Job Lib. 23. cap. 11. in Job. cap. 33. v. 14.* Semel loquitur Deus.

requirimus, INVENIMUS: nec opus eſt, † *ut in eo, quod ſpecialiter quiſque tolerat, reſponderi ſibi Divinâ voce ſpecialiter quærat. Ibi enim nobis omninò in eo, quod SPECIALITER patimur, communiter reſpondetur, ut vita præcedentium, ſit forma ſequentium.* Hæc ille. Atque ſic fiet, ut quò magis quis ſe in timore Domini, Scripturæ S. & doctrinæ Scripturariæ familiarem reddiderit, eò magis oculi mentis ejus aperiantur, ut ex ipſa Scriptura S. incipiat ſe paulatim ac in dies noſcere quis ſit, & quonam loco, quove pretio habeatur apud Deum, hâcque ratione rectè in ſuî conſolationem Scripturæ S. verbis uti poſſit. Si ſingularis perſona Deum verè timens hoc conſequi valet, quantò magis ipſa Eccleſia vel Populus Dei hujus aut illius temporis, Scripturæ S. verba ſortem ſuam exprimentia, rectè ſibi ipſi applicare poteſt?

REGULA XXVII.

XXXII „*Quicquid de typo, umbra, vel imagine rei alicujus, (quà talis,) „prædictum vel præmonſtratum eſt, id longè magis prædictum & præmonſtra„tum eſt (in ſenſu nimirùm longè excellentiori) de re ipſa per talem typum „& imaginem ſignificata.* Sic v. gr. quia in divino illo ſomnio *Joſephi*, Gen. 37. v. 5. 6. 7. præmonſtratum eſt, *Joſephum*, (*b*) ac ſucceſſu temporis etiam (*c*) *Joſuam* è poſteris ejuſdem *Joſephi*, Principatum habituros inter alios & ſupra alios, id multò magis debuit impleri in Jeſu Chriſto, quem *Joſeph*, & *Joſue* Dux præfigurârunt. Item; quia inſignis promiſſio facta legitur ad *Jeſum* ſeu *Joſuam* Pontificem, (qui typus erat Chriſti,) Zach. 3. v. 7. (*Si in viis meis ambulaveris*, &c. *tu quoq; judicabis Domum meam*, &c.) ſequitur promiſſionem illam multò magis pertinere ad Chriſtum & ad myſticum ejus corpus (*d*) in excellentioribus Nov. Teſt. Sanctis. Item; quia de *Salomone* prædictum eſt, eum ædificaturum Templum Domino; 2. Reg. (al. 2. Sam.) 7. v. 13. ergo (ſenſû ſublimiore) id longè magis impleri debuit in Chriſto.

XXXIII. Ratio *Regulæ* noſtræ evidens eſt ex immoto illo axiomate Philoſophico: *Propter quod unumquodq; eſt tale, illud magis eſt tale.* Atqui, typicæ veteres perſonæ vel res, (quà typicæ,) ideò tales vel tales fuerunt, quia Chriſtum & ejus res adumbrârunt. Quicquid ergò illis tanquam typis & umbris competit, id Chriſto & ejus corpori myſtico, (ſenſû, ut dictum, ſublimiore,) longè magis competit. Imò multa ſunt prædicta in Scripturis de typo vel imagine alicujus rei, (ut litera videtur ſonare,) quæ in typo

† *Scilicet, ne quilibet, modum illum Divinæ vocis requirat, quâ reſpondit Eliæ, 3. (al. 1.) Reg. 19. v. 5. 9. vel ancillæ* Agar, *Gen. 21. v. 17. ſed ſufficit, ſi intus per Spiritum ſuum doceat, quomodo ſe ex Scriptura S. conſoletur.* (*b*) *De* Joſepho *vide implementum, Gen. 41. v. 40. 41. 42. 43. 44.* (*c*) *Et de* Joſue *vid. Deut 34. v. 9. & Joſ. 1, v. 1, 6, 7. 16, 17. 18.* (*d*) *Confer b, Claſſ. Reg. 6, cap. 3, §. 3. & 10, pag. 92. 93. 98,*

in typo vel imagine, aut penitùs non, aut certè tenuiſſimæ tantùm inſtar lineæ, ſunt impleta, implenda verò erant plenè in re per typum ſignificata. Atque hinc, vicina huic *Regula* talis formatur.

REGULA XXVIII.

XXXIV. „*Quicquid de veteribus propheţiis, ſonantibus quantum ad „literam de priſtinis rebus, temporibus & Nationibus, nuſpiam legitur olim „fuiſſe impletum, eò quòd nec in Sacris, nec in profanis voluminibus talium „implementum prædictioni exactè reſpondens, exſtet conſignatum, certum „eſt id aliquando debere ad plenum impleri in iis rebus, perſonis & Natio- „bus, quæ olim in ejuſmodi Prophetiarum vocabulis typicis & myſticis ſunt „ſignificatæ.*

XXXV. Ratio *Regulæ* eſt manifeſta. (e) *Quæcunq; enim* olim *ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam* & *conſolationem ſcripta ſunt*, teſte S. Paulo Apoſtolo. Atqui, ſi ſemper & in æternum lateret nos implementum alicujus Prophetiæ, ſequeretur inde evidenter, nos non poſſe inſtrui ac doceri & conſolationem accipere ex aliqua prophetia ſacra, ex ea nempe, cujus nullum planè (ex hypotheſi) videremus implementum, aut ſaltem non videremus quoad plenam verborum prophetiæ talis emphaſim. Quomodo enim quis ex eo doceri & conſolationem accipere poſſit, cujus nondum videtur, & ex contraria hypotheſi nec ſperatur plenum implementum? Non autem videmus adhuc illarum prophetiarum plenum & in emphaſi verborum ac phraſium implementum, de quibus hîc eſt ſermo, imò neque etiam ſperari poſſet, ſi *Regula* noſtra non ſtaret. Ut ergo fixè ſtant verba Apoſtoli, ſic certum eſt debere Eccleſiam Dei pro ſuî inſtructione uberiori & conſolatione, talium etiam prophetiarum (de qualibus loquimur) plenum aliquando experiri implementum. Nefas enim eſt vel mente cogitare, dari talem in Scripturis ſacris prophetiam, ex qua non ſalutarem doctrinam, & uberem ac jucundam conſolationem Eccleſia Dei ſuo tempore haurire poſſit.

XXXVI. E' numero talium prophetiarum in *Regula* deſignatarum eſſe cenſeo prophetiam Jerem. cap. 47. de vaſtatione *Palæſtinorum*, *Tyri*, *Sidonis*, *Gazæ* & *Aſcalonis*. Scilicet, certò quidem teneo tum ex ipſa illa prophetia, cum aliis propheţiis collata, tum ex imperii *Nabuchodonoſoris*, ac vaſtationis per eum variis nationibus illatæ deſcriptione qualicunque in Ethnicorum Hiſtoricorum (*Beroſi* (f) & (g) *Abideni*) fragmentis nobis relicta, memoratos *Palæſtinos*, unà cum locis recenſitis, per Babylonios fuiſſe vaſtatos: ſed quia nullibi exſtat ea vaſtationis dictorum locorum & populo-

(e) *Rom. 15. v. 4.* (f) *Vide Beros. apud Joſeph. Lib. 1. contr. Appion. & apud Euſeb. Præp. Ev. Lib. 9. cap. 40.* (g) *Abiden. vide apud Euſeb. Præp. Evang. Lib. 9. cap. 41.*

populorum deſcriptio, quæ plenam memoratæ prophetiæ emphaſim exhauriret, eique exactè reſponderet; neceſſarium eſt ſic ſentire, quòd prophetia illa in populis ac locis per memorata nomina typica ſignificatis, debet plenius impleri. Inprimis verba illa luctum Prophetæ ſuper iſta vaſtatione indicantia, (℣. 6.) *O mucro Domini, uſquequò non quieſces? Ingredere in vaginam tuam*, &c. plus certè, quàm unicè ſuper vetuſtis Gentibus populi Hebræi hoſtibus dolorem Prophetæ in ſe includunt. Ad præſentem quoque *Regulam* referenda ſunt etiam ea, (ſaltem maxima ex parte,) quæ exſtant, Jerem. cap. 48. & 49. Inveniuntur & alia hujuſmodi in Jeremia. Item, Ezech. cap. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & 32. quoad præcipua ſaltem in his contenta. Item, Iſa. 9. ℣. 20. 21. Amos. 4. ℣. 7. Item, Joël. cap. 1. & 2. quoad principalem Spiritûs S. in his ſcopum.

XXXVII. Sed pro ceteris quoque ſimilibus illuſtrandis & ad ſcopum præſentis *Regulæ* adaptandis, en do clariſſimum in hanc rem locum, Iſa. 16. ℣. ult. *In tribus annis*, [qui ſunt] *quaſi anni Mercenarii, tolletur GLORIA MOAB ſuper omni populo multo; & relinquetur parvus & modicus, nequaquam multus*, ſeu *non validus*. Millies atque millies rimetur ſanè aliquis, nunquam tamen in veteri literali *Moabo* (niſi quoad tenuiſſimum in ruinis ejus futuri veſtigium implementi) hanc Prophetiam impletam eſſe inveniet. Eſto habuit & ille multitudinem aliquam, quæ ad paucitatem redacta ſit, atque ſic tenue & qualecunq; hujus implementum literale (ut jam conceſſimus) etiam in Populo illo præceſſerit; plenius tamen ac principale, ipſamque inſignem verborum emphaſin exhauriens hujus Prophetiæ implementum extra veterem & literalem *Moabum*, in aliquo myſtico Nov. Teſtamenti *Moabo* eſt quærendum. Certè vel ipſa *multitudo* longè major fuit *Aſſyriorum* & *Babyloniorum* tempore Iſaiæ, quàm Populi *Moab* literalis. Hîc ergo, ut & in aliis ſimilibus locis, illam S. *Hieronymi* de Prophetiarum (ut & typorum) ſenſu Regulam (ſupra jam hujus Claſſ. 2. cap. 1. §. 14. relatam) obſervemus: (*h*) *Poſt hiſtoriæ veritatem*, (ſcilicet, poſt literalem Prophetiarum ſenſum,) *SPIRITUALITER accipienda ſunt OMNIA; & ſic Judæa & Hieruſalem, Babylon & Philiſtiim, MOAB & Damaſcus*, &c. *intelligenda ſunt, ut cuncta quæramus in SENSU, & in omnibus his*, (*i*) *quaſi ſapiens Architectus Paulus Apoſtolus jaciat fundamentum, quod non eſt aliud præter Chriſtum Jeſum*. Chriſtum nempe ſemper cum ejus myſtico corpore, & ejus gloriam quæramus, atq; ſic cum tempore omnia in his obſcura nobis patebunt. Obſervemus etiam illud ejuſdem S. *Hieronymi* de *tribus* in allegato textu *annis* dictum: (*k*) *Tres ANNI, in quibus auferetur gloria Moab ſuper omni populo ejus multo,*

 MYSTI-

(*h*) *Proœm. in prim. Lib. Comm. in Iſaiam, ad Euſtoch.* (*i*) 1. *Cor.* 3. *v.* 10. 11. (*k*) *Comment. in Iſa. Lib.* 6. *in cap.* 16. *v. ult.*

MYSTICE INTELLIGENDI ſunt. Item: *Si umbra & exemplaribus ſerviebat juxta carnem Iſraël, & omnis eorum ſolennitas futurorum erat typus; quare non & ANNI præſentis † temporis, FUTURA TEMPORA PRÆFIGURENT?*

XXXVIII. Antequam itaque pleniùs intelligam quanta ſit latitudo myſterii hujus prophetiæ de *Moab* memoratæ, ſic paucis nunc de ea (juxta id quod jam & alibi (*l*) de eadem inſinuavi) mentem meam aperio. *Moab* ille, de quo in allegato loco Spiritus Dei per Prophetam vaticinatur, quoad ſenſum ejus myſticum, eſt Populus *Muhammedanus*, inprimis *Turca*, infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis. Qui autem ſint hujus reſpectû, *anni tres*, *annis Mercenarii* comparati; id quidem rectè invenire & aſſignare opus atque labor eſt non mediocris momenti. Non dubito tamen, quin Dominus piis unà mecum Scripturæ propheticæ ſcrutatoribus, id etiam cum tempore (cum eventu nempe rerum pleniori) pleniùs aperiat. Malo itaque nunc differre potiùs tanti myſterii dictorum *annorum* laborioſam inveſtigationem, quàm intempeſtivè aliquid proferre; eo modô, quô & in aliis mole myſteriorum ponderoſis ac δυσνοήτοις Scripturæ locis inveſtigandis ſeſt mihi mos, lento ſemper gradû ad meam de talibus ſententiam aperiendam procedere, uſque dum vel omnia vel ſaltem præcipua explicandi textûs membra à me intelligantur. Id unum ſaltem, quòd jam dixi *Moabum* hîc eſſe populum *Muhammedanum*, ſpecialiter autem *Turcam*, jam ſatis clarum mihi eſſe cœpit ex Scriptura ſacra, & rebus dicti populi cum ea collatis. Sanè *multitudo illa magna*, (juxta textum Hebr. ההמון הרב, *Hehamon harab*,) quæ hîc confundenda, *tollenda*, *vilis reddenda*, & ad *paucitatem* redigenda prædicitur, longè convenientiùs de *novo Moabo* (h. e. de *Turca*) quàm de veteri prædicatur. Ubi enim quæſo in veterum ſacris vel profanis ſcriptis tanta *multitudo*, quantam emphaſis verborum Iſaiæ requirit, veteris populi *Moab* celebratur? At verò *Turcæ* ut ſunt (ac fuerunt) externè numeroſiſſimi, ita omne ſuum robur in *multitudine* Nationum ac perſonarum imperio ſuo ſubditarum ponunt, in eaq; gloriantur. Unde iiſdem rectiſſimè & ad amuſſim verba Prophetæ de *multitudine* illa, applicari poſſunt: maximè ſi conſideremus, quantopere Dominus Deus non ita pridem (præſertim anno D. 1683.) terribiliter ingentem eorum *multitudinem* in omnium ſtuporem confudit.

XXXIX. Et quanquam ob peccata noſtra metuere poſſumus ac debemus, ne ſuo tempore, ulteriùs etiam juſtô Dei judiciô novus ille *Moab*, in ſua *multitudine* noviſque viribus reſumendis confiſus, Chriſtianis inſultare, & eis terrorem iterùm incutere, imò & vaſtitatem inferre pergat; attamen

† *Tunc nempe, dum Iſaias viveret*, præſentis. (*l*) *Vide Lat. ad Lugent. Sion Nunc.* §. *XXIII. pag.* 49, 50, 51, 52.

attamen quò plus de ſua *multitudine* gloriabitur, & quò majori cum furore Chriſtianis ulteriorem inferre vaſtitatem tentabit, eò propior erit ultima illa ejus ruina, in qua exactiſſimè de ipſo Prophetia præ manibus exiſtens implebitur. Nec eſt poſſibile, ut hoc Dei de ruina ejus verbum nos fallat. Eidem etiam apprimè convenit illud, dicti cap. 16. Iſa. ℣. 6. (al. ℣. 15.) *Audivimus ſuperbiam Moab; ſuperbus eſt valde.* Idem habetur de eo etiam apud Jerem. cap. 48. ℣. 29. De eodem eſt apud Zachariam quoque iſtud ſub alio nomine myſtico: *Humiliabitur ſuperbia Aſſur*, ſeu *Aſſyrii*; cap. 10. ℣. 11. Id etiam quod dicitur ad eum imperativè: (*m*) *Moab eſto latibulum eorum, profugorum* nempe populi Dei, (qui nimirùm ob peccata ſua extra veram Eccleſiam palabundi errant,) non veteri *Moabo* (è quo è contra citò exiiſſe olim Iſraëlitas (*n*) metû Babyloniorum diſperſos legimus,) neque etiam Populo Judaico, Chriſtum crucifigenti, ac ob id ſcelus extremè devaſtato, enervato & ad incitas redacto, (ut quidam (*o*) interpretantur,) ſed potiùs *Turcæ*, quoad emphaſim verborum optimè competit: qui licet ſit furioſiſſimus & maximus Chriſtianorum hoſtis; Deo tamen furorem ejus cohibente (aut ſaltem mitigante) debet Chriſtianos, eorumque reliquias in Oriente & Auſtro ſub alis imperii ſui tolerare, ficut etiam de facto ſub tam longo temporum decurſu toleravit. Atque ſic impletum eſt in ipſo & impletur in dies, dictum illud S. *Hieronymi* ſuis in Commentariis ſæpiùs repetitum: *Dei dixiſſe, feciſſe eſt*, fundatum in illo verſu Pſalmiſtæ: (*p*) *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Ne hîc interim iſtud quoque omittamus, quòd & bonum eidem novo *Moabo* poſt pleniorem ejus confuſionem eventurum (ipſa ſcilicet converſio ejuſdem) prædicitur Jerem. 48. ℣. ult. *Et CONVERTAM captivitatem Moab, in noviſſimis diebus:* de quo loco conſulat Lector noſtrum in Iſaiæ cap. 30. ℣. 26. Tractatum, (*q*) ſeu, *Latum ad Lugentes Sion Nuncium.* Ad præſentem *Regulam* pertinet etiam locus ille inſignis de *Aſſyrio*, qui exſtat Iſa. 31. ℣. 8. & 9. Moneo tamen, per præſentem *Moab* & *Aſſyrii* in Turcas factam applicationem, me non negare, quin ſub eorum typis, diverſo reſpectû conſideratis, alii etiam hoſtes S. Eccleſiæ, ſub ipſo nomine Chriſtiano Eccleſiam vaſtantes præfigurari poſſint; quem in ſenſum, lucem apud S. *Hieronymum.* (*r*) inveniemus. Unum enim typum diverſo reſpectu conſideratum, poſſe diverſarum rerum etiam contrariarum eſſe typum, infra (*ſ*) docebitur. Imò S. *Irenæus* (*s*) per *Moab* & *Ammon*, (quà nondum erant hoſtes Eccleſiæ) duos populos Eccleſiæ intelligit. Vide infr. Claſſ. 3. cap. 2. §. X. Ulterior jam *Regula* ſuccedat.

(m) Iſa. 16. v. 4. (n) Jer. 40. v. 11. 12. (o) Vid. Cocc. in Iſa. 16. v. 4. (p) Pſal. 32. (al 33.) 9. collat. Gen. 1 v. 3. 6. & ſequ. (q) Pag 49. (r) Comm. in Iſa. Lib. 6. in c. 16. v. 6. (ſ) Claſſ. Reg. 6. (s) Iren. Lib. 4. cap. 51. Conf. S. Hieron. in Nahum 3. v. 8.

REGULA XXIX.

XL. „*Sunt non pauca in Prophetiis & Typis ſacris loca, quæ ad pleni-* „*orem ſui captum & intelligentiam, neceſſario requirunt, ut (dum eventus* „*eorum & earum adeſt,) particularibus & benè notis locis* (v. gr. *Regnis*, „*Regionibus* &c.) *aliisq; circumſtantiis applicentur.*

XLI. Hæc *Regula* ſatis evidenter ſequitur quidem etiam ex proximè præcedenti; at præter ejus veritatem, dabimus hîc aliam quoque hujus rationem. Scilicet; dantur non pauca nomina typica & myſtica in Prophetarum ſcriptis, à veteribus locis, Populis & Nationibus deſumpta: ut jam nobis hac in aſſertione præeuntem S. *Hieronymum* ſupra (*t*) audivimus, atque etiam recenſionem talium aliquot nominum (ut ſunt, *Juda*, *Jeruſalem*, *Babylon* &c. quibus accenſenda ſunt, *Jacob*, *Iſraël*, *Joſeph*, & ſimilia nomina myſtica,) ex eodem dedimus. Atqui nunquam rectè & exactè ſcopum prophetiarum in ejuſmodi nominibus *myſticis* aſſequemur, niſi etiam ſciamus, ubi ſint illa *loca*, illa *Regna*, illæ *provinciæ*, illæ *Nationes*, illæ *Urbes*, illæ *Congregationes*, vel *Secta*, quæ in myſterio veteribus locis, populis &c. eorundem ad literam nominum, reſpondeant. Si non illicò poſſumus, dum vellemus, aſſequi, quid in iis, & editis de iiſdem prædictiónibus lateat; non ſequitur, neque in poſterùm poſſe Eccleſiam Dei intelligere. Jam ſanè præiverunt olim nobis de *Babylone* veteres magni Doctores, quòd per eam in myſterio intelligitur determinatè *Urbs* magna in Chriſtianiſmo: quanquam ante magni illius *Antichriſti* revelationem, nemo myſterium nominis ejus de illa plenè intelligere poteſt; non obſtante, quòd jam olim in Gentiliſmo, vel etiam pòſt, in malis quibuſdam Chriſtianis, præludium aliquod myſterii illius in ea præmonſtratum ſit. Sic etiam nomen *Galaad*, Zach. 10. ℣. 10. & Abd. ℣. 19. col. ult. myſticè debere ſumi pro fertili aliqua in Chriſtianiſmo Regione, eventus rerum ſuo tempore docebit. Sic *Baſan*, ſic *Libanus*, & ſimilia, ſubinde in Scripturis myſticè accipiuntur. *Armageddon* (*u*) etiam (ſeu *Harmageddon*) locus certus in Chriſtianiſmo debet intelligi, ipsô rerum eventû noſcendus.

XLII. Hâc interim *Regulâ*, nemini author eſſe volo, ut præcipitanter & intempeſtivè, conceptus aliquos immaturos, de determinandis in hæc vel illa loca, & alias circumſtantias prophetiis ac typis, in lucem edat; ſed potiùs cuiq; conſulo, ut omnia priùs benè apud ſe ruminet, maturo judicio diù examinet, & longo examine (*v*) ſubinde intra ſe in timore Domini recoquat, atque ſic ſe ipſum de proferendis rectè edoceat, antequam alios in talibus

(*t*) *Hujus Claſſ. cap.* 1. §. 14. *ſub Reg.* 1. *p.* 67. *& h. c.* 8. *ſub Reg.* 28. §. 37. (*u*) *Apoc.* 16. *v.* 16. (*v*) *Juxta illud S. Hieronymi*: Multo tempore diſce, quod doceas. *Epiſt.* 4. *ad Ruſt. Mon. cap.* 8.

Digitized by Google

in talibus docere velit. Et ſi quis fortè aliquid intempeſtivè & minùs conſideratè publicâſſet vel publicaret, ne pudeat eum cum tempore errorem ſuum recognoſcere, prioreſque ſuos conceptus ad novum examen pertractos emendare, & emendando in veritatis inveſtigatione proficere.

REGULA XXX.

XLIII. *„A' quacunq; re Scriptura S. aliquam ducit ſimilitudinem, ex- „plicitam vel implicitam, ea talis eſt, quæ & ipſa debet aliquo modo eſſe ac „reperiri in Mundo.* Cum enim nec vir ſapiens ducat à mero non ente ſimilitudinem, (quod vel cogitare implicat;) multò minus ducit eam ſapientiſſimus Dei Spiritus à ſimpliciter non ente, vel non exiſtente.

XLIV. Sic, (v. gr.) quia futurus Eccleſiæ Dei ſtatus melior, deſcribitur per Iſaiam Prophetam (*x*) tanquam hortus aliquis *deliciarum* (ſeu, *Eden*, ut eſt in Hebræo,) & *hortus* ſive *Paradiſus Domini*; ſequitur ex eo, verè fuiſſe olim jucundum ejuſmodi hortum ſeu *Paradiſum* terreſtrem deliciis refertum, in quo fuerant poſiti (*y*) primi noſtri parentes. Ita etiam, quoniam plena illa *pax* Eccleſiæ Dei, interna & ſpiritualis ultimis temporibus futura, in qua ceſſabunt & ad incitas redigentur omnes veritatis cœleſtis impugnatores, & Eccleſia Dei abſque ullo hæreticorum vel quorumlibet hoſtium ſpiritualium terrore & inſultatione in cœleſtibus proficiet, deſcribitur in Scripturis futurâ ceſſatione totali omnium (*z*) bellorum externorum; ex eo ſequitur, debere fieri aliquando etiam politicam & externam ejuſmodi *pacem* plenariam, & ceſſationem omnium ad literam bellorum. Cum enim hactenus nunquam inter Mundi Nationes fuerit plena ejuſmodi *pax*, ſub cujus emblemate deſcribitur futura *pax* Eccleſiaſtica; neceſſe eſt ut aliquando fiat. Nam ut jam inſinuatum eſt, à mero non ente, non poſſet deſcribi & illuſtrari interna *pax* Eccleſiæ. Accedit hîc alia etiam ratio pro *pace* ejuſmodi plena externè ac politicè futura: quia ſine ea *pax* interna Eccleſiæ non foret plena & integra. Sic etiam; quia ſub ſchemate (*a*) *novorum cœlorum* & *novæ terræ creandorum*, prænunciatur nobis futura ex tot ruinis reſtauratio Populi Dei & felicior ejuſdem ſtatus; inde certò ſequitur, ad literam etiam futuros aliquando *novos Cœlos* & *novam terram*. Alia nunc ſuccedat *Regula*.

REGULA XXXI.

XLV. *„In locutionibus Prophetarum impropriis, videlicet Metapho- „ricis & Emblematicis, accuratè ſemper diſpiciendum eſt, quibus cum rebus „habeant ejuſmodi metaphorica vel emblematica dicta exactiorem ſimilitu- „dinem & convenientiam, ut ſciamus inde genuinam talium eruere ſignifi- „cationem.*

 XLVI. Sic

(*x*) *Iſa.* 51. *v.* 3. *Conf. Cant.* 4. *v.* 12. & *cap.* 5. *v.* 1. & *Ezech.* 28. *v.* 13. (*y*) *Gen.* 2. *v.* 8. 15. (*z*) *Iſa.* 2. *v.* 4. & *Mich.* 4. *v.* 3. *Pſal.* 45. (*al.* 46.) *v.* 10. *Zach.* 9. *v.* 10. (*a*) *Iſa.* 65. *v.* 17.

Digitized by Google

XLVI. Sic v. gr. ex eo, quòd ipſa Scriptura S. monſtrat nobis (*b*) *aquas* myſticè (in ſenſu earum ignobiliori) eſſe *populos*, (ſcilicet, peccatis, erroribus, motibus, turbis & confuſionibus vagos, fluctuantes & fluitantes.) judicium de aliis etiam ſimilibus (quid ea ſignificent) ferre poſſumus, ſi tertium ſeu medium convenientiæ rectè aſſequamur, eo modô, quo inter *aquas* & *populos* covenientiam (paulo antè in parentheſi inſinuatam) novimus. Ut, quid (*c*) *beſtia*, quid (*d*) *cornua*, quid (*e*) *fabri*, quid (*f*) *corvi*, quid (*g*) *columba* & (*h*) *columba*, quid (*i*) *aquila*, quid (*k*) *cadaver*, quid (*l*) *Lupus*, quid (*m*) *Agnus* & (*n*) *agni*, quid (*o*) *Leo*, quid (*p*) *vulpes*, quid (*q*) *canes*, & alia (*r*) hujuſmodi in myſterio ſignificent. Proderit autem in hanc rem, etiam *Naturæ* rerum Scrutatores & Deſcriptores conſulere.

CAPUT IX.

In quo, Regula *una, quæ in hac Claſſe ſecunda, eſt ordine* Triceſima-ſecunda, *de futurâ in his terris* omnium Reſtitutione *traditur, quidve ſit illa* Reſtitutio (*per os omnium SS. Prophetarum annunciata,*) *explicatur; quâ occaſione indicatur, quòd hac* Reſtitutio, *in* Sanctis *illis qui* vivi in adventu Domini *invenientur, erit maximè conſpicua, ut qui ante publicam Judicis apparitionem in* ſtatum integritatis *ſunt reſtituendi. Deinde, ipſa hujus* Reſtitutionis doctrina, *validis argumentis probatur.*

REGULA XXXII.

I. *Niſi admittatur, futura in his terris, ante plenam electorum in Cœlis „glorificationem, omnium in Eccleſia Reſtitutio, impoſſibile eſt, ut „quiſpiam præcipuum prophetiarum & typorum quoad Eccleſiam ſcopum, rectè „intelligat.*

II. Dum dico, *Niſi admittatur*, non hoc volo, quaſi nemo qui pacificè ſilet, vel penitùs nihil apertè docet de hac *Reſtitutione* futura, is præcipuum *prophetiarum* & *typorum* de Eccleſia ſcopum, non rectè intelligeret. Nam poteſt aliquis tacere, aut ſaltem non ex profeſſo apertè (ut in *Regula* proponitur) loqui vel ſcribere de hac re; attamen implicitè & radicaliter id ipſum tenet & docet, quod maximè facit ad hanc *reſtitutionem* adſtruendam: ut infra † patebit ex quibuſdam teſtimoniis, ex veneranda antiquitate in medium afferendis. Sed per *τὸ non admittere* hoc quod *Regula* inſinuat, intelligo, repugnare luci, quæ hâc Eccleſiæ ætate poſt

(*b*) *Apoc.* 17. *v.* 15. (*c*) *Job.* 5. *v.* 22. 23. *Pſal.* 73. (*al.* 74.) *v.* 19. *Iſa.* 13. *v.* 21. & 18. *v.* 6. & 35. *v.* 9. & 43. *v.* 20. (*d*) *Pſal.* 74. (*al* 75.) *v.* 11. *Zach.* 2. *v.* 1. 2. *Hab.* 3. *v.* 4. (*e*) *Zach.* 2. *v.* 3. 4. (*f*) *Pſal.* 146. (*al.* 147.) *v.* 9. *Prov.* 30. *v.* 17. (*g*) *Pſal.* 67. (*al.* 68.) *v.* 14. *Cant.* 2. *v.* 10. 14 & 6. *v.* 8. (*h*) *Ibid. cap.* 1. *v.* 14. & 4 *v.* 1. (*i*) *Matt.* 24. *v.* 28. *Job.* 39. *v.* 27. 30. (*k*) *Ibid.* (*l*) *Iſa.* 11. *v.* 6. & 65 *v.* 25. (*m*) *Ibid. collat. Apoc.* 14. *v.* 1. (*n*) *Iſa.* 5. *v.* 17. & 40. *v.* 11. *Joan.* 21. *v.* 15. 16. (*o*) *Pſal.* 21. (*al.* 22.) *v.* 22. & *contrario ſensû, Apoc.* 5. *v.* 5. (*p*) *Cant.* 2. *v.* 15. *Thren.* 5. *v.* 18. (*q*) *Pſal.* 67. (*al.* 68.) *v.* 24. (*r*) *Ut, v. gr.* equus: *Job.* 39. *v.* 19. *Prov.* 21. *v.* 31. *Item,* Bos & aſinus; *Iſa.* 1. *v.* 3. & 32. *v.* 20. † §. 39. 43. 50. 51. *h. cap.*

poſt tot veteres celeberrimos SS. Patres, aliosque eximios Doctores, major quàm olim, in *prophetiis* & *typis* (tam de hoc quàm de aliis punctis) intelligendis affulget, ac negare pertinaciter (etiam poſt lecta vel audita argumenta probantia) futuram aliquando in Eccleſia, eam quam hîc probare nitor, *reſtitutionem.* Is ſanè qui hanc ita negaret, (præſertim in tanta verbi Divini luce,) nequaquam ſuis conceptibus, præcipuum *Prophetiarum* & *Typorum* de Eccleſia ſcopum rectè aſſequeretur. Porrò cum addo τὸ *rectè*, verbo *intelligendi*; innuo hôc ipſo, poſſe aliquem etiam negantem hanc *reſtitutionem*, aliquô modo intelligere *Prophetiarum* & *typorum* præcipuum de Eccleſia ſcopum; ſed eâ negatâ, non rectè, & multo cum defectu (culpabili certè in tanta luce) intelliget. Scilicet, Prophetiarum & typorum præcipuus & ultimus quoad Eccleſiam ſcopus eſt, ut illa, ſtudiô, ductû & conſolatione Scripturarum, in æternum beetur & glorificetur. (In cujus beatitudine, Dei gloria ut ſummus omnium rerum ex conſilio Dei finis, includitur.) Atqui veteres ante Chriſtum natum *Prophetiæ* & *Typi*, ita nobis hanc ultimam beatitudinem pro ſcopo proponunt, ut quicquid in ipſis, communiter de Eccleſiæ futura felicitate ſonans legimus, id omne, quantum in præſenti ſtatu nobis intelligere datur, tale eſſe perſpicuè pateat, quod in terris debeat aliquando evenire ac impleri, & quidem eô modo, ut is eventus, idque implementum, proximum exemplar, imò viva & exactiſſima expreſſio ſit eorum, quæ demùm in Cœlis (corpore & animâ tenùs) longè adhuc ſublimiori modo nobis eventura, agenda & percipienda erunt. Qui ergò medium hoc à Deo inter ſummas humanæ vitæ miſerias, & ſupremam in Cœlis Eccleſiæ glorificationem, interpoſitum negaret, is ſanè *prophetiarum* & *typorum* præcipuum de Eccleſia ſcopum non rectè intelligeret. Quid autem per *Reſtitutionem omnium* in Eccleſia intelligam, dicam paucis, antequam ad argumenta deſcendam, in quibus etiam uberior lux deſcriptioni hujus *Reſtitutionis* afferetur.

III. Per hanc *Reſtitutionem*, intelligo (1.) in genere, omnium Chriſtiani Populi rupturarum, ſciſſurarum, ruinarumque internarum & externarum amolitionem, & per florentiſſimæ paſſim ac puriſſimæ in Eccleſia Catholica prædicationis Evangelii, concomitantiſque vitæ & morum reformationis, ac pacis diù deſideratæ adductionem, Populi Dei adeò diſſciſſi, diſperſi & afflicti reſanationem, & in ſtatum priori longè meliorem, redactionem: ita ut, quicquid boni tempore SS. Patrum ac Martyrum, tempore Apoſtolorum, tempore olim SS. Regum & Patriarcharum in Eccleſia fuit, id omne, eo modô, qui congruit tempori Novi Teſt. ultimo, reducatur & reſtauretur. Hoc eſt quod Dominus per *Iſaiam* de ultimo tempore, Eccleſiæ ſuæ diſertè promiſit, cap. 30. ℣. 26. Ubi primùm, ſub myſterio augendi luminis *Lunæ* & *Solis*, augmentum lucis doctrinæ

doctrinæ in Eccleſia, tum in *Seculari* tum in *Eccleſiaſtico* ſtatu (ſubineluſâ etiam converſione cujuſdam Imperii *Lunam* pro inſignibus ſuis habentis) futurum promittitur, & continuò ſubnectitur affutura etiam occaſione ejuſdem lucis reſanatio vulnerum Populi Dei. Verba Domini in allegato loco hæc ſunt: *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter* (ſeu *ſeptupla*,) *ſicut lux ſeptem dierum, in die quâ ALLIGAVERIT DOMINUS VULNUS* (ſeu *fracturam*) *Populi ſui, & PERCUSSURAM PLAGÆ EJUS SANAVERIT*. Tempus & locus implendæ hujus promiſſæ *ſanationis vulnerum* Populi Dei, (quòd ſcilicet ultimo tempore in terris hæc promiſſio implebitur;) ex antecedentibus & conſequentibus ibidem verſibus patet evidenter. De pleniori loci illius ſenſu, ſi cui placet, conſulat noſtrum in eundem locum (*a*) Tractatum. Huc refer etiam (quoad pleniorem Spiritûs Dei ſcopum) Amos. 9. ℣. 11. (2.) Specialiùs etiam, intelligo hîc omnium illorum bonorum ſucceſſivè & per gradus (naturæ ex lapſu reparandæ covenienter) futuram in terris (quantum ad Deum timentes & ejus verbo adhærentes) *reſtitutionem*, quæ primus noſter Parens *Adam*, & noſtra natura in ipſo, quantum ad Paradiſi terreſtris felicitatem, perdidit. (Limitationem de *Paradiſo* cur addam, ſatis liquet; altiora enim bona perdita, in Cœlo reſtituentur.) Atque ſic fiet, ut homo Deo adhærens, ſit demùm etiam in his terris verè ac plenè ſanctus, inculpatus & immaculatus, fruaturque bonis à Deo accipiendis, ſine læſione Divinæ Majeſtatis, piè, ſanctè, pacatè, & beatè in ejus gloriam, & ulteriorem ac pleniorem ſuam ſalutem, ſitque per hoc *in integritatem reſtitutus*, antequam hinc è terris ad ſupernam & perfectiſſimam in Cœlis beatitudinem aſſumeretur: ut, juxta hanc doctrinam, Chriſtus Dominus priùs è morte variorum corporis & animæ morborum ac infinitarum calamitatum ſuſcitaturus & vivificaturus ſit ſuos hîc gementes, quàm è morte propriè dicta corporis & è pulvere terræ literaliter ſumpto reſuſcitatos † vel reſuſcitandos unà ſecum (*b*) *adducat*. Atque hæc *Reſtitutio* in ſua plena emphaſi ſumpta, in illis Sanctis eximiis erit conſpicua, quos Domini perſonalis adventus & publica apparitio, (*c*) *vivos* in his terris juxta Apoſtolum (ut ſuo loco (*d*) pleniùs dicemus) inveniet. Neque enim ſecùs coram tanto, totque cum terroribus (*e*) venturo Judice ſtare poſſent, (multoque minùs cum eodem Mundum judicare,) niſi eſſent in ſtatum *integritatis* (naturæ ſcilicet ex lapſu reparandæ convenienter) reſtituti, & per hoc plenè ac (*f*) *per omnia ſancti* & (*g*) *immaculati*, juxta Apoſtoli doctrinam: quæ

(*a*) *Scil. ſub titulo*: Lætum ad Lug. Sion Nunc. † *Cur ſic loquar, vide Matth. 27. v. 52. 53. & confer Joan. 5. v. 28. 29. & cap. 11. v. 24.* (*b*) *Phraſin vide 1. Theſſ. 4. v. 18. (al. 14.)* (*c*) *Ibid. v. 14. & 16.* (*d*) §. 20. 21. *& ſequ. h. cap.* (*e*) *Mal. 3. v. 2. Luc. 21. v. 36.* (*f*) *1. Theſſ. 5. v. 23.* (*g*) *Epheſ. 5. v. 27.*

quæ omnia in ſequentibus clariora fient, & objectiones etiam diluentur.

IV. Moneo autem hic in anteceſſum pium quemq; lectorem, inprimis candidum veritatis amatorem, ne ex præjudiciis quibuſdam, doctrinam hanc apud ſe abhorreat quaſi novam & inauditam, (non obſtante quòd in multorum mentibus ſit ſepulta,) ſed potiùs diligenter eam exaudiat, & in timore Domini expendat argumenta illa, quæ pro ea fulcienda in medium adducentur: quibus ita expenſis, facilè unà mecum pius ac diligens veritatis inquiſitor ſibi è contra perſvadebit, hanc doctrinam eſſe reverà antiquiſſimam, in Scriptura nempe ſacra & SS. Patrum documentis fundatam, Eccleſiæque Dei ſaluberrimam, utpote, Diabolo & morti infenſiſſimam, exitioſiſſimam, peccatoribus autem ſub varia cruce, contrito ac verè pœnitenti corde gementibus, & adhuc contra peccatum acriter luctantibus jucundiſſimam ac lætiſſimam. Jam (Deo cœlitùs aſſiſtente) ſic procedo in adſtruenda hac de futura in terris *reſtitutione*, doctrina.

V. *Argum.* (1.) Sumitur primum meum argumentum ex clariſſimis Scripturæ S. verbis, Actor. 3. ℣. 21. Ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν ἀπ᾽ αἰῶνος. H. e. *Quem* (Chriſtum) *oportet quidem Cœlum ſuſcipere, uſque in tempora RESTITUTIONIS OMNIUM, quæ locutus eſt Deus per os omnium SANCTORUM ſuorum à ſæculo PROPHETARUM.* Habemus hic diſertè & *reſtitutionem omnium* futuram in terris, & inſuper, quòd hæc *reſtitutio* conſonâ Prophetarum omnium voce fuerit prænunciata, & per hoc, præcipuum Divini Spiritûs in Prophetis olim locuti ſcopum hunc fuiſſe in omnibus ſuis ad Eccleſiam jucundis conſolationibus, collimare nimirùm ad illam ultimi temporis felicitatem Eccleſiæ, quæ in allegato loco duabus voculis exprimitur. Vide in extremis *Moſis*, (præter multa alia ejuſdem, partim clara, dum promittit obedientibus benedictiones, partim typica verba in ceremoniis,) Deut. 32. ℣. 36. 39. & 43. col. ult. Item, Job. 33. ℣. 26.-- 30. Pſal. 105. (al. 106.) ℣. 5. Eccl. 6. ℣. 6. Iſa. 60. ℣. 21. & 62. ℣. 6. 7. 8. 9. (al. ℣. 8. 9. 10. 11.) & cap. 65. ℣. 17. 18. 21. 22. 23. & 66. ℣. 10. 11. 12. 14. 22. 23. Percurre ceteros etiam Prophetas, & invenies apud eos quoque his quod rem conſona. *Daniel* paucis verbis hujus *Reſtitutionis* initium tangit, dum ait, cap. 12. ℣. 12. *Beatus qui expectat, & pervenit uſque ad dies* 1335. quanquam & cap 7. ℣ 22. & 27. eandem *reſtitutionem* ſub aliis verbis & phraſibus deſcribit. Quòd autem hæc *Reſtitutio omnium*, de qua S. Petrus in allegato *Actorum* textu loquitur, in terris ſit futura, (antequam nimirum pleniſſimis Cœli potiamur gaudiis,) evidentiſſimè liquet ex loco, eidem illi (jam viſo)

per omnia parallelo & coſono, ac per hoc, ipſum argumentum *primum* luce ſuâ validè fulciente: Matth. 17. ℣. 11. (collat. Marc. 9. ℣. 11. [al. 12.]) *Elias quidem venturus eſt * primùm, & RESTITUET OMNIA.* (Quem locum, quantum ad *Eliam venturum*, fusè jam ſupra (*h*) tractavimus.) En hîc disertè promittitur, quòd *Elias veniet PRIMUM, & reſtituet omnia*, in Eccleſia nimirùm, idque miniſterialiter. *Veniet*, inquit, *primùm*, vel, ut S. Marcus habet, ἐλθὼν πρῶτον, *veniens primùm*; ſcilicet, antequam Chriſtus Dominus ſecundo adventû adveniat, & glorioſam ac terribilem ſuî præſentiam Orbi terrarum manifeſtet. Conf. Mal. 4. ℣. 5. 6. Ergo etiam Apoſtoli verba ſic intelligenda ſunt, quòd non priùs Chriſtus Dominus è Cœlis glorioſam ſuam & hominibus tunc viſibilem præſentiam, Orbi terrarum publicè manifeſtabit, quàm cum *Reſtitutio omnium*, non ſolùm inchoata valido cum fundamento, ſed & cum aliquo progreſſu in ſuo vigore continuata aderit in Eccleſia. Tunc ipſe quoque palàm ſe Orbi univerſo, in Aëre, cum gloria & majeſtate ampliſſima conſpicuum exhibebit, tanquam conſummator & coronator hujus *Reſtitutionis*. Nec poteſt quiſpiam contra verba ſacri textûs excipere; quaſi illic *reſtitutio omnium* non tam largè acciperetur, uti à me ſupra explicatum eſt, ſed tantùm pro qualicunq; melioratione ſeu correctione ſtatûs Eccleſiæ. Jam enim, (Deo mihi aſſiſtente) omnium hujuſmodi exceptionum, verba Dei extenuantium rimas, in ſuperioribus (*i*) præcluſi & obſtruxi. Verbum Dei eſt hoc de futura *reſtitutione omnium*, non hominis; ergo in plena ſuî emphaſi debebit ſuo tempore impleri. Argumentum ſi quis majoris evidentiæ causâ „in forma deſideret, facilè in eam redigi poteſt hoc modo: Quod Chriſtus „Dominus & ejus Apoſtolus docent, id firmiſſimè credendum eſt: Atqui „futuram in Eccleſia, ante glorioſam Chriſti coram toto Orbe revelatio„nem è Cœlis, *omnium Reſtitutionem* (in gradu ſcilicet jam limitato,) Chri„ſtus Dominus & ejus Apoſtolus docent: Ergo talis *Reſtitutio* firmiſſimè „credenda eſt.

VI. (2.) Alterum noſtrum *argumentum* peti poteſt ex ſuperioribus quibuſdam (*k*) *Regulis*; in quibus docuimus, partim hoc, quòd futura ſit dehinc aliqua melioratio ſeu emendatio in Populo Chriſtiano, partim etiam, quòd omnia Dei promiſſa ad Eccleſiam, quantacunque & qualicunq; ſub conditione ſint facta, attamen aliquandò, extra omne dubium implebuntur. Atqui inter illa promiſſa eſt & hoc, etſi non apertè exſtans in Scripturis, implicitè tamen involutum, (*l*) quòd Deus homini, ſi perſtitiſſet in obedientia erga Deum, etiam in terra felicitatem dediſſet. Hinc illud eruditiſſimi Alphonſi *Toſtati Abulenſis* Epiſcopi, ex Scriptura & SS. Patribus

* *Ita in Græco* πρῶτον. (*b*) *Reg. 7. b. 2da. Claſſ. Cap. 4. p. 102.* & ſequ. (*i*) *Vid. Reg. 1. & 4. b. 2da Claſſ.* (*k*) *Vid. Reg. 8. 10. & 12. huj. Claſſ.* (*l*) *Excute benè, Gen. 2. v. 15. 16, 17.*

tribus hauſtum: (*m*) *Volebat Deus hominem, ſi non peccaſſet, immortalem conſervare, ut aliquantò tempore in PARADISO TERRESTRI colonus exiſteret; deinde per turmas, vel generationes, ut Deo videretur, ad beatam Dei viſionem in ſpirituali Paradiſo, ſcilicet empyreo Cœlo, transferre.* Hæc ille. Debet ergo aliquando in homine, etiam hujuſmodi promiſſum implicitum, in Dei nempe voluntate ſeu propoſito circa hominem, involutum, impleri; idque ex eo tantò magis; quia non ſolùm promiſſa erat implicitè *Paradiſi* terreſtris felicitas homini, (ſub dicta conditione,) ſed etiam præmonſtrata fuit eidem in prægustu ejus. Quæ præmonſtratio non fuit penitùs fruſtranea, ſed aliquando conſummari debebit. Quicquid enim Deus ſemel incipit, id certò certiùs ſuo tempore & ſuis modis perficiet. *Dei* enim *opera*, ut Moſes docet, (*n*) *ſunt perfecta.* Experiri itaque aliquando homo debet plenam *Paradiſi* terreſtris felicitatem, ei à Deo ut deſtinatam, ſic in prægustu aliquo initialiter tantùm præmonſtratam, & per hoc olim tantùm inchoatam.

VII. *Arg.* (3.) Ipſa quoque S. *Job reſtitutio* in integrum, tum ratione ſanitatis, tum ratione aliorum bonorum, & ſuorum charorum, hanc proximè *Reſtitutionem* adumbrabat & præſignificabat. Dicet fortè aliquis: „*Reſurrectionem* fidelium è morte corporis glorioſam fuiſſe adumbratam, „per illam *Jobi reſtitutionem*: ad quod ſic repono: quòd, qui hoc objiceret, is non per omnia mihi repugnaret, niſi quòd is ita ſentiendo, ſolummodò inadæquatum & longiùs remotum myſterii illius ſcopum teneret. Non enim & ego ſimpliciter nego reſurrectionem è morte glorioſam, fuiſſe etiam adumbratam, per illam *Jobi* reſtitutionem; ſed ita ſentio: nimirùm, proximus & immediatus ſcopus myſterii *reſtitutionis* illius, eſt *reſtitutio* futura in vivis, ſed horrendâ calamitatum morte obrutis vel obruendis fidelibus, ante univerſalem mortuorum reſurrectionem; remotus verò, mediatus & latior, (ut ſic dicam,) eſt reſurrectio glorioſa è mortuis propriè ſic dicta. Quòd illa, de qua nunc agitur, *reſtitutio*, ſit proximus & immediatus *reſtitutionis Jobi* in ſignificante myſterio ſcopus; apparet *primò*, ex ipſa conſideratione præcedentis ſtatûs *Jobi*. Etſi enim damnis undique deplorandis, morboque corporis acerbiſſimo, & concomitante mentis quoque horrendâ ſubinde (*o*) conſternatione & conturbatione, velut totidem mortibus fuerit ad tempus obrutus; non tamen propriè morte corporis (in morbis illis) fuerat mortuus. Unde ejus *reſtitutio* in integrum, longe propiùs & exactiùs congruit illi *reſtitutioni*, de qua agitur in præſenti *Regula*, quàm reſtitutioni, per glorioſam è morte corporis

(*m*) *Tom.* 1. *In Gen. cap.* 2. *v.* 15. *fol.* 12. *Floruit hic Author, an. D.* 1436. *& ſequ. Confer S. Auguſtin, Lib.* 12, *de Civ. Dei, cap.* 21, *& Lib.* 13, *cap.* 1, (*n*) *Deut.* 32, *v.* 4. (*o*) *Job.* 7, *v.* 13, 14.

poris propriè dicta *reſurrectionem* futuræ. *Secundò*, patet ex perſpicuis etiam quibuſdam verbis *Eliu* ad *Jobum* propheticis: Job. cap. 33. ℣. 25. 26. Qui poſtquam in ſuperioribus diſſeruiſſet de eo, quomodo Deus hominem (cui benefacere vult) *erudit* in anima, aliquando etiam in *viſione nocturna*, *ut avertat* eum *ab opere* merè humano, ad hoc, ut purus ab omni *ſuperbia*, Deo arctiſſimè adhæreat in *anima* ſuæ conſervationem; item, quomodo talis homo *increpatur dolore* (p) in *lecto* ſeu cubili ſuo, & caſtigatur à Deo in tantum, ut (q) *tabeſcat caro ejus, & oſſa* ejus *nudentur*, ſive *promineant*, & (r) *appropinquet corruptioni anima ejus, & vita illius* malis *mortiferis*; deinde pergit ad (ſ) *Angelum* ſeu *Nuncium* reſtitutionis ex tantis & tam horrendis calamitatibus. (qui *Nuncius* eſt Chriſtus Dominus, in ſuis Servis & Prædicatoribus eximiis;) poſtremò tandem, ipſam de qua loquimur *reſtitutionem*, (verſibus allegatis, juxta textum Hebræum, verſioni *Pagnini* & Ariæ *Montani* conformiter hîc translatis) ſic proponit: *Tenerior* † *efficietur caro ejus carne pueritia*; (ſeu, *quàm pueritia:*) *REVERTETUR AD DIES ADOLESCENTIÆ ſua: deprecabitur* (ſeu *ſupplex orabit*) *Deum, & propitiabitur ei, & videbit faciem ejus cum jubilo, & REDDET* (ſeu *reſtituet*) *homini JUSTITIAM ejus.* Verba hæc Spiritûs S. tàm emphatica ſunt, de *hominis* obruti variis hujus vitæ miſeriis, & ſub earum mole indeſinenter gementis ac Divinam miſericordiam humiliter implorantis *reſtitutione*, ut niſi quis *Reſtitutionem*, quam hîc aſſero, futuram credat, impoſſibile eſt, ut vim horum verborum rectè capiat, & exhauriat. Egregiè ſanè & ad noſtrum ſcopum aptiſſimè S. *Gregorius* Ma-,,gnus verba illa, *Revertatur ad dies adoleſcentia ſua*, ſic explicat: (s) *Id eſt, PRIORIS VITÆ INTEGRITATE RENOVETUR, ut non eo maneat quo lapſus eſt, ſed ad hoc redemptus REDEAT, AD QUOD PERCIPIENDUM CONDITUS fuit. Scriptura enim ſacra ſæpè adoleſcentiam pro novitate vita ponere conſuevit. Unde VENIENTI SPONSO dicitur:* ,,(t) Adoleſcentulæ dilexerunt te: *id eſt: electorum anima gratiâ baptiſmatis renovata; qua non in vita veteris uſu deficiunt, ſed NOVI HOMINIS converſatione decorantur.* Rectè limitat S. Doctor, quales hîc animas *baptiſmi gratiâ renovatas* intelligat; non certè quaslibet, quæ baptiſmum ſacrum ſuſceperunt, ſed quæ gratiam baptiſmi ſemel acceptam, non ſolùm ſervant, ſed ita augent in ſe per continuum cœleſte ſubſidium, (in viis Domini incedendo,) ut demùm eam *vita integritatem* conſequantur, quâ depoſito penitùs veteri homine, in *novum* prorsùs *hominem* reformentur.

Scilicet

(p) *v. 19. 20. cap. 33.* (q) *v. 21. ibid.* (r) *v. 22.* (ſ) *v. 23. 24.* † *Ita etiam Græci interp. in hoc loco*· Ἁπαλυνεῖ δὲ αὐτοῦ τὰς σάρκας, ὥσπερ νηπίου. *H. e.* Mollem (teneram) efficiet carnem ejus, tanquam infantis. *Ar. Mont.* Succulenta erit. (s) *Moral. in Job. Lib. 23. cap. 4. in cap. 33. Job. v. 25.* (t) *Cant. 1. v. 2.*

Scilicet verba illa: *Non in vita veteris uſu deficiunt, ſed novi hominis converſatione decorantur*, ex ſcopo Spiritûs S. tum in Scriptura (*u*) ſacra tum in verbis Scripturariis tanti Doctoris loquentis, in plena ſua emphaſi accipenda ſunt de illis, qui ultimis temporibus ante publicam apparitionem Domini glorioſam, *reſtitutionem* à nobis aſſertam conſequentur; ut ſcilicet, nihil *veteris vitæ*, in iis remaneat; (nam alioquî non carerent *defectu* vitæ;) ſed toti quanti in corpore & in anima *novo homine* induti & *decorati* inveniantur; quod idem eſt, ac dicere, ut in ipſis plenè & integrè (*v*) *formetur* ſecundus Adam, qui eſt *Chriſtus*. Atque tunc fiet reverà, ut *prioris* illius *vitæ* (quam à Deo primi acceperant parentes,) *integritate renovati* eſſe dicantur fideles; ut loquitur in allegatis verbis S. *Gregorius*.

VIII. *Arg.* (4.) Ipſa quoque Domini Salvatoris geſta in hominibus quibuſdam ſanitati reſtitutis miraculoſa, eam quam hîc aſſerimus reſtitutionem futuram præfigurabant. Non ſolùm enim mortuos Dominus noſter in vitam reduxit, ſed ſeorſim, etiam ægrotos plurimos & variis defectibus laborantes, ſanitati reſtituit. Novimus autem (ut infra (*x*) patebit,) hujuſmodi geſta Domini fuiſſe futurorum typica & ſignificativa. Ut ergo per mortuorum reſuſcitationem præfiguravit Dominus, tum ipſam ex morte corporis propriè dicta futuram hominum (maximè verè fidelium) reſurrectionem, tum etiam graviſſimorum peccatorum, ex profunda morte ſcelerum reductionem ad vitam ſpiritualem; ſic per ægrotorum & variis defectibus laborantium ſanationem miraculoſam, (quæ frequenter ab ipſo, die *Sabbati* eſt peracta,) præſignificavit futuram electorum ultimis temporibus reſanationem ex omnibus corporis & animæ infirmitatibus & calamitatibus. Ita fiet, ut quemadmodum olim in ſuis geſtis typicis, ſeorſim debellavit morbos, & ſeorſim ipſam mortem; ita etiam ultimis temporibus ſeorſim ac diſtincto actû exerat ſuam contra morbos & varias corporis & animæ miſerias virtutem, ac ſeorſim contra mortem propriè dictam, (in iis qui propriè mortui ſunt corpore, vel adhuc morientur,) eam tanquam (*y*) *noviſſimam inimicam* glorioſâ demùm ſuorum reſurrectione *deſtruendo* & abolendo.

IX. (5.) *Argumentum* ſumitur à *renovatione* futura *Cœli* & *terræ*. Quæ quidem, ut & alia ultimi temporis magna Dei opera, non in uno momento literali ac propriè dicto, ſed ſucceſſivè peragetur, ſive literaliter, ſive ſpiritualiter, ſive utroque (*z*) modo, (uti ego etiam ſentio,) ea intelligatur. Jam verò quia non ſolùm *Cœlum*, ſed pariter etiam *terra* dicitur renovanda; quæri meritò hîc poteſt: Si homo Deum timens nunquam in his terris erit liber & ſolutus à ſuis miſeriis ex primo lapſu con-

(*u*) *Vide Eph. 4. v. 22. 24.* (*v*) *Gal 4. v. 19.* (*x*) *Claſſ 2. poſt Reg. 8.* (*y*) *1. Cor. 15. v. 26*
(*z*) *Vide S. Hieron. Comm. in Iſa. 65. v. 17. & in 66. v. 22.*

tractis; ad quid quæſo *terra* renovabitur, & in quem finem (*a*) *creatura* nunc *vanitati ſubjecta* (uti eſt vel maximè ipſa terra,) *liberabitur* (ut Apoſtolus loquitur) (*b*) *à ſervitute corruptionis*? Niſi fortè dicat aliquis ineptiſſimè & abſurdiſſimè, ac directè contra mentem Divinæ promiſſionis, (ſicut aliquando in Viri inter Proteſtantes eruditione celebrati (*c*) ſcriptis legi,) *terram novam*, in qua (*d*) *juſtitia habitatura* eſſet, (ſcilicet *punitiva* ſolummodò ex dicti Authoris (*e*) mente) habitaculum fore Diaboli tantùm cum ſuis Angelis & ceteris membris impiis. Atqui Apoſtolus disertè docet, finem *liberationis* creaturæ *à ſervitute corruptionis* eſſe, τὸ inſervire *libertati gloriæ* (ſeu glorioſæ) *filiorum Dei*. Hoc enim inſinuat, dum ait eam *liberatum* iri *in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Ut nempe ipſa quoque creatura à vanitate & corruptione liberata, inſerviat libertati glorioſi ſtatûs electorum Dei. Si creatura homine inferior, propter ipſum hominem glorificandum *liberabitur à corruptione ſervitutis*; quantò magis ipſe homo glorificandus, liber debebit eſſe ab omni ſuî corruptione, in futura renovatione creaturarum, per eam *reſtitutionem*, quæ hîc aſſeritur? Et ſanè, cum nulli incolæ magis congruant *Terræ*, quàm *homines*, (Pſal. 115. juxta Hebr. ℣. 16. col. 2.) *nec in vanum creavit* Deus *terram*, ſed *ut inhabitetur*; (Iſa. 45. ℣. 18.) ſequitur omninò *Terram novam* (quà talis futura promittitur) propriam fore hominum per *Reſtitutionem* aſſertam renovandorum.

X. Sed fortè dicet quiſpiam: poſſe homines pios etiam poſt reſurrectionem univerſalem *Terram* illam *novam* (tanquam propriam unà cum *Cœlo novo*) incolere, ſeu eandem unà cum *Cœlo* poſſidere. Verùm ex hac objectione hoc tantùm ſequitur; quòd qui per Reſurrectionem ex morte propriè dicta conſummatioris tandem *Reſtitutionis*, ac per conſequens conſummatioris etiam renovationis *Cœli* & *Terræ* participes erunt, illi quoq; unà cum ceteris hujus terræ Sanctis immutandis, *Terram novam* unà cum *Cœlo*, ut propriam poſſidebunt; ſed tamen ex hoc negari nequit, quin illi Sancti, quos glorioſus Domini adventus *vivos* in Terris deprehendet, jam ante univerſalem reſurrectionem reſtitui debeant (per *Eliam* & ejus ſequaces,) in meliorem ſtatum, juxta modum in ſuperioribus explicatum. Ac per hoc antecedenter, etiam *terrâ novâ* (quoad certos renovationis ejus gradus, apparitionem Chriſti glorioſam & publicè Orbi terrarum conſpicuam præcedentes,) fruentur. Nam etſi pleniſſima & conſummatiſſima Cœli

terræq;

(*a*) *Rom.* 8. *v.* 20. (*b*) *Ibid. v.* 21. (*c*) Mares. *Loc. Comm. XVI.* §. 63. (*d*) 2. *Pet.* 3. *v.* 13. (*e*) *Verba citati Authoris ſunt:* Arbitramur hanc renovationem maximè ſpectaturam ætherea corpora, ſupra quæ eſt Terra illa viventium *&c.* Pſal. 27. v. 13.-- piorum felicitati & habitationi deſtinata; mundo interea elementari ſive TERRENO, in ſtatum ignis & ſulphuris inſtar Sodomæ & Gomorræ, ad Dæmonum & impiorum habitationem & POENAM transmutatô. *Eandem mentem habet in ſuis* Notis *in Bibl.* Gallic. *in* 2. *Pet.* 3, *v.* 13.

terræq; renovatio in ipſa univerſali reſurrectione, unà cum pleniſſima electorum Dei felicitate eſt futura; certum tamen eſt ex ipſa Scriptura ſacra: *Cœlum* & *terram* (tam myſticè quàm literaliter accepta) in aliquo certo gradu, eoque eximio & valde notabili, (quo præcedentia mala animis piorum excutiantur,) etiam ante ipſam univerſalem mortuorum reſurrectionem, & ſupremam electorum felicitatem renovatum iri: ut patet Iſa. 65. ℣. 17. *Ecce ego creo Cœlos novos & terram novam* &c. collat. cap. 66. ℣. 22. Quibus in verbis, Spiritum Domini in Iſaia proximè & immediatè illam reſpicere renovationem, quæ univerſalem reſurrectionem, & ſupremam in Cœlis beatitudinem Sanctorum anteceſſura ſit, apparet ex antecedentibus & conſequentibus ibidem verſibus ritè excuſſis. In eundem ſenſum debere etiam Apoc. cap. 21. ℣. 1. *Cœlum novum* & *terram novam* accipi; præter teſtimonium S. Hieronymi de *nova* ac *cœleſti* ejuſdem capitis *Jeruſalem* ſupra (*f*) in medium allatum, perſpicuè monſtrant ipſa ſacri textûs verba. *Primò* enim, (ut & alias (*g*) monuimus) *Jeruſalem* illa ſpiritualis, quæ cum *Cœlo novo* & *terra nova* connectitur, de *Cœlo* dicitur *deſcendere*, (℣. 2.) (*h*) ſcilicet in terram, ut rectè dici poſſit, quod ſequitur ibid. ℣. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, &c. Dicitur autem de *Cœlo deſcendere*, eò quòd tota quanta cœleſtis erit originis, & cœleſtia, hoc eſt, ſanctiſſima habebit opera; & quia cœleſtium Spirituum Sanctorum in ea præſentia & operatio in omnibus admodùm conſpicua erit. *Secundò*; quia *Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam*, ℣. 24. collat. ℣. 26. (Ubi pariter de *gentium gloria & honore* in eam inferendo fit promiſſio.) Benè nota, (ne quô pacto ſenſus verborum clariſſimorum extenuetur,) quòd non in eam, quæ hactenus inter varias preſſuras fuit & eſt, Eccleſiam. (quaſi tantùm cuilibet tempori Novi Teſt. communis pro vita æterna in Cœlis conſequenda bonorum externorum larga per Reges erogatio hîc indicaretur,) ſed *in illam*, novam nempe *Jeruſalem*, *de Cœlo deſcendentem*, h. e. ultimi temporis Eccleſiam felicem dicuntur *afferre* (ſeu inferre) *gloriam ſuam & honorem*. Quæ locutio perſpicuè oſtendit, ea quæ dicto cap. 21. Apoc. referuntur, in his terris eſſe gerenda. Nam in ſupernam & literaliter àc loco tenùs cœleſtem Eccleſiam, *Reges Terræ*, ac *Gentes* (juxta vim harum in Apocalypſi & aliis Scripturæ S. locis exſtantium phraſium) *gloriam* ſuam inferre non poſſunt. Imo nec cogitari poteſt ulla ratio eam eò inferendi.

XI. De *Terra nova* ejuſque futuris incolis, noſtram id quoque illuſtrat ſententiam, quod habetur apud S. *Methodium* (an. D. 290.) Epiſcopum Patarenſem & Martyrem, tradentem, Mundum hunc unà cum terra, etiam

(*f*) *Sub Reg. 10. b. Claſſ. cap. 5. §. 44. ſub, fin. pag. 187.* (*g*) *Sub cit. Reg. 10. & cit. §. 44.* (*h*) *Conf. ibid. v. 10, & Apoc. 3. v. 12.*

etiam poſt *conflagrationem* ejus manſurum, incolasq; habiturum. Poſtquam enim dixiſſet, Mundum quidem incendio conflagraturum, at non interiturum, ſubjicit illicò validam dicti ſui rationem: (*i*) Εἰ γὰρ κρεῖττον τὸ μὴ εἶναι τὸν κόσμον, διὰ τί τὸ χεῖρον ἡρεῖτο ποιήσας τὸν κόσμον ὁ Θεός; ἀλλ᾽ οὐδὲ ὁ Θεὸς ματαίως ἢ χεῖρω ἐποίει. H. e. *Etenim ſi Mundum non eſſe, quàm eſſe melius eſt; cur quod deterius eſt, Mundum fabricando Deus eligeret? At neq; Deus fruſtrà, vel quod deterius eſt, unquam crearet.* Et paulò poſt: (*k*) Μένει ἄρα ἡ κτίσις, &c. *Manet igitur creatura, in ſtatum meliorem decentioremq; renovata.* Item: Διὸ ἀνάγκη δὴ καὶ τὴν γῆν αὖθις, καὶ τὸν οὐρανὸν μετὰ τὴν ἐκφλόγωσιν πάντων καὶ τὸν βρασμὸν, ἔσεσθαι. *Unde & terram neceſſe eſt & Cœlum, poſt illam rerum omnium conflagrationem & aſtum, exiſtere.* Et aliquantò pòſt ſcribit: (*l*) *Ut renovati & inſtaurati ipſi,* (ἐν ἀνακαινοποιηθέντι κόσμῳ, ἄλυποι λύπης κατοικήσωμεν.) *in Mundo inſtaurato renovatoque HABITEMUS doloris expertes.*-- Ἐσομένης γὰρ καὶ μετὰ τοῦτον τὸν αἰῶνα γῆς, ἀνάγκη πᾶσα ἔσεσθαι καὶ τοὺς οἰκήσοντας. H. e. *Nam cum poſt hujus ſeculi exitum, Terra adhuc perſeveratura ſit, omninò neceſſe eſt, ut etiam ſint, QUI INHABITENT.* Nec obeſt noſtræ ſententiæ, quòd in his *Methodius*, de ſtatu, qui univerſalem ſequetur reſurrectionem, agat. Cum enim ille etiam poſt univerſalem reſurrectionem *terram novam* ſuos habituram incolas (homines nempe) dicat; nos longè magis dicere poſſumus, quòd ante eam, homines per deſcriptam *Reſtitutionem* renovandos habitura illa ſit ſuos incolas; poſtquam oſtendimus paulò ante, renovationem aliquam Mundi, ſeu *Cœli* & *Terræ*, futuram eſſe etiam ante univerſalem mortuorum reſurrectionem. Hoc enim poſterius de incolatu *Terræ*, longè faciliùs homines vulgò, de futura beatitudine Sanctorum edocti mente capere & ſibi perſvadere poſſunt, quàm illud prius à S. *Methodio* traditum. Addendum, quòd noſtra ſententia, ut Mundi renovationem, ſic medium quoque ejus peragendæ, h. e. ipſam ejus conflagrationem, non propriè momentaneam, ſed ſuo modo ſucceſſivam fore agnoſcit. Unde ultrò ſequitur, quòd, vis ignis illius admirabilis Mundi conflagrationis poſſit uno in loco operari, reſque ac perſonas innovandas innovare, (ſervatis tunc miraculosè Dei electis, inſtar (*m*) *rubi ardentis* quidem, ſed non conſumptæ, ac ſolis tantummodò peccatis eorum exuſtis,) cum adhuc alio in loco res manſerint in eodem ſtatu

(*i*) *Method. de Reſurr. pag. 290. edit. Paris. an. 1644.* (*k*) *Pag. 291.* (*l*) *Pag. 292.* (*m*) *Exod. 3. v. 2. Confer. hic S.* Auguſtin. *Enarr. in Pſal. 101. (al. 102.) v. 27. 28.* Erit incendium Mundi, non incendens Sanctos Dei. Quod fuit caminus Regis tribus pueris, hoc erit ardens Mundus juſtis in Trinitate ſignatis.

ſtatu priori. (Nec obſtat huic dicto, locus 2. Petr. 3. ℣. 7. 10. ſi quis attendat ad ea, quæ infra *(n)* de *Die judicii* dicturi ſumus.) Atque hinc de tempore ac duratione conflagrationis ſeu *ignis* illius ſic dicere poſſumus: quòd quà *ignis* ille conflationi & purgationi inſerviet electorum in terris reperiendorum, Mundique quoad ipſos jucundæ renovationi, ſic partim antecedet reſurrectionem mortuorum univerſalem, partim verò (quoad ſaltem quoſdam tardiùs ac diutiùs purgandos, & quoad pleniorem Mundi renovationem,) contemporanea erit eidem reſurrectioni; quà verò aut glorioſa lux piorum, aut pœna impiorum futura eſt, eatenùs, tum antecedet in parte aliqua reſurrectionem, tum ſequetur eam, in ſua nimirùm plenitudine. Scilicet idem ipſe *ignis*, & lucebit electis ſine omni moleſtia, quamprimùm à peccatis repurgati fuerint, eoſque ſuâ luce jucundiſſimâ ſine fine lætificabit; & uret impios horrendè, cruciabitque eos in æternum. Tunc implebitur pleniſſimè, quòd (*o*) *turbo Domini* & *furor, in capite impiorum conquieſcet*, ſeu *permanebit*.

XII. Quæ nunc diximus de *igne* illo, ex ſequentibus S. *Baſilii* magni Doctoris verbis, (qui obiit circa annum D. 381.) illuſtrantur & fulciuntur: (*p*) *Deus volens famulum ſuum* (Moſen) *reddere ſibi attentiorem illo admirabili ſpectaculo, in rubum, ignem ſplendore ſolùm agentem -- immiſit, ut & Pſaltes teſtatur:* (*q*) Vox Domini, dicendo, intercidentis flammam ignis. *Unde arcana quadam doctrina nos docet, cum pro iis, quæ in vita geſſimus, mercedes nobis reſtituentur, naturam ignis in hæc diſtributum iri: Lux ſanè juſtis IN PERENNEM & peramœnam fruitionem cedet*; *è diverſo, ſupplicio addicendis ſeorſim attribuetur vis uſtiva.* Euſtathius hæc poſtrema verba ſic vertit: *Cujus* (ignis) *lux ad illuminandos deputabitur juſtos, ardor autem ad concremandos proficiet peccatores.* S. *Ambroſius* pariter ſecutus S. *Baſilium*, ſic ſcribit: (*r*) *Ignis & illuminat, & exurit. Unde Dominus volens Moyſi oſtendere ſuæ operationis miraculum, .. in igne viſus eſt in* (*ſ*) *rubo, & rubus non exurebatur, ſed tantùm ſplendere ignis ſpecies videbatur. Alterum igitur munus ignis vacabat, alterum operabatur.* Et poſtquam dixiſſet, quòd *ignis conſumens* (quo titulô (*s*) *Deus* inſignitur) *non ſolet conſumere, niſi ſola peccata*, ſcilicet in electis; illicò ſubjicit iſta: *In retributionibus quoque meritorum, colligimus* ignem *dividi; ut alios illuminet, alios exurat. Illuminet juſtos, exurat impios: --- Illuminatio ejus inextingvibilis eſt ad perfunctionem bonorum; exuſtio vehemens ad ſupplicia peccatorum.* Hæc de quinto argumento.

(*n*) *Sub Reg. 33. b. Claſſ. cap. 10. & 11.* (*o*) *Jerem. 30. v. 23. Conf. Pſal. 11. (al. 10.) v. 6. & 2. Pet. 3. v. 7. collat. poſtr.* (*p*) *S. Baſil. Hexaëm. Divin. opificii, Homil. 6. juxt. verſion. Joan. Argyropyli.* (*q*) *Pſal. 28. (al. 29.) v. 7.* (*r*) *S. Ambr. Hexaëmer. Lib. 4. c. 3.* (*ſ*) *Exod. 3. v. 2.* (*s*) *Deut. 4. v. 24. collat. Heb. 12. v. 29.*

XIII. *Argum.* (6.) Robur addat his omnibus argumentum à valore meriti Chriſti, & amplitudine redemptionis per ipſum partæ ſumptum. Quæro enim eum, qui huic quam trado veritati, reluctaretur: *Chriſtus* aut reſtituit nobis (ſignanter fide vivâ in ipſum recumbentibus) ſuâ ad mortem uſque obedientiâ omne illud bonum, quod perdidit à nobis primus *Adam*, (quodve naturæ ex lapſu reparandæ convenit,) aut non? Hoc poſterius nemo orthodoxus dicet; cum notum ſit, vel maximè ex hac ratione Chriſtum ut *ſecundum Adamum* primo Adamo opponi, quia Chriſtus Dominus omne illud bonum virtualiter reſtituit, (ultimis (*t*) temporibus re ipsâ & actû manifeſtandum,) quod primus *Adam* perdiderat. Alioquî ſequeretur hoc falſum & abſurdum, quòd primus *Adam* plus perdidiſſet (ratione electorum,) quàm *Chriſtus* reſtituiſſet. Si verò primum dicatur, (ut omninò hoc dici debet;) jam ſic neceſſariò ſequitur, futuram eſſe in his terris *reſtitutionem omnium* bonorum in Eccleſia, etiam ante ſupremam & pleniſſimam electorum in Cœlis glorificationem. Nam Adam non ſolùm cœleſtem, ſed & terreſtrem à nobis perdidit *Paradiſum*: quem (cum omni hujus terræ nondum maledictæ felicitate ad Deum jugiter cum animi tranquillitate laudandum comparata) poſſeſſurus erat homo ut ſuum proprium, ſi non peccaſſet, etiam ante ſuam in Cœlum ſublimationem. Unde „argumentum in forma (ut loquuntur) tale eſt: Quicquid à nobis primus „perdidit *Adam*, id omne ſecundus, *Chriſtus* nempe Dominus (naturæ ex „lapſu reparandæ convenienter) reſtituit. (Reſtituit ſcilicet jam merendo, & reſtituet effectû ipſo ſuo tempore omnibus in ipſum verâ ac vivâ fide „credentibus.) Atqui primus *Adam*, non ſolùm cœleſtem, ſed & terre„ſtrem *Paradiſum* (cum ſua felicitate) à nobis perdidit; (& nos ſimul in „ipſo perdidimus.) Ergo ſecundus Adam *Chriſtus* Dominus, † utrumque reſtituit. Vel, utrumque ſuâ obedientiâ acquiſivit, ut tempore à Deo deſtinato, uterque ſuo ordine, nobis quoad corpus & animam reddatur. SS. Patrum teſtimonia huc facientia, infra ſuo loco referemus. Potuiſſem hîc & illud tangere, quòd ipſe quoque Diabolus olim variis ſuis fabulis more ſuo nugaciſſimè contextis, hanc ultimi temporis felicitatem præſagierit; verùm id facilè etiam ſine me eruditi, animadvertere poſſunt. Potioribus ergò loco talium hîc mihi inſiſtendum reor.

XIV. Scio multa hîc mentibus hominum ingeri, ob quæ inanes ſibi (primâ fronte) formare poſſunt ſcrupulos contra hanc *Reſtitutionem*. Verbi gratiâ; dicent fortè aliqui: Carnalitatem ſic reduci vel induci in Eccleſiam. At hoc quàm falſiſſimum ſit, (dum de Sanctis & Deum timentibus loqui-

(*t*) *1. Pet.* 1. *v.* 5. *col. poſt.* † *In hac* reſtitutione, *nomine terreſtris* Paradiſi, *ne corticem litera, ſed in genere, jucundum integritatis ſtatum, qualis in hac terra renovanda dari poteſt, intellige.*

Digitized by Google

loquimur,) in ſuperioribus jam (*u*) diſcere potuimus. Sed præter illa quæ jam dicta ſunt, cogitet ille qui ſic argutaret; Num *Adami* vita in terreſtri Paradiſo, (ſi in ſua permanſiſſet integritate,) carnalis & immunda fuiſſet per hoc, quòd non ſolùm ſpiritualium, ſed & corporalium bonorum affluentiam & uſum habuiſſet? Abſit hoc à mente Chriſtiana, vel cogitare. Quantò magis in eo ſtatu, quem Chriſtus ſuâ ad mortem uſque obedientiâ nobis meruit & * reſtituit, ejus fideles ſine peccato poſſunt rebus quoque corporalibus uti? Ut quis autem eò faciliùs omnem hîc animo ſuo ſcrupulum excutiat, iſtud probè teneat; quòd omnis abundantia corporalium etiam bonorum in eo ſtatu, propter ſpiritualia erit, & ſemper ibi ſpiritualia obtinebunt principatum; ita ut, à ſpiritualibus, velut ab auro ſplendidiſſimo, ipſa quoque corporalia tegenda ſint & exornanda: ſicut jam ſupra (*v*) notavimus.

XV. „Volvent fortè & illud animo: An etiam hypocritæ & Mundi „filii ac filiæ aliquo modô participes futuri ſunt illius *reſtitutionis*? Reſp. Sicut Sol, dum (ſuperatô frigore) in ſuo operatur vigore in terris, non ſolùm mites, dulces atque hortenſes fructus, ſed etiam immites, acerbos & ſylveſtres, ad congruam unicuique eorum, maturitatem cum tempore perducit; ſimiliter dum *Sol juſtitiæ* (*x*) Chriſtus, ſuâ hâc gratiâ *reſtitutionis* ſuis fidelibus exorietur & ad ſuum progredietur vigorem, tunc ejus radii quadantenùs etiam in (*y*) impios & hypocritas extendentur, tum in ſpiritualibus tum in corporalibus. Hinc fiet, quòd & ipſi gaudebunt quodam modo præclariſſimæ luci myſteriorum verbi Divini, illo tempore affulſuræ, ac oſtentabunt ſe ad tempus, quaſi & illi renunciaſſent peccatis & erroribus; imò multa etiam bona externè facturi ſunt; atq; inde, etiam à Deo bonis quibuſdam, ingenii nimirum, corporis & fortunæ (in majorem ipſorum inexcuſabilitatem) longè magis quàm unquam antea eorum in impietate prædeceſſores, cumulabuntur. (Atque ex horum numero futurus eſt etiam ſuperbus ac † *dealbato ſepulchro* ſimilis (*z*) *Lucifer* ille, ex *aurora* lucis & felicitatis ultimi temporis *oriundus*, magnus nempe ille ultimi temporis hoſtis Eccleſiæ, de quo poſt revelatam ejus iniquitatem & ejectionem è *monte Dei*, verè & apprimè dici poterit illud, quod per Ezechielem de eo prædictum eſt: (*a*) *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti; - - - perfectus* fuiſti *in viis tuis à die conditionis tuæ*, &c.) Quia verò demùm palàm prodent ſuam hypocriſim & impietatem, ideò hæc eorum qualiſcunque

partici-

(*u*) *Sub Reg. 14. b. Claſſ. cap. 6. §. 12. 13. pag. 200. 201.* * *Reſtituit nempe jam quoad jus, & reſtituet ipſo effectû ſuo tempore. Rom. 8. v. 23. ut ſupra jam §. 13. b. cap. eſt inſinuatum.* (*v*) *Cit. Reg. 14. cap. 6. §. 13.* (*x*) *Mal. 4. v. 2.* (*y*) *Conſule hic Matt. 5. v. 45. quoad myſticum ſenſum.* † *Phraſis ex Matth. 23. v. 27.* (*z*) *Iſa. 14. v. 12. Confer de hoc loco Lat. Nunc. §. 94. pag. 191.* (*a*) *Ezech. 28. v. 12. 15.*

participatio *reſtitutionis* ſecuturæ, non erit firma & ſtabilis, ſed is futurus eſt eorum finis, quem dudum S. David prædixit, Pſal. 36. (al. 37.) ℣. 35. 36. *Vidi* † *impium ſuperexaltatum & elevatum*, (vel juxt. Hebr. *fortem & vireſcentem*,) *ſicut cedros Libani*; ſeu, juxta verſionem quorundam, * *inſtar lauri viridis. Et* (*b*) *tranſivi*, *& ecce non erat: & quæſivi eum*, *& non eſt inventus.* (Additur hîc juxta textum Græcum, in Vulg. editione: *locus* † *ejus.*) Confer ibid. ℣. 38. *Injuſti diſperibunt ſimul*; *reliquiæ impiorum interibunt.* Vel, ſi placet preſſiùs ex Hebræo: *Prævaricantes diſſipabuntur pariter*; *noviſſimum impiorum ſuccidetur.* Juſti autem è contra, & Deum verè timentes, in dies in melius atque melius proficient in illo ſtatu reſtituendæ integritatis, tum quoad animam, tum quoad corpus: ac per hoc apparebit, ſolidam, plenam & radices agentem *reſtitutionem* ad eos ſolos pertinere.

XVI. „*Tertiò*; Dicet etiam fortè aliquis: Sequi ex illa ſententia, fieri „poſſe, ut homines aliqui in ipſa quoque ſenectute novas demùm acqui„rant vires, & quaſi ad floridam redeant juventutem. Ad hoc paucis reſpondeo: Omninò quicunque verbo Dei fide verâ firmiter adhæſerit, vitamque verè emendaverit, ei nihil tunc ſua ſenectus ad hanc oberit *reſtitutionem.* Et reverà cum tempus pro hac à Deo præſtitutum aderit, reperientur aliqui qui hanc à Deo promiſſam *reſtitutionem* in integrum, (nîl Deo obſtantibus morbis eorum graviſſimis & inveteratis, vitam extingvere paratis) in ipſa planè ſenectute conſequentur. Si quis de hoc, quod dico, obſtupeſcens dubitet, conſulat Pſal. 92. juxt. Hebr. ℣. 15. (*Adhuc fructificabunt* [ſeu *multiplicabuntur*] *in ſenectute, pingves & virides erunt*;) ejuſque plenam emphaſim benè expendat. Conferat etiam ea, quæ ſupra (*c*) de typo reſtitutionis *Jobi*, & de verbis *Eliu* retuli. Tunc ſanè in pleniori emphaſi implebitur illud, quod habetur Pſalm. 102. (al. 103.) ℣. 5. col. 2. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Tunc etiam illud Iſa. cap. 40. ℣. ultim. *Expectantes Dominum*, [ſeu, *Qui ſperant in Domino*,] *MUTABUNT fortitudinem*, *aſſument pennas*, *ſicut aquilæ*, &c. ſensû non Judaico, ſed orthodoxo verum eſſe monſtrabitur. Confer cum his, Iſa. 66. ℣. 14. & Pſal. 22. (al. 23.) ℣. 6. & 70. (al. 71.) ℣. 20. 21. & 90. (al. 91.) ℣. 16. & 117. (al. 118.) ℣. 18.

XVII. Nec etiam defuerunt hactenùs exempla, (præter exemplum *Jobi*,) rariora licet, quæ altiùs hanc rem conſiderantibus, velut umbræ & præludia

† *Hunc locum eruditè Cœlius* Pannonius *ad Antichriſti exitium refert*; Collectan. *in Apoc.* 11. *v.* 4. * *Ita etiam Pagninus*: ſicut laurus viridis. *At S. Hieronymus in verſione textûs Hebr. ſic*: ſicut indigenam virentem, *Hebraicum* Ezrach *propriè exprimens.* (*b*) *Hebr.* Et tranſivit; † *Confer lucis causâ cognatam phraſin, Dan.* 2, *v.* 35, *& Apoc.* 12, *v.* 8. (*c*) §. 7. *h. cap. pag.* 259. 260.

præludia futurorum eſſe debent, quantum ad futuram non paucorum ultimis temporibus in ipſa ſenectute revireſcentiam. Notum eſt eruditis exemplum *Pauli Concordienſis*, Senis illius Centenarii (an. D. 400.) ab *Hieronymo* relatum: cujus vegetam ac juvenili virore decoram ſenectutem, ita ipſe deſcribit, ut audeat dicere, *futuræ reſurrectionis vigorem* in eo *oſtenſum* eſſe. Verba ejus ſunt ad eundem *Paulum* memoratum: (*d*) *Ecce jam centenus ætatis circulus volvitur, & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens, futuræ beatitudinem vitæ, per præſentia exempla meditaris. Oculi puro lumine vigent; pedes inprimunt certa veſtigia; auditus penetrabilis; dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum & ſucci plenum: cani cum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſſentiunt: non memoria tenacitatem, ut in plerisq; cernimus, antiquior ſenecta diſſolvit; non calidi acumen ingenii frigidus ſangvis obtundit; non contractam rugis faciem arata frons exaſperat; non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem ſtylum ducit. FUTURÆ nobis RESURRECTIONIS * VIROREM in te Dominus oſtendit, ut peccati ſciamus eſſe, quòd cæteri adhuc viventes præmoriuntur in carne; juſtitiæ, quòd tu ADOLESCENTIAM in aliena ætate mentiris.* Hæc ille. Si *futuræ reſurrectionis*, cur non & ejus de qua nunc agimus, *reſtitutionis viror* ac vigor in eo, velut tenui delineamento ſit præoſtenſus? Refert etiam *Manaſſe* Ben Iſraël ex Authore quodam Chriſtiano à ſe citato, (*e*) *Senem quendam* † *Otenti plùs quàm Centenarium mutâſſe dentes, cutem, capillos & ungves; ex qua mutatione viſus fuerit multo junior, vixeritq; per totidem annos.* Sic ille. Exemplum huic valde cognatum, (ſaltem non uſquequaque diſſimile,) referemus infra (*f*) ex magni nominis *Ludovico* Vive. De *dentium* ſaltem in ætate ſenili renaſcentia, habemus exemplum apud Danielem *Sennertum*, celeberrimum ſeculi proximè præteriti Medicum, narrantem de quadam ſene & *honeſta matrona* ut ſui temporis, (h.e. anni D. circiter 1628.) quòd ea poſt amiſſionem omnium dentium, ac poſt 63tium ætatis ſuæ annum, iterùm de novo *viginti dentibus* roborata ac velut renovata fuerit. Verba ejus ſunt: (*g*) *Cum* (inquit) *toti exciderint dentes in infantia, nonnunquam & aliis ætatibus, ſeptenariis potiſſimùm annorum, novi gignuntur; ita ut quibuſdam ſeptuageſimo, octuageſimò anno, dentes renatos fuiſſe compertum ſit. Præſens enim eſt usq; ad mortem in maxillis vis πλαςικὴ, ſeu formatrix dentium, quæ ipſos producere poteſt.-- Ejus rei exemplum occurrit nuper Reichenbachii in Sileſia. Scripſit enim ad me Dn. D. Georgius Titſchardus, vivere ſibi honeſtam matronam,*

(*d*) *S. Hieron. Epiſt. 21. ad Paul. Concordien.* * *Al.* vigorem. (*e*) *Man. Ben Iſr. de Termino vitæ, p. 31. & 32. edit. Amſtel. An. 1639.* † *An* Hydruntum *Calabriæ, vulgò* Otrento *dictum, vel alium locum innuat; alter decidat,* (*f*) §. 33. *h. Cap.* (*g*) *Senn, Oper, Tom. 2, Medic. Pract. Part. 1. Lib. 2, cap. 10.*

nam, ferè ſeptuagenariam viduam; quæ ante quadriennium, poſtquam ſcilicet climactericum magnum, 63tium annum ſuperâſſet, omnibus dentibus ab ortu primo amiſſis, cœpit dolere caput & gingivas, tam atrociter, ut moritura putaretur, & præ doloris immanitate inſaniam metueret, eouſque, donec elapſis aliquot diebus, dentes perinde ut in ætate infantili fieri conſvevit, primores protruderet; ac tum dolores mitigari, meliuſque habere, & vivere cœperit. Numerati autem ſunt viginti. (Scil. *dentes* novi.) Subjicit ex Ariſtotele, Plinio, Cardano & Alexandro Benedicto, *jam olim etiam talia accidiſſe.* Non ignoro quidem, quòd talia exempla hodie à doctis Phyſicè ventilata, cuidam naturæ robuſtioris ac rarioris vigori adſcribantur; hoc tamen non obſtat, quò minùs eadem Theologicè conſiderata, motivi loco eſſe debeant, ne *Reſtitutionem* illam, quam hîc ex Scripturis adſtruo, ut abſurdam vel impoſſibilem reputemus, aut quod majus, contemnamus.

XVIII. Obſervavi etiam me legiſſe apud *Kerckringium* * Medicum & Anatomicum ex doctis recentioribus, (non enim eſt nunc mihi Author ad manum,) ut rem experimento notam ex *Fortunio Liceto* conſignatam, exemplum cujuſdam *vetulæ* in *juvenculam* transformatæ. Cum verò textum horum de hoc exemplo hîc exſcribere nequeam, accipe Lector Obſervationem Joan. *Schenckii* (Med. Doctoris) de *Anu rejuveneſcente* ex *Valeſco* de Tharanta ſumptam. (*h*) *Dignum eſt*, (inquit Valeſcus,) *quòd illa quæ in Medicina rarò accidunt, in voluminibus ſcribantur.-- In quodam Monaſterio, in loco qui dicitur Monuerus, fuit quædam Prioriſſa, cui per multum tempus propter ſenectutem defecerunt menſtrua, & tempeſtivè venerunt in vertice cani, & omnes ferè excidêre molares; uberum vero † parvum aut nullum apparebat veſtigium, & rugæ in facie profundiſſimæ apparebant. Factum eſt itaque, ut quicquid de capillis & pilis oriebatur, totum nigrum pullulabat, & exibant dentes & molares, ſicut mos eſt in infantibus fieri: ſic etiam oriebantur menſtrua, ac ut in juvenculis abundanter fluebant: mamillæ verò velut in Virginibus elevatæ fuerunt, montuoſæ; rugæ evanuerunt, & facies pulchra, in tantùm, quòd illa honeſta & religioſa Monialis Prioriſſa verecundabatur: & vixit per multum tempus in religioſa vita, & hoc fuit quaſi myſterium rarò contingens.* Hæc ibi.

XIX. Exemplis recenſitis meritò & ad ſcopum congruenter accenſere poſſum etiam Ludovici *Cornari*, celebris Nobilis (ortû Veneti, Patriâ Padvani) poſt priores ſuos morbos ad florentiſſimam ſanitatem tranſitum, ac in ejus fruitione vitam longævam. Hic ipſe narrat de ſe ipſo, (*i*) quomodo ipſe priùs partim *per intemperantiam*, partim per *pravitatem* ſui *temperamenti* (quòd *ſtomachum* haberet *frigidiſſimum & humidiſſimum*,) *inciderat in*

varios

* *In Spicilegio* Anatomico. (*h*) *Schenck. Obſerv. Medicinal. Lib.* 4. *pag.* 616. *ed. Francof. an.* 1609. † *In text.* parum. (*i*) *De vita Sobr. commodis, edit. Antverp. An.* 1613. *pag.* 78.

varios morbos, nempe in dolorem ſtomachi, lateris, initiaq; podagræ, cum febricula ferè continua, nec aliud jam niſi *mors* ei *expectanda* fuerat, duraveritque hæc ſuper ipſo afflictio, *ab anno triceſimo quinto usq; ad quadrageſimum ætatis* ſuæ; at demùm remediô *temperantiæ*, eam conſecutus eſt valetudinem & vitam, ut anno etiam 83tio ſuæ ætatis iſta dicere potuerit: (*k*) *Quidam ſenſibus dediti, & parùm rationi obſequentes objiciunt, non eſſe optandam longam vitam, eò quòd poſt ſexageſimum quintum ætatis annum, non „poſſit dici vita viva, ſed vita mortua. Verùm hi errant graviter, ut nunc oſtendam ex me ipſo, narrando mea oblectamenta, & voluptates, quas in hac mea ætate* 83. *annorum capio; quæ tales ſunt, ut paſſim me homines FELICEM judicent. Proſperâ utor continuò valetudine, & ita ſum agilis, ut ex plano facilè equum conſcendam, & altos gradus, & colles ſublimes pedibus ſubeam. Deinde, ſemper ſum alacris, jucundus & benè contentus, LIBER ab animi turbelis, & omni moleſtâ cogitatione; quorum loco GAUDIUM & PAX in corde meo ſuam fixêre ſtationem. Non me tædet vitæ, quam ego magnâ meâ voluptate tranſigo. Sæpè offertur occaſio colloquendi cum viris præſtantibus*, &c. *Cum talium deeſt copia, trado me lectioni alicujus libri eruditi, & poſtea ſcriptioni, id in omnibus inquirens, quò poſſim juvare alios, quantum vires meæ permittunt.* Et infra: (*l*) *Omnes mihi ſenſus perfectè vigent.* Item: † *Sed & ex hoc, quomodo corpore & animo ſim diſpoſitus, cognoſci queat, quòd hâc ætate, nempe annorum* 83. *compoſuerim lepidiſſimam comœdiam, plenam honeſtis jocis & verborum ſalibus: quod genus poëmatis ſolet eſſe partus juventutis.* Et aliquantò poſt: *Ex quibus* (inquit) *perſpicuum eſt, vitam, quam ego vivo in hac ætate, non eſſe vitam mortuam, triſtem, moroſam; ſed vividam, lætam, jucundam. Neque, ſi mihi optio detur, velim mutare ætatem, & corporis mei ſtatum, cum juvenili eorum, qui ſectantur ſuos appetitus, etſi optimi ſint temperamenti, & naturæ robuſtiſſimæ.* Hæc ille: qui vixit adhuc 95to (*m*) ſuæ ætatis anno, quô certum etiam quendam ſcripſit *Tractatum*. Quando verò ſit mortuus, nondum mihi conſtat. Iſtud & ſimile exemplum, juſtam dat nobis occaſionem piê meditandi de eo, & nobis id perſvadendi, quàm ſit facilè Deo, (imò ejus bonitati ac miſericordiæ congruentiſſimum) reſtituere eos, etiam in provecta ipſorum ætate, in floridam ſanitatem mentis & corporis, adeoq; in ipſam primævam integritatem, qui temperantiæ ſe ſe addixerint, atque interea in ipſa vita temperata, jugiter ſe ſe in operibus pietatis exercuerint. Quòd hactenùs, etiam temperantiſſimos & inſigniter Sanctos commune fatum mortis (excepto *Enocho* & *Elia*) hinc eripuerit; præter id, quòd certum à Deo tempus communi regno mortis poſt primum peccatum in genere

(*k*) *Lib. cit. pag.* 97. (*l*) *Pag.* 99. † *Pag.* 100. (*m*) *Sic editor citati Opuſculi ejus* (*ſcil.* Leſsius,) *in ſuis Notis ad pag. cit. Op.* 106.

genere humano, atque etiam in electis, eſt præſtitutum, Mundi peccata regnantia meruerunt, ne tales Sancti hîc diutiùs viverent. At verò ubi aderit tempus miſericordiæ plenioris, & *reſtitutionis* illius de qua hîc agimus, tunc Mundi peccata dictam *reſtitutionem* nequaquam prohibebunt.

XX. „*Quartò*, dubium de hoc etiam poteſt aliquis movere: Quo„modò, vel ſine reſolutione corporis per mortem, poſſunt aliqui in fine „hujus ſeculi, *reſtitutionem* in primævam conſequi integritatem, cum morti „omnes ſubjaceamus? Vel, quomodo iidem, in fruitione bonorum *re*„*ſtitutionis* anticipabunut ceteros Sanctos, qui jam ante ipſos in Domino „obdormierunt? aut potiùs, quomodò illi ſoli ſine aliis Sanctis hactenùs „deſcriptam *reſtitutionem* conſequentur? Reſp. Ad primum dico; Qui ſic objectat, is debet ante omnia intentiſſimè mentem ſuam defigere in illud Apoſtoli, quô docet, indubitatò aliquos (*n*) *vivos* repertum iri in reſurrectione univerſali, & glorioſâ Chriſti ad Orbem terrarum manifeſtatione. Qua de re, majoris in verba S. Apoſtoli causâ lucis, conſule S. *Auguſtinum* piè & ſobriè diſſerentem, in ſua quadam Epiſtola, primùm non ita pridem per Pariſienſes *Benedictinos* edita, ubi hæc leguntur: (*o*) *Reverà quantum ad verba beati Apoſtoli* (1. Theſſ. 4. ✠. 16.) *per net; videtur aſſerere, quoſdam in fine ſeculi advenïente Domino, cum futura eſt reſurrectio mortuorum, NON ESSE MORITUROS, ſed VIVOS repertos, in illam immortalitatem, quæ Sanctis etiam cæteris datur, repente mutandos, & ſimul cum illis rapiendos, ſicut dicit, in nubibus. Nec alïud mihi viſum eſt, quoties de his verbis volui cogitare.* Hanc eandem ſuam refert ſententiam etiam alibi, dum ſic ſcribit: (*p*) *Si autem in his verbis Apoſtoli,* (quæ nimirùm habentur locô citato, 1. Theſſ. 4. ✠. 14. 15. 16.) *nullus alius ſenſus poterit reperiri, & hoc eum intelligi voluiſſe claruerit, quod videntur IPSA VERBA CLAMARE, id eſt, quòd futuri ſunt in fine ſeculi, & „SECUNDO ADVENTU Domini, qui* (*r*) *NON EXPOLIENTUR „corpore, ſed ſuperinduantur immortalitate, ut abſorbeatur mortale à vita; huic ſententiæ procul dubio conveniet, quòd in Regula Fidei confitemur, ven„turum Dominum judicaturum VIVOS & mortuos; ut non hîc intelligamus VIVOS; juſtos, mortuos autem, injuſtos, quamvis judicandi ſint & juſti & injuſti; ſed VIVOS, quos nondum exiiſſe, mortuos autem, quos jam exiiſſe de corporibus adventus ejus inveniet.*

XXI. Non ignoro quidem S. *Auguſtinum*, in allegatis quoque locis (ad *Mercat.* & ad *Dulcit.*) non penitus ſuam fixiſſe mentem in memorata ex ipſo

(*n*) *1. Theſſ. 4. v. 14. 16. (al. 15. 17.) & 1. Cor. 15. v. 51. 52. collat. Iſa. 25. v. 8.* (*o*) *Epiſt. 193. ad* Mercatorem, *in edit. nova Paris. ann. 1679. Tom. 2.* (*p*) *In Reſponſione ad 3tiam* Dulcitii *Quæſt. Tom. 4.* (*r*) *Eſt ſumpta hæc phraſis, ex 2. Cor. 5. v. 4. Hunc locum aliquatenùs tangit S.* Auguſtin. *etiam in* Enarrat. *in Pſal. 68. v. 2.*

ex ipſo ſententia de *vivis* in adventu Domini futuris, imò alibi contrariam ei opinionem expreſſiſſe; videlicet, memoratos *vivos*, in *raptu*, (*ſ*) quô in occurſum Domini *rapientur*, *de mortalibus corporibus exituros*, (h. e. paululùm morituros,) *& ad eadem mox immortalia redituros.* Verùm cum nullibi ſupra allatam ſuam ſententiam damnaverit, quin potiùs in ipſis quoque *Retractationum* ſuarum Libris, (*s*) *locum* ſibi *diligentiori de hac re inquiſitioni ſervaverit*; nemo nobis vitio vertere poterit, quòd nos quoque poſt laborioſam hujus rei inquiſitionem, eam hîc pro nobis ex ipſo poſuimus ſententiam, quam eodem teſte, *ipſa verba* Apoſtoli *clamare videntur.* Quàm enim ſint perſpicua verba S. *Apoſtoli* pro illa quam tueor ſententia, ipſe nos doceat, ſic (in perſona futurorum in adventu Domini ſanctorum *vivorum*) ſcribens: (*t*) *Nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.* Et mox: (*u*) *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis* (cum reſuſcitandis) *in nubibus obviam Chriſto.* &c. Quàm diſertè hîc *vivos* à mortuis (h. e. etiam morituris) diſtingvat, eruditus quiſq; judicet. Alibi etiam hanc inſinuat diſtinctionem, dum ait: (*v*) *Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Indicatur in his, futuram aliquam *immutationem* quorundam, quæ non eſt propriè dicta ex morte ordinaria corporis *reſurrectio* dicenda. Quòd autem paulò ante verba nunc citata, juxta Vulgatam hodiernam, atque etiam veterum quorundam lectionem, ſic dicitur: (*x*) *Omnes quidem reſurgemus*; (cujus loco, aliqui veterum habent: (*y*) πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, h. e. *Omnes quidem dormiemus*, planè contrario modo, quàm lectiones quædam *dormitionem* hanc omnium cum negativa particula [οὐ, *non*,] exprimentes habent;) ad hoc paulò poſt (*z*) patebit reſponſio. Nunc ſententiam hactenùs aſſertam ampliùs etiam fulciamus.

XXII. S. *Hieronymus* in Epiſtola ad *Minerium* & *Alexandrum*, (*a*) licet diverſas de memorato Apoſtoli ad Theſſalonicenſes loco afferat ſententias, inter quas videtur ipſe primùm indifferenter incedere; at verò demùm, non ſolùm ex aliorum ſed etiam ex propria mente ea tradit, quæ noſtræ adſtipulantur ſententiæ. *Magna* (inquit) *diverſitas eſt eorum, qui poſt vulnera ſunt ſanati, & eorum qui nunquam viderunt mortis terrorem.* „*De his puto dictum*: (*b*) Quis eſt homo, qui vivat & non videat mortem? „redimet de morte animam ſuam? *Neq; enim, ut quidam putant.* quis, *pro eo quod eſt*, nullus, *accipitur*; *ſed quaſi dixerit*, quis putas, *juxta illud*

(*ſ*) *Lib. 20. de Civ. Dei, cap. 20.* (*s*) *Auguſt. Retract. Lib. 2. c. 33.* (*t*) *1. Theſſ. 4. v. 14. (al. 15.)* (*u*) *Ibid. v. 16. (al. 17.)* (*v*) *1. Cor. 15. v. 52.* (*x* *v. 51. loc. cit.* (*y*) *Vide S. Cyrill. Alexand. Lib. 6. in Joan. pag. 645. edit. Par. an. 1638. Et confer S. Hieron. Epiſt. 152.* (*z*) *§. 28. h. cap.* (*a*) *Epiſt. 152.* (*b*) *Pſal. 88. (al. 89.), v. 49.*

„*quod ſcriptum eſt:* (*e*) Quis ſapiens, & intelliget hæc? *Et in alio loco:* (*d*) „Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo? *Et iterum:* (*e*) Quis cognovit „ſenſum Domini? *Reſidui ergò ERUNT de credentibus PAUCI, qui adventum Domini videant, ſecundùm id quod Deus Verbum eſt, non in vilitate carnis, ſed in gloria triumphantis.* Et mox paulò pòſt ibidem locum Apoſtoli tam variæ lectionis (primæ ad Corinth.) ſupra memoratum, juxta communem hodiernam editionem Græcam citat in ſuum ſcopum his verbis: *Et poſt paululum:* (inquit,) † *Non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur.*

XXIII. Verum quidem eſt, quòd S. *Hieronymus* in allegatis ſuis verbis, ac etiam illis, quæ iiſdem proximè antè & pòſt ſunt connexa, ut per *mortuos*, (quos ſupra expreſsè nominat) illos fideles intelligit, qui adhuc in ſpirituali peccatorum ſuorum morte jacent & dormiunt, (ſupponens hoc, quòd & electi, etiam poſt initium converſionis ſuæ, nonnunquam morte peccatorum ſuorum velut obruti jacent,) ſic per *vivos* in adventu Domini *reſiduos*, eos indicat, qui ſpirituali & ſancta vitâ verè *victuri* ſunt, nec permittent peccatum ſuper ſe dominari, eòque ſe inſtar mortuorum obrui, ſed erecto capite vigilabunt ad Domini ſui adventum. At verò hoc non obſtat, quò minùs ejus verba rectè in noſtrum ſcopum aſſumi queant. Manifeſtè enim ſupponit *vivos* iſtos, non extra corpus, (ut animæ ſeparatæ vivunt,) ſed in ipſo corpore victuros ſoli Deo, atque ſic viſuros *Domini adventum.* Alioquî fruſtra dixiſſet, hos tantùm *paucos viſuros* ejus *adventum* glorioſum: cum etiam *mortui* illi electi, quos juxta Apoſtoli verba diſtingvit à *vivis*, poſtquam è morte ſua evigilabunt, viſuri ſint eundem adventum. Sed hoc vult inculcare, quòd pauci illi *vivi*, de quibus diximus, habituri ſunt præ aliis hoc privilegium, quòd non guſtatâ morte propriè dictâ corporis, (hoc eſt, ſeparatione animæ à corpore,) viſuri ſunt Dominum oculis corporeis in adventû ſuo glorioſo. Alii autem, non niſi poſt guſtatam mortem, & reditum à morte. Ut verò occaſione ſententiæ *Hieronymi* pleniùs pateat, quos nomine *vivorum* in adventu Domini *reſiduorum* Apoſtolus intelligat; dicimus breviter juxta noſtram quandam *Regulam* (*f*) in ſuperioribus poſitam, eum, vel potiùs Spiritum S. in eo loquentem, *vivos* hîc utroque ſenſû *vivos* intelligere: ſcilicet, primariò & principaliter, ſpirituali ac verè ſanctâ vitâ fulſuros, at ſecundariò, eoſdem, vitâ etiam corporis Spiritui penitùs ſubjugandâ victuros. Magnitudo enim rei de qua in ſerie phraſeos illius loquitur Apoſtolus, id requirit, ut in ejuſdem verbis, (de iiſdem ſubjectis acceptis,) potiorem reſpectum vitæ ſpiritualis quàm corporalis habeamus, hanc etiam minimè negantes. XXIV. Sed

(*c*) *Oſe.* 14. *v.* 10 (*d*) *Pſal.* 14. (*al.* 15.) *v.* 1. (*e*) *Rom.* 11. *v.* 34. † *Ita citat hunc locum pro ſe, etiam Comm. in Iſa.* 51. *v.* 6. (*f*) *Reg.* 2. *huj. Claſſ.* 2*da*, *Cap.* 1. §. 17, *collat. ibid.* §. 24.

XXIV. Sed clariorem jam & ab ambiguitate expeditiorem ejuſdem S. *Hieronymi* textum de *vivis* toties memoratis in medium afferamus. Sic autem ille ad *Marcellam* ſcribit: (g) *Tertiò, interrogaveras, quòd dicit Apoſtolus, in adventu Domini Salvatoris, rapi quoſdam* (h) *viventes obviam in nubibus, ita ut non præveniantur ab iis qui in Chriſto dormierunt; viſque* „*noſſe, utrum ſic occurrant IN CORPORIBUS, ut non antè moriantur,* „*cum & Dominus noſter mortuus ſit, & Enoch atq; Elias ſecundùm Apoca-* „*lypſim Joannis morituri eſſe dicantur; ne ſcilicet ullus ſit, qui non guſtaverit mortem?* (Reſp.) *Hoc ex ipſius loci continentia ſciri poteſt, quòd Sancti, qui in adventu Salvatoris fuerint deprehenſi in corpore, in IISDEM CORPORIBUS occurrant ei; ita tamen, ut inglorium & corruptivum, & mortale, gloriâ & incorruptione, & immortalitate MUTETUR; ut qualia corpora mortuorum ſurrectura ſint, in talem ſubſtantiam etiam VIVORUM* „*corpora transformentur. Unde dicit in alio loco Apoſtolus:* (i) Propter quod „nolumus exſpoliari, ſed SUPERVESTIRI, ut abſorbeatur mortale hoc à vita; *NE ſcilicet CORPUS AB ANIMA DESERATUR, ſed animâ habitante in corpore, fiat inclytum, quod antè inglorium fuit. De Enoch autem & Elia, quos venturos Apocalypſis refert, & eſſe morituros, non eſt iſtius temporis diſputatio; cum omnis ille Liber aut SPIRITUALITER intelligendus ſit, ut nos exiſtimamus; aut ſi carnalem* (h. e. literalem) *interpretationem ſequimur, Judaicis fabulis acquieſcendum ſit, ut rursùm ædificetur Hieruſalem, & hoſtiæ offerantur in Templo, & ſpirituali cultû immutatô, carnales obtineant cærimoniæ.* Hoc nimirùm in his inſinuat, quòd quemadmodum *Hieruſalem* Judaica cum ſuis hoſtiis literalibus ceteriſq; ritibus ædificanda, nequaquam à Chriſtiano homine expectari debet, cum hoc ſit *Judaicum* ac fabuloſum; ſic pariter inconveniens eſt, ut quis in tanta luce doctrinæ Chriſtianæ, *duos Teſtes* juxta Apocalypſin (k) interficiendos, literaliter de propriò dictis *Enocho* & *Elia* intelligat, cum totus ille Liber *ſpiritualem* requirat ſenſum; ac per hoc *Enoch* quoq; & *Elias* myſticè & ſpiritualiter ſunt intelligendi. (Qua de re videat Lector ſupra *Regulam ſeptimam* hujus Secundæ Claſſis.) Unde ſequitur, quòd ex loco Apocalyptico de dictis *duobus Teſtibus* interficiendis, (quaſi à majori ad minus argumentando.) nequaquam inferri poteſt, quòd prorsùs omnes & ſinguli homines propriè dictâ morte corporis mori deberent. Hæc eſt mens S. *Hieronymi* in allegata ejus reſponſione, ad objectionem à ſecutura morte *duorum Teſtium* petitam, facta.

XXV. Dum verò videmus hîc appoſitiſſimè ad ſcopum allegari à S. *Hieronymo* verba illa S. Pauli, (l) *Nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri*;

 placet

(g) *Epiſt. 148.* (h) *1. Theſſ. 4. v. penult.* (i) *2. Cor. 5. v. 4.* (k) *Apoc. 11. v. 8.* (l) *2. Cor. 5. v. 4.*

placet uberioris in hoc argumento lucis cauſâ *Tertulliani* etiam eruditam in eundem locum interpretationem menti *Hieronymi* conſonam hîc ſubne-„ctere. Sic autem ille, (*m*) præmiſsô locô Apoſtoli, (*n*) *Nam & in hoc* „*gemimus, domicilium noſtrum, quod de Cœlo eſt, ſuperindui deſiderantes, ſi-*„*quidem exuti, non nudi inveniamur,* ſic inquam, ſcribit: *Id eſt, antè volumus ſuperinduere virtutem cœleſtem æternitatis, quàm carne exuamur. Hujus enim gratiæ privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichriſti, merebuntur compendio mortis per demutationem EXPUNCTÆ concurrere cum reſurgen-*„*tibus, ſicut Theſſalonicenſibus ſcribit:* (*o*) *Hoc enim dicimus, vobis* &c. usq; ad, *ſemper cum Domino erimus. Horum* (inquit) *demutationem ad Corin-*„*thios reddit dicens:* (*p*) Omnes quidem reſurgemus, non autem omnes demutabimur.-- *Sed illi ſcilicet ſoli, qui invenientur in carne.-- Nam cum* „*adjicit:* (*q*) *Oportet enim corruptivum iſtud induere incorruptelam, &* „*mortale iſtud induere immortalitatem: Hoc erit illud* domicilium *de Cœlo, quod gementes in hac carne ſuperinduere deſideramus, utiq; ſuper carnem in qua deprehendemur.-- Quis enim non deſiderabit dum IN CARNE eſt, induere immortalitatem & CONTINUARE VITAM, lucrifactâ morte per vicariam demutationem*? Si cui placet, conferat de *vivis* in adventu Domini inveniendis, Sanctum etiam (*r*) *Athanaſium*, (vel alium inter ejus opera eruditum citati hîc in margine operis authorem,) & Authorem *Quæſtionum* ac *Reſponſionum* (*ſ*) ad Orthodoxos, ſub nomine S. *Juſtini* Martyris, nec non (*s*) S. *Chryſoſtomum.* Ante hos autem omnes, inſignis & verè Chriſtianus Philoſophus (circa an. D. 160.) *Athenagoras* Athenienſis, absq; ulla hæſitatione, tanquam à proximis Apoſtolis & Apoſtolicis viris acceptæ doctrinæ meminit, (*t*) τῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον περιόντων ἐπὶ πρὸς τὸ κρεῖττον μεταβολῆς. *eorum, qui ad illud tempus* (reſurrectionis ſcilicet) *SUPERSTITES erunt, futura in melius IMMUTATIONIS:* quam diſertè diſtingvit ibidem à propriè dicta *reſurrectione.*

XXVI. Hæc pro *primo* membro reſponſionis noſtræ ad *quarti* Dubii *primum* membrum factæ, ſufficiant. Cum itaque clarum ſit ex hactenus dictis, *vivos* aliquos futuros, nec propriè dictam mortem corporis omnes experturos in adventu Domini; non eſt jam, quòd quiſpiam ſcrupuloſè putet, non poſſe ullos ſine reſolutione corporis per mortem fieri ſolita, ſeu, ſine animæ à corpore ſeparatione conſequi *reſtitutionem* in primævam integritatem.

XXVII. At

(*m*) *Tertullian. de Reſurrect. Carnis, cap.* 41. & 42. (*n*) 2. *Cor.* 5. *v.* 2. 3. (*o*) 1. *Theſſ.* 4. *v.* 14. 15. 16. (*p*) 1. *Cor.* 15. *v.* 51. (*q*) *Ibid. v.* 53. (*r*) *In Dict. & Interpr. Parab. in S. Script. qu.* 117. (*ſ*) *Quæſt.* 109. (*s*) *In* 1. *ad Cor. cap.* 15. *v.* 51. (*t*) *Athenag. de* Reſurrect. mortuor. *pag.* (*mihi*) 58.

XXVII. At *ſecundò*, ad idem primum membrum Dubii *quarto* loco „propoſiti, de modalitate reſtitutionis illius, quomodo nempe ſine reſo„lutione ſeu diſſolutione corporis per mortem, poſſint aliqui in fine hujus „ſeculi conſequi *reſtitutionem* toties memoratam & deſcriptam, propiùs reſpondeo & dico: Nemo mortalium ſolidam futuræ *reſtitutionis* felicitatem aliter conſequetur, niſi priùs horrendas hujus vitæ miſerias & adverſitates, (in atrociſſimis morbis, & aliis malis internis & externis conſiſtentes,) morti corporis, non ſolùm æquales, ſed eâ longè graviores & accerbiores, in exercitio fidei & ſpei ſuſtineat, tranſeat, exantlet ac ſuperet. Quo in exercitio, fieri poterit, quòd ipſi Sancti, mutationem morti quodam modo ſimilem, qualem S. *Joannes*, (*u*) vel (*v*) *Daniel* in ſuo raptu ſuſtinuerunt, ſubeant & patiantur in ipſo exitu ac fine ſuarum corporis & animæ calamitatum; ut ſic tantò evidentiùs pateat, in ipſis jam priorem naturam corruptam, variiſque modis miſeràm & peccato obnoxiam (quà talem,) penitùs emortuam eſſe, ac per hoc, ipſos à corpore peccati & mortis liberatos. Sic ergo etiam hi primùm *morientur* quodam modô, & ſepelientur acerbiſſimis corporis & animæ calamitatibus, (imò valdè probabiliter, ut proximè dictum, etiam in exitu earundem, morti ſimile quid ſuſtinebunt) antequam deſideratiſſimâ hujus *reſtitutionis* aurâ vivificentur & reſuſcitentur ex ſuis illis varii generis calamitatibus, ad beatam corporis & animæ integritatem & tranquillitatem. Conſule & expende hîc loca, Mal. 3. ℣. 2. 3. Pſal. 65. (a. 66.) ℣. 10. 11. 12. Deut. 32. ℣. 39. Iſa. 26. ℣. 16. 17. 18. 19. Hæc dum audiunt veri fideles, non terreri, ſed conſolatione impleri debent; cum ſciant è verbo Divino, horrenda Mundo, & in eo nobis quoq; ob peccata, quibus iram Dei ſummopere provocavimus, imminere (his ultimis temporibus) mala, imò jam ex parte incumbere; at neque hoc ignorent, quòd Deus ſuos ex illis malis mirabiliter velut ex incendio, (ſeu ex totidem mortibus) erepturus eſt, & gaudio ineffabili etiam in his terris atque in hac vita in meliorem reformanda eoſdem repleturus.

XXVIII. Ex his jam patet reſponſio ad vulgatam illam (etiam *Tertulliano* † notam) lectionem ſupra memoratam: (*x*) *Omnes quidem reſurgemus*, vel aliam ei cognatam: *Omnes quidem dormiemus*; imò & ad locum illum: (*y*) *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Juxta noſtram enim ſententiam ſtat benè illa lectio gemina, & ſtat etiam alter locus Apoſtoli poſtremò allatus: cum ex morte longè atrociori (ut jam dictum) reſurrecturi ſint illi Sancti, (ſensû in Scripturis ſacris fundato,) quos dicimus ante publicam Domini è cœlis manifeſtationem in ſtatum integritatis eſſe reſtituendos, quàm

 alii,

(*u*) *Apoc. 1. v. 17.* (*v*) *Dan. 10. v. 8. 9.* † *Vid. §. 25. b. cap.* (*x*) *1. Cor. 15. v. 51.* (*y*) *Heb. 9. v. 27.*

alii, (qui ſimiles non experiuntur, vel non ſunt experti mortes,) ex literali ac propriè dicta corporis morte reſuſcitandi. Nec etiam minoris eſt momenti opus illud dictæ *reſtitutionis* ad hoc, ut (ſensû Scripturæ) *reſurrectio* è morte dici poſſit, quàm ipſa è literali corporis diſſoluti morte reſurrectio. Imò quantò major eſt morte literali corporis, ipſa (dirarum ac diuturnarum adverſitatum) mors, è qua dicti Sancti *reſtituentur*, tantò etiam ſublimiori ſensû (quàm alia literalis,) reſurrectio eſt dicenda eorum *reſtitutio*. In iſtis Sanctis implebitur plenè (juxta principalem Spiritûs S. ſcopum) myſterium loci illius *Oſea* Prophetæ: (z) *Vivificabit nos poſt duos dies*; (ſcilicet myſticè intellectos;) *in die tertia SUSCITABIT nos, & vivemus in conſpectu ejus.* [Porrò, alia etiam lectio, pariter antiqua, in Epiſtola citata S. Pauli, ſcilicet: (a) *Non omnes quidem dormiemus*, (uti habetur etiam in antiquiſſimo Codice Græc. MS. *Vaticano*, N. 1209. negativè, πάντες ȣ &c.) quomodo ſalvari poſſit, de literali corporis morte intellecta; eruditis ex hactenùs dictis, non eſt obſcurum. Unde etiam *immutatio* Sanctorum, ℣. 51. (b) juxta eandem lectionem ſensû latiori, quatenus etiam *reſurrectionem* è morte literali corporis in ſe includit, debet intelligi; at ℣. 52. ſensû ſtrictiori & ſpeciali, quà ab illa diſtingvitur.]

XXIX. Cum autem ex tanta morte eripiendi, & in meliorem vitam immutandi ſint illi, qui *reſtituentur*; (ut ſuperiora (c) docent;) hinc ultrò patet, quàm rectè hæc eorum *reſtitutio* dici etiam poſſit (ac debeat) *immutatio*: ſic tamen, ut, ne quis hîc occaſione loci 1. Cor. 15. ℣. 52. impingat, *prima* & *ſecunda* Sanctorum in adventu Domini vivorum *immutatio* futura, juxta Scripturas benè noſcenda, & hæ ab invicem ſint diſtingvendæ. *Prima* illa futura eſt, quâ ex præſenti ſtatu miſerrimo (ex tot morbis nempe & aliis calamitatibus) in integritatem vitæ in his terris ſanctè (abſque omni macula) & feliciter ducendæ *reſtituentur* & transformabuntur; de qua *reſtitutione* hoc capite ſpecialiter tractamus, & quam ab hoc etiam titulo *immutationis*, ſtatim illuſtrabimus. *Secunda* erit illa, per quam Sancti poſt longum ſeculorum in dicta integritate decurſum, & poſt univerſalem mortuorum reſurrectionem, ex priori vita mediantibus alimentis ſuſtentata, (ſeu ſuſtentanda) prorsùs in cœleſtem, ſupernam & Angelicam vitam mutabuntur; de qua loquitur S. *Paulus* in perſonis tunc in vita reperiendorum, his verbis: (d) *Et nos immutabimur.* Atque hæc ſecunda priori longè adhuc ſublimior *immutatio*, reſpondet illi *immutationi*, quam homo, ſi non peccaſſet, expertus dèmùm fuiſſet in ſuî aſſumptione è terreſtri Paradiſo, ad cœleſtem & ſupernam beatitudinem: qua-

de re

(z) *Oſe. 6. v. 3.* (a) *1. Cor. 15. v. 51.* (b) *Scil.* Omnes autem immutabimur. (c) §. 27. & 28. *h. cap.* (d) *1. Cor. 15. v. 52.*

de re ſupra (e) *Toſtati* verba audivimus. De *priori* autem illa prophetat *Iſaias* (ſi non tantùm latior, ſed ſpecialis ac reſtrictior verborum ejus ſenſus ſpectetur,) in citato jam antea * loco, dum ait: (*f*) *Expectantes Dominum*, (ſeu *Qui ſperant in Domino*,) *MUTABUNT fortitudinem*, *aſſument pennas*, *ſicut aquilæ*. &c. Hanc etiam *primam* Sanctorum *immutationem* futuram, præfiguravit S. *Job* jucundâ illâ ſuî *immutatione*, quâ ex miſerrimo, & morbi crudelitate afflictiſſimo, factus eſt benè ſanus, & quidem in duplo prioris ſuæ ſanitatis vigore, reſtitutis ei aliis etiam bonis in duplo, quæ perdiderat. De hac diximus jam ſupra ſub nomine *reſtitutionis* ejus; & de eadem dixit ipſemet (quantum ad proximum & typicum ſenſum) verba illa: (*g*) *Expecto*, *donec veniat IMMUTATIO mea.* Taliter *immutandis*, dum erecto capite expectant ſuî reſtitutionem & *immutationem* nunc dictam, conveniunt rectiſſimè etiam Pſalmi illi quatuor, quibus in Græca, & ex ea, in Latina vulgata verſione, (ex phraſi Hebræa, על ששנים. *Al Soſannim*, propriè *ſuper Liliis*, ſignificante) hujuſmodi titulus (cum aliis annexis verbis) eſt præfixus: *Pro his*, *qui IMMUTABUNTUR*, ſeu, *commutabuntur.* Sunt autem illi Pſalmi, 44tus, (aliàs, 45.) 59nus, (al. 60.) 68vus, (al. 69.) & 79nus; (al. 80mus.) De verſione illa phraſeos memoratæ, ſic vir quidam in Hebraicis eruditus & multùm exercitatus ſcribit: (*h*) *LXX.* (Interp. habent) ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, „(H. e. pro iis, qui immutabuntur,) *quaſi eſſet*, שישנו († She-jeshûnu.) *Non longè* (inquit) *abeunt veteres Hebræi*, *quùm ajunt*, *reſpici hîc ad petitionem Pſalmi* 44. *ut veniat* redemptio; *atq; innui*, *tum venturam*, *quando facti fuerint ut* lilia, *quæ SURSUM patent*, *ut SURSUM HABEANT patula CORDA ad Deum & ipſius gratiam.* Hæc vel ſaltem ideò à nobis in medium producenda erant, ut per ea LXX. Int. verſio antiquiſſima, & inde Latina, in dicta phraſi illuſtretur, teneaturq; à nobis, eam antiquiſſimæ traditionis & interpretationis Hebraicæ è Scripturis erutæ niti fundamento: ſicque *Lilia* ſenſû myſtico, (de quibus vide Cant. 2. ℣. 16. & 4. ℣. 5. & 5. ℣. 13. & 6. ℣. 1. 2. & 7. ℣. 2.) & Sanctos *immutandos*, (quoad principalem Spiritûs S. ſcopum) eſſe eadem ſubjecta. Hæc pro ſecunda parte reſponſionis datæ ad *primum* quarti dubii membrum dicta ſufficiant.

XXX. Ad *alterum* ejuſdem dubii membrum bipertitum, quod ſic ſe „habet: Quomodo iidem Sancti in fruitione bonorum *reſtitutionis* antici„pabunt ceteros Sanctos, qui jam ante ipſos in Domino obdormierunt? „aut potiùs, quomodo illi ſoli ſine aliis Sanctis, hactenùs deſcriptam *re„ſtitutionem* conſequentur? ad hoc inquam reſpondeo & dico: (1.) Sanctos illos in Domino defunctos, loco *reſtitutionis* vivorum in terris futuræ, longè

(*e*) *§. 6. h. cap. p.* 259.* *§. 16. h. cap. p.* 268. (*f*) *Iſa. 40. v. ult.* (*g*) *Job. 14. v. 14. col. ult.*
(*h*) *Cocc. in Pſal. 45. v. 1.* † *H. e.* qui mutabuntur.

longè meliori ſtatû quoad animam frui jam in Cœlis cum Chriſto, quàm illa ante univerſalem reſurrectionem futura eſt (præſertim in ſuo principio) *reſtitutio.* Et hæc quidem, valde bona futura eſt in ſuo genere, (utpote, in rei veritate reſponſura typico Adami ſtatui, juxta capacitatem naturæ reparandæ;) ſed tamen ſuperna in Cælis beatitudo, adhuc eâ, gradû melior & excellentior eſt. Deinde (2.) dico: quòd & illi unà cum aliis Sanctis corpore non exuendis, aderunt *in Spiritu & virtute* in futura illa in terris *reſtitutione*, & per hoc quodam modo ejuſdem participes erunt; eô modô, quô *Elias* præſens fuit in terris tempore corporalis Domini Salvatoris inter mortales præſentiæ, quatenùs *in* (*i*) *Spiritu & virtute* aderat in *Joanne* Baptiſta; unde etiam hic à Domino (*k*) *Elias* dictus fuit. Addo, (3tiò,) quòd in ipſa reſurrectione univerſali, ipſi quoque Sancti cœlites in corpore & anima (modô ſtatui ſuo congruenti) guſtabunt † in his terris quoque in pleniori & conſummatiori gradu *reſtitutionem* illam, antequam cum aliis Sanctis in occurſum Domini rapiantur. Quòd autem Sancti in vita deprehendendi anticipabunt in memorata toties *reſtitutione* alios Sanctos, priùſque eam quàm hi experientur; per hoc, eô planè modô nihil prorsùs derogabitur liberrimæ, ſanctiſſimæ & ſapientiſſimæ Dei de ſuis providentiæ, quô olim nihil eidem ex hoc eſt derogatum, quòd poſteriores viderunt, priores autem fideles in Vet. Teſt. non viderunt oculis ſuis corporeis dies nati *Meſſiæ*, ejuſque cum hominibus in terra converſantis præſentiam: tantoque minùs hîc derogabitur, quòd jam Sancti cœlites (ut eſt dictum) dudum quoad animam beatitudine perfruuntur, & per hoc largam futuræ aliorum felicitatis recompenſationem anticipatè habent. Atque hæc de *quarto* dubio.

XXXI. Oritur *quintò*, fortè etiam talis quibuſdam ſcrupulus: An „omnes illi & ſinguli, qui hanc *reſtitutionem* ante univerſalem reſurrecti„onem conſequentur, mortem corporis propriè dictam penitùs evitabunt? Reſp. Cum *reſtitutio* non ſimul & ſemel, ſed gradatim & ſucceſſivè in Eccleſia ejuſque membris ſit peragenda; certum eſt, quòd ab ejus in quibuſdam inchoatione, multi etiam verè fidelium mortem corporis guſtabunt, antequam in pleniori ſuo vigore *reſtitutio* illa procedat. Ad hoc verò accedet, quòd dum in dies creſcet (varias inter tentationes) bonum illius *reſtitutionis*, multi etiam ex ſalvandis, vel addubitatione de Dei promiſſis, (ut olim *Iſraëlitæ* in deſerto,) vel aliâ offensâ, cauſam Deo dabunt, ut eos * *in interitum* quidem & damnum *carnis* ad tempus, ſed in ſalutem *ſpiritûs*,

(*i*) *Luc.* 1. *v.* 17. (*k*) *Matt.* 11. *v.* 14. & 17. *v.* 12. † *Expende hic ea, ſi placet, quæ* Theophilus *Antiochenus habet de veteri* Paradiſo, & *hominis in eum futura* (*ſed myſticè intelligenda*) *reſtitutione. Lib.* 2. *ad Autol. pag.* (*mihi*) 103. *ſupra jam ex parte relata*; *Claſſ.* 1. *cap.* 1. §. 9. *pag.* 28. * *Vide hanc phraſin* 1. *Cor.* 5. *v.* 5.

ſpiritûs, exſcindat è medio viventium, in exemplum aliorum, ut vivi terreantur, ne ſimiliter in Deum peccent. Interim, ſicut omnia amara & adverſa tunc in dies magis & magis ceſſabunt & exulabunt ab electis; ſic & ipſa mors nequaquam erit piis illo tempore tam acerba, tam dira & dolorifica, ut antea; (tametſi non penitùs omnis doloris & amaroris expers;) ſed comparatè ad præcedentem ſtatum, futura eſt illis, tanquam fructûs alicujus jam maturi, (aut ſaltem non penitùs immaturi, & omphaci ſimilis) ex arbore decerptio. Scilicet, benè pleni & ſaturi dierum, decerpentur tales ex hac vita. Tandem verò, quò magis appropinquabit ſuæ illa perfectioni *reſtitutio*, eò plures futuri ſunt electi, qui prorsùs effugient mortem corporis propriè dictam, (datâ eis in hunc finem à Deo, fide admirandâ, fortiſſimâ & planè ſingulari;) ut juxta S. Pauli doctrinam, *vivi* in glorioſo Domini ad mortuos reſuſcitandos adventu, inveniantur. Atque de his in pleno verborum ſensû, quoad utramq; mortem, (temporalem corporis, & æternam totius perſonæ, vulgò hominibus notam) implebitur illud: (*l*) *Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.* Item: (*m*) *Omnis qui VIVIT, & credit in me, NON MORIETUR in æternum.*

XXXII. Si cui ex Pſalmo 89. (al. 90.) ℣. 10. & Job. 14. ℣. 1. (al. 2.) *Homo natus muliere, brevì vivens tempore*, &c. vel ſimili ex loco, contra futuram illorum ſaltem vitæ longitudinem, qui mortem in progreſſu quorundam plenæ *reſtitutionis*, non penitùs effugient, dubium oriatur; is ſciat, illam vitæ noſtræ brevitatem, quam Sancti adeò deflent, longè poſt Adami, imò poſt Abrahami, Iſaaci & Jacobi tempora (tempore ſcilicet Moſis,) ob incrementa peccatorum nobis eſſe impoſitam: quod ex Scripturis eruditè & eleganter more ſuo S. *Hieronymus* annotavit his verbis: (*n*) *Humanæ vitæ brevitas, damnatio delictorum eſt; & in ipſo ſæpè lucis exordio mors ſecuta naſcentem, labentia quotidie in vitium ſæcula profitetur. Nam cum primum Paradiſi colonum, viperinis nexibus præpeditum,* (*o*) *coluber deduxiſſet ad terras, æternitas mortalitate mutata, in nongentos* (*p*) *& eo ampliùs annos, ſecundâ quodam modò immortalitate, maledicti hominis diſtulerat elogium; exinde paulatim recrudeſcente peccato, totius* (*q*) *orbis naufragium gigantum adduxit impietas: poſt illud, ut ita dixerim, purgati baptiſma Mundi, in breve tempus hominum vita contracta eſt: hoc quoq; ſpatium ſceleribus noſtris ſemper contra Divina pugnantibus, penè perdidimus: Quotus enim quiſque aut centenariam tranſgreditur ætatem, aut non ad eam ſic pervenit, ut perveniſſe pœniteat? Secundùm quod in Libro Pſalmorum Scriptura teſtatur:* ,,(*r*) *Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni, ſi autem octoginta, quicquid reliquum* ,,*eſt, labor & dolor.* Hæc ille. Quando ergo Deus populi ſui miſerebitur, &

(*l*) *Joan.* 8. *v.* 52. (*m*) *Joan.* 8. *v.* 26. (*n*) *Epiſt.* 21. *ad Paul Concord.* (*o*) *Gen.* 3. *v.* 1. *& ſequ.* (*p*) *Gen.* 5. *v.* 5. 8. 11. 20. 27. (*q*) *Gen.* 6. *&* 7. (*r*) *Pſal.* 89. (*al.* 90.) *v.* 10.

virus peccati (juxta Jerem. 50. ℣. 20.) incipiet amovere, tunc pariter in iis qui Deo adhærebunt, ceſſabit gradatim & in dies executio dictæ ſententiæ abbreviatæ hominum vitæ; ita ut, quantò qui magis Deo adhærebunt, tantò minùs iſta ſententia locum in illis ſit habitura: donec † tandem ſic obliteretur, ut in iis qui plenâ fide Deo adhæſerint, mors corporis propriè dicta nunquam animam à corpore ſit ſeparatura, impleaturque pleniſſimô ſensû in iiſdem illud Iſaiæ: *Præcipitabit* (ſeu *abolebit*) *mortem in ſempiternum:* cap. 25. ℣. 8. collat. Apoc. 21. ℣. 4. Quod verò attinet ipſam fidelium quorundam haud ſine dilatæ guſtu mortis corporalis futurorum longævitatem; ne de illa dubitemus, ipſa quoque exempla longævitatis quorundam poſt abbreviatam hominum vitam paſſim exſtantia animô noſtro piè volvamus, & inde concludamus non eſſe abſonum & incredibile, ut Deus ex eo tempore, quo *reſtitutionem* in ſuperioribus deſcriptam inchoabit, vitam ſuorum fidelium etiam moriturorum, ad multa tempora ſit protracturus.

XXXIII. Taceo hîc non pauca veterum profana & exotica exempla, quæ habentur apud *Plinium* (*ſ*) & alios: multò magis taceo & conſultò prætereo incertam quorundam (*s*) de *Joanne* illo 361. annorum, Caroli, ut volunt, Magni armigero, *de Temporibus* dicto narrationem; recentiora tantùm, & quæ nobis dubia ac incerta eſſe non poſſunt, eaque pauca (revocatis interim Lectori in memoriam iis quoque, quæ jam ſupra † præprimis ex S. *Hieronymo*, ſunt relata) hîc in medium producam. Unum eorum eſt apud virum doctiſſimum, ac in ſequenti narratione ſua haud ſuſpectum, Ludovicum *Vivem*, ſic de *Sene* quodam Hiſpano ſcribentem: (*t*) *Fuit memoriâ Patrum, Vicus penè centum domorum in Hiſpania, cujus omnes incolæ erant à Sene quodam, qui adhuc vivebat, progeniti; ita ut propinquitatis nomen jam deeſſet, quô à minimis natû vocaretur. Lingva enim noſtra ſupra abavum non aſcendit.* Alterum exſtat apud celeberrimum Medicum nuperum, Thomam Bartholinum, de quodam Sene Dano, (Proteſtanticæ Religionis,) qui non paucis annis poſt centeſimum ætatis ſuæ annum,

† *Huc faciunt illa S.* Juſtini *verba:* ὁ θάνατος ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτοῦ τοῦ χριστοῦ παρουσίᾳ ἀπὸ τῶν πιστευόντων αὐτῷ καὶ εὐαρέστως ζώντων, παύσηται τέλεον. *H. e.* Mors in ſecundo ipſius Chriſti adventu, ab iis qui ei credunt, & ad placitum ejus vivunt, CESSABIT penitùs. *Dial. cum Tryphon. pag.* (*mihi*) 264. (*ſ*) *Plin. Hiſt. Lib. 7. cap.* 48. *&* *ex eo S.* Auguſtinus *Lib. 15. de Civ. Dei, cap. 9. Ubi refert ex illo, de iis, qui in quadam* gente, (*ſcil. Epirorum*) ducentos annos vivunt. *Vide etiam* Guidon. *Bituricens. in Volum. Exempl. Virtut. & Vitior. pag. 1110. & 1111. edit. Baſil. an. 1555.* (*s*) *Bucholcer. in Indic. Chronol. ad an. 1139. ex Mart. Polon. Naucler. & aliis.* † *§. 17. 18 & 19. h. cap. p. 269. 270.* (*t*) *Lud. Viv. Comm. in S. Aug. Lib. 15. de Civ. Dei, cap. 8. ſub fin,* *Obiit autem Ludov.* Vives, *an. D. 1543.*

num, ductâ uxore, tres ex ea ſuſcepit liberos. Sic autem habetur apud eum hæc hiſtoria, ex proprio filii Senis illius *teſtimonio* relata: (u) *Jani Andreæ teſtimonium de ætate Parentis ſui, ſcriptum Arhuſii* 13. *April.* 1646.
„† *Quandoquidem Michaël Joannis Hafnienſis apud viros honeſtos narravit,*
„*quòd fuerit quidam,-- nomine* Andreas Chriſtiani, *qui habitavit & mortu-*
„*us eſt in prædio Skomſtrup, avus paternus uxoris Michaëlis Joannis, & mul-*
„*tis bona fidei hominibus notum fecit, quòd cum eſſet annorum centum, teſtis*
„*eſſet in Baptiſmo puellæ in Templo Malingenſi, nempe filia Jani Gulies in*
„*Staarup, quæ vocata eſt* Johanna *Jani filia, eademque puella, Jani filia,*
„*ILLI pro UXORE EST copulata,* (ſcilicet in nubili ſua ætate,) *ex qua*
„*ſuſceperat tres liberos, nempe filium, & filias duas; quarum prima* Bodilda
„*Andreæ, habitavit in* Hôret, *uxor Jani Weſten, jam defuncti cum illa;*
„*altera* Ingera *Andreæ, conjunx Petri Paulini, adhuc cum marito ſuperſtes,*
„*tertius* Janus *Andreæ,* (is nempe, qui narrationem *Michaëlis Joannis* hôc
„ſuo teſtimoniô confirmat,) *Civis & incola Arhuſienſis. Cumq́ moreretur*
„*Andreas Chriſtiani, annos habuit centum & viginti ſeptem.* Subjicit atteſtator: *Id quod ego* Janus Andreæ *poſtremus liberorum, ſanctâ fide teſtor. Actum* (inquit) *Arhuſii,* 13. *April.* 1646. Hæc ibi. Si tanta his longævitas, & quidem ævo peccatis inquinatiſſimô, conceſſa eſt; quantò magis de fidelibus & Sanctis ultimi temporis, ſine ulla impoſſibilitatis vel incredibilitatis imaginatione, admittere debemus, illos (Deo donante ipſis vitam benedictam) longævos in terris futuros eſſe? Conſule & excute benè Iſa. 65. ℣. 22. 23. Deut. 4. ℣. 40. & 11. ℣. 8. 9. 21. & Pſal. 33. (al. 34.) ℣. * 13. 14. 15. & 90. (al 91.) ℣. 16. & 91. (al. 92.) ℣. 15. & 127. (al. 128.) ℣. 5. 6.

XXXIV. Et reverà ipſum quoque *Scientiæ* augmentum, ultimis temporibus juxta Danielem (v) futurum, requirit ordinariè longitudinem vitæ in hominibus. Ita enim futura eſt tunc extraordinaria quædam menſura donorum in credentibus, ut nec ipſi ordinarii labores ac ordinaria media conſequendi ſcientiam, excludantur, ſed potiùs majori perfectione decorentur.

(u) *Bartholin. Act. Medic. edit. Hafnien. an. 1677. Volum. 4. pag. 36.* † *Ita in edition. memorata.* * *Memorabilis eſt locus ille Pſalmi (34.) in noſtrum ſcopum, in quo & media conſequendæ* vitæ *illius longæ &* bonæ, *quæ demùm in æternitatem ſummè beatam ac cæleſtem definet, ſuggeruntur; inter quæ, ultimo loco,* pacis *ſancta in populo Dei promovendæ ſtudium laborioſum & perſeverans ponitur.* Quis (*inquit*) eſt homo, qui vult VITAM: *qui* diligit dies bonos? (*Seu, juxt. Hebr.* diligit dies, ut videat bonum: *collat. Pſal.* 106. *v.* 5 *juxt. Hebr.*) (*Reſp.*) Prohibe lingvam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diverte (*ſeu* declina) à malo, & fac bonum: INQUIRE PACEM, & perſequere eam. *H. e. conſtanter ſequere, urge & propugna eandem usq́ ad effectûs conſecutionem.* Vita *autem hoc in loco, eodem modo pro vera* vita, *umbratica & miſeræ huic oppoſita accipitur, quô ſæpè alibi quoq́ in Scriptura S. & proximè Pſalm. 20. (al. 21.) v. 5.* Vitam petiit à te, *&c.* (v). *Dan. 12. v. 4.*

rentur. Unde id, quod eruditiſſimus Alphonſus *Toſtatus*, Abulenſis (an. D.1436.) Epiſcopus, pro *ſeptima* cauſa neceſſitatis longævæ vitæ primorum Parentum adduxit, hîc quoque locum habet: *(x) Ut* nempe *homines per diuturnam vitam, multas experientias haberent, per quas principia* † *ſcientiis & artibus darent: quia tempus bonus inventor & cooperator horum eſt, & per tempora, artium additamenta facta ſunt, ut ait Philoſophus.* Subjicit: *Maximè hoc neceſſarium erat ad Aſtrologiam: quia quædam ſunt, quæ requirunt magnorum temporum experientiam; quia motus illi ſerò complentur: vel quia quædam ſunt, quæ raro accidunt; de quibus experimentalis cognitio requirebatur.* &c. Applica hoc jam intelligendis profundiſſimis myſteriis in Scriptura S. adhuc latentibus, & conſidera, (à minori ad majus argumentando,) quantum temporis ad ea omnia dextrè & plenè intelligenda requiratur? Obiter autem hîc ſubnecto & indico: Vitæ aliquam longitudinem communicandam fore à Deo etiam impiis ultimo tempore in majorem eorum inexcuſabilitatem: ſcilicet, radii futuræ *reſtitutionis*, in eos quoque hac in parte quodam modo extendentur; ut jam ſupra (*y*) monuimus. At verò, quia hâc ſuâ longævitate non utentur ad verum & ſummum *bonum* conſequendum, ſed ad ſuas cupiditates explendas; ideò fruſtranea ipſis ea erit, *etiamſi duobus millibus annis* tunc *victuri* eſſent, juxta Eccleſiaſtæ cap.6. ℣. 6.

XXXV. Hæc de futura hominum, inprimis Sanctorum longævitate, vel ideò quoque ſeriò hîc inculcanda erant, ut ſuperventuris hinc etiam de futura *Reſtitutione* detur documentum. Ut videlicet, dum experturi ſunt, vitam hominum notabiliter longiorem eſſe, quàm proximè præteritis fuit temporibus, illudque in Sanctis impleri, quod (& alibi (*z*) à nobis relatum) juxta Scripturam ſacram à S. *Gregorio* M. prædictum eſt his verbis: (*a*) *Cum eorum VITA DIFFERTUR, ſemper ad melius fortitudo producitur, eisq́, PER AUGMENTUM TEMPORUM, creſcunt etiam lucra meritorum*; tunc ſciant, præ foribus eſſe, imò adeſſe inchoativè tempus, quô Sancti in *vivis* in adventum Domini relinquendi, in primævam *reſtituantur* perfectionem & integritatem, naturæ (ut ſubinde inſinuatum) ex lapſu reparandæ convenientem.

XXXVI. Dubium autem illud nimis curioſorum, eruditis indignum, „de *nuditate* Adami, (An nempe juxta illam, Sancti etiam aliquando in „terris, ad literam *nudi* ambulare debeant?) illis tantùm relinquo, ut ſe

in hoc

(x) Toſtat. in Gen. cap.5. fol.33. fac. 2. Lit. g. Tom. 1. † *Hoc dictum ultimo tempori ſic adapta: Ut nempe principia inventarum artium & ſcientiarum, adhuc meliùs reformentur, ipſaque artes & ſcientiæ perfectiores reddantur; nondum autem inventa, inveniantur.* (*y*) *§. 15. h. cap. p. 267.* (*z*) *Sub Regul. 10. h. Claſſ. cap. 5. §. 36. p. 180. 181.* (*a*) *Moral. in Job. Lib. 35. cap. 10. (al. 16.)*

in hoc macerent, qui etiam in craſſioribus dictis nolunt diligenter myſterium ſpirituale quærere, ſed amant ſolummodò circa corticem literæ hærere; imò inde, ridiculas non rarò & illotas, per nefandum luſum, conſequentias, in Dei contumeliam nectere.

XXXVII. Porro, ſi quis horum, quæ hîc trado, occaſione, ſollicitus ſit apud ſe, quid de *prima* illa (Apoc. 20. ℣. 4. 5. 6.) Sanctorum (inprimis Martyrum) *Reſurrectione* ſentiam; ſciat, hinc quidem meo judicio, non exiguam illi materiæ affulgere lucem; verùm tam ardua, & tam altæ conſiderationis quæſtio illa mihi videtur, ut quamvis jam antehàc cœperim aliquid de ea concipere & ſcribere, attamen ulteriùs adhuc mihi eam neceſſariò inveſtigandam & ruminandam eſſe duxi, ſententiamque differendam, antequam certi aliquid de pleniore loci illius ſenſu aliis dicere poſſim. Hoc ſaltem moneo, ne quiſpiam craſſam hîc *Chiliaſtarum* de me præconcipiat ſententiam. Is enim hoc in paſſu multùm falleretur. Qui interim avidiſſimus eſt lucis alicujus hoc in argumento abſque nota craſſi *Chiliaſmi* hauriendæ, is conſulat erudita *Collectanea* pii ac verè Religioſi viri, Cœlii *Pannonii* in Apocalypſin, & ſignatè in dictum cap. 20. Qui ſtatim in principio ſuæ in illud caput expoſitionis ſic ſcribit: † *De communi pace etiam externa, iterùm dicturus*, (ſcil. Joannes,) *qua futura eſt in tota Eccleſia ſub omni Cœlo, POST INTERITUM Antichriſti; turbatorem pacis Eccleſiæ & Evangelii Chriſti, Satanam dicit eſſe religandum.* &c. Et aliquantò infra: *Regnabunt ergo & vivent SPIRITUALITER, qui Chriſti causâ ſemet-ipſos abnegârint, & Beſtiæ ſpiritum ac deceptionem depulerint.*

XXXVIII. Poſtquam *Reſtitutionem omnium* in Eccleſia (phraſi Scripturæ S. acceptam & jam explicatam) in terris futuram, validis argumentis in ſuperioribus adſtruximus, atque etiam ad dubia in contrarium objecta fusè reſpondimus; reſtat ut eandem doctrinam, ac per conſequens ipſam *Regulam* 32do loco à nobis poſitam, teſtimoniis etiam SS. *Patrum* illuſtremus & fulciamus.

XXXIX. Omitto in hac materia ſanctos & antiquiores illos *Patres*, qui ob explicationem Regni *millenarii*, poſſent eſſe ſuſpecti; ſed ex illis tantùm teſtimonia huic doctrinæ faventia in mediùm afferam, qui nullâ ejuſmodi ſuſpicione ſunt notati. Primô loco ponam hîc S. *Ambroſium*: qui explicans myſterium quinque millium, *quinque panibus*, & quatuor millium *ſeptem panibus* ſatiatorum, ita procedit, ut fundamentum ſternat huic noſtræ ſententiæ, eique lucem afferat. Verba ejus ſunt: (*b*) *Non otioſus numerus, non otioſus ordo, non otioſa reliquia manducantium. Cur enim plures, id*

† Pag. 416. edit, Tyrnav, (*b*) S, *Ambr*, *Comment*, *in Luc.* 9, ℣, 16.

Digitized by Google

res, id eſt quinque millia (c) quinque panibus, hoc eſt, numero minori ſatiantur; pauciores verò, qui ſunt (d) quatuor millia, ſeptem panibus, hoc eſt, numero redundantiori paſcuntur? Si enim facti tantùm ſequamur miraculum, videtur eſſe divinius, quòd de minori numero pluribus abundavit.- Quaramus ergò myſterium, quod miraculo praſtet. Itaq; videntur illa quinque millia, quaſi quinq; corporis * ſenſus, adhuc corporalibus proxima alimenta accepiſſe de Chriſto; quatuor verò millia, etſi adhuc in corpore ſint, & in Mundo, qui ex quatuor conſtat elementis, non otiosè tamen referuntur, myſtica eſcam accepiſſe QUIETIS. Jam enim æquantur Mundo, ſupra Mundum futuri. Nam etſi in hoc Mundo ſunt, intra Mundum tamen non ſunt, quibus MYSTICÆ QUIETIS impartitur alimentum. Sex enim diebus Mundus ,,eſt factus; (e) ſeptimo requietum eſt die, & Dominus ſanctificavit eum. Ul- ,,tra Mundum ergò QUIES; ultra Mundum etiam fructus quietis. Denique, (f) Beati pacifici; ipſi enim filii Dei vocabuntur. Nam cum Deus ſupra Mundum ſit; nemo utiq; poteſt Deum videre, niſi Mundum priùs ſpirituali tranſcendat obtutû. SEPTIMA itaq; BENEDICTIO PACATORUM, ſeptem (g) etiam illis quatuor millibus fragmentorum ſporta ſuperſunt. Non mediocris hic PANIS EST SABBATORUM, panis ſanctificatus, PANIS QUIETIS. Et fortaſſe ſi primùm quinque panes ſenſibiliter manducaveris, audebo & dicam, poſt quinq; panes, & ſeptem; tertiò jam in terra non manducabis panem, ſed ſupra terram manducabis † octo panes, ſicut qui ſunt in cœleſtibus. Sicut enim SEPTEM panes, PANES QUIETIS; ita octo panes*, panes ſunt Reſurrectionis. Ergò iſti qui (h) ſeptem aluntur panibus, triduò perſiterunt; fortaſſe integram Reſurrectionis futura fidem & conſtantiam conſecuti. Denique, Sanctorum vox ,,eſt: (i) Tribus diebus ambulabimus,* ut epulemur Domino Deo noſtro. De quinq; verò panibus, Sanctus Joannes (k) docuit me quod neſciebam, quod non docuerat Sanctus Mattheus, non docuerat S. Lucas, (ſingulis enim diverſa impartita eſt gratia,) docuit inquam, me, quinq; iſtos panes hordeaceos fuiſſe. Et ideò non ineptè dicimus eſcam iſtam eſſe habilem corporalibus. Cur enim primò hordeaceos? Quia primò (l) lacte, deinde eſcâ eſt nu- ,,triendus, qui accedit ad fidem. Nondum enim poteramus, & fortaſſe pleriq; ,,nec adhuc poſſumus. (m) Nam cum ſint inter nos contentiones & diſſenſio- ,,nes, nonne carnales ſumus, & ſecundùm hominem ambulamus? Suis quæq; apta-

(c) Matt. 14. v. 15.--21. collat. Luc. 9. v. 14. 16. & Marc. 6. v. 41. (d) Matt. 15. v. 32. --38. & Marc 8. v. 1.--9. * Metonymicè fideles imperfectiores intelligit; qui plus quinque ſenſibus corporis, quàm Spiritui ſunt adhuc addicti. (e) Gen. 2. v. 2. (f) Matt. 5. v 9. (g) Matt 15. v. 37. † De hac phraſi lucem accipe ex Eccl. 11. v. 2. (h) Matt. 15. v. 32. (i) Exod. 5. v. 3. * Nota hic myſterium futuri juxta S. Ambroſium. (k) Joan. 6. v. 9. (l) 1. Cor. 3. v. 2. (m) Ibid. v. 3.

Digitized by Google

apta ſunt alimenta virtutibus; & ideò PRIUS HORDEUM, DEINDE TRITICUM nobis ad alimoniam datur. Fortiori verò, ſicut Eliæ, de interioribus frumentis (n) Panis farinaceus miniſtratur: quia Vatem non queunt contaminare, ſed paſcere peccatores. Nec ſolùm panis & numeri, ſed etiam* accubitûs eſt differentia.- Supra fœnum quinq; millia, ſupra terram quatuor millia. Plus eſt terram premere, quàm ſupra fœnum jacere. Illi enim quibus adhuc ſenſus ſunt corporales, mollioribus delectantur, & ideò ſuprà fœnum recumbunt. Omnis etiam (o) caro fœnum. Iſti verò ſupra terram, quæ triticum & vinum gignit & oleum, CIBUM GRATIÆ conſequuntur. Illi diſcumbunt; † iſti recumbunt. Major enim eſt quædam requies recumbentis. Ibi duo piſces; hîc ſine numero.. Non piget ergò æſtimare, quòd quatuor millia ex QUATUOR MUNDI PARTIBUS collecta, quibus Eccleſia figuratur, MAJORIS GRATIÆ cibum ſumant, juxta quod ſcriptum eſt: „(p) Quia venient ab Oriente, & Occidente, & Septentrione & Auſtro, & „recumbent cum Abraham, & Iſaac & Jacob in Regno Cœlorum. Unde hîc gratiæ Patri aguntur à Chriſto. Non enim fruſtra illic benedictio tantùm, hîc etiam gratiarum eſt actio. Pro Eccleſia quippe ſua Dominus Patri gra„tias agere conſvevit: quia quæ (q) abſcondit à ſapientibus, ea parvulis re„velavit. Benedictio igitur ſuper nos, qui inferiores ſumus; gratiarum actio ſuper eos, qui DE INFIRMITATIBUS corporum ſuorum, SANATIS PASSIONIBUS TRIUMPHARUNT. Et ſtatim ſubjicit, fundatioris Eccleſiæ populum hîc per quatuor mille figurari. Hæc de quiete futura Sabbati, ſeu diei ſeptimi myſtici, quam immediatè ſequitur reſurrectio corporum, quaſi octavi diei myſtici opus, item, de triumpho fidelium ſuper ſanatis ſuis infirmitatibus ac paſſionibus, & in ſumma, de perfectiori ſtatu Eccleſiæ ultimi temporis, tàm elaborato & arcanis pleno ſtylo à S. Ambroſio dicta, talia ſunt, quæ ad juſtum & plenum ſui implementum, neceſſariò eam quam hîc tueor, requirunt Reſtitutionem.

XL. S. Hieronymus cum explicaret verſum illum Iſaiæ de ultimo tempo„re ſonantem, & noſtro ſcopo maximè congruum: (r) Ecce ego creo cælos „novos, & terram novam; & alium ibidem ſequentem: Ecce ego creo Jeruſalem &c. ſic ſcribit: (ſ) Non dixit, alios Cælos, & aliam Terram videbimus, ſed veteres & antiquos in melius commutatos. Poſſumus & hoc (inquit) dicere, quòd converſi ab idololatria, & priſtino errore deſerto, novos Cælos, & novam Terram videant; nequaquam arbitrantes elementa Deos, & ea,

(n) 3. (al. 1.) Reg 17. v. 12.13.15. *Al. accubitionis. (o) Iſa. 40. v. 6. † Videtur S. Ambros. ſumſiſſe hanc diſtinctionem ex qualicunq; diverſitate Græcorum verborum, ἀνακλιθῆναι & ἀναπεσεῖν, juxt. Matt. 14. v. 19. collat. Marc. 6. v. 39. & Matt. 15. v. 35. collat. Marc. 8. v. 6. (p) Matt. 8. v. 11. collat. cum Luc. 13. v. 28. 29. (q) Matt. 11. v. 25. (r) S. Hieron. Comm. in Iſa. 65. v. 17. (ſ) Ibid. v. 18.

& ea, quæ naſcuntur ex terra. Et paulò poſt, verbis quaſi Dei, ejuſdem verba exponens: *Gaudere, inquit, & exultare debetis lætitiâ SEMPITERNA, in creatione novorum Cœlorum, & Terræ novæ, & priorum PENITUS NON MEMINISSE; NE quæ vobis recordationis antiquæ oriatur TRISTITIA. Quia non ſolùm Cœlos novos, & Terram novam, ſed Hieruſalem quoq; creabo in exultatione, & populum ejus in gaudio: haud dubium, quin † univerſæ terræ; ut quæ vetus uni genti gaudium erat, nova cunctis Nationibus lætitia ſit. In tantum autem exultatio erit omnium, atq; lætitia, ſuper Urbe & populo Dei, ut ego quoq; Conditor ejus, exultem & gaudeam ſuper Hieruſalem & ſuper Populo meo, qui comedet & bibet, & LÆTABITUR & EXULTABIT in ea, & qui in nomine novo fuerit appellatus.* Hac certè talia ſunt, (ad ſcopum planè Spiritûs S.) ut impoſſibile ſit ea juxta plenam verborum emphaſim in Eccleſia hujus vitæ impleri, niſi illa, quam hîc trado, *Reſtitutio omnium* futura admittatur, hoc eſt, niſi per eandem priores & præſentes fidelium varii generis miſeriæ & dolores aboleantur, & ſempiternâ oblivione ſepeliantur. Si cui iſta non ſatisfaciant; en audiat etiam plura ſimilia ex eodem S. *Hieronymo.* „Sic ille, ad verba Iſaiæ (cap. 65. ℣. 25.) *Serpenti pulvis panis ejus erit*, ſcribit: (s) *Serpens, qui obſervabat hominis calcaneum, & cujus ab homine obſervabatur caput, nequaquam aliorum nutrietur interitû, ſed terram, ſive pulverem, quaſi panem comedet. Aut certè ſic intelligendum, quòd DIABOLUS, qui priùs hominum mortibus paſcebatur, EOS TANTUM COMEDAT, qui PULVIS ac TERRA ſunt. Per quæ omnia demonſtratur, MALORUM IN BONUM COMMUTATIO. Qui noxii erant, antiquâ feritate depoſitâ, non foris, ſed in Monte ſancto Domini erunt, hoc eſt, IN ECCLESIA, & in confeſſione ejus Montis, à quo* (t) *vulneratus eſt Princeps Tyri, & qui exciſus de Monte* (u) *ſine manibus, crevit in Montem magnum, & implevit Orbem.* Confer hîc etiam ea, quæ jam ſupra (v) ex ejus in Iſa. 60. verbis retulimus.

XLI. Idem S. *Hieronymus*, adhuc expreſſiùs hanc nobis pandit ſententiam, dum *aquas* apud Zachariam *vivas*, jugiter ex Urbe Hieruſalem profluentes, de ultimo tempore explicat myſticè hunc in modnm: (x) *Cum vitales aquæ utrumq; Mare fuerint ingreſſæ, & amaras aquas, dulci flumine mitigârint, tunc erit Dominus Rex ſuper omnem terram. Aqua quæ egreditur de Hieruſalem, hoc eſt, de Eccleſia, doctrinam indicat Salvatoris.* „(y) De Sion *enim* egreditur Lex, & verbum Domini de Hieruſalem; „*juxta illud, quod alibi ſcriptum eſt:* (z) Repleta ſunt omnia ſcientiâ Domini,

† *Juxta Pſal. 47. (al. 48.) v. 3.* (s) *Comm. in Iſa. 65. v. ult.* (t) *Ezech. 28. v. 16. juxt. LXX.* (u) *Dan. 2. v. 34. 35.* (v) *Ad Regul. 9. b. Claſſ. Cap. 5. §. 12. & ad Regul. 10. §. 31.* (x) *Hieron. Comm. in Zach. 14. v. 8. 9.* (y) *Iſa. 2. v. 3.* (z) *Iſa. 11. v. 9.*

,,mini, ſicut aqua multa operiens mare. *Harum aquarum media pars ibit ad Mare Orientale, populum circumciſionis, qui in Apoſtolis & per Apoſtolos ,,eſt electus; & medium earum ad mare noviſſimum, ut* (*a*) *de Oriente & ,,Occidente veniant, qui accumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob.- Quod ,,ſequitur:* In Æſtate & Hyeme erunt; *ſubauditur, aqua viva, quæ egredi-untur de Hieruſalem, ut & in pace & in perſecutione, iſta venientes aquæ, ,,manare non ceſſent. Sive quia LXX. tranſtulerunt:* In Æſtate & Vere ita erit; *hoc dicamus, quòd ILLO TEMPORE, NON SIT HYEMS, SED ,,VER ÆSTASQUE PERPETUA: quando* (*b*) vox Turturis *audietur ,,in terra noſtra, & ficus afferent groſſos ſuos, & vinea* (h. e. Eccleſiæ) *flo-,,rebunt, & Hyems* (*c*) *pertranſibit, & pluvia recedet & abibit ſibi.- In illo tempore ideò* Ver *neceſſarium erit, quia* (*d*) Flores *apparebunt in terra no-ſtra, ut celebremus Paſcha & Pentecoſten,* (myſticè,) *in quibus DE TER-RENIS TRANSEAMUS AD COELESTIA, & omnes fructus noſtros of-feramus Deo. In Phaſe enim Hyemis finis, Veris exordium eſt. In Pentecoſte æſtatis principium; quando labores manuum noſtrarum & fructuum, offerimus Deo. De hac æſtate & VERE PERPETUO, juſtus loquitur ad Dominum: ,,*(*e*) Tu fabricatus es Auroram & Solem, Æſtatem & Ver tu plaſmaſti: *Tunc ,,erit Dominus Rex ſuper omnem terram, quando dicemus:* (*f*) *Dominus regna-,,vit, exultet terra. Et iterum:* (*g*) *Dicite in Gentibus, quia Dominus re-,,gnavit. Etenim CORREXIT ORBEM Terræ, qui non commovebitur.* Non jactabitur ſcilicet, tot mentis populorum vanitatibus, tot ſcelerum turbinibus, tot furiis, tot fluctibus & undis bellorum immanium. Deinde inferiùs, pergit ad explicationem myſterii *Feſti Tabernaculorum*, ut apud eundem Zachariam habetur myſticè de ultimo tempore. Ubi poſtquam myſterium *Palmarum, Myrti, & Salicum* explicaſſet, nempe, quòd *palma ſignum ſit victoriæ,* ac *myrtus propter mortificationem carnis* ac *libidinum* uſurpabatur olim in hoc feſto, ut & *ſalix*; tandem hæc ſubjicit: (*h*) *Qui talium arborum ramis protectus fuerit, exerceat feſtivitatem Tabernaculo-rum; ſextum menſem tranſiens, qui refertur ad* * *Mundum, & in ſe-ptimo agens SABBATUM SPIRITUALE, in quinta decima die Menſis ejuſdem, quando noctis* † *Luna pleniſſima eſt, & omnes ejus tenebræ claro lumine reſolvuntur.*

XLII. Videmus in his (1.) jucundiſſimum Eccleſiæ ultimi temporis ſtatum deſcriptum; qui quoad ſenſum verborum S. *Hieronymi*, idem eſt

(*a*) *Matt.* 8. *v.* 11. (*b*) *Cant.* 2. *v.* 12. 13. (*c*) *Ibid. v.* 11. (*d*) *Ibid. v.* 12. (*e*) *Pſalm* 73. (*al.* 74.) *v.* 16. *col.* 2. & *v.* 17. *col.* 2. *juxt. LXX. & Vulg. Lat.* (*f*) *Pſal.* 96. (*al.* 97.) *v.* 1. (*g*) *Pſal.* 95. (*al.* 96.) *v.* 10. (*h*) *S. Hieron. Comm. in cit. cap.* 14. *Zach.* * *Mundum hic intellige ſecundùm priorem corruptiorem ſui ſtatum, antequam piis (juxta Rom.* 8. *v* 21.) *renovetur, ut ſequentia oſtendunt.* † *Vide Iſa.* 30. *v.* 26. & *noſtrum in eum loc. Tractatum, collatis iis quæ ſupra de eòdem diximus,* §. 3. *h. cap. pag.* 255. 256.

Digitized by Google

cum noſtra *Reſtitutione*. (2.) Videmus in deſcriptione & expoſitione hujus ſtatûs à Zacharia prædicti, omnia ita dici à S. *Hieronymo*, tanquam in hiſce terris, dum adhuc fideles viatores ſunt, (ſed viarum difficultates magis ac magis ſuperantes & relinquentes,) futura. *Doctrina* enim ſalutaris ab Eccleſia per prædicationem, ad *mare* partim Judæorum (ex mente Hieronymi) partim Gentium emanatio; *de terrenis ad cœleſtia tranſitus*, per carnis crucifixionem, & bonorum operum exercitium; item, *Dominum regnare in gentibus*, ſcilicet, per Evangelii potentiam, per quam ita *correcturus* eſt *Orbem terræ*, ne deinceps à correcto ſuo ſtatu *dimoveatur*; item *Lunam*, ſeu omnem ſecularem in Mundo poteſtatem, *claro lumine* fulgere, talia ſunt, quæ in his terris, adhuc durante ſacro verbi Divini miniſterio, impleri debebunt. (3.) Videmus hîc gradus etiam futuræ illius *Reſtitutionis*, ab Hieronymo, Deo ipſum dirigente & inſtruente, præmonſtratos eſſe. Videlicet, primùm Eccleſia Dei, etiam inter lætiores ſuos dies, multa adhuc debebit certamina ſubire. Erunt certè & tunc creberrima (*i*) & fortiſſima Martyria, ſub ipſa quidem prima boni illius initia etiam per corporalis (*k*) vitæ non paucorum extinctionem; at in progreſſu (*l*) non tam per extinctionem vitæ, quàm potiùs per generoſam pro veritate & juſtitia in horrendis & atrociſſimis (*m*) adverſitatibus, fidem quidem egregiè probantibus & exercentibus, vitam verò aut minimè, aut certè rariùs extingventibus, (*n*) patientiam & conſtantiam futura. Frequentia enim ejuſmodi per atrociſſimas neces martyria, (non obſtante eximiâ quorundam ſanctitate, nec etiam inſigni ſangvinis Martyrum utilitate) ſemper arguunt peccata adhuc multa & magna, Deumque ad iram & ſeveram caſtigationem provocantia regnare in populo Dei; S. (*o*) *Cypriano*, & aliis etiam id agnoſcentibus & fatentibus. At verò talium in Eccleſia ſeu Populo Dei peccatorum regnum, progreſſus futuræ *correctionis* abolebit; quod ſuperiora oſtendunt. Certamina autem & martyria fidelium juxta deſcriptum modum intermiſcenda fore ſub initium (atque etiam in aliquo progreſſu) lætioribus ſanctæ Eccleſiæ diebus, iiſdemque ſuperatis pleniorem demùm affuturam Sanctis lætitiam; expreſſit hoc S. *Hieronymus* in eo, dum primò in vertenda voce Hebraica חרף (*Choreph*) pro *Hyeme*, ſequitur uſitatiorem vocis illius ſignificationem, atque dicit, quòd tùm in *Æſtate*, hoc eſt, *in pace*

(*i*) *Pſal. 43. (al. 44.) v. 12, 23. Matt. 24. v. 21. collat. Dan. 12. v. 1.* (*k*) *Conſidera hic typicam interfectorum per Herodem* infantium *ſignificationem*; *Matt. 2. v. 16.* (*l*) *Pſal. 71. (al. 72.) v. 13. 14.* (*m*) *Apoc. 7. v. 14.* (*n*) *Apoc. 13. v. 10. col. ult. & 14. v. 12.* (*o*) *S. Cyprian. de* Lapſis, *non longè à principio*: Traditam nobis divinitùs diſciplinam pax longa corruperat. -- Studebant augendo patrimonio ſinguli. *&c.* Non in Sacerdotibus religio devota, non in Miniſtris fides integra. *&c. Item*, *Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. 8. cap. 1. Confer 2. Macb. 7. v. 32. 33.*

pace ſeu lætiori Eccleſiæ ſtatu, tùm in *Hyeme*, h. e. † *in perſecutionum* tempeſtate, *aqua viva* ſpirituales ex myſtica *Hieruſalem*, nempe Eccleſia, ſeu principali aliqua parte Eccleſiæ *venientes*, *manare non ceſſabunt*: deinde mox LXX. etiam Interpretum verſione utitur, in dicta voce Hebraica reddenda, pro *Vere*, (quam etiam ſignificationem non excludit vis vocis ejuſdem,) & per tempus *vernum* atque *æſtivum*, ſub myſticis phraſibus, continuum Eccleſiæ lætum, uberem & felicem ſtatum intelligit, hôc ipsô oſtendens nobis, poſtrema hujus *Reſtitutionis* tempora, perpetuò & continuò læta fore verè fidelibus & ſanctis. Teſtimonia etiam quæ ſubjungit ex *Cantico Canticorum*, omnia talia ſunt, quæ in hiſce terris, adhuc durantibus *vineis* noſtris, (h. e. Eccleſiis verbi Divini prædicatione paſtis & paſcendis) debent implementum ſortiri. Alibi quoque clariſſimè confirmat noſtram hanc doctrinam, dum ex Ezech. 16. ℣. 55. ſcilicet ex verbis illis, (*p*) *Reſtituetur Sodoma in antiquum*, myſticè acceptis, docet, *quòd ita RESTITUENDUS ſit Mundus, ut antè fuit*; in bonum videlicet ſtatum, ſensû Chriſtiano, non Judaico.

XLIII. Sanctus quoque *Auguſtinus* docet, quòd (*q*) *univerſi ſeculi pulchritudine, velut magno carmine cujuſdam ineffabilis modulatoris excurrente, tranſeant in æternam contemplationem ſpeciei, qui Deum ritè colunt, ETIAM CUM TEMPUS EST FIDEI.* Quibus verbis poſtremis, manifeſtè id tempus indigitat, quô adhuc verbum Dei prædicatur in his terris: quod propriè & maximè eſt *tempus Fidei*; cum plenioris demùm in ſupernis gloriæ tempus, *charitatis* potiùs quàm *fidei tempus* deberet dici; (quod ex Apoſtolo clarum eſt, 1. Cor. 13. ℣. 14.) charitate jam tunc in viſione Dei maximè prædominante. Huc faciunt iſta etiam ejuſdem S. Doctoris (in Expoſitione Pſalmi in noſtrum ſcopum ſpectantis) verba: (*r*) *Totum hoc, quod modo patitur Chriſti corpus in laboribus, in ærumnis, in vigiliis, in fame, in ſiti, in ſcandalis*, &c. *juventus ipſius eſt*; *Senectus ipſius, id eſt, NOVISSIMA ipſius, IN LÆTITIA erunt.* Et mox: *Senecta Eccleſiæ candida erit rectè factis, & morte non corrumpetur. Quod eſt caput ſenis, hoc erunt opera noſtra. Videtis quemadmodum caneſcat caput & inalbeſcat.-- Qui benè ſeneſcit ordine ſuo, quæres illi aliquandò in capite capillum nigrum, & non invenies; ſic cum fuerit vita noſtra talis, ut quæratur nigredo peccatorum, & non inveniatur, ſenectus tua juvenilis eſt, ſenectus iſta viridis eſt, ſemper virebit.* Uberioris in ſcopum Pſalmi hîc per S. *Auguſtinum* expoſiti causâ lucis, conferantur ea, quæ in eundem Pſalmum ex

† *Confer de hac viciſſitudine (ſed in lætitiam brevi mutanda) ea quæ habet Cælius* Pannonius *de tempore* tubæ ſeptimæ; *in Apoc. 11. v. 15.* (*p*) *S. Hieron. Epiſt. 17. cap. 4.* (*q*) *Epiſt. 5. ad Marcellin.* (*r*) *Enarrat. in Pſal. 91. (al. 92.) v. 11.*

S. *Gregorio* Magno ſunt jam (ſ) producta in medium, & ex parte adhuc infra (s) producentur.

XLIV. S. *Cyrillus* Alexandrinus ſimiliter noſtram inſigniter illuſtrat & adſtruit ſententiam, in eximia & erudita myſterii Feſtorum *Septimi Menſis* explicatione. Sic autem ille, poſt explicatum Paſchatis & Pentecoſtes myſterium procedit: (t) *Age de hoc quoq; Feſti tempore, qua congruere videbuntur, dicamus, diligenterq; inveſtigemus, quomodo, quibuſve de cauſis, celebrandum ſit, ejusq; rei ſcientiam ex Lege quæramus, & ex ipſis „ſacris Literis aſſumamus. Scriptum eſt igitur in Levitico:* (u) Et locutus „eſt Dominus ad Moſen, dicens: Loquere ad filios Iſraël, dicens: Menſe ſeptimo &c. (v) *Videtur itaque mihi, ſeptimus ille Menſis, TEMPUS illud EXTREMUM, quod erit in conſummatione, SIGNIFICARE. Nam ſeptimo Menſe, quæ ex agro colliguntur, omnia non ad aream comportandi tempus eſt, ſed in ipſis jam uniuſcujusq; † horreis recondi convenit: atq; * abit jam fructuum ferendorum tempus, exoritur autem † Hyemis initium; attenuantur ſtirpes, & flores tabeſcunt. Agedum igitur ea, quæ ad tempus pertinent, ad nos ipſos transferamus, illudq; dicamus; jam ad EXTREMUM LABENTE HOC SECULO, imminenteq; aliô, ac ſubeunte, quô peccatores puniendi ſunt, quod ſuis quisq; laboribus peperit, coacervabit, ſi ſapit, & in horrea cœleſtia comportabit; recordabiturq; Chriſti di„centis:* (x) *Nolite theſaurizare - - in terra* &c. *Ergò quoniam reſuſcitatô Chriſto, Sanctorum Doctorum verba, nos EXTREMI TEMPORIS admonent; (undiq; enim clamant:* (y) Ultima hora eſt;) *ad ſupernos illos theſauros jam, inquit, ſua quisq; comportet. Sed primo die Menſis, ait, quô menſe fructus reconduntur, erit vobis requies*, memoriale Tubarum. *Bona enim è ſuis quisq; ſudoribus parta recondit, & æternæ illius jucunditati atq; requieti proſpiciet, atq; conſulet, memor ejus quod beatus Paulus ait:* (z) Ipſe „Dominus (ἐν κελεύσματι) in clamore hortatorio, in voce Archangeli, „& in Tuba Dei deſcendet è Cœlo, &c. -- *Meminerimus itaq; ſacra hujus & ter-*

(ſ) *Supr. ſub Reg.10. h. Claſſ. cap. 5. §. 36.* (s) *Sub hac Reg. 32. & h. cap. §. 51.* (t) *S. Cyrill. de Adoration. in. Spirit. & Verit. Lib. 17. pag. 616. & ſequ. edit. Par. 1638.* (u) *Lev. 23. v. 23. 24. 25.* (v) *Græc.* Ἔοικε τοίνυν ἡμῖν ὁ ἕβδομος μὲν τὸν ἐπὶ συντελείᾳ τε ϗ ἐπ' ἐσχάτοις ὑπαινίττεσθαι καιρὸν. † *Propr.* Θησαυροῖς, theſauris, *h. e. quaſi ſecretioribus repoſitoriis.** *Scilicet, jam jam incipit deſerere homines deſides & otioſos.* † Hyemis, *ſcilicet æterna impiis, at piis probatoria tantùm ad tempus & emendatoria, ac in placidam mutanda ſerenitatem; de qua paulò antè audivimus ex* S. Hieronymo, *§. 41. h. cap.* (x) *Matt. 6. v. 19.* (y) *1. Joan. 2. v. 18.* (z) *1. Theſſ. 4. v. 15. (al. 16.)*

Digitized by Google

& terribilis (a) *Tuba, cum feſtum Sanctorum eſt inprimis inſigne, vocatum Sanctum, cum ſperatorum bonorum poſſeſſionem, & fortiter præclarèq; geſtorum cumulatam retributionem accipiunt. Oportet ergò nos, hujuſmodi cogitationibus AD SUMMAM PROBITATEM aſcendendo, ab OMNI OPERE CESSARE, QUOD NULLAM PRORSUS UTILITATEM afferre poſſit., ſed maculas potiùs aſpergere.*

XLV. „Pergit porrò: *Deinde inquit:* Decimo die Menſis hujus ſe„ptimi, dies expiationis eſt, -- & humiliabitis animas veſtras, &c. *Humiliationem, jejunium, & holocauſtorum oblationem, atq; etiam ab omni opere ceſſationem fieri debere dixit: in quibus mortificationem quidem carnalium cupiditatum, per jejunium figuravit; per holocauſta verò illam oblationem, quâ in odorem ſuavitatis, NON EX PARTE, ſed IN TOTUM, ac PERFECTE DEO DICAMUR; per otium verò, & omnem prorsùs ceſſationem, nihil nobis è terrenis rebus perficiendum, eleganter deſignavit.* † *Nam qui jam ad exitum FINEMQUE TEMPORUM decurrerunt, & SACRÆ illius, EXTREMIQUE TEMPORIS TUBÆ ſunt memores, & illum Judicem cogitant, annon ſummopere hac de cauſa curandum eis eſſe putabis, ut ſpiritualis fertilitatis opes, in ſupernos theſauros exportent, & VOLUPTATES quidem EXTINGUANT, AFFECCTIONESQUE CORPORIS VINCANT. Virtutis autem atq; probitatis genera, velut odorem ſuavitatis Deo adoleant, atq; AB INANIBUS STUDIIS LONGISSIME REMOTI ſint, atq; ſejuncti? Hæc autem ſunt ut opinor, ea ſtudia, quæ in hoc Mundo collocantur, & hujus vitæ laborioſa diſtractio.-- Qui itaq; vitia expugnant, & mortificant membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, libidinem inquam, & concupiſcentiam malam, nonne in odorem ſuavitatis Deo offeren-*

(a) Tuba *hæc erit efficaciſſima verbi Dei prædicatio in ore duorum Teſtium, ac Doctorum Eccleſiæ ultimi temporis, venientem Chriſtum ad judicium potenter denuncians, hominesq; ad illud præparans, juxta illa, quæ jam ſupra h. Claſſ. ſub Reg. 20. cap. 8. §. 11. 12. 13. ex* S. Hieronymo *diximus. Ipſe quoq;* S. Cyrillus *alibi per* Tubam *intelligit* Evangelii prædicationem: *Comm. in Joan. Lib. 4. pag. 389. edit. cit. & de* adorat. *in Spir. & Verit. Lib. 5. pag. 166. &* Glaphyr. *in Exod. Lib 3. pag. 221. & 222. Ubi ſpecialiter citat etiam locum de* Tuba magna, *Iſa. 27. v. 18.* † *Græc.* ἢ γὰρ οὐκ οἴησον δεῖν τοὺς εἰς κατάληξιν ἤδη καιρῶν διεληλακότας, καὶ τῆς ἱερᾶς τε καὶ ἐσχάτοις μεμνημένους σάλπιγγος, καὶ εἰς νοῦν ἔχοντας τὸν κριτὴν, ταύτῃ τοι καὶ εἰς τοὺς ἄνω λοιπὸν ἐκκομίζοντας θησαυροὺς τῆς πνευματικῆς εὐκαρπίας τὸν πλοῦτον, κατανεκροῦν ἡδονὰς, καὶ σωματικῶν ἀμείνους ὁρᾶσθαι παθῶν, εὐωδιάζειν δὲ ἤδη Θεῷ, τῆς ἐπιεικείας τοὺς τρόπους, ἰέναι τε ἤδη μακρὰν, καὶ ἀπονοσφίζεσθαι φιλεῖν τῶν εἰς ματαιότητα σπουδασμάτων.

offerentur, & holocauſtorum inſtar erunt, eamq́; oblationem, * *ut quoddam lytron & propitiationem, pro animabus ſuis exhibebunt? -- Diem igitur jejunii qui erat, eum* propitiationis *Legiſlator appellavit; & rectè ſanè, & legitimè; cum is carnem & carnis vitia mortificet, & virtutis officia, tanquam in odorem ſvavitatis offerat. Quiſquis porrò non ab omni mundano opere ceſſaverit, fore ut is in ſummis malis verſetur; evidenter oſtendit, cum dixit, exterminandum eſſe de populo ſuo, qui neq́; jejunaret, neq́; holocauſtum offerret, & legem de ceſſatione conſtitutam violaret.* Deinde in ſequentibus, explicat myſterium *Sabbati* ceſſationis ſeu quietis in feſto illo *Expiationis*, de ultimi temporis *quiete* & ſabbatiſmo ſpirituali, eô modô, quô jam ſupra (*b*) alio in loco ab ipſo audivimus.

XLVI. Videmus in his, abſq; ullo verborum involucro, perſpicuè tenere & docere S. *Cyrillum*, quòd *extremo tempore*, antequam Chriſtus ſuam præſentiam glorioſam Orbi manifeſtaret, homines in Eccleſia, electi ſcilicet & fideles, in tantum ſe ſe *mortificaturi*, & à Mundi Carniſq; illecebris abſtenturi eſſent, ut tandem *non ex parte, ſed in totum & perfectè Deo dicandi* ſeu ſancti fierent, ac in illa ſanctitate & puritate Chriſtum Dominum expectarent. Et reverà hoc planè congruit cum ſcopo Spiritûs Dei in Apoſtolo loquentis; qui in quodam ſuo voto, Theſſalonicenſibus applicato, implicitè prædixit, electos *vivos in* glorioſo *adventu Domini,* (*c*) *per omnia ſanctificatos*, & per hoc, *integro Spiritû, animâ & corpore inculpatos* repertum iri. Hujus autem *perfectæ* ſanctitatis pro illo tempore neceſſitatem, (cur nempe tunc electi integrè & perfectè ſancti eſſe debeant,) jam nos ſupra (*d*) docuimus; ſed & ante nos dudum eruditè obſervavit *Origenes:* (*e*) quia nimirum, niſi ita maturè *præpararentur* & ſanctificarentur electi, *nequaquam glorioſum Chriſti* conſpectum, *propter magnitudinem gloriæ* ejus *ſuſtinerent*, nec cum ſuis defectibus coram tanto Judice conſiſtere poſſent. Et ſtatim paulò pòſt ſubjicit; quòd *iis qui reſtituti fuerint, & EX EA RESTITUTIONE GLORIÆ CHRISTI CAPACES facti fuerint, Dei Filius in gloria videndus adveniet.* Id ipſum docet ipſemet Chriſtus Dominus verbis aliis, Luc. 21. ℣. 34. 35. 36. (Confer 1. Joan. 4. ℣. 17.) Jam ergò applicemus ſcopo noſtro doctrinam S. *Cyrilli.* Si electi ante glorioſam Supremi Judicis apparitionem, *ſumma probitatis, & ab omni opere* inutili ac *maculam aſpergente ceſſantes*, & uno verbo, *non ex parte, ſed in totum ac perfectè Deo dicati* (h. e. ſanctificati) erunt; quid reſtat, niſi, ut ipſis omnia etiam corporalia hujus vitæ bona, Chriſto Domino

* λύτρον ὥςπερ τι, κ̀ ἐξιλασμὸν ὑπὲρ γε τῶν ἰδίων ψυχῶν. (*b*) *Sub Reg. 10. b. Claſſ. c. 5. §. 33. p. 178.* (*c*) *1. Theſſ. 5. v. 23.* (*d*) *§. 3. h. c. p. 256.* (*e*) *Origen. in Matth. Tom. 13. pag. 307. edit. Rotbom.* (*Dan.* Huëtii) *an. 1668. ubi de futura* Eliæ *prædicatione loquitur.*

mino promittente, (*f*) *adjiciantur*, ſicq; experiantur, *pietatem* (*g*) etiam *vitæ præſentis* amplam *promiſſionem habere?* Atqui ubi tum in internis tum in externis, tum quoad animam tum quoad corpus hoc modô beati erunt, jam tunc fruentur illâ *reſtitutione omnium*, quam hîc juxta Scripturam adſtruo. Quando igitur electi in terra (*h*) *per omnia ſancti* erunt, & ut Apoſtolus loquitur, *integro* ſuo *ſpiritû, animâ & corpore ſine querela*, ſeu *inculpatè* vixerint, abſque omni (*i*) *macula vel ruga* tam erroris quàm peccati, tunc jam Eccleſia erit eis jucundiſſimus ille *Paradiſus* ſpiritualis in terris, (*k*) quem ſtatus Adami & Evæ in *horto Eden*, ſeu veteri *Paradiſo voluptatis* olim præſignificabat, iſque tanto felicior & excellentior iſtô, quantô res figurata ſuam figuram ſolet ſuperare: tunc noſcetur ipsô experimento, quid ſit (*l*) *Terra viventium* in Scripturis ſactis celebrata, tuncq; amovebit Deus omnes (*m*) *priores* ſuorum *anguſtias*, & (*n*) *abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum*, ut in continua cordis lætitia & (*o*) *exultatione* expectent juſtiſſimum Mundi Judicem & (*p*) *Sponſum* myſticum è Cœlo. Pro uberiori luce proximè dictorum, ſubnectamus hîc ſequentia ex S. *Theophilo* Antiocheno: * Ὁπόταν οὖν (inquit) πάλιν ὁ ἄνθρωπος ἀναδράμῃ εἰς τὸ κατὰ φύσιν, μηκέτι κακοποιῶν· κἀκεῖνα (ſcil. θηρία) ἀποκαταςαθήσεται εἰς τὴν ἀρχῆθεν ἡμερότητα. H. e. *Cum itaq; ITERUM homo REDIERIT* (ſeu *recurrerit*) *ad id quod eſt ſecundùm naturam*, (ad primævam nempe hominis conditi integritatem & dignitatem, eius *naturæ* congruam,) *non ampliùs malefaciens*, tunc *etiam illa*, (ſcilicet *fera* animalia de quibus in præcedentibus loquitur,) *RESTITUENTUR in primævam manſvetudinem*. Joannes *Langus* primam partem hujus periodi quoad ſenſum

(*f*) *Matt. 6. v. 33.* (*g*) *1. Tim. 4. v. 8.* (*h*) *1. Theſſ. 5. v. 23.* (*i*) *Epheſ. 5. v. 27. Confer de hoc loco S.* Hieron. *Lib. 3. adv. Pelagian. cap. 5.* Apoſtolus de Domino loquitur, quòd in FINE MUNDI, & in conſummatione virtutum, exhibeat ſibi ſanctam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam. (*k*) *Vid. S. Auguſt. Lib. 13. de Civ. Dei, cap. 21. & S. Iren. Lib. 5. adv. Hær. cap. 20.* Plantata eſt Eccleſiæ Paradiſus in hoc Mundo. *&c.* (*l*) *Vide ſupr. Reg. 10. b. Claſſ. c. 5. §. 45. p. 187. & confer S. Hieron. Epiſt. 129.* Hæc (*terra Sanctis promiſſa*) eſt, *inquit*, Terra viventium. --- Iſta eſt, terra viventium, terra divitiarum, & bonorum Dei, quam primus Adam perdidit, ſecundus Adam invenit, imò ab illo perditam, iſte reſtituit. - - Eſaias quoque (*cap. 32. v. 2. juxt. LXX.*) in hæc verba (*ſcil. Mal. 3. v. 12.*) conſentit, dicens: Et erit vir abſcondens ſermones ſuos, & apparebit in TERRA Sion, ſicut fluvius glorioſus in terrâ ſitienti. Quæ eſt (*inquit*) illa Terra Sion, in qua apparebit fluvius glorioſus? Illa videlicet, de qua David canit: Glorioſa de te dicta ſunt Civitas Dei. Et iterum: Diligit Dominus portas Sion. *&c.* (*Pſal. 86. al. 87. Ubi S.* Eccleſia *intelligitur.*) (*m*) *Iſa. 65. v. 16. 17.* (*n*) *Apoc. 7. v. 17. & 21. v. 4. collat. Iſa. 25. v. 8.* (*o*) *Apoc. 19. v. 6, 7.* (*p*) *Matt. 25. v. 7. 10.* * *Ad* Autolyc. *Lib. 2, pag.* (*mihi*) 96.

ſenſum ſic vertit: *Ubi autem homo ad ſuam* NATURAM *&* PRISTINUM INGENIUM, *nec non* DIGNITATEM REDIERIT *ceſſans malè facere*: Deinde ſubjicit alterum membrum ſic: *Etiam aliqua animalia* (ſcil. *feræ*) *in primævam reſtituentur manſvetudinem.* Hîc certè perſpicuè de illa hominis *reſtitutione* loquitur S. *Theophilus*, quæ futura eſt in his terris, ut fuit in prima creatione. Alioquî, nulla erat ratio ob quam hîc de *reſtituenda ferarum manſvetudine* quidquam loqueretur, ſi cæleſtem tantùm & ſupernam beatitudinem per hominis ad ſuam naturam ſuamque dignitatem *reditum*, intellexiſſet. Sed redeo ad S. *Cyrillum.*

XLVII. Huc faciunt etiam ſequentia (in explicando myſterio (*Feſti Tabernaculorum*) ejuſdem citati S. Cyrilli verba: (q) *Ergo intelligis tandem,* (Palladium alloquitur) *coactis jam in horrea proventibus, & uniuscujuſque fructibus collectis, proximum eſſe celeberrimum illud Scenopegiæ Feſtum,* HABITATIONEM *illam* PARADISI REPRÆSENTANS, *& hominem* AD BONORUM ILLORUM, QUIBUS INITIO FRUEBATUR, PARTICIPATIONEM REPONENS, vel, *reſtituens.* Hæc certè tam clara ſunt pro noſtra ſententia, ut nihil his clarius deſideretur. Exprimit quidem S. Doctor in ſequentibus, quòd per hanc *Scenopegiam*, (ſeu, veterem ac legalem *Tabernaculorum compactionem*) *ſpiritualem ac veriorem humanorum corporum compactionem*, & *ab interitu qui intervenit, ad incorruptionem reviviſcentiam* intelligat; ac deinde etiam latiùs & apertiùs dicit, quòd hoc *Scenopegiæ exoptatiſſimum feſtum*, ſit *omnium corporum, quorum primitiæ Chriſtus fuit, reſurrectio.* Verùm, ſi omnia ejus verba ritè excutiantur, ac inprimis illud benè attendatur, quomodo ipſe ſacrificia & alias hujus feſti ceremonias myſticè explicat, atque illud etiam, quod paulò antè † ex ipſo audivimus, memoriâ teneatur, patebit, ipſum nequaquam à noſtra ſententia diſſentire, ſed potiùs ſub latiori ſignificatione *reſurrectionis corporum*, ac præſertim *ſub ſpirituali* (ſeu *intelligibili*, ut ille vocat,) & *veriori corporum compactione*, etiam hanc *reſtitutionem*, & in ea corporum noſtrorum, in hac adhuc mortalitate poſitorum, à variis miſeriis & corruptelis redemptionem & liberationem comprehendere. Non enim ſolus *Ezechiel*, liberationem Eccleſiæ ultimi temporis, à variis calamitatibus & miſeriis horrendis, ſub emblemate (r) *reſurrectionis* corporum nobis proponit; ſed etiam S. *Paulus* Apoſtolus, (ſ) *Redemptionem corporis* tàm latè accipit, ut etiam corporum, electorum illorum, qui *vivi* in adventu Domini reperientur, liberationem à corruptione, manente animâ in corpore futuram, ſub phraſi illâ includat.

XLVIII. Pro majori evidentia ſententiæ *Cyrillianæ*, apponam adhuc quædam

(q) *Cit. Lib. 17. de* Adorat. *in* Spir. *&* Ver. *pag. 619.* † *5. 44. & 45. h. cap. pag. 292. & 293.* (r) *Ezech. 37. v. 5. --- 14.* (ſ) *Rom. 8. v. 23.*

quædam ex verbis expoſitionis ejus. (*s*) *Rami* (inquit) *ex arboribus ſemper virentibus* (*t*) (in Feſto Tabernaculorum,) *perpetuam illam gratiam & SPEM interruptam præ ſe ferunt.-- Cui rei teſtimonium ſuum adjungit* ,,*ſapiens ille Eſaias, cum inquit:* (*u*) *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* Atqui illic *Iſaias*, omninò de ſtatu Eccleſiæ adhuc in his terris futuro loquitur; ut contextus benè penſitatus perſpicuè oſtendit. Pergit deinde: *His autem legibus de hujuſmodi feſto ſanctitis, illud adjunctum eſt, ex torrente lætandum eſſe. Inquit enim: Extremo* (*v*) *hebdomadæ, id eſt, octavo, hauriendam eſſe* ‡ *aquam ex torrente, atq; ita credentes lætari oportere. At torrens quidem ſpiritualis atq; cœleſtis Chriſtus eſt; qui ſupernis illis fluentis, ſe colentium animos irrigat.* Hæc certè optimè quadrant in illos, qui in hiſce terris Chriſtum fideliter colunt. Mox ſubjicit locum etiam *Iſaiæ* talem, qui omninò ſtatui Eccleſiæ in his terris pacatè viventis, & ex uberrima Gentium converſione glorioſæ, & exultabundæ congruit, cap. 66. ℣. ,,12. *Ecce ego declino*† *ad eos, ut fluvius pacis* &c.* Rationem ſuprà-dicti dat: *Convenit enim* (inquit) *& quidem jure optimo, converſationi illi, quæ in* (*x*) *Paradiſo erit, abundè Chriſtum participare, & largâ ſubminiſtratione Spiritûs oblectari.* Quòd autem in verbis ejus, per *Paradiſum* (*y*) non ſolùm ſupernam in Cœlis beatitudinem debeamus intelligere, ſed etiam antecedentem felicem in terris ſtatum electorum dehinc futurum, ex ipſius doctrina directè eruitur. Sic enim ſuprà pauló antè dixit: (*z*) *Ipſa res quodam modo clamat, Deum in Chriſto nobis illas PARADISI DELICIAS* †*REDDERE.-- Avertit enim Chriſtus verſatilem illam romphæam;* * *& patefit deinceps credentibus aditus, ipſô OMNIA IN PRISTINUM STATUM reformante, & in id quod OLIM ERAT, revocante.* (Propriè, *reſtaurante*; vel, quaſi per demolitionem reparante. Quod ſignificat, non ſolùm per mortem, ut in iis, qui in Domino obdormierunt, ſed

Pp

(*s*) *Cit. Lib. 17. de* adorat. *in Spirit. & Verit. pag.* 620. (*t*) *Vid. Lev.* 23. *v.* 40. (*u*) *Iſa.* 35. *v.* 10. (*v*) *Confer inter ſe, Joan.* 7. *v.* 37. *& Iſa.* 12. *v.* 3. ‡ *Reſpicit hic manifeſtè ad antiquam Judæorum in feſto Tabernaculorum* hauriendi aquas *ex fonte* Siloë, *libandas in altari, conſuetudinem; ut habet ipſorum traditio; quæ videri poteſt apud* Buxtorf. *in* Synagog. Jud. *cap.* 21. *pag.* (*mihi*) 468. *Videtur autem S.* Cyrillus *nactus fuiſſe Codicem aliquem Græcum, in quo,* (*cap.* 23. *Lev.*) *inſerta fuerit* traditio *illa, quaſi divinitùs præcepta. At ille juxta id quod legit, eam ad diem* octavum, *Judæi autem ad ſeptem dies Feſti Tabern. referunt.* † *Ita in Græc. LXX.* * *Ibidem, ſubjicit etiam Pſal.* 35. (*al.* 36.) *v.* 9. (*x*) *Dixi jam ſupra* §. 46. *h. c. integrè & perfectè Sanctis;* Paradiſum *fore ipſam* Eccleſiam, *antequam in ſuperna rapiantur.* (*y*) §. 47. *h. cap.* (*z*) *Cit. Lib.* 17. *de adorat.* † *Scil. quia jus nobis ad Paradiſum, in Cruce acquiſivit. Gen.* 3. *v.* 24. * *Græc.* καὶ ἀνεῖται λοιπὸν πεπιςευκόσιν ἡ εἰςδρομὴ πάντως εἰς τὸ ἐν ἀρχαῖς ἀναμορφοῦντος αὐτοῦ, καὶ ἀνασκευάζοντος, εἰς τὸ ὅπερ ἦν πάλαι.

ſed etiam per varias calamitates & mortificationes, corpus hoc peccati ac mortis, deſtructum, demutatum, atque ſic emendatum iri in ſupervicturis ſanctis, ut *reſtitutionem* conſequantur.) Dum dicit S. *Cyrillus*, Chriſtum *omnia in priſtinum ſtatum reformare*; ſatis nobis indicat, hominem debere reſtitui (juxta ſæpiùs inculcatam limitationem) in illum etiam ſtatum, in quo olim erat. Ipſemet enim S. *Cyrillus* palàm docet alibi, (*a*) *hominem* olim *ſuprema gloria ſimulacrum, & Divina SUPER TERRAM poteſtatis imaginem fuiſſe*, atque ob peccatum, *ex jucundiſſimis illis, quibus initio fruebatur, voluptuoſiſſimisq; locis, & Paradiſi deliciis ejectum eſſe.* Hoc ipſum ſequitur evidenter, ex omnium illorum SS. Patrum ſententia, qui agnoſcunt *Paradiſum* homini (in primo Adamo) à Deo deſtinatum, non ſolùm ſpiritualem, nec ſolùm corporalem, ſed & corporalem & ſpiritualem eſſe: qua de re conſuli poteſt celeberrimum illud lumen Eccleſiæ (*b*) S. *Auguſtinus*. Ceterùm, quæ ex Scripturis ſcimus de ſtatu *Adami*, in quo fuit cum *Eva* ante peccatum, talia ſunt, ut, niſi ante univerſalem reſurrectionem in Sanctis *vivis* in adventu Domini reperiendis quædam eorum in terra impleantur, nequaquam nobis conſtet, quo modô, & quâ ſublimiſſimi myſterii ratione, poſt univerſalem illam reſurrectionem in Sanctis cœlitibus in ipſo Cœlo impleri debeant. Hæc ſequentia etiam de ſacrificiis feſti prædicti apud S. Cyrillum: (*c*) *Continuationis ſacrificium fieri debere, inquit, uno agnô, mane immolatô,* (*d*) *alterô veſperi, incenſâ ſimul cum illis etiam ſimilâ, oleô etiam & vino inſuper adjectis: omni enim tempore & jugiter, AB INITIO USQUE IN FINEM in ſancto tabernaculo, id eſt, IN ECCLESIA, per omne virtutis genus, odorem ſuavitatis in Chriſto fragramus. Nam quòd mane & veſpere incenduntur agni, figura eſt rursùm ejus, qui propter nos ac pro nobis Patri in odorem ſuavitatis aſcendit, ſecumq; quodam modo vitam credentium ſimul attollit; cui & hilaritas ineſt, tanquam de SPE firma gloria & Regni.-- Ejuſmodi autem vita ſignum eſt, ſimila oleo conſperſa, vinoq; perfuſa: hoc verò ſacrificium, eſt HOSTIA SALUTARIS,* &c. hæc etiam, inquam, evidenter oſtendunt, ſententiam noſtram, de *Reſtitutione omnium* futura in his terris, in explicatis per S. *Cyrillum* myſteriis *Feſti Tabernaculorum*, comprehendi.

XLIX. Præclarum in hanc eandem rem exſtat ejuſdem teſtimonium etiam in expoſitione myſtica diei illius *ſeptimi*, quô victores & interfectores

(*a*) *Cyrill.* Glaphyror. *Lib.* 1. *in Gen. pag.* 5. 6. *edit. Par.* 1638 (*b*) *Auguſt. De Genes. ad Lit. Lib.* 8, *cap.* 1. Tres de hac re (*nempe Paradiſo*) quaſi generales ſunt ſententiæ. Una eorum, qui tantummodò corporaliter Paradiſum intelligi volunt. Alia eorum, qui ſpiritualiter tantum. Tertia eorum, qui UTROQUE MODO Paradiſum accipiunt. Breviter ut ego dicam, tertiam mihi fateor placere ſententiam. *Confer eundem, Lib.* 13. *de Civ. Dei, cap.* 21. *Conſule etiam Gloſſ. Ord.* (*ex eodem*) *in Gen. cap.* 2. (*c*) *Cit. Lib.* 17. *de adorat. in Spir. & verit. pag.* 620. (*d*) *Num.* 28. *v.* 3. 4. 5.

ctores *Madianitarum* (Num. 31. ✠. 19.) ſe ſe purgare debebant: quod etiam quia eximiè dictam ſententiam illuſtrat & confirmat, nolumus hîc illud quoque non inſerere. Poſtquam enim dixiſſet, (*e*) *Septimum diem ſignificare tempus illud, quod erit in conſummatione præſentis ſeculi, cum omni ex parte ſarcinâ peccatorum excuſsâ, SUMMAM jam SANCTIFICATIONEM aſſecuti, ſimul cum Chriſto erimus*; mox ne Lector hæreret, an de ſtatu Sanctorum in his terris, vel ſuprà terram futuro loquatur, iterùm hanc ſuam expoſitionem repetit, ac locô Scripturæ ſacræ, Eccleſiæ in his terris adhuc futuræ ſtatum ſpectante, confirmat. (*f*) ἡ τελεία (inquit) κάθαρσις, καὶ ῥυπȣ͂ παντὸς ἀπόθεσις, ἐν ἐσχάτοις ἔσαι τῆς συντελείας καιροῖς, καθάπερ ἔφην ἀρτίως, ἀναιρȣμένης εἰσάπαν τῆς ἁμαρτίας, καὶ εἰς τὸ ἄνωθεν τι καὶ πρεσβύτατον κάλλος τῆς ἀνθρώπȣ φύσεως ἀναφερομένης. ἔσαι γάρ ποτε, φησιν, ὁδὸς καθαρὰ, καὶ ὁδὸς ἁγία κληθήσεται. καὶ ἐ μὴ παρέλθῃ ἐκεῖνο ȣδεὶς ἀκάθαρτος. &c. H. e. *Illa perfecta purgatio, & immunditiei omnis depoſitio, in EXTREMIS erit conſummationis ſeculi temporibus, ut modo dixi, cum ſublato OMNI EX PARTE PECCATO, AD VETEREM illam priſtinamq; PULCHRITUDINEM,* ,,*hominis natura revocabitur.* (*g*) *Erit enim tunc, inquit, via munda, & via* ,,*ſancta vocabitur, nec tranſibit per eam immundus aliquis,* (*h*) *ſed ambu-* ,,*labunt in ea redempti à Domino.* Hic locus *Iſaiæ*, vel mediocriter in Scripturis ſacris verſato ſe manifeſtè declarat, quòd de Eccleſia in his terris futura ſonet: quod vel ex ipſo S. *Cyrillo* ſic de hac *via* ſcribente, intelligere Lector poteſt: (*k*) *In hac ergò VIA pura, per Chriſtum redempti & CONGREGATI per Fidem, in* † *UNAM ANIMORUM CONSENSIONEM COIBUNT, & viâ veteri omiſsâ, convertentur, & venient in Sion, id eſt, ECCLESIAM, habentes & IN TERRA, & in Cælo jugem lætitiam.* Hactenùs S. *Cyrillus*.

L. Pergo ad S. *Gregorium* Romanum Epiſcopum, qui dum futuram Gentium & Judæorum converſionem, ex myſteriis reſtitutionis *Job* eliceret, ita eam tractat, ut reverà, velut Spiritû quodam prophetico plenus prædixerit ea quoque bona & gaudia Eccleſiæ, quæ cum diù deſiderata illa Gentium & Judæorum ultimi temporis converſione, erunt conjuncta: qualia bona & gaudia voco ego hîc *reſtitutionem omnium* futuram in Eccleſia. Audiamus ipſum (in *Job.* 42. ✠. 10. 11. 12.) hac de re ſic docentem: (*k*) *Et dederunt ei* (Jobo) *unuſquiſq; unam ovem.* &c. *Sapè beatum Job*

diximus,

(*e*) *Cyrill. de Adorat. in Spir. & Verit. Lib. 4. pag. 123.* (*f*) *Ibid. pag. 124.* (*g*) *Iſa. 35. v. 8.* (*h*) *Ibid. v. 9. collat. v. 10.* (*i*) *Cyrill. Comment. in Iſa. Lib. 3. Tom. 3. pag. 475. in cap. Iſa. 35. v. 8.* † *Græc.* Εἰς ὁμοψυχίαν. (*k*) *Moral. in Job. Lib. 35, cap. 9.*

diximus, modo Capitis, (Chriſti,) *modo figuram Corporis deſignare. Servatâ ergò hiſtoria veritate, ſub typo geſtum ſanctâ Eccleſia ſentiamus, id quod* „*ſcriptum eſt:* (*l*) Addidit Dominus omnia, quæcunque fuerunt Job duplicia. *Sancta quippe Eccleſia, etſi multos nunc percuſſione tentationis amittit, IN FINE tamen hujus SECULI, ea qua ſua ſunt duplicia recipit: quando ſuſceptis ad PLENUM Gentibus, OMNIS qua tunc inventa fuerit etiam JUDÆA conſentit. Hinc namq; ſcriptum eſt:* (*m*) Donec „plenitudo Gentium introierit. &c. *Hinc in Evangelio quoq; Veritas dicit:* „(*n*) Elias veniet, & RESTITUET omnia. *Nunc enim amiſit Iſraëlitas Eccleſia, quos convertere prædicando non valuit; ſed tunc Eliâ prædicante, dum quotquot invenerit, colligit, velut pleniùs recipit, quod amiſit.* Deinde pergit: *Ea qua ſubnexa ſunt, in FINE magis hujus ſeculi, con*„*verſionem ſe Judaici populi nunciare teſtantur. Nam ſubditur:* (*o*) Vene„runt autem ad eum, omnes fratres ſui, & univerſæ ſorores ſuæ, & cuncti „qui noverant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo ejus. *Tunc quippe fratres ſui ac ſorores ad Chriſtum veniunt, quando ex plebe Judaica, quotquot inventi fuerint, convertentur. Tunc apud eum CELEBRE* (*p*)*FESTIVITATIS CONVIVIUM exhibent, quando eum jam nequaquam, quaſi purum hominem contemnentes, propinquitatis ſua memores, Divinitati ſe ejus inhærere congaudent.-- In fine igitur Mundi, credentes Hebræi conveniant, & humani generis Redemptori, in potentia Divinitatis, quaſi ſano Job, oblationum ſuarum vota perſolvant. Unde & benè ſubditur:* „(*q*) Et dederunt ei unuſquiſque ovem unam, & inaurem auream unam. „*Quid per* ovem, *niſi INNOCENTIA, per* inaurem, *niſi OBEDIENTIA deſignatur? Per* ovem *quippe ſimplex animus, per* inaurem *verò ornamentum* * *humilitatis, gratia auditûs, exprimitur.*

LI. Continuando eandem materiam, pergit hunc in modum in ſequentibus: (*r*) *Notandum verò, quòd hoc loco cum inaure, ovis, cum ove inauris offertur. Quia nimirum innocuis mentibus, ornamentum ſemper obedientia jungitur.* Mox ad Schiſmaticos (& ad quoſcunque, jungere ſe Eccleſiæ volentes) verba dirigens, ab ultimi temporis Eccleſiæ felicitate monet ſumendum eſſe imitationis exemplum: *Unum* (inquit) *dividi per numeros non poteſt.-- Offerant igitur ovem, ſed UNAM.-- Aperire libet oculos fidei, & illud EXTREMUM Sancta Eccleſia, de ſuſceptione Iſraëlitici populi, CONVIVIUM contemplari. Ad quod nimirum CONVIVIUM, magnus ille veniens Elias convivantium invitator adhibetur; & tunc*

(*l*) *Job.* 42. *v.* 10. (*m*) *Rom.* 11. *v.* 25. (*n*) *Matt.* 17. *v.* 11. (*o*) *Job.* 42. *v.* 11. (*p*) *Hoc myſtico ſenſu, & in ſua plenitudine acceptum, neceſſariò ſecum fert* Reſtitutionem omnium *juxta hactenus dicta futuram.* (*q*) *Job.* 42. *v.* 11. *collat. col. ult.* * *Hoc eſt, humilis obedientia.* (*r*) *S. Greg. Cit. Lib. Mor.* 35. *cap.* 10.

tunc propinqui, tunc noti ad eum cum muneribus veniunt, quem in flagello paulò antè poſitum, contempſerunt. Appropinquante enim die JUDICII, vel Præcurſoris vocibus, vel quibuſdam erumpentibus ſignis, ipſa eis jam aliquo modo ADVENIENTIS DOMINI VIRTUS interlucet. Cujus iram dum prævenire feſtinant, converſionis ſuæ tempus accelerant. Converſi autem, cum muneribus veniunt; quia eum, quem paulò antè in paſſione deriſerunt, tunc VIRTUTUM OPERA, quaſi munera offerendo, venerantur. Tunc illum pleniùs (ſ) Filiæ Tyri *in muneribus adorabunt, cum Iſraëlitarum mentes, hujus nunc Mundi ſubdita deſideriis, ei quem ſuperbientes negaverunt, quandoq; cognito, ſua hoſtias confeſſionis apportant. - Unde & „benè nunc ſubditur:* (r) Dominus autem benedixit noviſſimis Job magis „quàm principio ejus. *Hæc hiſtoricè facta credimus, hæc MYSTICE FACIENDA ſperamus. Magis enim noviſſimis Job, quàm principio benedicitur: quia quantum ad Iſraëlitici populi ſuſceptionem pertinet, urgente FINE præſentis ſeculi, dolorem ſanctæ Eccleſiæ Dominus animarum multi„plices collectione conſolatur.* Et mox ex Pſalmiſtæ verbis illis: (t) *Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi*, &c. docet *Prædicatores S. Eccleſiæ benedictione extremi temporis* fore *ditandos.* Unde etiam infert, tantò ſanctiores futuros illos ultimi temporis Prædicatores, quantò plus *vita eorum differetur*; ita ut, *per AUGMENTUM TEMPORUM, CRESCANT eis etiam LUCRA MERITORUM:* quæ verba pleniùs alibi (u) jam ex ipſo produximus in medium.

LII. Habemus in his talia, v.gr. *celebre* illud *Feſtivitatis* extremi temporis *Convivium*; item, *innocentiam* & *obedientiam* convertendorum, non ſimulatam, non fucatam, ſed veram, non variis peccatis ſordidatam, non inquinatam, non imperfectam, ſed puram, ſimplicem, & per quotidianum virtutum incrementum ad perfectionem deducendam; (qualem hîc S. *Gregorius* intelligit;) habemus Eccleſiæ non diſtractionem, non dilacerationem, ſed deſideratiſſimam unitatem, in *unitate ovis*, & *inauris aurea* adumbratam; item, habemus *vitæ* Sanctorum ultimi temporis felix *augmentum*, quocum creſcit eis etiam ſanctitas, ſeu *creſcunt lucra meritorum*: quæ omnia illam extremi temporis *Reſtitutionem omnium* nobis monſtrant, quàm hactenùs propugnavi. Claudam hoc teſtimonium verbis illis, quæ habentur in Summa Capitis noni, paulò antè ex eodem S. *Gregorio* citati: (v) *In fine Mundi, de Gentibus & Judæis UNA erit Eccleſia; & INNOCENTIAM & OBEDIENTIAM uterq; populus offeret Deo.* Hæc ibi. Qui hæc duo non offeret Deo, ex corde puro, ſincero & unitatis ſanctæ avido,

(ſ) *Pſal. 44. (al. 45.) v. 13.* (r) *Job. 42. v. 12.* (t) *Pſal. 91. (al. 92.) v. 15.* (u) *Supra ſub Reg. 10. b. Claſſ. cap. 5. §. 36. pag. 180. 181. Confer etiam Præfat. Lat. Nunt.* (v) *Sciti. Moral. Lib. 35. cap. 9.*

Digitized by Google

avido; nequaqum poterit ille ſolidum & perpetuò durans cum Chriſto ſpirituale *convivium* futuræ *Reſtitutionis* celebrare. Interim moneo Lectorem, ut conferat hîc illa quoque S. *Gregorii* verba, ſupra (*x*) in medium producta, quibus docet, verba iſta Libri S. Job, (*y*) *Reverti ad dies adoleſcentiæ*, idem ſignificare, quòd, *prioris vitæ integritate renovari*.

LIII. De *convivio* ſpirituali fidelium ultimi temporis nunc memorato, placet lucis causâ ex doctiſſimo Cœlio *Pannonio* (Ord. S. Paul. prim. Er.) ſequentia hîc poſtremò ſubnectere: (*z*) *Quid hoc loco Cœna* (nuptiarum Agni) *ſit, ignorare non poſſumus, ſi præcedentia cum ſequentibus conſideremus. Neq; enim aliud per eam intelligimus, quàm ULTIMI TEMPORIS gaudia, quæ tanta erunt in Dei Eccleſia, ut QUODAM MODO PARIA ſint COELESTIBUS, ut jure conſortes convivii ejus, beati fore autumentur.-- Conſolationes namq; Sanctorum ita dilatabuntur, ut non niſi cœleſtes exiſtimentur; quando certatim regna, regiones, civitates, oppida, & univerſæ gentes ad fidem ſuſcipiendam ultrò convolare cernentur. Quid dicam? Myſteria tunc agentur in credentibus cœleſtium gaudiorum, & tam ampliſlua erunt, ut nequeant, niſi cœleſtium comparatione deſcribi.* Rationem dat: quia tunc *Sancti intùs & extra PLENI erunt gloriâ Chriſti.* Et infra: *O--terq; quaterq; beati, qui ad Cœnam nuptiarum harum Agni vocati ſunt, quiq; ſub illud tempus erunt! Quicquid modo ſolennitatum habemus, umbra quædam ſolennitatis illius temporis eſt.* Lege plura ibidem: & paſſim ea quoque, quæ habet de *ſeptimo tempore* Eccleſiæ Nov. Teſt.

LIV. Hæc de *Regula* 32da, *Reſtitutionem omnium* in Eccleſia in terris futuram tradente ſatis: in qua illuſtranda, explicanda & adſtruenda, ob argumenti gravitatem tam diù immorari debuimus. Nunc jam ad 33*tiam* & ultimam hujus Claſſis Secundæ *Regulam* in ſequentibus (Deo Duce) progredimur.

CAPUT X.

In quo, *de* Adventu Domini, *de* Die Domini, *deq;* Judicio *futuro*, Regula *hujus ſecundæ Claſſis ordine* Triceſima-tertia *traditur, & explicando*, *quid* Adventus Domini, *quid* Dies Domini, *&* Dies judicii *ſignificent, quàmve* largo *ſensû hæ phraſes juxta Scripturam S. ſint accipiendæ*, *fusè illuſtratur.* Adventum *Domini ſecundum*, *præter ipſius* perſonalem apparitionem *publicam*, *includere ſub ſe etiam* adventum *ejuſdem* Domini *in ſuis* operibus *glorioſis*, *ac ſpecialiter* in ſuis Sanctis, *luculenter demonſtratur.*

REGULA XXXIII.

I. *Qui ſenſum & ſcopum Scripturæ S. de* Adventu Domini, *de* Die Domi-„ni, *deq; terribili* Judicio *futuro*, *rectè non aſſequitur*, *is in plurimis* „*prophetiis & typis intelligendis errabit ac hærebit.*

II. Hanc

(*x*) *Hoc cap.* §. 7. *in Arg.* 2. *pag.* 260. (*y*) *Job.* 33. *v.* 25. (*z*) *Collect. in Apoc.* 19. *v.* 9. *pag.* 402.

Digitized by Google

II. Hanc *Regulam* formare, & cum accurata vocum & phraſium memoratarum excuſſione tenere, quàm ſit pro plurimis *prophetiis* ac *figuris* ſacris intelligendis neceſſarium; ſequentia Lectori attento monſtrabunt. Eſt enim velut hæreditarium nobis, non ex aliqua Eccleſiæ determinatione, nec ex SS. Patrum conſenſu unanimi, multò minùs ex Spiritûs S. in Scriptura ſacra loquentis ſcopo, ſed partim ex meris inde ab infantia præjudiciis quaſi cum lacte materno hauſtis, partim verò ex non accuratè expenſis quibuſdam Scripturæ S. locis natum & acceptum, ita ſentire de *Adventu Domini*, de *Reſurrectione* mortuorum, deque *Judicio* illo terribili, quaſi hæc omnia tantæ conſiderationis, tantique momenti opera, (quibus ab exortu humani generis nunquam ſub Sole ſimilia contigerunt,) intra unicum naturalem *diem*, ſine juſta mora, velociſſimè peragerentur; atque tàm admirandâ, tam ſtupendâ, tamque ingenti rerum Mundi hujus cataſtrophe, rapidiſſimâ illâ & planè ineffabili celeritate conſummatâ, Terrâq; hâc (in igne flammanti) relictâ, Sancti eodem ipſo *die* (literaliter acceptô,) hinc in Cœlos raperentur. Quæ opinio quanta ſit (in tanto præſertim progreſſu Evangelii) in nobis infantia, (neq; enim me ipſum quoad priorem opinionem ab ea excipio,) unuſquiſque Vir eruditus & veritatis amantiſſimus, ex infra dicendis dijudicet. Deo itaque gratiosè per ſuum Spiritum S. mihi aſſiſtente, conabor huic tam arduæ tamque gravi materiæ lucem aliquam afferre, quâ Scripturæ S. verba de dictis terminis & phraſibus ſonantia, ita ſecundùm ſcopum Spiritûs S. intelligi poſſint, ut iis rectè intellectis via nobis pandatur, ad plurimas reconditi ſenſûs *prophetias* & *figuras* abſque errore & hæſitatione cum tempore intelligendas.

III. Maturè autem Lectorem præmoneo, me nullum hîc recentiorum pro duce ſecuturum; (ſalvo interim per me viri cujuſque docti hoc in argumento honore;) nec quicquam ſolius ingenii & privatæ qualiſcunque intelligentiæ viribus confiſum, de tam ſublimi argumento dicturum; ſed ſub ductu cœleſti, ſolummodò Scripturariis, & in Scriptura S. fundatis SS. Patrum documentis, pro præſenti ſcopo meo illuſtrando & fulciendo uſurum. Hôc enim fixô apud me propoſitô, tutiùs & feliciùs me inceſſurum, probè novi. Sic ergo de dictis vocibus, phraſibus atque rebus ingentibus ordine dico.

IV. (1.) *Adventus Domini* in Scripturis ſacris, non ſignificat aliquam breviſſimi tantùm temporis (v. gr. unius ſolummodò *diei* naturalis) Chriſti Judicis viſibilem, glorioſam & terribilem in aëre apparitionem; ſed longè largiorem in ſe includit ſignificationem, ut infra (*a*) patebit. (2) *Dies Domini*, & *Dies judicii* in Scripturis celebratiſſimus, non ſignificat tantùm unicum aliquem *diem* naturalem & literaliter ſic dictum, ſed *diem* myſtico ac pro-

(*a*) *§. 5. & ſequ. inprimis §. 12. 14. 32. 35. 37. b. cap. & paſſim hoc cap.*

ac propheticô ſtylo ſumptum; hoc eſt, *tempus* aliquod, quantitate ſeu duratione ſuâ, gloriæ ac majeſtati Chriſti Judicis, & rerum in ejus judicio peragendarum amplitudini, pro ſapientia Dei adæquatum ſeu proportionatum: quod etiam ex ſequentibus perſpicuum erit. Non ignoro hîc fuiſſe olim quoſdam, qui *judicio* Chriſti futuro definiêrunt *mille annos*; ut jam obſervavit ex V. *Beda* doctiſſimus *Cornelius* à Lapide. (*b*) *Nonnulli* (inquit) *olim ſic explicarunt S. Petrum*, (ſcil. 2. Epiſt. 3. ℣. 8.) *q. d. Dies judicii, ut exactum de ſingulis fiat examen, durabit per mille annos.* Cujus ſententiæ refutationem illicò ſubjicit ex dicto V. *Beda.* Ita etiam ex Proteſtantibus, *Joannes* Epiſcopus Oxonienſis, (Annotation. in S. *Cyprian.* de Exhortation. Martyr. cap. 11. ad verba illa: *Septem dies, annorum ſeptem millia*,) hæc ſcribit: *Sunt qui ipſum judicii diem, mille annorum moram habiturum ſtatuunt.* Verùm nihil tale quid hîc determinare mihi eſt animus, neq; etiam ullâ merè humanâ in dictis vel dicendis à me, (præſertim in tanto argumento,) authoritate niti volo; ſed ſtando penes dictum meum propoſitum, *tempus* in genere hîc cum S. *Auguſtino* (*c*) intelligo; *tempus* ſcilicet *noviſſimum*, idque non nimis breve, ſed potiùs ſuo modô ſatis longum; videlicet, Majeſtati & amplitudini adventûs ac judicii Chriſti, ut jam dixi, adæquatum. Id autem de ſua quantitate præcisè determinare, non eſt niſi ejus, cui Deus ipſe (poſt plenius Prophetiarum implementum) ex ſpeciali ſua gratia daturus eſt lumen intelligentiæ temporum, in arcanis Scripturæ S. reconditorum.

V. Utrumque de memoratis phraſibus punctum proximè poſitum, ſequentibus junctim probatur argumentis. (1.) Quia perpetuus eſt mos Prophetarum, quotieſcunque de futuro loquuntur ſic: *In die illa*, hoc vel illud futurum eſt; ſive, cum *Diei Domini*, aut *Diei magna* & *terribilis* faciunt mentionem, nunquam pro unico tantùm naturali die, ſed in genere pro *tempore* (eoque utplurimùm ſatis longo) *Diem* accipere. Ex innumeris ſequentia ſubjicio loca, & quidem primò, de phraſi illa, *in Die illa*. Sic: Iſa. 2. ℣. 11. col. ult. *Exaltabitur Dominus ſolus in DIE illa*: Quæ iterùm repetuntur ibid. ℣. 17. Et mox eod. cap. 2. ℣. 20. 21. *In DIE illa, projiciet homo idola argenti ſui, & ſimulachra auri ſui.* &c. *Et ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cavernas ſaxorum, à facie formidinis Domini.* &c. In quibus, per *diem* illam, *tempus* Novi Teſt. ſignanter autem pars ejus extrema intelligitur. Et cap. 3. apud eundem Iſaiam, ℣. 7. (al. 8.) & ibid. ℣. 18. (al. 19.) & cap. 4. ℣. 1. & 2. (*In die illa, erit germen Domini in magnificentia & gloria*; &c.) & cap. 5. ℣. 30. & 7. ℣. 18. 20. 21. & 10. ℣. 20. 27. &c.

(*b*) *Comment. in 2. Pet. 3. v. 8. ad verba illa*: Unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus. (*c*) *Infra* §. 28. *h. cap. verba ejus producentur, ex Lib. 20. de Civ. Dei, cap. 1.*

Digitized by Google

20. 27. & 11. ℣. 10-11. & 12. ℣. 1. 4. & 19. ℣. 19. 23. 24. & 27. ℣. 13. & 31. ℣. 7. Item, Jerem. 4. ℣. 9. & 30. ℣. 8. Item, Ezech. 38. ℣. 18. & 39. ℣. 11. Et Hoſ. 2. ℣. 16. & Joël. 3. ℣. 18. & Amos. 9. ℣. 11. & Mich. 2. ℣. 4. & Soph. 1. ℣. 10. collat. ℣. 12. Item, Zach. 3. ℣. 10. & cap. 12. ℣. 3. 4. 6. & 13. ℣. 1. & 14. ℣. 8. 13. Lumen his addit, quòd *Jeremias* ſubinde in plurali *dies* nominando, non plus temporis eô deſignat, quàm alii Prophetæ per ſingularis numeri *diem.* Vide Jerem. 23. ℣. 5. 6. 7. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum.* &c. (collat. Iſa. 4. ℣. 2.) & cap. 30. (Jer.) ℣. 3. *Ecce dies veniunt,* &c. Et ſtatim ibidem ℣. 8. de eadem re & eodem tempore, ſic loquitur: *Et erit in die illa, -- conteram jugum ejus de collo tuo,* &c. & cap. 31. ℣. 27. 29. 31. *Ecce dies veniunt,* &c. & cap. 33. ℣. 15. 16. *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen juſtitiæ.* &c. Hîc etiam conferantur verba illa Iſaiæ, paulò antè citata, (cap. 4. ℣. 2.) *In DIE illa erit germen Domini in magnificentia,* &c. Et illa, Amos. cap. 9. ℣. 11. *In DIE illa ſuſcitabo Tabernaculum David,* &c. Et iſta Zach. 13. ℣. 1. *In DIE illa erit fons patens domui David,* &c. Adjunge ſuperioribus, Jer. 50. ℣. 4. 20. & 51. ℣. 47. 52. collat. ℣. 27. 30. & 31. cap. 50. ibid. Quæ omnia perſpicuè monſtrant, *diem* in ſingulari apud Prophetas de futuris loquentes, æquè *tempus* in genere ſignificare, ac *dies* in plurali, nunquam autem unicum ſolummodò *diem* naturalem ſeu propriè dictum. Jam ſpecialiùs de *Die Domini*, ſubjiciamus aliquot loca veterum Prophetarum. Sic Iſa. 2. ℣. 12. *DIES DOMINI exercituum ſuper omnem ſuperbum* &c. & 13. ℣. 9. *Ecce DIES DOMINI veniet crudelis, & indignationis plenus* &c. Jerem. 46. ℣. 10. *DIES ille DOMINI exercituum, dies ultionis.* &c. Ezech. 30. ℣. 3. *Appropinquat DIES DOMINI, dies nubis.* &c. Joël. 1. ℣. 15. *Prope eſt Dies Domini.* & cap. 2. ℣. 11. *Magnus eſt DIES DOMINI, & terribilis valde.* collat. ibid. ℣. 31. Et 3. ℣. 14. *Juxta eſt dies Domini in valle conciſionis.* Item, Amos. 5. ℣. 18. 20. Soph. 1. ℣. 7. 14. 15. *Juxta eſt DIES DOMINI magnus* &c. Et Mal. 4. ℣. 5. *Dies Domini magnus* &c. Atque hæc in ſingulari numero dicta, in plurali efferuntur per LXX. Interpr. Zach. 14. ℣. 1. Ἰδὺ ἡμέραι ἔρχονται κυρίυ. & eidem verſioni conformiter in Latina Vulgata: *Ecce VENIENT DIES DOMINI.* Imo & in textu Hebræo apud Joëlem cap. 3. ℣. 1. in plurali hic *Dies* exprimitur, coll. ℣. 31. cap. 2. Huc faciunt etiam loca, in quibus *Dies furoris, Dies iræ,* vel *ultionis* in inſtrumento veteri memoratur. Ut v. gr. Job. 20. ℣. 28. & 21. ℣. 30. Pſal. 109. (al. 110.) ℣. 5. Prov. 11. ℣. 4. Iſa. 34. ℣. 8. & 61. ℣. 2. & 63. ℣. 4. Jerem. 46. ℣. 10. Ezech. 7. ℣. 19. Soph. 1. ℣. 15. & 2. ℣. 3. collat. Exod. 32. ℣. 34. juxt. V. Vulgat.

Digitized by Google

VI. Cum in his omnibus (ac ſimilibus) locis, *Dies* in ſingulari numero poſitus, & nonnunquam etiam cum epitetho, *Dies Domini*, *Dies furoris*, *Dies iræ*, *Dies ultionis*, perpetuò & conſtanter *tempus* in genere ſignificet, non autem *diem* tantùm unicum naturalem; quâ ratione & quô fundamentô (quæſo) dicemus ſtylum Scriptorum Novi Teſt. adeò differre à ſtylo Prophetarum Veteris Teſtamenti, ut in Prophetis quidem illis Spiritus S. perpetuò *tempus* in genere, in Scriptoribus autem Novi Teſt. unicum tantùm *diem* naturalem ac propriè dictum nomine *diei* ſignificare voluerit? Ineptum, imò planè abſurdum eſt vel cogitare hanc inter hos & illos Scriptores in ſuo ſtylo differentiam: cum è contra certum ſit, non ſolùm in genere, dictiones & phraſes hujus vel illius Inſtrumenti ſe ſe mutuò illuſtrare, ſed & ſpecialiùs in præſenti argumento, Scriptores Novi Teſt. ex ſtylo veterum Prophetarum phraſim illam mutuatos fuiſſe, quâ tempus glorioſi *adventûs* Domini, & *judicii* ejus futuri, per *Diem Domini* ſolent ſubinde exprimere. Ut v. gr. in ſequentibus: 1. Cor. 5. ℣. 5. 2. Cor. 1. ℣. 14. Item, 1. Theſſ. 5. ℣. 2. & 2. Theſſ. 2. ℣. 2. & 2. Pet. 3. ℣. 7. 12. Adde his locum ex *Joële* ab Apoſtolo citatum, Actor. 2. ℣. 20. & juxta Vulg. Latinam editionem, 1. Cor. 3. ℣. 13. Alibi autem eodem ſenſû dicitur per S. Paulum *Dies Chriſti*. V. gr. Philip. 1. ℣. 6. 10. & ibid. cap. 2. ℣. 16. Et alibi ab eodem per excellentiam dicitur tantùm *DIES ILLA*, more Prophetarum. Vide 2. Tim. 1. ℣. 18. & cap. 4. ℣. 8. Præivit in hoc ei ipſe Dominus Salvator, Matt. 7. ℣. 22. & 24. ℣. 36. & Marc. 13. ℣. 32. & Luc. 21. ℣. 34. Aliquando verò tantum *dies* abſolutè, juxta textum Græc. 1. Cor. 3. v. 13. ἡ ἡμέρα δηλώσει. H. e. *Dies manifeſtabit*. Confer Rom. 2. v. 16. *In die, cum judicabit Deus* &c. & Actor. 17. v. 31. Nonnunquam dicitur *dies adventûs Domini noſtri*, 1. Cor. 1. v. 8. juxta Mal. 3. v. 2. *Quis poterit cogitare*, (vel, juxt. Hebr. *Quis ſuſtinebit*) *diem adventûs ejus*? Vocatur etiam per eundem *Dies iræ*, Rom. 2. v. 5. juxta. Soph. 1. v. 15. collat. Iſa. 13. v. 10. Idem eſt autem *Dies iræ*, cum *Die furoris*, vel *Die ultionis*; de quibus loquendi modis jam ſupra attulimus loca in medium. Dominus & Salvator noſter, ex conſveto apud Hebræos loquendi modo, (ut colligi poteſt ex Judith. 16. v. 20.) ab actu ejus *diei* terribili ac juſtiſſimo, ut Summus omnium Judex, vocat *Diem* illum, *Diem Judicii*; Matth. 10. v. 15. & 11. v. 22. 24. & 12. v. 36. quem in eo loquendi modo ſecutus eſt etiam S. Petrus; 2. Epiſt. cap. 2. v. 9. & 3. v. 7. Uti & S. Joannes; 1. Epiſt. cap. 4. v. 17. Eſt autem etiam illa locutio fundata in veterum Prophetarum ſcriptis; quod patet, tum ex eo, quòd ſubinde legitur in iis de futuro Domini *judicio* univerſali: ut, Pſal. 1. v. 5. & 75. (al. 76.) v. 10. & 95. (al. 96.) v. 10. 13. & 97. (al. 98.) v. 9. Eccl.

12. v. ult.

12. v. ult. Iſa. 3. v. 13. 14. & 34. v. 8. (collat. Deut. 32. v. 36.) & Joël. 3. v. 12. tum verò ex hoc; quia *Dies iræ*, *Dies furoris*, vel *Dies ultionis*, modus loquendi Prophetis uſitatus, idem eſt ſenſû & à parte rei, (quoad impios præſertim,) cum *Die judicii.* Locutio etiam illa, quâ *Dies judicii* ſeu *Adventûs* glorioſi Domini noſtri, dicitur in Novo Teſt. *Noviſſimus Dies*, (Joan. 6. v. 39. 40. 44. 55. & cap. 11. v. 24. & 12. v. 48.) eſt pariter deſumpta ex veteri Inſtrumento: Vide, Prov. 31. v. 25. Iſa. 30. v. 8. Jerem. 23. v. 20. & cap. 30. v. 24. Hos. 3. v. 5. Hæc omnia oſtendunt, *Diem Domini*, & *Diem judicii*, non poſſe, nec debere ſenſû accipi ſtrictiori in codice Novi Teſtamenti, quàm accipitur in Scripturis Vet. Teſtamenti.

VII. Si quis urgeat, & objiciat, *Diem* vocari in Scripturis *Diem adventûs* Domini, & *Diem judicii*; is per hoc nihil prorsùs contra noſtram poſitionem efficiet. Jam enim ex proximè dictis patet, *diem* in hoc argumento, non pro die naturali ſeu literali ac propriè dicto, (24. horis conſtante,) ſed pro *die* myſtico & prophetico, hoc eſt, pro *tempore* accipiendum eſſe. Quò plus quiſpiam recto judicio & mente veritatis amante rimabitur loca Vet. Teſt. hîc adducta, eò magis ei patebit *diem* in illis ſenſû à nobis poſito accipi. Percurrat, ſi placet, alias etiam plurimas ſimiles locutiones extantes apud Prophetas; eandem veritatem ſibi confirmari diſcet. Non eſt autem dubium, (quod & ſupra (*d*) eſt inſinuatum,) Prophetarum veſtigia ſecutos fuiſſe etiam Apoſtolos & Evangeliſtas (præeunte ipſis Domino noſtrô) in ſcopo & ſenſû magni illius *Diei* venturi. Vertunt quidem aliqui recentiorum interpretum, Actor. 17. v. 31. *diem* hunc, cum additamento, (*e*) *unum diem*; at verò illi voculam illam, planè extra & ultra textum Græcum ex ſuo addiderunt. In Græco enim tantùm ſic habetur: ἔστησεν ἡμέραν, h. e. *ſtatuit diem*; & pariter tum in *Vulgata* Latina verſione, tum apud alios multos (*f*) celebres Interpretes, juxta textum Græcum indefinitè reperitur. Quanquam fateor, ex ſtylo & more loquendi Prophetarum de futuris, non illicò ſignificaret unicum tantùm *diem* naturalem, ubi cum appoſitione *unius diei* eſſet mentio: quod apparet ex ſequentibus. Iſa. 9. v. 14. *Diſperdet Dominus ab Iſraël caput & caudam, incurvantem & refrenantem DIE UNA.* Et cap. 10. v. 17. *Devorabitur ſpina ejus & vepres, DIE UNA.* Et cap. 47. (ejuſd. Iſa.) v. 9. *Venient tibi duo hæc ſubitò in DIE UNA, ſterilitas & viduitas.* (collat. Apoc. 18. v. 8.) Et cap. 66. v. 8. *Nunquid parturiet terra in DIE UNA?* Et Zach. 3. v. 9. collat. ibid. v. 10. Et cap. 14. v. 7. *Erit DIES UNA,*

(*d*) §. 6. *h. cap.* (*e*) *Ita* Lutherus; *ita* Hungari *Proteſtant. ita* Belgæ; *&* Galli *in verſion.* Diodat. *per* Mares. *edit. Ita etiam* Genevens. *edit.* Gall. *an.* 1588. (*f*) *Vide Ariam* Montan. *Ital, Venet, edit.* Brucioli, 1532. Bez. *item,* Anglic. Bohem. *&* Syriac.

qua nota eſt Domino. collat. ibid. v. 8. 9. 10. & ſequ. In quibus omnibus locis, *Dies una*, pro *una* quadam & certa *periodo* temporis, cujus partes ſibi ſunt contiguæ, accipitur. Confer hîc lucis causâ, *dies duos*, & *tertium* tanquam unum, apud Oſe. cap. 6. ℣. 2. Ex his firmiſſimè ſic concluditur; quòd ſi in hujuſmodi locis nunc allegatis, reſtrictio non poteſt eſſe ad *unicum diem* naturalem, multò minùs poterit in iis, in quibus nulla ejuſmodi determinatio numeri apponitur. Ex codice Novi Teſt. (ne & hoc omittam,) multùm valet ad ceteras de *Die Domini* locutiones illuſtrandas, locus ille, qui exſtat Joan. 8. ℣. 56. *Abraham P. v. exultavit ut videret DIEM meum.* Ubi *Dies* Salvatoris, pro toto tempore Meſſiæ, ſeu Novi Teſt. accipitur. Si pro toto, quantò magis poteſt ac debet accipi pro parte ejus poſtrema, h. e. pro noviſſimo tempore? Alibi idem tempus Meſſiæ, per *dies* in plurali numero exprimitur. Luc. 17. ℣. 22. juxt. textum Græc. *Venient dies, quando deſideretis μίαν τῶν ἡμερῶν τȣ̃ υἱȣ̃ τȣ̃ ἀνθρώπȣ ἰδεῖν, unam* † *DIERUM Filii hominis videre, & non videbitis.*

VIII. Hæc de *primo* argumento à phraſibus Scripturæ Veteris Teſt. (de *Die* &c.) petito, ſatis. In quo, quicquid *Dies judicii* convenit, id æquè applicandum eſt, *Diei* etiam glorioſi *Adventûs* Domini; cum hic *adventus*, *judicium* illud tanquam ſuum finem ſub ſe comprehendat, utrumque verò ſub phraſi *Diei Domini* comprehedatur.

IX. (2.) *Alterum* noſtrum argumentum petitur à clariſſimo Chriſti Domini teſtimonio, nos docentis de tempore ſui *adventûs* latiùs extendendo. Apertis enim verbis, Luc. 17. ℣. 26. tempus illud, non *diem* in ſingulari, ſed *dies* in plurali dicit. *Sicut factum eſt* (inquit) *in diebus Noë*, (*ὕτως ἔςαι ϗ̀ ἐν ταῖς ἡμέραις τȣ̃ υἱȣ̃ τȣ̃ ἀνθρώπȣ.*) *ita erit & IN DIEBUS FILII HOMINIS.* Et ſtatim ibidem ℣. 30. idem tempus per *Diem* in ſingulari exprimit. *Secundùm hac erit* (inquit,) *quâ DIE Filius hominis revelabitur*; ut nos doceat, *diem* in hoc argumento, ſive in ſingulari ſive in plurali numero poſitum, ſemper ſtylô Propheticô pro *tempore* accipiendum eſſe. Conferatur interim lucis causâ cum priori (26.) verſu, id quod habetur Jac. 5. ℣. 3. *Theſaurizâſtis* [*vobis iram*] *in NOVISSIMIS DIEBUS.* Ubi manifeſtè per *noviſſimos dies*, tempus *judicii* extremi intelligitur; collatô Rom. 2. ℣. 5.

X. (3.) *Tertium* etiam argumentum à perſpicuis in hanc rem Scripturæ Novi Teſt. verbis ſumitur. Sanctus enim *Petrus*, tempus futuræ gloriæ manifeſtandæ, quô electi, tum quoad corpus, tum quoad animam ſimul, repoſitam ipſis ſalutem & beatitudinem conſequentur, in genere *tempus noviſſimum* (ſeu *ultimum*) vocat; 1. Epiſt. cap. 1. ℣. 5. *Qui* (inquit) *in virtute*

† *Seu, ex diebus.*

in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam revelari in TEMPORE NOVISSIMO. (Græc. ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ.) Atqui *ſalus* illa *tempore* illo (*g*) revelabitur, quod aliàs dicitur, *Dies Domini*, vel *Dies judicii*: ergo *Dies Domini*, vel *Dies judicii* in Scriptura S. non unicum diem naturalem, ſed *tempus* in genere, idque *noviſſimum* ſignificat: ſicut etiam à S. *Auguſtino* exponitur; ut paulò poſt * audiemus.

XI. (4.) *Quartum* argumentum pariter fundatur in diſertis Scripturæ S. verbis per magnum Apoſtolum S. *Paulum* prolatis, iisq; omnem prorsùs contradictionem vel exceptionem excludentibus. Is enim diem ſeu tempus futuræ *apparitionis* Chriſti glorioſæ, non *tempus* in ſingulari, ſed planè *tempora* in plurali numero vocat; quì modus loquendi in Scriptura S. nunquam breviſſimum aliquod, ſed potiùs longum tempus denotat. Sic ille, 1. Tim. 6. ℣. 14. 15. (præmiſsâ admonitione ad Timotheum de *ſervando mandato ſine macula*,) ſcribit: μέχρι τῆς ἐπιφανείας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ· ἣν καιροῖς ἰδίοις δείξει ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης, &c. H. e. *Uſque ad adventum* (ſeu *apparitionem*) *Domini noſtri Jeſu Chriſti*: *quem* (adventum, † ſeu, *quam apparitionem*) *SUIS TEMPORIBUS oſtendet beatus & ſolus potens, Rex Regum & Dominus dominantium.*

XII. (5.) *Quintum* argumentum ſumitur ab ingenti & tremendo illo opere, quod tempore futuri *adventûs* ac *judicii* à Chriſto Domino, non ſolùm ut Deo, ſed ut Deo & homine, (utpote homines maximè concernens,) potenter, patenter ac publicè ad omnium conſcientiæ convictionem & denudationem exercebitur. Illud autem eſt ſummè (*h*) *Regium*, utpote, *Judiciarium.* Non ignoratur, quòd Chriſtus ante illud quoq; tempus fuit & eſt *Rex* atque *Judex* totius Mundi; ſed tunc glorioſiſſimè & cum pleniſſimo *Regii* ſui ac *Judiciarii* muneris exercitio, cumque valde ſenſibili hominum & Angelorum experimento coram omnibus futurus eſt. Jam hîc fiat collatio cum munere ejuſdem Domini noſtri *Prophetico* & *Sacerdotali.* Chriſtus Dominus, ut communiter notum eſt, ſuum munus *Propheticum* & *Sacerdotale* in his terris publicè & ad hominum experientiam, non minùs tribus annis exercuit. *Sacerdotale* nempe, exercuit, partim orando ſubinde pro ſuis, eiſdemque ſuis benedicendo, partim verò offerendo pro nobis ſe ipſum in cruce, atque ſic ſuâ † paſſione & morte ſacerdotium ſuum perfectum ac æterni valoris reddendo: cujus ſuî oblatio lis Sacramentum paulò ante jam præmiſerat, idque ſuis ad ſuum uſque adventum iterandum & exercendum in ſuæ mortis commemorationem juſſerat;

 ac per

(*g*) *2. Tim. 4. v. 8. & 1. Pet. 1. v. 7.* * §. 28. *h. cap.* † *Ita ex Græco.* (*h*) Judicium *Chriſti, ad Regium munus ejus pertinere, patet, Pſal. 71. (al. 72.) v. 1. Iſa. 32. v. 1, collat, Prov. 20. v. 8, & 29, v. 14.* ‡ *Vid. Heb, 2, v. 10, collat, cap. 9. v. 12.*

ac per hoc, ſe in Cœlo quoque exiſtentem, in ſuis tamen Servis Sacerdotem adhuc in terris futurum eſſe indicavit. Quanquam etiam in Cœlis intercedendo pro nobis, & ſe ipſum, ut antea immolatum, cum omnibus ſuis meritis Deo Patri offerendo & exhibendo, adhuc ſacerdotium exercet. *Propheticum* autem munus exercuit docendo & prædicando; quod etiam hodie exercet per ſuos Servos, & exercebit quoad uſque prædicatio Evangelii in Eccleſia vigebit. An ergo putabimus tertium ſuæ Mediationis munus, nempe *Regium*, in gloria & publicè quoad actum *Judiciarium* exercendum, ſummumque illud & maximè tremendum opus, ad quod collimant ultimatè omnes minæ vel conſolationes ſanctarum Scripturarum, non niſi intra pauculas unius diei naturalis horas, coram hoc terrarum Orbe duraturum? Quæ cauſa (quæſo) fundamentalis, quæ ratio motiva, quæve neceſſitas urgens tantæ feſtinationis, tantæ celeritatis, ne dicam, fugæ velociſſimæ, imò rapiditatis animo quoque prorsùs incomprehenſibilis, ut *unico die* naturali, tam grandia, tam ardua, tam tremenda, & hactenùs experimentô ignota Mundi *Judicis* opera (quoad exercitium actûs judiciarii) penitùs finem ſuum habere debeant? Chriſtus Dominus in humana ac viſibili forma ad judicandum orbem terrarum apparebit: eſt enim verus homo; utpote, propter nos homo (*i*) nobis (exceptô peccatô) ſimilis factus. Quicquid ergo perfectionis in humanis judiciis cogitari poteſt, (ut, ſi quis cogitet hominem in ſtatu integritatis judicantem,) id omne Chriſtus Dominus noſtrî causâ in judicio illo adhibebit. Atqui perfectioni judicii humani (quale fuiſſet vel eſſet in ſtatu integritatis) repugnat nimia illa in judicando celeritas, imò rapiditas, quam ſupponit opinio illa, quâ vulgò putatur, omnia futuri *adventûs* & *judicii* Domini opera unico *die* naturali peragenda fore. Non obſtante ergò, quòd Divinitas ineffabilem *judicio* illi futuro addet perfectionem & majeſtatem, (ut vel maximè de *judicio* illo magno ejuſque partibus verum ſit illud: (*k*) *Judicia* Dei *abyſſus multa*; &, (*l*) *Judicia ejus ſunt incomprehenſibilia*;) neq; etiam eô, quòd ſumma *judicii* illius perfectio hoc ſecum feret, ut millies atq; millies (h. e. inexcogitabiliter) expeditiùs & celeriùs omnia in illo peragenda ſint, quàm in judiciis corruptæ naturæ humanæ (cunctationes pro more habentibus) peragi ſolent; manet nihilominùs verum, quòd Chriſtus Dominus, non ſolùm ut Deus, ſed etiam ut verus homo propter nos, humanô modô, at perfectiſſimô tunc judicaturus eſt; ob idque tempus operi illi adæquatum & proportionatum ad illud peragendum requiritur. Scilicet, Divina Chriſti majeſtas, ut olim in exercitio *prophetici* & *ſacerdotalis* ejuſdem muneris perſonali, non abſorpſit humana in eodem Domino noſtro opera, ſeu non ſe-

(*i*) *Hebr.* 2. *v.* 17. & *cap.* 4. *v.* 15. *collat. Rom.* 8. *v.* 3. (*k*) *Pſalm.* 35. (*al.* 36.) *v.* 7. (*l*) *Rom.* 11. *v.* 33.

non fecit, quin humano more ageret cum ſuis etiam poſt ſuî (*m*) reſurrectionem; ſic neque in *judicio* actus ejus humanos abſorbebit; h. e. non faciet, quò minùs pateat eum, non ſolùm ut Deum, ſed etiam ut hominem in *judicio* illo actus ſuos exerturum. Non quòd per ſe ac in propria ſua perſona omnes humanos *judicii* illius actus editurus & exerciturus eſſet; (cum hoc neque Reges mortales, etiamſi quàm ſanctiſſimi & ſapientiſſimi eſſent, ſuis in judiciis facere ſoleant;) ſed ipsô cum cœleſti ſuo comitatu, (ad exequendum, in omnes partes ejus mandata paratiſſimo,) in Cœlo aëreo, in gloria majeſtatis ſuæ manente, *judicium* in his terris per ſuos peraget Sanctos, qui omnia exactiſſimè juxta propriam ipſius Domini noſtri voluntatem & inſtructionem ſunt peracturi. Dum autem Sanctos hîc memoramus, intelligimus non ſolùm Sanctos cœlites, ſed etiam Sanctos illos, qui *vivi* reperientur in terris in *adventu* Domini. Cum enim certum ſit, (*n*) *Sanctos Mundum* hunc *judicaturos*; non eſt dubium quin etiam Sancti hujus † terræ in illo dicto includi debeant: quod clariùs & uberiùs patebit infra, * occaſione teſtimoniorum ex S. *Hieronymo* in medium adducendorum. Sed proximè ante hoc Mundi judicium, ipſi hi Sancti *vivi* (Mundo imperceptibiliter) priùs judicabuntur, (*judicium* enim ‡ *à Sanctuario* & (*o*) *à Domo Dei incipit*,) judicabuntur inquam, judiciô non condemnationis, ſed judicio emendationis, & emundationis ab omnibus ſuis peccatis, ac per conſequens pleniſſimæ abſolutionis, ut integrè puri, ſancti & immaculati inveniantur in glorioſa & publica Domini apparitione, ac per hoc aptiſſima ſint ad judicandum alios ſubjecta. Huc facit illud, Mal. 3. ℣. 3. *Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum.* &c. Ubi, non eſt dubium, quin de Domini ad futurum terribile *judicium* adventu ſit mentio. (Conſule ibid. ℣. 2.) Hæc de *quinto* argumento.

XIII. (6.) *Sextum* argumentum ducitur à figuris ſeu typis futuri judicii. Nullus è veteribus futuri illius *judicii* typis dari poteſt, qui ſignificaret, tempus ejuſdem *judicii* unicum tantùm diem naturalem fore; quin potiùs omnes illi typi contrarium docent. Vide & excute *Diluvii* tempus, juxta Gen. 7. ℣. 11. 24. & 8. ℣. 14. Invenies ibi anni unius & aliquot dierum revolutionem. Unde tamen non debes pro literali ſenſu, de tempore *judicii* futuri aliquid definitè concludere. Hoc ſaltem rectè inde inferes, quòd tempus *judicii* futuri, longè majus erit unico die naturali. Item; conſidera *Sodoma* & *Gomorrha* interitum; Gen. 19. v. 23. 24. 25. collatô etiam v. 30. de *Segor*; (Hebr. *Tzoar*;) cujus etiam ſucceſsû temporis ex eodem

(*m*) *Luc. 24. v. 25. 26. 27. 30. 36. 37. 38. 39. collat. v. 50. 51.* (*n*) *1. Cor. 6. v. 2.* † *Vid. S. Greg. Moral. in Job. Lib. 10. cap. 13. in cap. Job. 13. v. 3. Ubi disertè* Eccleſiam *judicaturam* tunc *docet.* * *Cap. 11. b. 2. Claſſ. §. 2. 3. 4. 5. 9.* ‡ *Ezech. 9. v. 6.* (*o*) *1. Pet. 4. v. 17.*

eodem judicio ſubſecutum eſt exitium; quod non ſolùm *Loth* ſignificat ſuo metû de inhabitando illo loco, ſed etiam colligere perſpicuè poſſumus ex verbis *Joſephi* Hiſtorici, (*p*) de *quinq;* illic Civitatum ruina teſtantis. Tempori judicii illius *Sodomorum* connumerari hîc debet etiam tempus adventûs Domini ea de re ad Abrahamum; Gen. 18. v. 1. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Tertiò; Terror quoq; deſcenſûs Domini in montem *Sinai* (ut terror erat,) pariter *judicium* Domini futurum adumbrabat. At quàm longo temporis ſpatiô, viſibile præſentiæ Dei ſignum illic commoratum ſit, colligere poſſumus ex Exod. 19. v. 1. 10. 11. & cap. 24. v. 1. 2. 18. & cap. 32. v. 7. & cap. 34. v. 2. 3. 4. 28. Item, Num. 1. v. 1. & cap. 10. v. 11. 12. Ita ut, juxta hæc, præſentia Dei in ſuis ſignis viſibilis, manſerit in *Sina* ferè per annum. Quartò; inter typos *judicii* futuri, connumeranda ſunt etiam judicia in *Ægyptios* effuſa. Exod. cap. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. Item, cap. 14. ibid. Demùm, (ut taceam nunc ruinam per *Aſſyrios* & *Babylonios* illatam,) pariter *judicium* Dei in contumaces Judæos circ. an. D. 70. effuſum, futuri typus eſt *judicii*; ut nôrunt Theologi. At neque hoc nobis nimis breve tempus monſtrat. Videri de eo poteſt inſignis Hiſtoricus *Joſephus*. Hæc omnia exempla typica docent, tempus futuri Chriſti adventûs, ejuſque tremendi judicii, non fore unicum tantùm diem naturalem, ſed in genere *tempus* ſatis longum. Sicut enim res per umbram, typum vel figuram ſignificata, (quà talis,) longè excedit ſuam umbram, typum & figuram, quà talis eſt; ſic etiam *tempus* rei ſignificatæ excedere debet *tempus* ſuæ umbræ vel figuræ; (quà nempè unaquæque umbra vel figura ſigillatim, non autem unius ejuſdemque umbræ ſeu figuræ iterata & frequens, diuq; continuata repetitio [ut fiebat in ſacrificiis antiquis] conſideratur:) ad minus ſaltem brevius eo eſſe non debet: ut ſic eò exactiùs appareat inter typum ut typum, & inter rem typo ſignificatam, ut excellentiorem, proportionata convenientia. Indeque pateat pro præſenti etiam ſcopo, *diem* illum extremum (prophetico ſtylo ſumptum) futurum eſſe verè *magnum*, (ut Scriptura (*q*) eum vocat,) non ſolùm intenſivè, ut loquuntur, ſed etiam extenſivè, quoad res tam multas, tam ingentes, tamque arduas, ordinatiſſimè in eo gerendas. Addere hîc poteram etiam *ſex dies* primæ creationis, cum *ſeptimo die* conſummationis operum Dei, & quietis, quatenùs illa quoque creatio typus fuit *nova* illius *creationis* & *reſtitutionis omnium*, quæ futura eſt in *Die* illo Domini magno. Sed ſufficiat, hunc typum obiter tantùm tetigiſſe. Ad ultimum jam progredior argumentum.

XIV. (7.) *Septimum* noſtrum argumentum eſt: Quia ipſa loca Scri-

pturæ

(*p*) *Antiquit. Lib. 5. cap. 5.* (*q*) *Joël. 2. v. 11. & 31. Soph. 1. v. 14. Mal. 4. v. 5. Apoc. 6. v. 17. Unde etiam typici quidam* dies, *propter illud judicium, quod præfigurârunt*, magni *dicuntur: Jerem. 30. v. 7. Oſ. 1. v. 11. Joan. 7. v. 37. & 19. v. 31.*

Digitized by Google

pturæ S. de futuro *Domini adventu*, ejuſque *judicio* terribili ſonantia, eas nobis res pandunt, quæ vel ſolâ ſuî inſpectione accuratâ oſtendunt, longè plus temporis, quàm unicum diem naturalem ad implementum talium locorum requiri. Inter alia non pauca, talia ſunt ſequentia veterum Prophetarum loca, quoad principalem in illis Spiritûs S. ſcopum: Pſalm. 95. (al. 96.) v. 10. & ſequ. & 97. (al. 98.) v. 9. collat. cum præcedentibus verſibus. Prov. 1. v. 26. 27. 28. 29. 30. Item, Iſa. 2. v. 12. 17. 18. 19. 20. 21. & cap. 4. v. 4. 5. & 13. v. 9. & 30. v. 27. & ſequ. & 34. v. 5. 6. 8. & 66. v. 15. & ſequ. ibid. Ezech. 30. v. 3. & ſequ. & cap. 39. v. 8. & ſequ. Dan. 7. v. 9. 10. 11. 12. 13. & cap. 12. v. 12. coll. v. 11. Oſe. 1. v. 11. Joël. 2. v. 11. 31. 32. & 3. v. 2. 12. 13. & ſequ. Soph. 1. v. 7. 14. 15. 16. Mal. 3. v. 2. & 5. & cap. 4. ibid. v. 1. 2. 3. Atque hæc & ſimilia ſunt loca illa Prophetarum, de quibus diximus in ipſa præſentis Capitis *Regula*, quòd *in iis intelligendis errabit ac hærebit* ille, *qui ſenſum & ſcopum Scripturæ S. de* Adventu *Domini, de* Die *Domini, deq́; terribili* Judicio *futuro rectè non aſſequitur*. Typica autem loca quædam huc ſpectantia, proximô argumento *ſexto*, jam produximus in medium. Sed ex allatis nunc Prophetarum locis pauciſſima tantùm ſuccinctè excutiamus, & ſcopo noſtro adaptemus. *Primus* ſit locus, Iſa. 13. v. 9. ubi hæc habentur: *Ecce dies Domini veniet, crudelis & & indignationis plenus, & iræ furoriſque, ad ponendam terram in ſolitudinem.* &c. Et mox ibid. v. 11. ſequitur: *Et viſitabo ſuper Orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum.* Verum eſt, quòd in his *Babylonis* quoque veteris ruina tanquam in typo, longè majorem ruinam præceſſura prædicitur; at verò Spiritûs Dei principalis in his ſcopus eſt, ſub typo illius ruinæ, Mundi hujus perverſi ruinam in terribili illo *judicio* futuram prænunciare. Nullus certè alius *dies*, niſi ſolus *dies* tremendi illius *judicii* futuri, dici poteſt in plena emphaſi, *dies crudelis, dies indignationis*, item, *dies iræ furoriſq́;* Domini. (Ibid. v. 13. coll. v. 9.) Conſule in hunc locum S. *Hieronymum*, Cornelium à *Lapide*; item, Didacum *Alvarez* à Medina, qui etiam S. *Chryſoſtomum*, & *Origenem* in ſuam partem citat pro ſententia, quam de ſenſu hujus loci defendimus. Jam verò audi, quid in eadem ſerie verborum ut ad unum eundemque ſcopum tendentium dicatur ibidem, de malis illo *die* in homines ſecuturis: (r) *Et erit* (homo) *quaſi damula fugiens, & quaſi ovis; & non erit* (inquit) *qui congreget: unuſquiſq́; ad populum ſuum convertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient.* (ſ) *Omnis qui inventus fuerit*, (ſcil. extra exercitum Chriſti judicantis,) *occidetur; & omnis qui ſupervenerit* (quaſi auxilio aliis affuturus,) *cadet in gladio.* (In *gladio* (s) nempe penetrantiſſimi verbi Divini, juxtà cujus normam futurum eſt illud judicium.) (t) *Infantes eorum allidentur in oculis eorum.* &c. Hæc & alia

(r) *Iſa. 13. v. 14.* (ſ) *Ibid. v. 15.* (s) *Confer Apoc. 19. v. 15.* (t) *Ibid. v. 16. apud Iſa. c. 13.*

Digitized by Google

alia ibidem myſticè intellecta, inque terribili illo *Die* (de quo ℣. 9.) pleniſſimè implenda, arguunt, longè majus pro eorundem implemento requiri tempus, quàm unicum *diem* naturalem.

XV. *Alter* locus ex allatis ſcopo noſtro adaptandus ſit, Iſa. 66. ℣. 15. 16. ubi hæc habentur: *Ecce Dominus* (u) *IN IGNE VENIET, & quaſi turbo quadriga ejus, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in* (v) *flamma* † *ignis: Quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem; & multiplicabuntur interfecti* (ſeu *confoſſi*) *à Domino.* At verò, mox illicò in eadem verborum in idem tendentium continuatione, ℣. 18. de eodem Domino *veniente* hæc ſubnectuntur: *Venio, ut CONGREGEM* (eos) *cum omnibus gentibus & linguis*, (ſeu ex Hebr. *ut* (x) *congregem omnes gentes & linguas,*) *& venient, & videbunt* † *gloriam meam.* Et immediatè ibid. ℣. 19. *Et ponam in eis* (y) *ſignum, & MITTAM ex eis qui ſalvati fuerint, ad gentes in mare,* &c. *& annunciabunt gloriam meam gentibus.* Quæ omnia (non obſtante, quòd ex parte aliquid de his ſub initia quoque Novi Teſt. impletum eſt) ſignificant feliciſſimum Evangelii progreſſum, (debellatis ejus hoſtibus,) & florentiſſimum Eccleſiæ Dei ſtatum (qualis hactenùs nunquam fuit) ultimo illo (de quo hîc prædicitur) *adventûs* & *judicii* Domini ‡ tempore futurum. Totus hujus capitis contextus ritè excuſſus docet, ea quæ hoc capite traduntur, quoad pleniſſimum ſuum implementum, ad extremum tempus pertinere. Atque hinc S. *Hieronymus*, in explicando verſu 23tio hujus capitis, (de *Neomeniis* & *Sabbatis* myſticis) ſic ſcribit: (z) *Breviter eſt dicendum: eos venire in Neomeniis & in Sabbatis, qui ſex diebus in quibus factus eſt Mundus, tranſcurſis atq; præteritis, feſtinant ad ſeptimum diem, id eſt, SABBATUM, in quo eſt vera requies.* Quæ verba ut lectori clariora fiant, jungat etiam hæc ſequentia ejuſdem S. Doctoris in quendam Pſalmiſtæ verſum „* dicta: (a) Ego *arbitror ex hoc loco* (Pſal. 89. ℣. 4. Quia mille anni in „oculis tuis, ut dies heſterna, &c.) *& ex Epiſtola, quæ nomine Apoſtoli Petri inſcribitur*, (b) *mille annos pro una die ſolitos appellari; ut ſcilicet, quia Mundus in ſex diebus fabricatus eſt, ſex millibus annorum tantùm credatur*

(u) *Conſule S. Hieron. S. Cyrill. Alex. & Cornel. à Lapid. in hunc loc.* (v) *Confer 2. Theſſ. 1. v. 8.* † *Pulchrè hæc illuſtrantur ex verbis illis antiqui* Sacramentarii Romani, *jam ex MS. Vatic. per Doctiſſim. Dn.* Thomaſium *typis edit. Rom. pag. 84. in clauſula quadam:* Per Dominum n. J. Chriſtum, qui venturus eſt IN SPIRITU SANCTO, judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Confer ibid. pag. 106.* (x) *Conſ. Matt. 25. v. 32.* † *Confer hîc illud Pſalm. 101. (al. 102.) v. 17.* Ædificavit Dominus Sion, & videbitur in GLORIA ſua; *collat. ibid. v. 22. 23.* (y) *Juxt. Ezech. 9. v. 4. & Apoc. 7. v. 3. collat. cap. 14. v. 1.* ‡ *De hoc tempore ſonat illud, Pſal. 36. (al. 37.) v. 18.* Novit Dominus DIES immaculatorum, *ſeu* perfectorum. *Conſ. Prov. 4. v. 18.* (z) *Comm. in Iſa. 66.* * *Scil. Pſal. 89. (al. 90.) v. 4.* (a) *S. Hieron. Epiſt. 139. ad Cyprian. in Explan. Pſal. 89.* (b) *2. Pet. 3. v. 8.*

datur ſubſiſtere, & poſtea venire ſeptenarium numerum, & octonarium, in quo verus exercetur Sabbatiſmus, & circumciſionis puritas redditur. Hæc ille: quæ nos lucis causâ hîc ex ipſo tranſcripſimus. Conſulat interim Lector de dicto loco Iſa. 66. etiam S. *Auguſtinum*, Lib. 20. de Civ. Dei, cap. 21. Quomodo autem feliciſſimus Evangelii progreſſus, & florentiſſimus Eccleſiæ ſtatus poſſit fieri tempore *judicii*, in infra dicendis patebit.

XVI. *Tertius* locus ſit pro noſtro ſcopo paucis enucleandus, Mal. 3. ℣. 2. (coll. ℣. 1. col. ult.) & ℣. 3. & 4. ibidem: *Ecce* (inquit) *venit, dicit Dominus exercituum: Et quis poterit cogitare* (vel *ſuſtinere*) *diem adventûs ejus, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Et* † *ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem, ſicut dies ſaculi, & ſicut anni antiqui.* Hæc vel ipſa per ſe ritè excuſſa monſtrant, ad horum implementum longè plus temporis requiri, quàm unicum *diem* naturalem. Sed ut tantò firmior ſit noſtra de hoc loco pro argumento *ſeptimo* intentio, audiamus S. *Hieronymum* in eundem locum ſic ſcribentem: (c) *Ecce venit* &c. *Iſte igitur* (Angelus Teſtamenti) *ſtatim* „*& velociter veniet ad Templum ſuum, id eſt, Eccleſiam.* Et quis poterit co„gitare diem adventûs ejus? *Si cogitare præ potentia majeſtatis ejus nemo* „*poteſt, ferre quis poterit?* Et quis ſtabit ad videndum eum? *Hoc eſt, quis poterit eum lippientibus & cæcutientibus oculis in ſua claritate conſpicere, qui* „*eſt* (d) *Sol juſtitiæ, & in cujus pennis eſt ſanitas?* Ipſe veniet quaſi ignis „conflans, & quaſi herba fullonum. (e) *Ignis enim in conſpectu ejus arde*„*bit, & in circuitu ejus tempeſtas valida. Tunc vocabit Cœlum deſuper, &* „*terram, ut dijudicet populum ſuum.-- Ignis autem dicitur Dominus, &* (f) *ignis conſumens, ut ligna noſtra,* (g) *fœnum, ſtipulamq; comburat. Et non ſolùm ignis* (dicitur,) *ſed & herba fullonum.-- Ipſe his, qui graviter peccant,* ignis conflans *eſt atq; conſumens: qui autem levia peccata committunt,* herba fullonum, *ut lotis munditiam reſtituat; ſecundùm quod ſcriptum eſt* „*in Eſaia:* (h) Lavabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion. &c. *Qui* „*ſordes habent, Spiritû judicii indigent; ut laventur; qui ſangvine pleni ſunt, ſpiritû combuſtionis; ut ſangvis, qui in eis extrinſecùs litus eſt, auferatur.* Et „ſedebit conflans & emundans ſicut argentum; *ut ſecundùm Ezechielem,* (i) *quicquid in auro noſtro & argento, id eſt, ſenſu & eloquio, ære, ſtanno, ferro, plumboq; commixtum eſt, in camino Domini percoquatur; ut purum au-*

† *Vel ipſa* ſeſſio *habitum hic* judicantis *denotat.* (c) *S. Hieron. Comm. in Mal.* 3. *v.* 1. *v.* 3. *&* 4. (d) *Mal.* 4. *v.* 2. (e) *Pſal.* 49. (*al.* 50.) *v.* 3. *&* 4. (f) *Deut.* 4. *v.* 24. *& Hebr.* 12. *v.* 29. (g) 1. *Cor.* 3. *v.* 12. (h) *Iſa.* 4. *v.* 4. *juxt. LXX.* (i) *Cap.* 22. *v.* 18. 19. 20. 21. 22.

Digitized by Google

„*rum remaneat & argentum.* - - (*k*) Tempus eſt enim ut judicium incipiat „à Domo Dei. *Et alibi ſcribitur:* (*l*) A' Sanctis meis incipite. *In filiis autem Levi* (Mal. 3.) *omnem Sacerdotalem intellige dignitatem. Si autem Sacerdotes purgandi ſunt & colandi, ut purum aurum remaneat & argentum; quid de cæteris eſt dicendum? Qui cum EMUNDATI fuerint & colati, TUNC OFFERENT DEO juſta ſacrificia, & placebit ſacrificium eorum, quod offerunt pro Juda & Hieruſalem,* (*h. e. pro his, qui Dominum confitentur, & pacem ejus mente conſpiciunt;*) ſicut dies ſæculi, & ſicut anni „antiqui; *ut quomodo in principio* (in Abraham, Iſaac & Jacob) *placuerunt Deo; ſic poſt peccatum & POENITENTIAM placere incipiant, cum OMNI fuerint peccatorum SORDE PURGATI.*

XVII. Adjungamus his conſona ex Sancto quoque *Auguſtino.* ſic de dicto loco ſcribente: (*m*) *Propheta Malachias - - judicium noviſſimum prophetavit dicens:* (*n*) *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens. Et quis ſuſtinebit diem introitûs ejus, aut quis ferre poterit, ut aſpiciat eum? Quia „ipſe INGREDITUR quaſi ignis conflatorii, & quaſi herba lavantium. „Et ſedebit conflans, & emundans* &c. usq; ad, *& non mutor.* (juxta LXX.) Subditque: *Ex his quæ dicta ſunt, videtur evidentiùs apparere, in illo judicio „quaſdam quorundam purgatorias pœnas futuras. Ubi enim dicitur:* Quis „ſuſtinebit diem introitûs ejus, aut quis ferre poterit ut aſpiciat eum; quia „ipſe ingreditur quaſi ignis conflatorii, & quaſi herba lavantium, & ſedebit conflans & emundans ſicut aurum, & ſicut argentum, & emundabit „filios Levi, & fundet eos ſicut aurum & ſicut argentum, *quid aliud in„telligendum eſt? Dicit tale aliquid & Eſaias:* (*o*) *Lavabit Dominus ſordes „filiorum & filiarum Sion, & ſangvinem emundabit de medio eorum ſpiritu „judicii, & ſpiritû combuſtionis.* Et paulò poſt: *Cum dicit: Et emundabit „filios Levi, & fundet eos ſicut aurum & argentum, & erunt Domino offe„rentes hoſtias in juſtitia, & placebit Domino ſacrificium Juda & Hieruſalem; utiq; oſtendit eos ipſos, qui emundabuntur, deinceps in † ſacrificiis juſtitiæ Domino eſſe placituros, ac per hoc ipſi à ſua injuſtitia mundabuntur, in qua Domino hoſtia diſplicebant. Porrò in plena perfectaq; juſtitia, cum mundati fuerint, ipſi erunt. Quid enim acceptius Deo tales offerunt, quàm ſe ipſos?*--Fi„lios *autem* Levi, & Juda & Hieruſalem, *ipſam Dei Eccleſiam debemus accipere, non ex Hebræis tantùm, ſed ex aliis etiam gentibus congregatam; „nec talem qualis nunc eſt; ubi,* (*p*) *ſi dixerimus, quia peccatum non ha„bemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: ſed qualis tunc erit, velut* area *per* (*q*) *ventilationem, ita PER JUDICIUM PURGATA NOVIS-*

(*k*) 1. *Pet.* 4. *v.* 17. (*l*) *Ezech.* 9. *v.* 6. *juxt. LXX.* (*m*) *Lib.* 20. *de Civ. Dei, cap.* 25. (*n*) *Mal.* 3. *v.* 1. 2. (*o*) *Iſa.* 4. *v.* 4. *juxt. LXX.* † *Phraſin vide, Pſal.* 4. *v.* 6. & 50. (*al.* 51.) *v.* 21. (*p*) 1. *Joan.* 1. *v.* 8. (*q*) *Matt.* 3. *v.* 12.

Digitized by Google

NOVISSIMUM. Hæc ille. Illud verò apud eundem Malachiam: (*r*) *Et placebit Domino ſacrificium,-- ſicut diebus PRISTINIS, & ſicut annis PRIORIBUS*, idem S. *Auguſtinus* (quantum ad comparationem) refert (*ſ*) partim ad ſtatum primævæ *integritatis*; partim verò ad tempus *hoſtiarum veteris legis*, hoc ſenſu: quòd quemadmodum olim *hoſtiæ* de pecoribus *immaculatæ*, omnique vitio carentes offerendæ erant, (uti & tales per Deum timentes ſunt oblatæ;) ſic electi & ſancti, per hoſtias illas olim (ut membra Chriſti) præfigurati, *immaculati* prorsùs, & *ſine ullo peccato* futuri ſunt, poſtquam igne judicii fuerint *mundati.* A' numero autem *dierum* illorum *priſtinorum*, ad quos hîc fit comparatio, poſt ſtatum integritatis, vel maximè tempus vetuſtiorum Sanctorum & Patriarcharum, utpote, *Abelis*, *Noë*, *Melchiſedech*, *Abrahæ*, *Iſaaci & Jacobi*, [quorum omnem cultum, omniaque ſacrificia (in Chriſto) Deo placuiſſe, notiſſimum eſt] excludere haud debemus.

XVIII. Sed ad ſcopum redeamus. Hæc in locum *Malachiæ* allata; duorum magnorum S.Eccleſiæ Ducum & Luminum verba perſpicuè monſtrant, implementum citati loci *Malachiæ* de terribili illo *judicio* Chriſti futuro ſonantis, longè plus temporis, quàm unicum *diem* naturalem requirere: utpote, in quo emendatio & emundatio *plena* electorum (tunc in vivis reperiundorum) à ſuis peccatis futura eſt, eaque per veram *pœnitentiam*: ut S. *Hieronymi* verba (*t*) oſtendunt. Atque hæc emundatio electorum erit pars initialis *judicii* illius extremi (*u*) *incipientis à Domo Dei.* Nec miretur hoc quiſpiam; cum non minùs tunc ac hodie, futuri ſint multi ex ſalvandis, qui acerrimis caſtigationibus purgatoriis indigebunt ad hoc, ut à peccatis prorsùs liberentur, (quorum purgatio, tempus durationis *judicii* tranſcendere non poterit, nec tam brevis eſſe, ut unico die naturali peragatur;) & inſuper ſcriptum ſit, quòd in die ſeu tempore adventûs & judicii Domini, (*v*) *plangent* coram eo *omnes tribus terræ*; tribus nempe potiſſimùm Hebræorum (*x*) (ut ex Zacharia patet,) *terræ* tantùm & terrenis nunc corde affixorum. Per quem *planctum*, non tàm reproborum & damnandorum ejulatus inanis, quàm electorum & ſalvandorum (præcipuè ex Hebræis) ſalutaris pœnitentiæ *planctus* intelligitur: quod ex verbis Zachariæ cap. 12. ℣. 10. & ſequ. diſcere poſſumus. Atque huc faciunt illa etiam S. *Hieronymi* in allegatum Zachariæ locum dicta: (*y*) *Tunc dolebunt* (Judæi) *à ſe crucifixum, cum viderint in claritate regnan-*

(*r*) *Mal.* 3. *v.* 4. (*ſ*) *Lib* 20. *de Civ. Dei c.* 26. (*t*) *S.* 16. *h. cap. p.* 316. (*u*) 1. *Pet.* 4. *v.* 17. (*v*) *Matth.* 24. *v.* 30. *Apoc.* 1. *v.* 7. *collat. Zach.* 12. *v.* 10. 11. 12. 13. 14. *Quo de loco, conſule S. Hieronymum.* (*x*) *Ita S.* Juſtinus *Dialog. cum Tryph. pag.* (*mihi*) 249. (*y*) *Comm. in Zach.* 12.

gnantem. Et aliquantò pòſt: *In ſucciſione vitium vel * malorum*, (ſeu pomiferarum arborum,) *quando in die judicii omnia deponentur nomina Di-* „*gnitatum, & impletum fuerit illud, quod ſcriptum eſt*; † Ecce homo, & „opera ejus, *& palea à tritico ſeparata, erit planctus magnus, non in alio loco, ſed in Hieruſalem*, ſcilicet myſticè intellecta. *Etenim plaga atque judicium à SANCTIS incipiet, & Reges, & Sacerdotes, & Prophetæ, & Doctores tundent pectora*, (h. e. edent ſigna pœnitentiæ,) *cum mala pulcherrima viderint eſſe ſucciſa, & eum quem transfixerunt, in Patris ac ſua majeſtate regnare.* Confer maximè præcedentia ibidem ejus verba, atque „etiam illa, quæ habet eodem capite, ad illa Zachariæ verba: (z) *Et plan-* „*get terra; familia & familia*, ſeu *tribus & tribus ſeorſim: familia domûs* „*David ſeorſim, & mulieres eorum ſeorſim.* &c.

XIX. Huc facit & illud, quòd communiſſima tenet Chriſtianorum ſententia, quòd poſt perniciem *Antichriſti*, (qui etiam tempore *judicii* futuri, Chriſto jam ut Judice præſente, etſi nondum Orbi publicè manifeſtatô, abolebitur, ut infra * patebit,) certum adhuc temporis intervallum usq; ad finem Mundi ſuperfuturum eſt; quô plurimi (inprimis Judæi) convertentur ad Chriſtum, eritq; florentiſſimus illo tempore Eccleſiæ ſtatus. Hinc illud S. Hieronymi: (a) *Non* eſt *dubium, quin poſt Antichriſtum Sancti regnaturi ſint.* Hinc & illud *Cœlii* Pannonii: † *Poſt interitum Antichriſti, non ſtatim fiet judicium:* (ſcil. conſummatorium illud, cum perſonali & publica Chriſti revelatione futurum;) *alioquî, quomodo implerentur Scripturæ Prophetarum de converſione Judæorum?* Hinc etiam illa quorundam ſententia apud Cornelium à *Lapide* de reſiduis ſupra 1290. apud Danielem (b) diebus 45. his verbis ab ipſo relata: (c) *Aliqui per* 45. *dies accipiunt* 45. *annos, quos dandos cenſent poſt Antichriſtum usq; ad diem judicii*, (ſcilicet cum publica Chriſti manifeſtatione futuri,) *ut lapſi ſub eo RESIPISCANT. Si enim poſt occiſum Chriſtum à Judæis, dati ſunt iis* 40. *anni ad reſipiſcendum, puta usq; ad Titum & Veſpaſianum; cur non totidem & plures dentur toti Orbi in fine Mundi?* Ipſe verò Cornel. à *Lapide*, (non obſtante quòd aliquando 45. illos dies propriè acceperit,) ſic alibi ſuam huc ſpectantem proponit ſententiam: (d) *Veriſimilius eſt, plures dies*, (quàm 45.) *imò plures menſes & annos ſuperfuturos usq; ad diem judicii:* (ſano & limitatô ſenſû intellecti;) *id enim*

* *Reſpicit hic ad vocem Græc.* ῥοὼν, *apud LXX. in Zach.* 12. *v.* 11. *exſtantem, quæ ſignificat* locum malis Punicis conſitum. *Item, ad Cant.* 6. *v.* 10. *&* 8. *v.* 2. † *Scilicet, per primævos Doctores poſt Apoſtolos; ut per S.* Ignatium, *& alios. Vide de hac ſententia D. Huberti* Phales. *Præamb.* 3. *ad* Concord. SS. *Biblior. edit. Col. An.* 1684. (z) *Zach.* 12. *v.* 12. 13. 14. * §. 20. 21, 22. 23. *&* 24. *h. cap.* (a) *Comm. in Dan.* 5. *v.* 22. *Confer eundem Comm. in Iſa. Lib* 5. *in cap.* 16. *v.* 5. Finito Antichriſti pulvere, & vaſtatore ſublato,--Rex Chriſtus adveniet, *&c.* † *Collect. in Apoc.* 19. *v.* 21. (b) *Cap.* 12. *v.* 12. (c) *Cornel. à Lapid, Comm. in Dan.* 12. *v.* 12. (d) *Comm. in* 1. *Theſſ.* 5. *v.* 2.

id enim ſatis ſignificat Ezech. cap. 39. ℣. 9. *ubi docet, quòd caſo Antichriſto, ejusq; exercitû, Gog ſcil. & Magog, tanta erunt ſpolia, haſta & † arma, ut Judæi -- ſeptem annos ſat habeant ad ea comburenda. -- Succendent inquit, Ezechiel, ea igni ſeptem annis. -- Septem ergo anni* (ait) *poſt mortem Antichriſti dabuntur lapſis ad POENITENTIAM, in quibus poſt ſummam Antichriſti perſecutionem, videtur futura SUMMA PAX Eccleſiæ. Ita Hector Pintus, -- & Fran. Ribera.* Hæc ille. Eandem tradit ſententiam etiam *Blaſius Finckeneis* Ord. S. Ben. ex aliorum ſaltem mente, his verbis: (e) *Alii putant plus temporis interceſſurum, ut etiam Judæi & alii infideles poſſint converti, ab Antichriſto priùs ſeducti tot erroribus & prodigiis; docentq́; Antichriſto occiſo, ejusq; falſitate detectâ, totum Mundum ad Chriſtum convertendum, ita ut plures ſint futuri fideles quàm infideles in fine Mundi.* Mox citato loco Ezech. cap. 39. ℣. 9. coll. ℣. 12. ſubjicit deinde: *Ex quibus verbis dicunt probabiliter colligi, ſaltem ſeptem annos poſtea Mundum duraturum. Hujus ſententiæ inter alios* (inquit) *eſt Leſſius, Opuſc. de Perfectionibus Divin. L.* 13. *Cap.* 19. Hæc ibi. Taceo illos, qui aliquot centenos annos (*f*) hîc definiunt ſuperfuturos poſt *Antichriſtum.*

XX. Ad hæc forte dicet aliquis: Excidium *Antichriſti*, non in *judicio* illo tremendo, ſed ante illud futurum eſt, ut Doctores proximè citati tenent. Ad quod reſpondeo: Ita quidem memorati Doctores cum multis aliis tenent; ſed illi in iſta ſententia nimis reſtricto ſensû accipiunt nomen *judicii* illius tremendi; ſcilicet, pro parte illa ejuſdem, in qua ipſi quoq; olim morte corporis defuncti, à mortuis ſuſcitati, *judicio* ſiſtentur, perſonali Supremi Judicis in aëre præſentiâ Orbi terrarum jam tunc publicè manifeſtatâ. At verò nos contendimus & adſtruimus hoc Capite, *judicium* illud (juxta Scripturam S. & vetuſtos SS. Patres) longè latiùs poſſe atque etiam debere extendi, ut nimirum, ipſum quoque Antichriſti judicium & excidium ſub eo comprehendatur. Quod ſic illuſtramus, & ſimul confirmamus. Chriſtus Dominus in Scriptura Sacra (*g*) *Judex vivorum & mortuorum* dicitur, & in Symbolo quoque Apoſtolico (& aliis Symbolis,) *venturus* ad judicandum *vivos* & *mortuos* pronunciatur, voce *vivorum* perpetuô & conſtanter præpoſitâ. Quâ in locutione, per *vivos* intelliguntur, non ſolùm, qui excellentiori ſensû *vivi* dicuntur, ſeu qui vitâ ad æternam vitam ducente tunc in terris victuri ſunt, hoc eſt, Sancti & electi, ex quibus etiam peccati reliquiæ (ut jam † intelleximus) per *judicium* illud (ab iiſdem

† *Et* arma, & Judæos *myſticè apud Ezech. cap.* 39. *intellige.* (e) *In Theolog. ſua Controverſiſtic. Controv. 2dâ, de Infallibilitat. Eccl. & Cap. Eccl. n.* 841. *pag.* 236. *ed. Vien. an.* 1693. (*f*) *Vide de illis* Alcaſarem *in Apoc.* 20. *v.* 1. 2. & 3. *Expoſition. 9na.* (*g*) *Act.* 10. *v.* 42. *collat.* 2. *Tim.* 4. *v.* 1. & 1. *Pet.* 4. *v.* 5. † §. 16, 17. 18, *h. cap.*

iiſdem inchoandum) expurgabuntur; ſed etiam in genere *vivi* illi, (*h*) qui naturali vitâ tunc victuri ſunt; uti, plurimi impii, fortes & vegeti corpore; quos Dominus (poſt ſuos Sanctos emundatos) priùs judicabit, quàm ad eorum, qui antea morte corporali defuncti ſunt, *judicium* procedat. Id ſvadet primùm, conſtantiſſimus ille modus & ordo dicendi, de *judicandis vivis* & *mortuis*: ac ſi perſpicuè innueretur, primùm *vivos*, poſtea verò *mortuos* eſſe judicandos. Deinde, parabola quoque Domini prophetica (*i*) de *colligendis* in conſummatione Mundi *primùm zizaniis* myſticis, ac *in faſciculos ligandis ad comburendum*, ſicque *congregando tritico in horreum* ſuum, id pariter docet. Atque id ipſum requirit etiam uberior conſolatio Sanctorum illorum, qui in fine Mundi, ab hoſtibus ſuis tunc corpore victuris, proximè affligentur crudeliſſimè; ne ſcilicet vindicta ipſorum ultra differatur, ac ad *judicium* jam antè dudum defunctorum rejiciatur. Huc referri poſſunt loca Pſal. 36. (al. 37.) ℣. 8. 9. 10. 11. 34. & 57. (al. 58.) ℣. 11. & 91. (al. 92.) ℣. 12. collat. ibid. verſibus ſequentibus. Et Iſa. 66. ℣. 23. 24. Inter *vivos* autem hoſtes Eccleſiæ ultimi temporis, maximus erit *Antichriſtus*, utpote Caput omnis iniquitatis, & omnium crudeliſſimorum impiorum illius temporis: quem Dominus (antequam ſe perſonaliter, ſuamque (*k*) *gloriam* cœleſtem Orbi terrarum publicè manifeſtet,) judicabit per ſuos Sanctos tunc in terris victuros, æternoque exitio mancipabit. Eoſdem nempe, ſe ipsô ac ſuâ *virtute* cœleſti, ſeu potentiſſimâ ſuî præſentiâ gratioſâ plenè induendos, quos ipſe *Antichriſtus* paulò ante ſuum exitium perſequetur, mox verſâ rerum facie è latebris ſuis eductos, in ipſum, (*l*) ejuſque exercitum ſuſcitabit, eorumque miniſterio (quod cœleſtium Angelorum ſpeciali aſſiſtentiâ, & ipsâ, ut jam dictum, *virtute* Domini munietur) omnes ejus iniquitates, potentiâ verbi ſui, lumineque cœleſti Mundo deteget, & prorsùs evertet, eumque ſic (*m*) *Spiritû oris ſui* conſumptum & debellatum, atque (*n*) *è monte Dei* (h.e. ex Eccleſia, ejusq; loco eminentiori) *ejectum* ac deturbatum, juſtiſſimâ æternæ damnationis ſententiâ (unà cum pertinacioribus ſuis membris) feriet, & ad condigna ſupplicia (*o*) ablegabit, ſive, quod idem eſt, ſecundâ & æternâ morte (*p*) *interficiet*; donec omnem ejus Spiritum & potentiam in ſuis quibuſdam reliquiis, utcunq; adhuc ſpirantem, & caput (quanquam fruſtra,) erigere nitentem, (*q*) τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, *illuſtratione* ſeu *manife-*

(*h*) *Vide* S. Auguſtini *verba huc facientia, ſupra citata*: *cap.* 9. (*ſub Reg.* 32. *b. Claſſ.*) §. 20. *pag.* 272. (*i*) *Matt.* 13. *v.* 30. 40. (*k*) *Hic locum habebit illud juxta* LXX. *Int. Iſa.* 26. *v.* 10. *col. ult.* Tollatur impius ne videat gloriam Domini. (*l*) *Excute hîc benè Apoc.* 18. *v.* 6. *collat. Jerem.* 50. *v.* 15. *col. ult. quoad myſticum ſenſum.* (*m*) 2. *Theſſ.* 2. *v.* 8. *collat. Iſa.* 11. *v.* 4. (*n*) *Ezech.* 28. *v.* 16. *collat. Iſa.* 14. *v.* 12. 22. (*o*) *Apoc.* 19. *v.* 20. *collat. ibid. v.* 15. (*p*) 2. *Theſſ.* 2. *v.* 8. (*q*) *Ibid. col. ult.*

manifeſtatione adventûs ſui, hoc eſt, glorioſiſſimâ ac perſonali ſuî è Cœlis apparitione publicâ, *deſtruat* prorsùs & aboleat.

XXI. Ad ſcopum regreſſus, jam quæſo; annon judicium, quô omnium iniquorum maximus, ſcilicet *Antichriſtus*, cum ſuis membris pertinacioribus, dicto modô per Sanctos hujus terræ judicabitur, & ad mortem ſecundam, ſeu (r) *in ſtagnum ignis ardentis ſulphure, vivus* (corpore ſcilicet & animâ tenùs) ablegabitur, annon inquam, pars tremendi illius *judicii* univerſalis dici debeat? Tam tremendum certè & ultimum ejus *judicium*, poſt quod nulla nova cauſæ ejus diſcuſſio, nulla nova in ipſum ſententia, ſed ſolius primæ ſententiæ per Sanctos dicto modo latæ, publica per Supremum Judicem approbatio & confirmatio ei eſt expectanda, impoſſibile eſt, ut aliud dici queat, quàm pars futuri *judicii* univerſalis. Fatalis enim ejuſmodi damnatio cujuſpiam, in corpore & anima ſimul, qualis erit *Antichriſti* per Sanctos, (inprimis juxta ſublimem contra illum procedendi modum, Apoc. cap. 19no deſcriptum,) non alibi, quàm in tremendo *judicio* univerſali futura eſt; non obſtante, quòd nondum in perſonali *Antichriſti* damnatione & interitu, Chriſtus Dominus perſonalem ſuî præſentiam glorioſam Orbi terrarum publicè manifeſtabit. Præſentiſſimus enim jam tunc erit in ſuis Sanctis memoratis, admirabili ſuâ virtute cœleſti & potentiâ: ac per hoc, quicquid judiciarii actûs exercebit per illos, eidem Domino (ut jam Judici præſenti) id attribuendum erit, atq; etiam ſub adventu ejus glorioſo, (ut infra pleniùs patebit,) comprehendendum: non ſecùs, ac ſi quiſpiam Rex adversùs ſuos dudum rebelles ſubditos, ſuper aliis ſuis fidelibus crudeliter graſſantes, poſt longam patientiam, multaſque admonitiones, ipſemet è Regali ſuo ſolio & habitaculo glorioſè prodeat cum ſuis, ad cognoſcendam cauſam ſuorum, & faciendum rectum judicium; id quod in anteceſſum per ejus Vicarios plenâ judicandi auctoritate in medio afflictorum ſuorum ſubditorum ab eodem inſtructos fit juris proceſsû, contra quoſpiam, (v. gr. contra ipſum Caput ſeditioſorum, & aliquos ejus potentiores aſſeclas;) perinde Regi ut jam ad judicium fatale faciendum egreſſo tribuitur, ac ſi ipſe perſonaliter contra tales ſententiam fatalem protuliſſet; non obſtante, quòd tempore primi hujuſmodi judiciarii actûs, nondum ipſe Rex ex ſuo Caſtrenſi tentorio in publicum aliorum conſpectum ſe movit, multoque minus tribunal judiciarium in conſeſſu ſuorum conſcendit. Quàm facilis hinc ſit ad ſcopum præſentem applicatio, unuſquiſque eruditus videt.

XXII. Ut verò hactenùs de damnatione *Antichriſti* dicta clariora & firmiora fiant, placet hîc apponere eruditam pii & eruditi Authoris Commentarii in Apocalypſin inter Opera S. *Ambroſii* extantis, (at ipſo quoque

Ss S. *Gre-*

(r) *Apoc. 19. v. 20.*

S. *Gregorio* Magno ætate poſterioris) expoſitionem, in quoſdam verſus Apocal. capitis 19ni. Is quidem ab una parte recognoſcit actum glorioſum hujus capitis contra *Antichriſtum*, non pertinere ad *adventum* Chriſti, *in quo* (ut ipſe loquitur) *ad judicium venturus eſt*, ſcilicet ad perſonalis ſuæ præſentiæ manifeſtationem; at mox in pleniori & Scripturis uſitatiſſimo ſenſû *judicii*, diſertè hunc eundem actum actibus *Diei judicii* accenſet. Verba „ejus, (ad verſum illum: *Et vidi Cœlum apertum, & ecce equus albus; & qui* „*ſedebat ſuper eum*, &c.) hæc ſunt: (ſ) *Nullo modo æſtimare debemus, quòd hoc Capitulum ad adventum Chriſti pertineat, in quo ad judicium venturus eſt*, (ſenſû jam explicatô,) *ſed potiùs ad electos, qui in FINE MUNDI NASCITURI ſunt. Fine etenim Mundi inſtante, VENIET* (s) *DOMINUS CUM* ‡ *SANCTIS SUIS, ut pugnet PER IPSOS contra Antichriſtum & Miniſtros ejus. Et qualis à Sanctis illis* † *prædicabitur, talis & forma ejus in hoc loco deſcribitur. Nam per* Cœlum, *ECCLESIA deſignatur: per* Equum album, *Homo* * *quem Filius Dei aſſumſit, ſuper quem & ſediſſe viſus eſt; qui etiam* Fidelis & Verax *vocari dicitur.* Et paulò pòſt ad ver„ba illa, (t) *Et cum juſtitia judicat & pugnat*, ſic ſcribit: *Non* †*armis Deus IN DIE JUDICII contra impios dimicaturus eſt; ſed ejus juſtitiâ expugnabuntur & conterentur. Omnia enim peccata impiorum atq; ſcelera in conſpectu eorum adducet Dominus, ut ſciant ſe juſtiſſimo Dei judicio eſſe damnatos.* Et ali„quanto pòſt, ad verſum illum, (u) *Et exercitus qui ſunt in Cælo, ſeque*„*bantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo*, iſta ſcribit: *Diximus ſuperiùs, quia qualis Chriſtus à Sanctis in fine Mundi prædicabitur, talis & figura ejus hoc in loco deſcribitur. Per* Cœlum *ergò in hoc loco* Eccleſia; *per* exercitus *qui de Cælo proceſſiſſe viſi ſunt,* Sancti *qui IN FINE Mundi naſcituri, & contra Antichriſtum pugnaturi ſunt, intelliguntur. Per* eques, *eo-*

rum

(ſ) *Comm. in Apoc. 19. v. 11. inter Opera S. Ambros. Tom. 5.* (s) *Vide in hunc ſenſum, Zach. 14. v. 5. col ult.* ‡ *Quales hi* Sancti *futuri ſint, diſcere poſſumus ex prophetico illo S.* Ambroſii (*in Luc. 21. v. 7. & ſequ.*) *voto*: Veniat David, cui Chriſtus os aperiat ad eloquenda myſteria; Veniat ille Nazaræus, cujus capillus non cadat, vel nihil habens ſuperfluum quod cadere poſſit, vel nihil de ſuperioribus virtutibus amiſſurus, integer ſobrietate, fortis in pace, qui ſenſus omnes uſque in finem & verba cuſtodiat. Prædicetur Evangelium, ut ſæculum deſtruatur. *Satis innuit in his S.* Ambroſius, *tam excellentes futuros hos* Sanctos, *ut in illis myſteria typorum* Davidis & Samſonis (*inſignis* Nazaræi) *propter* Chriſtum *in illis futurum impleri debeant. De his confer ſupr. pag. 180. 181. & ſequ.* † *Nota hæc verba.* * *Humana ſil. natura noſtra in incarnatione* Chriſti *aſſumpta, quà extra perſonam* Chriſti *in excellentioribus ultimi temporis* Sanctis, *ac inprimis in uno & præcipuo illorum, qui vice* Chriſti *contra* Antichriſtum *pugnaturi ſunt, ut à* Chriſto *plenè inhabitanda conſideratur.* (t) *Apoc. 19. v. 11 col ult.* † *Non ſcilicet mundanis & tumultuariis; ſed ſpiritualibus; ipſa etiam arma externa dum oportet, pro executione juſtitiæ, juſtiſſimè & ordinatiſſimè excitantibus, & dirigentibus.* (u) *V. 14. ibid.*

rum (*v*) corpora, *per* ſeſſores *verò equorum*, animæ *deſignantur.* Albos *igitur equos habuiſſe viſi ſunt; quia ſe mundos & nitidos, in quantum humana fragilitas permiſit, exhibebant in conſpectu Dei.* Idem ad ✱. illum, (*x*) *Et „de ore ejus procedit gladius* &c. hæc habet: *Poſſumus per* os *Domini, Prædicatores, qui in fine Mundi naſcituri ſunt, accipere, per quorum os loquetur „Deus, ſicut ipſe dixit in Evangelio:* (*y*) *Non enim vos eſtis qui loquimini,* &c. Et mox: *Percutiet Chriſtus gladio ſuo gentes, quando per doctrinam Sanctorum ſuorum, hominum infidelium errores deſtruet.* -- *Per virgam ferream, Evangelium diximus fuiſſe deſignatum. Reget ergò Chriſtus gentes in virga ferrea, quando per doctrinam Sanctorum, & Judæos ad Fidem ſuam convertet, & electos ab erroribus Antichriſti defendet.* Et de *Angelo* (viſo) *ſtante in Sole*, † (✱. 17.) ſcribit: *Iſte Angelus, Prædicatores qui in fine Mundi futuri ſunt, ſignificat.* . *Per Solem verò Chriſtum intelligere debemus.*... *Quia Prædicatores ſancti in Chriſto ita ſolidabuntur, ut ab ejus fide nullâ perſecutione avelli poſſint.* Hæc ille. [Obiter hîc lucis causâ inſinuo: quòd cum in hoc exercitu cœleſti (i. e. Eccleſiaſtico) duæ ſint excellentes perſonæ; una, quæ ita planè deſcribitur (✱. 11. 12. 13. & 15. 16.) tanquam ipſe *Chriſtus*; quanquam rectè agnoſcente erudito Commentatore, nequaquam erit *Chriſtus* in propria ſua perſona viſibiliter præſens in bello illo ſpirituali actuque judiciario, quô *Antichriſtus* ore Spiritûs ejuſdem per Sanctos extingvetur; altera verò, (✱. 17.) tanquam *Angelus in* eodem *ſtans Sole* juſtitiæ, qui in priori perſona tanquam ejus vices gerente, eſt deſcriptus; hinc non incongruè dicere poſſumus, quòd, ut per hunc Angelum alter *duorum Teſtium* futurorum (tunc jam redivivus & redux in *Cœlum* Eccleſiæ) cum ſuis ſequacibus ſanctis Prædicatoribus intelligitur; ſic per eximium illum Ducem, qui tanquam *Chriſtus* deſcribitur, (eò quòd præ aliis *Chriſto* pleniſſimus erit.) ejuſdem *Vicarius* ultimi temporis, magnuſque Eccleſiæ *Paſtor*, per *equites* verò, illius ſequaces, (ſeu ſeſſores *equorum alborum*,) magni Prælati, aliique Sancti & excellentes Doctores cum præcipuis & fervidiſſimis ſuis auditoribus deſignantur. Sed hæc obiter.] Placet adhuc ſequentia ejuſdem ſupra laudati Authoris verba, ſuperioribus ſubjungere: (*z*) *Sancti*, (inquit,) *quorum doctrina per gladium oris Domini deſignatur, interfectô Antichriſto, inſultabunt infidelibus, eò quòd hominem impiiſſimum, atq; omnibus hominibus deteriorem, Antichriſtum, immortalem „Deum exiſtimaverint.* -- *At illi confundentur & (a) tabeſcent in iniquita-„tibus*

(*v*) Corpora *etiam myſtica, hoc eſt.* Populi & Eccleſiæ, *Sanctis Prædicatoribus obedientes, rectè hîc intelligi poſſunt.* (*x*) *Loc. cit. v. 15.* (*y*) *Matt. 10. v. 20. collat. Jerem. 15. v. 19.* † *Vide ſupra Claſſ. 1. Cap. 2. §. X. pag. 41. notas marginales ſub fin. ibid. de hoc loco poſitas.* (*z*) *Cit. Comment. in Apoc. 19. v. 21.* (*a*) *Ezech. 24. v. 23. collat. Pſal. 111. (al. 112.) v. 10.*

,,tibus ſuis. Omnes ergò aves ſaturatæ ſunt de carnibus eorum: quia ſubverſo Antichriſtò, omnes electi inenarrabiliter gaudebunt & exultabunt, eò quòd à tàm peſſimo hoſte miſericordia Divina eos liberaverit, omnesq; qui eos perſecuti fuerant, velut (*b*) *fumus evanuerint.* Hactenus ille. Cujus verba lectû digniſſima tantò libentiùs produximus hîc in medium, quòd ſciamus magnum ex iis lumen afferri rebus tempore *judicii* illius tremendi (in ſua latitudine accepti) gerendis.

XXIII. Videmus in his, (1.) negari quidem, idque rectè, damnationem & extinctionem *Antichriſti* Apoc. cap. 19no deſcriptam, pertinere ad tempus illud, quo Chriſtus perſonaliter & viſibiliter in *judicio* præſens erit; (illa enim iſtud præcedet;) at (2.) legimus hîc nihilominùs diſertè, quòd hæc damnatio Antichriſti *in Die judicii* (in *Die* nempe illo tremendo) futura eſt. Verba enim illa Auhor, *Non armis Deus IN DIE JUDICII contra impios dimicaturus eſt*, &c. nunc proximè ad juſtificandum Dei ſuper *Antichriſto* & pertinacioribus ejus aſſeclis *judicium* per Sanctos exercendum, protulit in medium, occaſione illuſtrationis verborum illorum: *Et cum juſtitia judicat & pugnat.* Sed nec obſcurè etiam idem Author, memoratam *Antichriſti* damnationem in ipſo Chriſti *adventu* (certo ſensû accepto) futuram eſſe docet, dum ait: *Fine Mundi inſtante, veniet Dominus cum Sanctis ſuis, ut pugnet per ipſos contra Antichriſtum*, &c. Quia ſcilicet jam tunc potentiſſimè præſens erit in illis *Sanctis*; quæ etiam ejus præſentia, *adventus* ejuſdem dici debet; ut infra (*c*) pleniùs patebit. Imò toties laudatus Author, (*d*) verba etiam illa S. Apoſtoli de Domino, (*e*) *Et deſtruet illuſtratione adventûs ſui eum*, nempe Antichriſtum, in interitu ejuſdem *Antichriſti* capite 19no Apoc. deſcripto impletum iri aſſerit: quô non obſcurè inſinuat, excidium *Antichriſti* per Sanctos (ratione jam deſcriptâ) futurum, ad ipſum *Domini adventûs*, ejuſque *judicii* tempus eſſe referendum: quod ſanè veriſſimum eſt, ſi *adventus* Domini, pro *adventu* ejuſdem in ſuis Sanctis glorioſo, (antequam ſe perſonaliter publicè manifeſtet) accipiatur, & *Antichriſti* (cum pertinacioribus ſuis membris) perſonale excidium hîc intelligatur: quale omninò intelligi debet toties citato cap. 19no. Sic etiam S. *Hieronymus*, diſertè ad *adventum* Domini refert excidium Antichriſti in his verbis: (*f*) *Quem* (Antichriſtum) *Dominus Jeſus interficiet Spiritû oris ſui, Divinâ videlicet poteſtate, & ſua Majeſtatis imperio*; (*cujus juſſiſſe, feciſſe eſt*;) *non in exercitûs* (mundani) *multitudine, non in robore militum*, (ſæculi hujus,) *non in Angelorum* (viſibili) *auxilio, ſed STATIM UT ILLE ADVENERIT, interficietur Antichriſtus. Et quomodo tenebræ Solis fugantur adventû; ſic illuſtratione adventûs ſui eum*

(*b*) *Pſal.* 67. (*al.* 68.) *v.* 3. (*c*) §. 32. *& ſequ. h. Cap.* (*d*) *Cit. Comm. in Apoc.* 19. *v.* 19, 20. (*e*) 2. *Theſſ.* 2, *v.* 8. (*f*) *Epiſt.* 151. *ad Algaſiam*, *Quæſt.* 11. *ſub fin.*

eum Dominus deſtruet, atq; delebit. Et alibi idem: (g) *Quando populi tui vindicabis injuriam; terrena Regna calcabis, & omnes gentes admirari facies: quia egreſſus es in ſalutem populi tui, & VENISTI ad eos cum Chriſto tuo.* Et mox: * *VENIENTE autem Jeſu Chriſto Filio tuo, percuſſiſti Antichriſtum de Domo impii, hoc eſt, in hoc ſæculo, quod † in maligno poſitum eſt.* Ita etiam *Primaſius* (h) exitium *Antichriſti* Apoc. cap. 19. deſcriptum, ad *ſecundum* Domini *adventum* refert. Pariter S. *Gregorius Magnus*, *Antichriſti* interitum, tempore adventûs & judicii Domini futurum eſſe tradit. Is enim poſtquam præmiſiſſet, (i) quòd *Diabolus in ultimis temporibus illud vas perditionis, quod Antichriſtus vocabitur, ingredietur,* mox ad verſum „illum S. Jobi: * *Expellet eum de luce in tenebras,* ſic ſcribit: *De luce* (Antichriſtus) *in tenebras ducitur, cum de honore vitæ præſentis, ad ſupplicia „æterna damnatur. Unde & apertiùs ſubditur: Et de Orbe transferet eum. De Orbe quippe transfertur, cum SUPERNO APPARENTE JUDICE, de hoc Mundo tollitur, in quo perversè gloriatur.* Et paulò poſt: *Scriptum „quippe eſt: (k) quia Dominus Jeſus interficiet eum Spiritû oris ſui, & deſtruet* &c. *Dum ergo ejus iniquitas cum Mundi ſtatu terminatur, progenies ejus in populo ſuo non relinquetur.* Et mox: *Diſtrictus JUDEX iniquitates illius cum ipſo Mundi fine concludit.*

XXIV. (3.) Obſervare & hoc poſſumus in allegatis eruditi Authoris verbis, quòd is debellationem & extinctionem *Antichriſti* (virtute & aſſiſtentiâ Chriſti) per electos & ſanctos ultimi temporis futuram docet; in quo poſt Scripturam S. conſentit cum S. *Hieronymo*, ſic in quendam Pro„phetæ Habacuc verſum ſcribente: (l) *Quòd autem* (Propheta) *dicit*: Ex„ſpoliabunt te omnes reliqui Populi, propter ſangvinem hominum, & im„pietatem terræ & Civitatis, & omnium habitantium in ea; *reliquos populos, SANCTOS intelligamus, qui Antichriſto † non ſervierunt,* (hoc eſt, non ſervient;) *à quibus expoliabitur impius propter impietatem, quam exercuit in univerſam terram, & vaſtitatem Civitatis Eccleſiæ, & perſecutionem omnium qui habitaverunt in ea.* Lumen & in eam ſuam expoſitionem, quam ſupra de *equitibus* ex ipſo audivimus, habere potuit ex eodem S. *Hieronymo*, ſic in verſu quodam ejuſdem Prophetæ docente: (m) *Quod ſi voluerimus* de *adventu Chriſti interpretari, juxta illud, quod in Apocalypſi ſcribitur,* „(n) *quòd Sermo Dei ſedeat in* equo albo, *& omnis exercitus in* equis albis

 ſequa-

(g) *Comm. in Hab.* 3. *v.* 10. Viderunt te, & doluerunt montes. *collat. v.* 13. * *Ad v.* 13. *ibid.* † 1. *Joan.* 5. *v.* 19. (h) *Comm. in Apoc. cap.* 19. *ſub fin.* (i) *Moral. in Job. Lib.* 14. *cap.* 11. *in cap.* 18. *Job. v.* 17. * *Ibid. v.* 18. (k) 2. *Theſſ.* 2. *v.* 8. (l) *S. Hieron. Comm. in Hab.* 2. *v.* 8. *collat. v.* 5. *& ſequ.* † Quos *ſcilicet Dominus abſcondet à facie Serpentis, juxta Apoc.* 12. *v.* 6. 14. (m) *Comm. in Hab.* 3. *v.* 15. *juxt. LXX.* Et ſuperduxiſti in mari equos tuos *&c.* (n) *Apoc.* 19. *v.* 11. 14.

ſequatur eum; videbimus quomodo Chriſtus aſcenderit in Apoſtolis ſuis, dicens „eis: (o) Ecce ego vobiſcum ſum -- uſque ad conſummationem. &c. Ite, baptizate &c. *& poſtea conſcenderit in uno equo candido, quem alium non puto eſſe, niſi Apoſtolum Paulum; ſuper quem equitans univerſum orbem circumierit.* Et mox ſubjicit: *Atq; utinam & in me aſcendat Verbum Dei, & per lanceam oris mei interficiat eum, qui regnat in aquis multis.* (Scilicet Diabolum.) Similia his & iſta ſunt apud eundem: (p) *Quare eques ſuper quos aſcendat Dominus, & puto non eſſe alios, quàm Sanctorum animas: ſuper quas aſcendit Sermo Divinus, ut & ipſas ſalvet, & alios per eas.* Affine eſt his illud apud S. *Gregorium* Magnum: (q) *Equitis nomine, anima ſancti viri exprimitur, quæ jumentum corporis benè ſubditum regit. Unde & Joan„nes Apoſtolus in Apocalypſi Dominum contemplatus ait: (r) Et exercitus qui „ſunt in Cœlo, ſequebantur eum in equis albis.* &c. Quod item, de *Prædicatorum* ultimi temporis *ſoliditate* toties memoratus Commentator eruditus ſcribit, id ex ſequentibus Cœlii *Pannonii* verbis, quæ de myſticis *pedibus Angeli* illius *fortis* (Apoc. 10. ℣. 1.) habet, inſigniter illuſtratur: † *Hic* (inquit) *pedes tanquam* ‡ *columna ignis deſcribuntur, ardentem ſimul animi FORTISSIMUMQUE affectum in ſanctis PRÆDICATORIBUS deſignans, qui in FINE SÆCULI ſunt futuri.* Quos ibidem pauló poſt *Apoſtolis*, primitivæ Eccleſiæ *columnis* (præmiſsâ eorundem Apoſtolorum deſcriptione) comparat his verbis: *In quem modum erunt & EXTREMÆ illius ÆTATIS PRÆDICATORES, hoc eſt, conſtantes, invicti, & in ardore ſpiritûs ferventes.* Concordat & in hoc *Pannonius* cum dicto Expoſitore, quòd per * *exercitus qui ſunt in Cœlo*, juxta Apoc. 19. ℣. 14. *multitudinem fidelium* in *Eccleſia* intelligit, & per *eques albos, mundiſſima Sanctorum corpora, quibus illi inſident, id eſt, imperant lege Spiritûs.*

XXV. (4.) Notamus meritò & hoc in allegatis ſupra verbis: quòd eruditus dicti Commentarii Author, perſpicuè indicat, tempore excidii Antichriſti, *per doctrinam Sanctorum, & Judæos ad fidem convertendos, & electos ab erroribus Antichriſti defendendos* fore: imò & *hominum infidelium* quorumlibet (inprimis Gentilium) *errores deſtruendos*: quæ futura ſunt per Evangelii potentiſſimam prædicationem & propagationem inter Judæos & alios populos. Unde jam nemo miretur, quòd diximus ſupra, (ſ) ex loco Iſa. 66. ℣. 18. 19. tempore *adventûs* & *judicii* Domini feliciſſimum fore Evangelii progreſſum, & florentiſſimum Eccleſiæ Dei ſtatum. Quò refer etiam illa, quæ non ita pridem (t) ex Cornelio à *Lapide*, & Blaſio *Finckeneis*, de ſecutura multorum poſt Antichriſti excidium converſione produximus

(o). *Matt. 28. v. 20. coll. v. 19. ibid.* (p) *Cit. Comm. in Hab. 3. v. 8.* (q) *Moral. in Job. Lib. 31. cap. 9. edit. Par. 1605.) in cap. 39. Job. v. 18.* (r) *Apoc. 19. v. 14.* † *Collectan. in Apoc. 10. v. 1.* ‡ *In textu*, columnæ. * *Collect. in Apoc. 19. v. 14.* (ſ) *§. 15. h. cap.* (t) *§. 19. h. cap.*

Digitized by Google

duximus in medium. Jam enim ſatis probatum dedimus, *Antichriſti* excidium, partem futuram eſſe magni & tremendi *judicii* univerſalis. Et ſanè quid aliud quàm id ipſum poſſumus colligere, vel ex illa quoque ſententia, quàm tenet (cum aliis quibuſdam) Cornelius à *Lapide* de excidio *Antichriſti*, juxta locum Apoc. 19. jam memoratum? Scilicet, exiſtimat (t) *Chriſtum* Dominum, *per Michaëlem* Archangelum, *quaſi Ducem ſuum, comitatum aliis Angelis, ingenti luce quaſi fulmine afflaturum Antichriſtum*, atque ſic *eum omni vi, robore & vitâ privaturum, ac deturbaturum in Tartara.* Certè ejus *deturbatio in Tartara*, non erit ſine prævia cauſæ ejus, hoc eſt, iniquitatis ejuſdem uſque ad convictionem ejus potentiſſima demonſtratione, atque ſic juſtiſſima ſententiæ judiciariæ in eum pronunciatione. Quod contra tam ingentem tamque univerſalem S. Eccleſiæ hoſtem, tanta cum potentia & gloria cum ſubſequenti illicò ſententiæ executione publicè facere. quid aliud quæſo eſt, quàm ſententiam tremendi & magni illius *judicii* futuri in eum pronunciare, & exequi? Porrò ſi *Michaëlem* & ejus comites *Angelos* myſticè hîc intelligamus, eo ſensû, quem ſupra (u) occaſione verſûs 17mi, cap. 19. Apoc. retulimus; ſic non erit inter iſtam & aliam ſuperiùs datam expoſitionem, ulla quoad executores hujus damnationis *Antichriſti* diſcrepantia realis.

XXVI. Atque hæc cuncta de excidio *Antichriſti* memorata, occaſione argumenti noſtri *ſeptimi* (ac proximè loci Mal. 3. ℣. 2, 3. & 4. excuſſi) ampliùs illuſtrandi & roborandi, dicenda erant. Quæ memorato argumento plenioris lucis causâ ſubjecta, eò vergunt, ut, poſtquam ex iis evidentiſſimè conſtat, *Antichriſti* exitium ad terribile Domini advenientis *judicium* pertinere, ac nihilominùs poſt illud exitium uberrimam populorum ad fidem & pietatem fore converſionem; inde quoque neceſſariò concludatur, *diem judicii*, non unicum diem naturalem, ſed in genere *tempus* ſatis longum futurum eſſe. Illis autem locis, quæ pro eodem argumento noſtro *ſeptimo* ſupra (v) congeſta ſunt, addere poſſumus ex Novi Teſt. codice, ſequentia etiam loca: V. gr. Apoc. 16. ℣. 15. *Ecce venio ſicut fur*; item, Matth. 24. ℣. 43. Luc. 12. ℣. 39. 1. Theſſ. 5. ℣. 2. & 2. Pet. 3. ℣. 10. collatô cum his alio locô, iiſdem primô intuitû contrario, ſcilicet, Matt. 24. ℣. 27. *Sicut fulgur exit ab Oriente, &c. ita erit & adventus filii hominis.* Sic etiam juxta Græc. & Latin. Vulgatam verſionem, habetur Pſal. 49. (al. 50.) ℣. 3. *Deus manifeſtè veniet.* Et, 2. Theſſ. 1. ℣. 7. 8. *in flamma ignis* dicitur *Dominus de Cœlo* revelandus. Quæ repugnantia apparens, facillimè ſolvitur & tollitur per adſtructam hactenùs de tempore *adventûs* ac *judicii* Domini ſententiam. Ita etiam difficultas ſequentium locorum optimè per eandem ſententiam complanatur: v. gr. Matth. 12. ℣. 41. 42. & 25.

(t) *Cornel. à Lap. Comm. in Apoc. 19. v. 11.* (u) §. 22. *b. cap.* (v) §. 14. *b. cap.* p. 313.

& 25. ℣. 6. 7. 8. 9. 10. Item, Apoc. 6. ℣. 16. coll. Oſe. 10. ℣. 8. & Luc. 23. ℣. 30. & Apoc. 8. ℣. 1. 2. Item, Apoc. 10. ℣. 7. collat. cap. 11. ℣. 15. Quæ ſtudio brevitatis, ſufficiat nunc abſque excuſſione ſaltem indicâſſe. Ex his omnibus, quæ inde à *primo* argumento huc uſque diximus, ſtat noſtra aſſertio, quâ tenemus, *diem adventûs* Domini ac *judicii* per eum futuri, in Scripturis, non *diem* aliquem naturalem, ſed *tempus* in genere tanto operi adæquatum & proportionatum ſignificare.

XXVII. Nec obſtat, ſi quis hîc objiciat communiſſimam hodie non ſolùm Vulgi, ſed & Doctorum ſententiam, ſeu potiùs opinionem de unico *die* judicii futuri, nullâ Eccleſiæ determinatione fultam. Nam (1) major eſt opinione illâ, auctoritas antiquorum illorum SS. Patrum, quorum pauló poſt ſententiam in Scripturis ſacris fundatam, in medium ea de re afferemus. (2.) Cum conſtet, idque ſupra (*x*) jam oſtendimus, nec ipſos ſanctos Dei Prophetas intellexiſſe ſemper claré & diſtinctè ſcopum Spiritûs Domini in ipſorum verbis reconditum; quantó magis idem dicere poſſumus de verbis quorumlibet privatorum Doctorum & ipſius Vulgi ſeu multitudinis humanæ, dum de rebus Divinis loquuntur, non ſemper eos in talibus ſuâ opinione exprimere ſcopum Spiritûs Sancti; ac proinde, non id eſſe ſpectandum, quid illi ut homines ſentiant in ejuſmodi ſuis verbis & aſſertionibus, ſed quid Spiritûs S. in Scriptura loquens, ſuamq; Eccleſiam (*y*) *in omnem veritatem* ducens, in iiſdem intendat. Hîc autem clarum eſt, *Diem adventûs* Domini ac *judicii* in Scripturis, Spiritum S. non pro *die* vulgari ac naturali, ſed ſtylo Prophetico, in genere pro *tempore* (tanto judicio convenienti) accipere: quod ſuperiora docent; atq; etiam ex infrà dicendis confirmabitur. Ex ſcopo ergó Spiritûs S. etiam vulgaris hominum opinio de *die* illa eſt corrigenda.

XXVIII. Nunc jam majoris causâ lucis, ut & roboris, apponamus hîc inſigne in hanc rem, de *Die judicii* futuri S. *Auguſtini* teſtimonium, in ſuperioribus non ſemel promiſſum. Sic autem ille ſcribit: (*z*) *Quod in confeſſione ac profeſſione tenet omnis Eccleſia Dei veri, Chriſtum de Cœlo eſſe VENTURUM, ad vivos ac mortuos judicandos, hunc Divini judicii ultimum diem dicimus, id eſt, NOVISSIMUM TEMPUS. Nam PER QUOT DIES † HOC JUDICIUM tendatur, INCERTUM EST: ſed Scripturarum more ſanctarum, DIEM poni ſolere PRO TEMPORE, nemo qui illas literas quamlibet negligenter legerit, neſcit.* Hæc ille. Quæ tam clara

(*x*) *Sub Reg. 4. Claſſ. 1. Cap. 1. §. 14. p. 33. & ſub Reg. 2. Claſſ. 2. Cap. 1. §. 19. p. 70. 71.* (*y*) *Joan. 16. v. 13.* (*z*) *Lib. 20. de Civit. Dei, cap. 1.* † *Cave, ne putes hîc S. Auguſtinum*, dies *hos* incertos *quoad numerum, intra unum aliquem annum concludere: ſed tantùm vult indicare, tempus durationis futuri* judicii *nobis adhuc eſſe incertum, quamdiu nempe illud extendi debeat: quem ſenſum, ipſiſſima ejus verba oſtendunt.*

clara ſunt pro noſtra ſententia, ut nullam penitùs admittant exceptionem. Vidimus jam ſupra, * quàm frequenter Scrptura ſacra, *Diem* latiori ſenſû pro *tempore* accipit. Sequitur in hac ſententia veſtigia S. Auguſtini etiam *Julianus* Epiſcopus (an. D. 680.) *Toletanus*, vir pius & doctus: qui ipſiſſima ferè verba S. Auguſtini in ſua transferens, docet, (*a*) *judicii* tempus, *diem ultimum* vocari, idem eſſe, ac *noviſſimum tempus* dicere. Ubi ipſe etiam ſubjicit, *incertum eſſe, per quot dies futurum judicium extendatur.* Huc faciunt etiam illa, quæ Cœlius *Pannonius*, de *ſeptima tuba* (quam eandem eſſe cum *noviſſima* S. Apoſtoli *tuba* docet) temporis diuturnitate ſcribit. † *Totum* (inquit) *tempus ab hoc* (ſcil. ab exitu tubæ ſextæ) *usq; in finem, ſeptima tuba eſt, in quo MULTA evenient: ſed quod Angelus perpendens convenienter dixit: IN DIEBUS vocis ſeptimi Angeli: id eſt, quum cœperit S. Eccleſia ultimam ſuam prædicationem diffundere, conſummabitur myſterium Dei, hoc eſt, arcanum decretum, quod modo latet, tunc revelatum implebitur. In DIEBUS dixit, plurativè, ſignificans DIUTURNITATEM TEMPORIS hujus, & quòd multa in eo accidant.* Et mox: *Hæc ſunt* (inquit) *TEMPORA, & articuli temporum, quæ Pater* (Act. 1. ℣. 7.) *poſuit in ſua poteſtate.* Teſtimonia S. *Hieronymi* pro nobis facientia, infra aliquantò poſt, * loco non minùs commodo producemus in medium. Nunc jam operæ pretium eſt, ut de rebus ſub voce ac phraſi *Adventûs Domini* glorioſi & *judicii* futuri comprehenſis vel comprehendendis aliquid dicamus, (quâ occaſione, dum de latitudine tremendi illius *judicii* agemus, audiemus etiam fusè promiſſa S. *Hieronymi* teſtimonia,) antequam de *Signis* quoque *Adventûs* Domini breviter diceremus.

XXIX. *Adventus Domini*, præter & poſt primum ejus in carne adventum, (de quo hîc non eſt ſermo,) duobus modis accipitur in Scriptura S. & inde apud Theologos. Nimirum, (1.) vel in effectibus ſeu operibus ſuis præcipuis; vel (2.) ſimul & in effectibus & in perſona ſua cum majeſtate. Primo modo, opera illa, in quibus dicitur ad nos *venire*, vel ſingulares perſonas privatim ſpectant; vel communiter ipſos homines, præcipuè verò S. Eccleſiam. Quà privatim ſingulares perſonas ſpectant, eatenus *venire* dicitur, vel ad mortem (ſeu exitum) uniuſcujuſque; (quod tamen in Scriptura S. non niſi implicitè, ſenſûque minus-principali, & per conſequentiam (*b*) invenitur;) vel ad ſanctificandum aliquem, ſuâque gratiâ imò ſe ipſô inveſtiendum. Quô ſenſû etiam, vel ex parte *venit* ad aliquem, (manentibus nempe in eo adhuc peccati reliquiis,) vel in plenitu-

Tt dine

** §. 5. & 6. h. cap. p. 304. & ſequ. (a) Julian. Prognoſtic. Lib 3. cap. 3. Biblioth. SS. Patr. Tom. 9. edit. Par. an. 1589. col. 954. † Collectan. in Apoc. cap. 11. v. 15. * §. 45. 46. h. cap. & cap. 11. §. 2. 3. & ſequ. (b) V. gr. ex Joan. 14. v. 3. Ubi tamen etiam, principalior ſcopus eſt ad Eccleſiam loqui, ſub perſonis diſcipulorum. Ita etiam Marc. 13. v. 35. 36.*

dine ſuæ gratiæ ab omni peccato & corruptione liberantis. De hoc *adventû*, quoad utrumque ſenſum, (ſed principaliter quoad ſecundum) eſt mentio, Joan. 14. ℣. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum VENIEMUS, & manſionem apud eum faciemus.* Item, Apoc. 3. ℣. 20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, INTROIBO ad illum, & cœnabo cum illo.* &c.

XXX. Accipiamus ad hæc lucem etiam ex S. *Bernardo* ſic piè & eruditè docente: (c) *Triplicem ejus* (Domini nempe) *adventum novimus. Ad homines*; (quando videlicet natus eſt;) *In homines*; *Contra homines. Ad homines quidem indifferenter*; *non autem ita in homines, aut contra homines. Sed quia primus & tertius* (h. e. ultimus) *noti ſunt, utpote manifeſti*; *de ſecundo, qui ſpiritualis & occultus eſt, ipſum audi dicentem: Si quis diligit me* &c. (Vide locum paulò antè ex Joan. 14. ℣. 23. citatum.) *Beatus apud quem manſionem facies Domine Jeſu. Beatus in quo* (d) *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidens columnas ſeptem. Beata anima, quæ ſedes eſt* (e) *Sapientiæ. Quænam eſt illa? Anima utiq; juſti. Meritò planè: quia* „(f) juſtitia & judicium præparatio Sedis tuæ. *Quis in vobis eſt fratres, qui deſiderat in anima ſua ſedem parare Chriſto? Ecce quænam illi ſerica,* „*quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari?* Juſtitia, (g) *inquit*, & ju„dicium præparatio Sedis tuæ. *Juſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt unicuiq; tribuens. Tribue ergo tribus quæ ſua ſunt. Redde Superiori*; *redde inferiori*; *redde æquali, cuiq; quod debes, & dignè celebras adventum Chriſti.* Et alibi ſic ſcribit: (h) *Tertius quidam adventus eſt medius inter illos*; (inter primum nempe & ultimum;) *in quo delectabiliter dormiunt, qui eum nôrunt.* --*In priore quidem* adventu *in terris viſus, & cum hominibus converſatus eſt.*--*In poſteriore verò,* (i) *videbit omnis caro Salutare Dei noſtri,* & (k) *videbunt in quem transfixerunt. Medius occultus eſt, in quo ſoli eum IN SE IPSIS vedent electi, &* † *ſalvæ fiunt animæ eorum. In primo ergò venit in carne & infirmitate*; *in hoc medio in SPIRITU & VIRTUTE*; *in ultimo, in gloria & majeſtate. Per virtutem enim pervenitur ad gloriam.*--*Adventus ſiquidem iſte medius, via quædam eſt, per quam à primo veniatur ad ultimum. In primo Chriſtus fuit redemptio noſtra*; *in ultimo apparebit vita noſtra: in iſto, ut* (l) *dormiamus inter medios cleros, requies eſt & conſolatio noſtra. Sed ne cui fortè inventitia videantur, quæ de hoc adventu medio dicimus,*

(c) *S. Bern. de triplici advent. Dom. Serm. 3. de Advent. Dom. Tom. 1. edit. Par. an.* 1602. *col. 8.* (d) *Prov. 9. v. 1.* (e) *Sap. 7. v. 7. & 27. & cap. 10. v. 16.* (f) *Pſal. 88. (al. 89.) v. 15. collat. Pſal. 96. (al. 97.) v. 2.* (g) *Loc. cit.* (h) *Serm. 5. de Adv. Dom.* (i) *Luc. 3. v. 6. ex Iſa. 40. v. 5. juxt. LXX.* (k) *Joan. 19. v. 37. collat. Zach. 12. v. 10.* † *Confer phraſim, Gen. 32. v. 30.* (l) *Pſal. 67. (al. 68.) v. 14.*

„*timus, ipſum audite: Si quis diligit me,- - ad eum veniemus,* &c. (Locum jam integrè dedimus * ſupra.)--*Plus aliquid dictum ſentio de diligente: quia ſermones Dei ſervabit. Ubi ergo ſervandi ſunt? haud dubium quin in corde,* „*ſicut ait Propheta:* (*m*) In corde meo abſcondi eloquia tua &c. *Sed* „*quomodo in corde ſervandi ſunt? An ſufficit ſolâ eos memoriâ tenere? At* „*verò ſic* (ſolummodò) *ſervanti dicet Apoſtolus:* (*n*) Quoniam ſcientia inflat. *Deniq; & memoriam facilè delet oblivio. Sic ſerva ſermonem Dei, quô modô meliùs ſervare potes cibum corporis tui.- - Ergò trajiciatur in viſcera quædam animæ tuæ, tranſeat in affectiones tuas, & in mores tuos.* (*o*) *Comedo* „*bonum, & delectabitur in craſſitudine anima tua.- - Si ſic verbum Dei ſervaveris, haud dubium quin ab eo ſerveris. VENIET enim Filius ad eum de Patre; VENIET* † *Propheta magnus, qui renovabit Hieruſalem, & ille* (*p*) *NOVA FACIET OMNIA. Hoc enim facit hic adventus, ut* (*q*) „*ſicut portavimus imaginem terreni, ſic portemus & imaginem cœleſtis. Sicut fuit vetus Adam effuſus per totum hominem, & totum occupavit; ita modò TOTUM OBTINEAT CHRISTUS, qui totum creavit, totum redemit, totum & glorificabit, quique* (*r*) *totum hominem ſalvum fecit in Sabbatho.* Hæc S. *Bernardus.* Quæ ſanè multum hîc faciunt ad noſtrum ſcopum illuſtrandum; ac proinde tantò libentiùs ea etiam fuſiuſculè produximus in medium. Nam verba ejus ritè excuſſa, (præſertim poſteriora cum prioribus collata,) ſatis moſtrant, *adventum Domini* in ſuis electis, per opera ſua, inprimis per gratioſam ſuî inhabitationem, geminum eſſe, ut jam notavimus: videlicet, vel ex parte, ſeu in (*ſ*) primitiis quibuſdam; ut fit (nunc quoque) quotidie in electis; vel in plenitudine, ita ut *totum* hominem electum, (juxta verba S. Bernardi) *Chriſtus* ſolus *obtineat*, ejuſque ſolius *imago* ab eodem *portetur*, excluſis inde prorsùs veteris Adami reliquiis. Quod certè non priùs fit, quàm in illo Domini *adventu* quem expectamus, & quem in ſuî latitudine *ſecundum* vocamus, ita ut *medius* quoque ejus adventus, quoad pleniorem ejuſdem in electis menſuram, ſub dicto *ſecundo* Domini *adventu* comprehendatur. Quæ adhuc in infra dicendis clariora erunt. Hæc de *adventu* Chriſti in ſuis operibus, quà illa opera ſingulares perſonas ſpectant, quanquam non excluſô, ſed potiùs incluſô hîc etiam publico Eccleſiæ bonô.

XXXI. *Adventus* ejuſdem *Domini* ſuis in operibus, quà illa communiter homines, ac præcipuè S. Eccleſiam ex ſuis adverſis liberandam ſpectant, pariter duobus modis conſideratur. Nimirum, vel (1.) in operibus illis, magnis quidem & terrificis quantum ad impios, & lætis quantum ad

pios;

* §. 29. *h. cap. p.* 330. (*m*) *Pſal.* 118. (*al.* 119.) *v.* 11. (*n*) 1. *Cor.* 8. *v.* 1. (*o*) *Iſa.* 55. *v.* 2. † *Is eſt ipſemet Chriſtus: Luc.* 7. *v.* 16. (*p*) *Vide Apoc.* 21. *v.* 5. *coll. Iſa.* 43. *v.* 19. (*q*) 1. *Cor.* 15. *v.* 49. (*r*) *Joan.* 7. *v.* 23. (*ſ*) *Vide Rom.* 8. *v.* 23. *collat.* 1. *Cor.* 13. *v.* 9. 12.

pios; ſed poſteriorum & majorum futurorum tantùm præludiis & quaſi imaginibus: vel, (2.) in iis operibus, quæ per priora adumbrabantur, & tam glorioſis, ut illis antea paria nunquam fuerint. Exemplo rem illuſtrabo. Sic Chriſtus Dominus advenit olim (etiam poſt primum adventum) in operibus ſuis magnis, terrore & vindice irâ plenis contra Judæos, at erga Eccleſiam ſuam, conſolatione fœcundis, dum dictos Judæos, circa ſuî (in carne adventûs) annum 70mum per *Veſpaſianum* & *Titum* devaſtavit, eorumque Templum, Urbem & Politiam evertit. Vocatur etiam hoc Divinum opus *adventus Domini* in Scripturis. V. gr. Jac. 5. ℣. 8. 9. *Patientes eſtote & vos, & confirmate corda veſtra; quia ADVENTUS Domini appropinquavit.* Et mox: *Ecce Judex ante januam aſſiſtit.* Ita tamen etiam in hoc loco ſub phraſi *adventûs Domini,* & *Judicis ante januam aſſiſtentis*, judicium Domini contra Judæos pertinaces jam memoratum, & inde ſecuta Eccleſiæ primitivæ conſolatio includitur, ut in eo quoque loco ſub dictis phraſibus, & ſub typo dicti *adventûs* ac *judicii*, principalis Spiritûs S. ſcopus ſit, animos electorum contra Mundi hujus impietatem, præſertim ultimi temporis, in ſecundum & glorioſum Domini *adventum* ejusq; *judicium* univerſale erigere. Ita etiam Pſal. 49. (al. 50.) ℣. 3. minus principaliter & tanquam in typo, indicatur ille quoq; *adventus* in effectis contra Judæos, manente tamen principali ſcopo Spiritûs S. & illic de *ultimo* loqui *adventu.* Idem dicendum de loco etiam Mal. 4. ℣. 5. 6. Sed eſt adhuc clarior & convenientior in præſentem diſtinctionem locus geminus in Evangelio Matthæi; ſcil. cap. 10. ℣. 23. ubi ſic Dominus loquitur ad ſuos diſcipulos: *Amen dico vobis; non conſummabitis Civitates Iſraël, donec VENIAT Filius hominis.* Et cap. 16. ℣. 28. *Sunt quidam de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis VENIENTEM* † *in Regno ſuo.* Quibus in locis proximè reſpicit Dominus memoratum ſuum *adventum* in ſolis ſuis effectis, ſcil. partim per ſua *judicia* contra Judæos, partim per potentem *Evangelii* prædicationem ad ſuos electos, & per Regni ſui (utrâque hac viâ) inter Mundi nationes promotionem; ut patet ex locis parallelis, Marc. 8. ℣. 39. (al. c. 9. ℣. 1.) & Luc. 9. ℣. 27. in quibus *adventus* Domini, per ejus *Regni* adventum exponitur: atque etiam ipſe modus loquendi de hominibus illius temporis literaliter intellectus id ipſum ſentire ſvadet. At verò remotè & principaliter illos ſub figura diſcipulorum ſuorum inſtruit, qui ultimis temporibus, experientur ea impleta vel implenda, quæ per Nationis Judaicæ incredulitatem & impietatem in Chriſtum ex

† *Similis conſtructio (quoad caſum) occurrit Luc. 23. v. 42. in textu Græco:* ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. *H. e.* Cum veneris in Regno tuo. *De phraſi*, in Regno tuo, *confer etiam Matth. 20. v. 21.*

Digitized by Google

ſtum ex una, & parte ex altera, per ipſius Domini Salvatoris geſta præfigurabantur, illorumque animos prophetice erigit in ſuum glorioſum *adventum* ultimum, tanquam per typicum illum adventum præſignificatum: quod patet ibidem, cap. 16. (Matth.) ex verſu proximè antecedente, h. e. ex ℣. 27. collato cum citato ℣. 28. & ritè excuſſo. *Iſte* autem *adventus* Domini in effectibus ſeu operibus, de quo adhuc loquimur, cum ſplendore quodam externo renovatus eſt tempore *Conſtantini* Magni (inde ab an. D. 312.) nec non *Theodoſii* M. & ſimilium Eccleſiæ Dei Patronorum. Verùm omnis hic ejus *adventus*, erat tantùm præludialis ſive primitialis, (liceat nunc his vocibus uti,) & quodam modô typicus ac ſignificativus longè excellentioris ultimo tempore futuri *adventûs* in operibus ad & in Eccleſiam, & contra hoſtes ejus, antequàm in perſona glorioſè conſpicuum ſe toti Orbi terrarum exhiberet. Ad ſcopum ergò ut redeamus; non agitur hîc in noſtra *Regula*, ejuſque illuſtratione, de præterito Domini *adventu* in operibus, ſed de futuro. Atque hoc ſensû dupliciter hîc ejus *adventum* futurum conſideramus, ut ex præmiſſis patet: nimirum, vel, ut erit in admirandis quibuſdam & glorioſis ejus operibus, quibus antea paria (in eo gradu, gloria, menſura & latitudine) non fuerunt; vel, ut erit ſimul & in perſonæ ipſius manifeſtatione publica, & in operibus longè adhuc quàm anteà majoribus.

XXXII. *Adventus* Chriſti ad Eccleſiam (ante perſonæ ejus manifeſtationem publicam) futurus in operibus glorioſis, (ut pleniùs nunc eum hîc deſcribamus,) erit is, quô confuſis & profligatis in dies hoſtibus S. Eccleſiæ, atque etiam hypocritis in Eccleſia detectis, & ad impotentiam redactis, ac ut paleis à tritico Domini ſeparatis, ipſe Dominus per latè diffundendam Evangelii potentiſſimam prædicationem, per uberrimam lucem cœleſtem, perque ſuæ virtutis & gratioſæ præſentiæ internæ jucundiſſimam communicationem, ac per omnia neceſſaria Spiritûs ſui ſancti dona, longè eminentiori modô quàm antea, menſurâque pleniori * habitabit in ſuis electis, ut reverà *exhibeat ſibi* ab omni vel minimo defectu, inprimis labe peccati repurgatam, atque ſic plenè ſanctam & (s) *glorioſam Eccleſiam*, *non habentem* ullam *maculam aut rugam*, *aut aliquid hujuſmodi*; quacum pleniſſimè tandem ſe jungat in publica ſuî manifeſtatione. Atque hoc erit Regnum ejus (t) *ſolius* in his terris, excluſô penitùs Satanæ & carnis regno à mentibus & omnibus membris ſuorum, omnique eorum commercio. Quod cum fiet, jam tunc aderit prima pars *adventûs* Chriſti ſecundi & glorioſi, *adventus* nempe ejus *in electis* & *ſanctis* hujus terræ, inque tota

 ſua

* *Hæc* inhabitatio *erit* Schechina *illa*, (שכינה) *h. e.* Majeſtas *ſeu* præſentia *Divina in ſuis*, *ab antiquis* Rabbinis *adeò celebrata.* (s) *Eph. 5. v. 27.* (t) *Iſa. 2. v. 11. 17. collato Zach. 14. v. 9.*

ſua Eccleſia, ac in horrendis contra hoſtes Eccleſiæ ultionibus: qui *adventus* neceſſariò præcedere debet *adventum* ejus in propria perſona publicè viſibilem cum æterna ſua majeſtate cœleſti & gloria.

XXXIII. De iſto *adventu* in effectis ſic deſcripto ſonat locus apud Zachariam, cap. 2. ℣. 10. (al. ℣. 14.) quà nimirum principalis & plenior loci illius ſenſus & ſcopus ſpectatur. *Ecce* (inquit) *ego VENIO, & habitabo in medio tuî, ait Dominus.* Unde mox ſubjicitur ibid. verſu ultimo: *Sileat* (vel, *Sile*) *Omnis caro à facie Domini; quia conſurrexit* (ſeu *excitatus eſt*) *de habitaculo ſancto ſuo.* Huc ſpectat etiam alter locus apud eundem Zachariam, cap. 14. ℣. 5. col. ult. (quoad propiorem ſenſum;) *VENIET Dominus Deus meus, omnesq́; Sancti cum eo*, (ſeu, *tecum*, juxt. Hebr.) non excluſo latiori etiam ac remotiori ſenſu, de ſecutura deinceps etiam perſonali Domini Salvatoris è cœlis manifeſtatione. Conſule ibidem ſequentia, ut tantò magis tibi pateat, includi in allegato loco, proximè *adventum* Domini in eximiis & glorioſis ejus in Eccleſia operibus. Huc facit etiam Iſa. 30. ℣. 27. inprimis ratione vindictæ terribilis & peremptoriæ in hoſtibus electorum exercendæ. *Ecce* (inquit) *nomen Domini VENIT de longinquo; ardens furor ejus, & gravis ad portandum: labia ejus repleta ſunt indignatione, & lingva ejus quaſi ignis devorans.* Confer ibidem ſequentes verſus. Non eſt hîc omittendus ille quoque locus, (quoad principalem ſenſum,) qui exſtat Pſal. 100. (al. 101.) ℣. 2. *Intelligam in via immaculata,* (ſeu, *Prudenter agam in via perfecta*,) *quando VENIES ad me.* „Quando ſcilicet me totum pro te (Domine) occupabis, totumq́; gratio-„ſiſſimâ & jucundiſſimâ tuî præſentiâ intimâ implebis. Cum ſic Chriſtus Dominus *adveniet* ad & in ſuos electos, tunc patebit quid & qualis futurus ſit (*u*) *deſcenſus* ille *Chriſti inviſibilis ad ſubveniendum Sanctis laborantibus, & cum Antichriſto, & ejus Miniſtris certantibus*, de quo accipit *Ribera* rectè & eruditè locum illum Apoc. 19. ℣. 11. (*Et vidi Cœlum apertum, & ecce equus albus*, &c.) jam ſupra † ex erudito Authore illuſtratum. Huc valde quadrat etiam dictum illud *Enocho* adſcriptum: (*v*) *Ecce venit Dominus IN SANCTIS millibus ſuis*; ſeu juxta Græcum: ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ. h. e. *In myriadibus* (ſeu *decem millibus*) *ſanctis ſuis:* ſubincluſo hîc conſequenter etiam adventu ejus in propria perſona viſibili. Adjunge locis jam citatis de hoc *adventu*, etiam Lev. 26. ℣. 11. 12. Ezech. 37. ℣. 27. 28. (quoad gratioſam & glorioſam Chriſti in ſuis habitationem.) Item, Iſa. 3. ℣. 14. (al. 15.) & 26. ℣. ult. & 40. ℣. 10. Ita etiam phraſes illæ, *venire* Dominum (*x*) *cum nubibus*, vel (*y*) *in nubibus*, hunc ejus adventum in Sanctis

(*u*) *Verba ſunt* Riberæ *Comm. in Apoc.* 19. *v.* 11. † §. 22. *h. e. p.* 322. (*v*) *Epiſt. Jud. v.* 14. (*x*) *Dan.* 7. *v.* 13. *Marc.* 14. *v.* 62. *Apoc.* 1. *v.* 7. (*y*) *Matt.* 24. *v.* 30. & 26. *v.* 64. *Marc.* 13. *v.* 26. *collat. Luc.* 21. *v.* 27.

Digitized by Google

Sanctis (præſertim ſanctis Eccleſiæ ſuæ Rectoribus) primariò ſignificant; ut paulo poſt patebit: quanquam phraſis illa, *cum nubibus*, latiùs etiam extendi poteſt quàm altera, non ſolùm ad eximios Sanctos, tam de Seculari quàm de Eccleſiaſtico ſtatu, ſed & in genere ad illos, quos Dominus in internis vel externis populo ſuo præfecit; hoc nempe diſcrimine, quòd qui verè ſancti ſunt, ita *cum* illis *venire* dicatur Dominus, ut ſimul habitaturus etiam ſit *in* illis per jucundam ſuî, ſuæque omnis gratiæ cum illis communicationem uberrimam; cum aliis verò venturus ſit tantùm per ſua opera in medio eorum, & aliqua ex parte, illis quoque mediantibus peragenda. Nam & malis quibuſdam utitur Deus ad judicia ſua peragenda. Ita & in judicio futuro utetur illis, donec eos, tanquam (z) *nubes aquâ* ſalutari *carentes*, ab aliis *nubibus* verè fœcundis & ſanctis penitùs ſeparet. Principalem tamen ſemper in illa quoque phraſi (*cum nubibus,*) debemus verè ſanctorum (inprimis eximiorum Prædicatorum) habere rationem.

XXXIV. Ut verò pio Lectori paulò pòſt de hoc Domini *in nubibus* adventu dicenda, clariora fiant; obſervet hæc pauca de myſtico ac ſpirituali *nubium* ſenſu. Sic, S. *Hieronymus* ad locum illum Eccleſiaſtæ, (*a*) *Si* „*repleta fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent,* ſcribit: *Dicitur in* „*Pſalmis ad Deum:* (*b*) Veritas tua uſque ad nubes: *& in Eſaia peccanti* „*Deus vinea comminatur:* (*c*) Mandabo nubibus, ne pluant ſuper eam imbrem. *Nubes igitur ſunt Prophetæ, & omnis vir ſanctus: qui cum plures in corde ſuo congregaverit diſciplinas, tunc valebit præcepta pluere diſcipli*„*narum, & dicere:* (*d*) *Expectetur ſicut pluvia ſermo meus.* Item, eruditus Author Commentarii in Pſalmos inter opera S. *Hieronymi*, ad verſum illum „Pſalmiſtæ, *Veritas tua usq; ad nubes*, hæc ſcribit: (*e*) *Veritas Chriſtus eſt*; (*ut illud:* (*f*) *Ego ſum via & veritas:*) *Nubes, ſancti Prædicatores. Unde* „*dicitur:* (*g*) *Mandabo nubibus meis, ut non pluant imbrem ſuper eam.* *Quia ſicut nubes pluviam portant, & irrigant terram; ſic ſancti Prædicatores pluviam, id eſt, doctrinam Evangelii portant, & irrigant corda aren*„*tia.* Pariter S. *Gregorius* M. ad dictum illud S. Job, cap. 26. ℣. 8. *Qui* „*ligat aquas in nubibus ſuis*, &c. ſic ſcribit: (*h*) *Nubium nomine, quid hoc in loco aliud, quàm Prædicatores ſancti, id eſt, Apoſtoli, deſignantur?* Et mox pro illuſtratione ſuæ expoſitionis, ſubjicit Iſaiæ locum, cap. 60. ℣. 8. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?* Cui adjungi poteſt, pro myſtico *nubium* ſenſu, alter etiam ejuſdem Prophetæ locus, cap. 45. ℣. 6. *Nubes pluant juſtum.* Disertè autem, Heb. 12. ℣. 1. Sancti Vet. Teſt. dicuntur *NUBES teſtium.* His præmiſſis; rectè ergo etiam ultimi temporis *Sancti*, inprimis excel-

(z) *Epiſt. Judæ v. 12.* (a) *Comm. in Eccl. cap. 11. v. 3.* (b) *Pſal. 35. (al. 36.) v. 6.* (c) *Iſa. 5. v. 6.* (d) *Deut. 32. v. 2. juxta LXX.* (e) *Comm. in Pſal. 35, (al. 36.) v. 6.* (f) *Joan. 14. v. 6.* (g) *Iſa. 5. v. 6.* (h) *Moral. in Job. Lib. 17. cap. 14.*

Digitized by Google

excellentes inter eos populi Dei Duces, in quibus *venturus* eſt primùm Chriſtus Dominus (juxta deſcriptionem in ſuperioribus datam,) antequam publicè perſonalem ſuî præſentiam è Cœlis Orbi manifeſtet, *nubes* dicuntur. Dicuntur autem *nubes*, partim ob rationem pauló antè auditam; quia uberrimam & fœcundiſſimam *Evangelii doctrinam portabunt*, quâ *corda arentia*, ad producendos veræ pietatis & ſanctitatis fructus, *irrigabunt*; partim verò propter occultam Chriſti ut juſtiſſimi Judicis mox Mundum judicaturi, & potentiſſimi ſuorum Vindicis in illis inhabitationem futuram, & ſuî in iiſdem quaſi in *nubibus* † obtectionem. Mundus enim non intelliget, nec animum adhibebit ut intelligat, Deum pro ſua ineffabili ſapientia, hosce ſuos Sanctos (ipſi Mundo exoſos & abjectos) per occultam Chriſti in iis inhabitationem ad hoc ſenſim & in dies parare, ut per eos extremam ſumat cum tempore *vindictam* * de hoſtibus ſuæ Eccleſiæ, ac per eoſdem Regno Satanæ & Antichriſti deſtructô, Regnum Chriſti latiſſimè in Mundo extendat, & florentiſſimum faciat. Unde, ultrò jam patet ratio, quare Dominus ratione ſui adventûs *furi* comparatur, cum ait ipſemet: (*i*) *Ecce venio ſicut fur:* non certè ideò tantùm, quia hominibus inopinatus erit ejus adventus. Nam alioquî, non ſolùm *fur*, ſed & latro, ſeu prædo inopinatò ſolet venire, ut aliquid rapiat: verùm potiſſimùm propter jam dictam rationem, eò quòd Mundus (*k*) non animadvertet, nec volet animadvertere & credere, Chriſtum potenter habitaturum in illis, de quibus diximus, & eos ad *judicium* in impios exercendum, præparaturum. Scilicet, ut Diabolus, † *fur* ille nequiſſimus, imperceptibiliter ſe ſe inſinuavit in medium ſacræ (*l*) ſementis authore Chriſto Domino per Apoſtolos & alios ſanctos Prædicatores olim factæ; ſic etiam Chriſtus Dominus (Simiam ſuî, Satanam eludens) Mundo imperceptibiliter inſinuabit ſe ſe, potenti illâ ſuâ virtute cœleſti in animos & corpora electorum ſuorum, quâ ipſi electi (ſub Chriſto & cum Chriſto) Mundum judicabunt. Alioquî Chriſtus Dominus, quoad perſonæ ſuæ revelationem è Cœlis, non veniet ſicut *fur*, (occultè & latenter,) ut jam ſupra quoque (*m*) paucis inſinuatum eſt; ſed valde (*n*) *manifeſtè*, & cum totius Mundi conſternatione. Imò jam Mundus impiorum, ante publicam quoque Domini manifeſtationem, plenus erit ingenti terrore ipſius Domini, poſtquam ipſi Sancti ad culmen gratioſæ Chriſti præſentiæ ipſos totos internè occupantis pervenerint, & magnos

† *Huc applicare poſſumus verba illa S.* Ambroſii *Comm. in S. Luc. cap.* 21. *v.* 27. Sunt nubes, quæ, quia ſic oportet, cœleſtis obtexunt myſterii claritatem. * *Tunc implebitur pleniſſimè illud, quod habetur Pſal.* 149. *v.* 6. 7. 8. 9. Gladius anceps in manibus eorum; ad faciendam vindictam in nationibus. *&c.* (*i*) *Apoc.* 16. *v.* 15. *collat. Math.* 24. *v.* 43. *& Luc.* 12. *v.* 39. 1. *Theſſ.* 5. *v.* 2 *&* 2. *Pet.* 3. *v.* 10. *& Apoc.* 3. *v.* 3. (*k*) *Confer hic lucis causâ, Luc.* 17. *v.* 20. *col. ult.* † *Sic vocatur apud S.* Hilarium *Pictav. in Matth. cap.* 24. *ſub fin. can.* 26. (*l*) *Matth.* 13. 25. (*m*) §. 26. *b. cap. pag.* 327. (*n*) 2. *Theſſ.* 1. *v.* 7. 8.

Digitized by Google

magnos in debellandis hoſtibus Eccleſiæ progreſſus fecerint. Tertiam adhuc rationem, (præter duas jam datas,) quare Sancti ultimi temporis *nubes* dicantur, infra * ex S. *Hieronymo* intelligemus.

XXXV. Nunc jam videamus teſtimonia SS. *Patrum*, ex quibus pateat tum hoc, (pro ſcopo hactenus intento,) quòd Chriſti *Domini adventus in* ſuis *Sanctis* paulò ante deſcriptus, ſub ejus *ſecundo adventu* (ut pars ejuſdem) comprehendatur, ad eumq; pertineat; tum verò ſpecialiter, quòd dicta phraſis *venire* Dominum *in nubibus*, id primariò ſignificet, quod jam diximus, ejus ſcilicet in *Sanctis* ultimi temporis, & in ipſa Eccleſia militante *adventum*, antequam ſe ipſum in perſona publicè manifeſtet. Trium autem magnorum Eccleſiæ luminum, utpote, S. *Ambroſii*, S. *Auguſtini*, & S. *Hieronymi* teſtimonia hanc in rem producemus hîc in medium: quorum primus (ſcil. S. *Ambr.*) ad locum illum S. Lucæ, (cap. 21. ℣. 27.) „*Et tunc videbunt Filium hominis venientem in* † *nubibus cum poteſtate magna & maieſtate*, ſic ſcribit: (o) *Quemadmodum Domini expectatur adventus, ut EJUS PRÆSENTIA in TOTO fiat, vel HOMINIS ORBE, vel Mundi; quæ fit utiq; in ſingulis, cùm, OMNIBUS AFFECTIBUS RECEPERINT CHRISTUM; ſic etiam* (p) *Virtutes Cœlorum ADVENTU DOMINI Salvatoris ac reditû (eſt enim virtutum Dominus) AUGMENTUM GRATIÆ conſequantur, neceſſe eſt, & PLENITUDINE DIVINITATIS propiùs SE INFUNDENTE moveantur. Sunt virtutes Cœlorum, quæ* (q) *enarrant gloriam Dei, & quæ PLENIORE CHRISTI INFUSIONE* * *moveantur, virtutes ſpirituales, quæ vident Chriſtum. Docuit nos David, quemadmodum hæ moveantur virtutes:* „(r) Accedite ad eum, & illuminamini. *Docuit etiam Paulus, quemadmodum* „*Chriſtum videas:* (ſ) *Cum enim converſus fueris ad Dominum*, (nempe pleno corde, ac debellato peccatô) *aufertur velamen, & vides Chriſtum; vides illum in nubibus.* Scilicet, hinc diſcere poſſumus; quòd, quantò propiùs quis accedit ad Dominum per veram converſionem, tantò magis fidei lumine *videbit Chriſtum* & ejus myſteria, tantoque *pleniore Chriſti infuſione* ditabitur. Atqui tales erunt *Sancti* ultimi temporis, qui demùm pleniſſimè emundabuntur à peccatis, ut ſic aptiſſima fiant ſubjecta, in quibus Chriſtus Dominus (etiam ante publicam ſuî manifeſtationem) *veniat* cum virtute & poteſtate magna, & judicet Mundum. Paulò poſt autem idem S. Doctor ſpecialiter de *nubibus* ſic ſcribit: (t) *Sunt NUBES, quæ rore gratia ſpiritalis humeſcant. - - Aſpice, quia VIRI SANCTI NUBES SUNT,*

Vv qui

* §. 43. h. cap. † *In textu ſacro*, in nube. (o) *S. Ambros. Comm. in Luc. Lib.* 10. *in Luc. cap.* 21. *v.* 27. (p) *Eminentiores Sanctos in Eccleſia militante intelligit; ut mox ipſe illuſtrabit.* (q) *Pſal.* 18. (*al.* 19.) *v.* 2. * *Intellige hîc motum ſpiritualem, ſcil. magnum erga Deum fervorem.* (r) *Pſal.* 33. (*al.* 34.) *v.* 6. (ſ) 2. *Cor.* 3. *v.* 16. (t) *S. Ambr. loc. cit. in S. Luc.*

qui ſicut (*t*) *NUBES volant*, *& quaſi columba* (*u*) *cum pullis*.-- *Venit in nube in Canticis Canticorum*, *ſerenâ nube*; (*v*) *& Sponſi refulgens lætitiâ*. Mox ſubjicit: *Cum ergo apparuerit Chriſtus IN NUBIBUS*, (hoc eſt, in *Sanctis* Eccleſiæ militantis,) (*x*) *concident ſe tribus Terræ*; (ut nempe fleant horrorem peccatorum ſuorum, terrore Judicis conſternati.) *Eſt enim quidam ordo peccatorum*, *& ſeries criminum*, *quæ CHRISTI DIRIMATUR ADVENTU*. Non ſolùm punitionem impiorum, (quâ curſus exercitii impietatis eorum abrumpatur) intelligit hîc per cujuſdam *ſeriei criminum diremptionem*, ſed etiam magnorum quorundam peccatorum converſionem; ut verba ejus antecedentia (imò & conſequentia, mox adducenda) oſtendunt. Scilicet, contumaciſſimis etiam peccatoribus dabitur adhuc tempus (in illo *adventu* Domini *in Sanctis*) ad reſipiſcendum, uſque dum Chriſtus in perſona ſua conſpiciendum ſe Orbi exhibeat; ſed deinceps præcludetur omnibus non converſis janua miſericordiæ: quanquam impii illi hypocritæ, Deique hoſtes, qui jam antea ad Dei verbum obſtinatiſſimi fuerunt, illius quoque temporis gratiâ abutentur, nec edent ullam ſinceram & ſalutarem, ſed ſolummodò fucatam pœnitentiam.

XXXVI. Patet ergo, quòd in verbis allegatis, S. Ambroſius *adventum* Chriſti futurum, accipit pro *adventu* ejus in operibus glorioſis, in *Sanctis* & per *Sanctos* peragendis. Atque hoc mox iterùm illuſtrat, dum „ad verba ſequentia: *Videte ficulneam*, *& omnes arbores*, &c. ſic ſcribit: (*y*) *Diverſo quidem modo*, *in unum tamen concurrere videtur Evangeliſtarum ſententia. Matthæus de ſola dixit ficulnea*, (*z*) *cum ramus ejus tener fuerit*; *hic & de arboribus omnibus. Verùm ſive cum fructus in omnibus vireſcit arboribus*, *& ficulnea fœcunda jam floret*, *ut OMNIS LINGUA confiteatur jam Deo*, *confitente etiam populo JUDÆORUM*, *ſperare debemus Domini adventum*, (ſcil. in perſona propria,) *quô tanquam temporibus æſtivis reſurrectionis fructus metentur*; *ſive cum levem fragilemq; jactantiam*, *homo* † *iniquitatis tanquam folia*, *Synagogæ ramos induerit*, *conjicere debemus*, *appropinquare judicium*.-- *Duplicem igitur habet figuram hæc ficulnea*: *vel cum dura miteſcunt*, *vel cum pacata luxuriant. Nam PER FIDEM credentium*, *quæ arebant antè*, *FLOREBUNT*; *& per gratiam dimiſſorum*, *PECCATORES gloriabuntur*. (Quòd ſcilicet ſub pace Eccleſiæ ultimi temporis, aliquamdiù differetur juſta eorum pœna.) *Ibi fructus eſt fidei*; *hîc perfidiæ*, *laſcivia. Fructum mihi ficulnea*, *agricola* (*a*) *Evangelici cultura promittit*; *deſperare non debemus*: *foliis ficulneæ peccatores ſe tanquam*

(*t*) *Iſa.* 60. *v.* 8. (*u*) *Ibid. juxt* LXX. (*v*) *Cant.* 3. *v.* 11. (*x*) *Matt.* 24. *v.* 30. *& Apoc.* 1. *v.* 7. (*y*) *Citat. Comment. in S. Luc. in cap.* 21. *v.* 29. 30. 31. (*z*) *Matth.* 24. *v.* 32. † *Scilicet* Antichriſtus, *dum ſuperficiariam quandam & hypocriticam oſtenderit ſanctitatem.* (*a*) *Luc.* 13. *v.* 7. 8. 9.

quam fraudis veſte texerunt, ut conſcientiam velarent. Ergò folia ſuſpecta ſine fructu. Tales veſtes (*b*) *Paradiſi exules habent.* Hæc ille. Quibus non obſcurè hoc innuit, quòd tanta futura eſt virtus & efficacia *adventûs* Domini in ſuis *Sanctis*, (quos per *nubes* ſupra intellexerat,) ut etiam ipſi hypocritæ aliquam tunc converſionis ad Deum ſpeciem oſtenſuri ſeu mentituri ſint, longè ſcilicet majorem quàm anteà unquam. Iſta enim omnia, quæ nunc recenſuit, poſt Domini *in nubibus*, h. e. in Sanctis ſuis adventum, futura ſunt. Tanta enim converſio populorum, quanta hîc ex ſcopo Domini Salvatoris per S. Ambroſium refertur, ut nempe *omnis lingua*, atq; etiam *Judæorum populus confiteatur* Dominum & Domino, non priùs erit in ſua plenitudine, quàm ubi Dominus venerit *in nubibus*, h. e. in ſuis Sanctis. Quod tum ex ante-dictis patet, tum etiam ex infra dicendis patebit. Sed ut ad principalem verſum de Domini *in nubibus adventu* redeamus; ipſe revera contextus oſtendit, tùm apud S. Lucam, in quem S. *Ambroſius* „commentatur, tùm apud S. Matthæum, (cap. 24. ℣. 30.) verba illa, *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus*, nondum ſignificare publicam ejus coram Orbe terrarum manifeſtationem, ſed præſentiam in operibus valde glorioſis, ſpecialiter in ſuis *Sanctis* & per *Sanctos* Eccleſiæ militantis exhibendis. Nam etiam id (nempe, *venire* Dominum *in nubibus*) inter ſigna appropinquantis Regni Dei (in majori nempe adhuc ſplendore & plenitudine orbem occupaturi) numeratur, Luc. 21. ℣. 31. *Et vos*, (inquit,) *cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt Regnum Dei.* Imo S. Matthæus notam univerſalitatis addit, citato cap. 24. ℣. 33. *Cum videritis hæc OMNIA, ſcitote, quia prope eſt in januis*, (cum perſonali nempe ſuî manifeſtatione & plenitudine Regni ſui glorioſi,) ut nequaquam poſſit excipi etiam id, quod paulò ante dictum eſt, de *adventu Filii hominis in nubibus.* Atque hæc ſtatim pleniùs & firmiùs patebunt in proximè ſequentibus.

XXXVII. Sanctus quoque *Auguſtinus*, (de quo etiam promiſimus pro præſenti ſcopo teſtimonium,) id ipſum, quod hîc adſtruimus confirmat. Poſtquam enim dixiſſet de ſenſu, qui primo intuitû apparet in allatis S. Lucæ verbis de adventu Domini, (textui S. Matthæi in re conſonis,) nempe: (*d*) *Promptior quidem* (inquit) *ſenſus eſt, ut quiſq; cum audierit, vel legerit:* „(*e*) Et tunc videbunt Filium hominis venientem in NUBE cum poteſta„te &c. *ipſum prorſus accipiat ejus adventum, non per Eccleſiam, ſed per ſe ipſum*; mox illicò ſubjicit eum, qui ſcopo Chriſti congruit, ſenſum. *Sed quoniam* (inquit) *Scripturæ ſcrutandæ ſunt, nec earum ſuperficie debemus eſſe contenti, quæ ad exercitationem noſtram ita modificatæ ſunt, ut altiùs ſe penetrari velint, diligenter ſunt inſpicienda ſequentia. Cum enim dixiſſet:* „Et tunc

(*b*) *Gen.* 3. v. 7. (*c*) *Luc.* 21. v. 27. (*d*) *Epiſt.* 80. (*al.* 199. *in edit. nov.*) *ad Heſych. de fine ſæcul. n.* 42. *& ſequ.* (*e*) *Luc.* 21. v. 27.

,,Et tunc videbunt Filium hominis venientem in NUBE cum poteſtate ma-,,gna, & majeſtate; *adjunxit, atq; ait: His autem fieri incipientibus, reſpi-,,cite & levate capita veſtra*, &c. uſque ad illud, *quoniam propè eſt Regnum ,,Dei. Cum ergo dicit*, Cum videritis hæc fieri; *qua intelligere poterimus, ,,niſi ea, qua ſupra commemorata ſunt? In his eſt autem etiam quod ait*: Et ,,tunc videbunt Filium hominis venientem IN NUBE cum poteſtate ma-,,gna & majeſtate. *Proinde etiam hoc cum viſum fuerit, non jam erit Regnum Dei*, (ſcil. in pleniſſimo flore & gradu,) *ſed propè erit*. Mox ex aliis etiam Evangeliſtis duobus hoc ipſum confirmat. *Hunc ordinem* (inquit) *videmus & duos alios Evangeliſtas* (*f*) *tenere. Apud Marcum enim cum dictum eſſet*: ,,Et virtutes quæ ſunt in cœlis movebuntur; & tunc, *inquit*, videbunt Fi-,,lium hominis venientem in NUBIBUS, cum virtute multa & gloria: ,,*Deinde ſubjungit quod Lucas non dixit*: Et tunc mittet Angelos ſuos, & ,,congregabit electos ſuos, à quatuor ventis, &c. *Tunc quod ille* (nempe ,,Lucas,) *de ficu & de aliis arboribus, iſte de ſola ficu ponens: A' ficu autem ,,diſcite, inquit, parabolam*, &c. *cum videritis hac fieri, ſcitote, quòd in pro-,,ximo ſit in oſtiis. Quid eſt*, Cum videritis hæc fieri; *niſi ea, qua ſupra di-,,xit? in quibus eſt etiam illud, quod ait*: Et tunc videbitis Filium hominis ,,VENIENTEM IN NUBIBUS, &c. & tunc mittet Angelos ſuos, & ,,congregabit electos ſuos. *Non itaq; tunc erit finis, ſed tunc erit in pro-ximo. An dicendum eſt, non omnia qua ſupra commemorata ſunt, eſſe intelli-,,genda, ubi ait*; Cum videritis hæc fieri, *ſed aliqua eorum*, &c.? *Sed ,,Matthaus aperuit, nullis exceptis eſſe accipiendum, quod poſitum eſt*: Cum ,,videritis hæc fieri. *Nam & apud ipſum cum dictum eſſet*: Et virtutes cœ-,,lorum movebuntur: Et tunc apparebit, *inquit*, Signum Filii hominis, &c. ,,& vos cum videritis HÆC OMNIA, ſcitote, quia propè eſt in januis. *Tunc ergò ſcimus propè eſſe, cum viderimus non aliqua eorum, ſed* hæc ,,OMNIA, *in quibus & hoc eſt, quòd videbitur Filius hominis* VENIENS, ,,(*g*) *& mittet Angelos ſuos, & de quatuor Mundi partibus, id eſt, de toto Orbe terrarum congregabit electos ſuos.*

XXXVIII. Quòd verò ibidem de *congregandis electis* ſubjicit immediatè: *Quod totâ horâ noviſſimâ* (ſcilicet toto Novi Teſt. tempore) *facit, VENIENS IN SUIS MEMBRIS, tanquam in NUBIBUS, vel in tota ipſa ECCLESIA, quod eſt corpus ejus, tanquam in NUBE magna, fructificante atq; creſcente in univerſo Mundo, ex quo cœpit pradicare* (per Joan-,,nem) *& dicere*: (*h*) *Agite pœnitentiam: appropinquavit enim Regnum cœ-,,lorum*: unde poſſet quis concludere, dicta Evangeliſtarum de *adventu* Domini *in nubibus ad hoc* tantùm *pertinere*, *quòd* (ut ipſe S. Auguſtinus loquitur,)

(*f*) *Matth. 24. v. 30. -- 33. & Marc. 13. v. 25. 26. & ſequ.* (*g*) *Matth. 24. v. 31.* (*h*) *Matt. 3. v. 2.*

tur,) *quotidie venit in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia*: hunc nodum ſolvit ipſemet S. *Auguſtinus* in ſuperioribus; ubi concedit quidem, imò docet, in eundem ſenſum, quem nunc proximè ex ipſo audivimus, quòd Chriſtus *in Eccleſia tanquam in nube, etiam nunc venire non ceſſat, ſecundùm id* „*quod ait*: (*i*) *A' modo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis,* „*& venientem in nubibus Cœli*; at verò de pleniore & glorioſo ultimis temporibus adventu Domini in Eccleſia, & Sanctis Eccleſiæ membris, illicò ſubjicit: (*k*) *Sed ideò TUNC cum POTESTATE magna & MAJESTATE, quia MAJOR POTESTAS & MAJESTAS illius, apparebit SANCTIS,* (*l*) *QUIBUS MAGNAM VIRTUTEM dabit, ne tantâ perſecutione* (ſcil. Antichriſti) *vincantur.* Unde rectè concluditur, Chriſtum *in nubibus*, h. e. in ſuis Sanctis Eccleſiæ militantis, *cum poteſtate magna, & majeſtate*, (ut Evangelium habet,) non priùs *venire*, quàm in futuro ſeu ſecundo ſuo adventu. *Venire* enim Dominum *cum poteſtate magna, & majeſtate* ſeu *gloria*; ad ſecundum ſuum adventum pertinet. Atqui *adventus* ille Domini *in nubibus cum poteſtate magna*, &c. in allegatis & illuſtratis Evangeliſtarum locis, non erit perſonalis ejuſdem è Cœlis manifeſtatio publica cum plenitudine gloriæ & felicitatis Regni ſui, ſeu Eccleſiæ; ut ex Evangeliſtis, inprimis ex Matthæo, ipſum quoque S. *Auguſtinum* id docentem jam audivimus. Itaque neceſſariò ſequitur hinc, *adventum* Domini *ſecundum* tam latè debere extendi, ut ſub eo comprehendatur etiam plenior ille *adventus* ejuſdem *in ſuis Sanctis* Eccleſiæ militantis, qui in ultima tempora eſt reſervatus, & qui proximè præcedet perſonalem ejuſdem è Cœlis manifeſtationem. Hôc tamen obſervatô; quòd *adventus* ille *in Sanctis*, non ſtatim & unô momento, ſed cum tempore & gradatim erit glorioſus. Primùm ſcilicet Dominus *potentiam* ſuam in infirmitatibus eorum oſtendet, contra Mundum, Satanam & Carnem, datâ hîc interim illis primordiali etiam *majeſtate* in multorum populorum ad veram fidem converſione, & felici Evangelii (ſub pacato rerum ſtatu) ſucceſſu in Mundo; deinde eandem ſuam *potentiam* demonſtrabit in illis, etiam contra *Antichriſtum* (ex *aurora* (*m*) felicitatis ultimi temporis naſciturum) & contra ejus ſequaces, ut potenter & cum gloria victricis ac bonæ conſcientiæ omnia adverſa pro veritate & juſtitia tolerent: demum verò externè quoq; monſtrabit ipſos reverà potentes eſſe, cum dabit eis externè quoq; victoriam contra ſuos hoſtes glorioſam, Regniq; ſui pomœria per eoſdem feliciter in Mundo dilatabit. (Præcedit enim juxta Evangelium, *poteſtas magna* Domini *in nubibus*, poſtea ſequitur *majeſtas* ſeu *gloria* in iiſdem.)

(*i*) *Matt. 26. v. 64.* (*k*) *Cit, Epiſt. 80. ad Heſych.* (*l*) *Confer de his ſimilem ejuſdem* S. Auguſtini *mentem, Lib. 20. de Civ. Dei, cap. 8.* (*m*) *Iſa. 14. v. 12. juxt. Hebr. collat, in eum loc. noſtro* Lat. Nunc. §. XCIV.

iiſdem.) Sic fiet, ut *humilis* & pauper Chriſti ſtatus exprimatur primùm in iis, & quodam modo repræſentetur, antequam *gloria* præſentiæ ejus in iiſdem appareat. Atq; tunc noſcetur plenior ſenſus Zach. cap. 9. ℣. 9. 10. & ſequ. uſque ad ℣. 17mum, dum Dominus iterùm *humilis* veniet in ſuis illis Sanctis, antequam fiat in iiſdem *glorioſus*.

XXXIX. Initium autem hujus *adventûs* Domini in *Sanctis*, erit tunc, cum myſterium loci illius Apoc. 12. ℣. 5. *Et peperit filium maſculum*, &c. implebitur. Quem locum rectè ex fundamentis veterum *Ribera* & Cornelius à *Lapide*, ad *ultimum* referunt *tempus*, quando pleniùs quàm hactenùs Chriſtum pariet Eccleſia in electis ſuis membris. *Ribera* verba ſunt ad dictum locum: (*n*) *Fortes viros eſſe oportet, & verè maſculos, quos tunc* (nempe ultimo tempore) *pariet Eccleſia, ut* (*o*) *tanta inimicorum poteſtati, & perſecutionum magnitudini* † *obſiſtere valeant*. Et pauld pòſt: *Dicimus* (inquit) *indicari, quoſnam intelligere debeamus in* filio maſculo, *quem mulier peperit; nempe, electos, qui ſimul cum Chriſto* (*p*) *judicabunt Nationes, & damnabunt punientq́, adverſarios*. Cornelius verò à *Lapide* in eundem locum inter alia hæc habet: (*q*) *Senſus eſt: Eccleſia parit, & MAXIME IN FINE Mundi* (*de eo enim*, ait, *hîc propriè agitur*,) *pariet Chriſto maſculos, id eſt, fideles & ſanctos, qui maſculo, forti & invicto ſint animo*. Et mox: *Quaſi diceret: Eccleſia parit, & pariet in fine Mundi Chriſtum in animis firmiter credentium, & fortiter amantium Deum*. Quòd verò in ſingulari *maſculus* unus memoratur in allegato loco, hanc Corn. à *Lapide* dat rationem: (*r*) *Quia Chriſtus cum omnibus ſuis membris, puta fidelibus, unum eſt corpus, & quaſi una perſona*, juxta 1. Cor. 12. ℣. 12. & 27. Verùm præter eam, eſt etiam ſpecialior ratio, iſta nimirum: Quia inter illos Sanctos ultimi tumporis, in quibus excellenti quodam modô naſcetur Chriſtus, futurus eſt etiam Vicarius ille ejuſdem Domini, magnus nempe ille *unus Paſtor* Eccleſiæ, ſub quo (*ſ*) *unum erit ovile*, & in quo Chriſtus Dominus, tanquam in Capite viſibili ſuæ Eccleſiæ, excellentiori modo & gradu, quàm in aliis habitabit. Hujus rei obſervatio, in inſignia ac celebria alia etiam Scripturæ S. quædam loca (*s*) prophetica, lucem haud mediocrem dabit. Conferantur hîc illa quoque, quæ alibi de Vicario Chriſti ultimi temporis jam (*t*) diximus. Sed ex hoc digreſſu in hunc locum valde utili & congruo, ad S. *Auguſtinum* pauliſper revertamur, antequam S. Hieronymum pro nobis adduceremus.

XL. Di-

(*n*) *Comm. in Apoc.* 12. *v.* 5. (*o*) *Confer verba S. Auguſtini paulò ante memorata, his conformia.* §. 38. *p* 341. † *Ita lego. Editio Antv.* 1603. *habet*: oſtendere. (*p*) *Sap.* 3. *v.* 8. (*q*) *Corn. à Lap. Comm. in Apoc.* 12. *v.* 5. *Confer. eundem in v.* 1. *ibid.* (*r*) *Loc. cit.* (*ſ*) *Joan.* 10. *v.* 16. (*s*) *V. gr. Iſa.* 66. *v.* 7. 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 2. *v.* 35. *Ezech.* 34. *v.* 23. (*quoad ſenſum ultima tempora ſpectantem;*) & 37. *v.* 24. & 44. *v.* 3. & 45. *v.* 7. & 46. *v.* 2. 4. 8. & *Apoc.* 2. *v.* 26. 27. 28. (*t*) *Supr. h. Claſſ. cap.* 5. (*ſub Reg.* 10.) §. 38. 39. 40. *pag.* 181.---184.

XL. Dixerat S. *Auguſtinus* in verbis ſupra † allegatis, ex textu ſacri Evangelii, Chriſtum, cum *in nubibus* (h. e. Sanctis ſuis) *venerit cum poteſtate magna & majeſtate*, tunc *miſſurum Angelos ſuos, & congregaturum electos*, &c. id verò, quomodo ſit intelligendum, explicat ibidem in ſequentibus; non ut vulgò accipiunt quidam, de reſuſcitandis è terra mortuis literaliter; ſed ad mentem Salvatoris, de converſione *electorum* ex variis Nationibus, & ad unitatem fidei adductione, per Evangelii prædicationem, mediantibus Eccleſiæ Doctoribus (ut totidem fidiſſimis Angelis) futuram. Verba S. Auguſtini ſunt: *Si ergo,* (inquit,) *quia prophetia veritatis mentiri non poteſt, neceſſe eſt ut* (u) *omnes Gentes, quotquot fecit Deus,* „*adorent eum; quomodò adorabunt eum, niſi invocent eum?* (v) *Quomodo* „*autem invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem* „*non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Aut quomodo prædicabunt, niſi MITTANTUR?* Ubi ſtatim & immediatè pro hac *Prædicantium miſſione*, ſubjicit locum paulò ante ex S. Matthæo memoratum: „(x) *MITTIT enim* (inquit) *ANGELOS SUOS, & congregat* „*electos à quatuor ventis, id eſt, ab univerſo orbe terrarum. In quibus ergò gentibus nondum eſt Eccleſia, oportet, ut ſit.* Manifeſtè in his *Angelos* illos mittendos, pro fidis Prædicatoribus Evangelii (qui alibi (y) *Angeli pacis* nominantur) accipit. In hunc ſenſum intellige etiam illud de *Angelis* in „conſummatione Mundi mittendis: (z) *Mittet Filius hominis Angelos ſuos,* „*& colligent de Regno ejus omnia ſcandala,* &c. *Angelos*, id eſt, Nuncios, (a) Doctores ſeu Prædicatores *Angelicos* in Eccleſia futuros, qui à variis *ſcandalis* & hominum *iniquitatibus* repurgabunt in dies Eccleſiam, quæ Chriſto Domino, (ut jam † dictum eſt) integrè *ſancta* & prorsùs (b) *immaculata* ſiſtenda eſt.

XLI. Duobus hactenùs auditis magnis Doctoribus, ſuccedat tertius eximius Doctor S. *Hieronymus*. Is poſtquam (c) *Tubam* & *Vocem magnam* apud S. Matthæum, *electos* in adventu Domini *congregantem*, de Tuba verbi Divini myſtica, *ſublimia* nimirùm *doctrinarum reſonante ſacramenta*, ut ille loquitur, & per typicas in Veteri Teſt. *tubas* præſignificata, explicáſſet; mox ſequentia etiam ibidem verba, (d) *Ab arbore autem fici diſcite parabolam*, &c. exponit hunc in modum: *Quomodo, inquit, quando teneri fuerint in arbore ficûs cauliculi, & gemma erumpit in florem, cortexque folia*

† §. 37. *h. cap.* (u) *Pſalm.* 85. (*al.* 86.) *v.* 9. (v) *Rom.* 10. *v.* 14. 15. (x) *Matt.* 24. *v.* 31. *Confer de hoc loco ſupr. h.* 2. *Claſſ. cap.* 5. §. 12. & *cap.* 7. (*Reg.* 18.) §. 21. *præſertim in margine notata.* (y) *Iſa.* 33. *v.* 7. (z) *Matth.* 13. *v.* 41. (a) *Conſule de hoc loco* S. Hieron. *Comm. in Ezech. cap.* 30. *v.* 9. *Vide ejus verba proximè in* Exam. *Reform. pag.* 527. *Confer etiam* S. Gregor. *M. Homil.* 32. *in Evang.* † *Supr. h. Claſſ.* 2. *Cap.* 5. §. 34. & *cap.* 9. §. 3. *n.* 2. & §. 46. *ibid.* & *h. cap.* §. 32. (b) *Eph.* 5. *v.* 27. (c) *Comm. in Matt. Cap.* 24. *v.* 31. (d) *v.* 32. 33.

Digitized by Google

folia parturit, intelligitis æſtatis adventum, & favonii ac Veris introitum; ita cum hæc OMNIA quæ (ſuprà) *ſcripta ſunt, videritis, NOLITE PUTARE, jam adeſſe conſummationem Mundi, ſed quaſi PROOEMIA & PRÆCURSORES quoſdam venire, ut oſtendant, quòd propè ſit, & in* „*januis.* Idem paulò infrà, ad verſus illos, (*e*) *Sicut* erat *in diebus Noë,* „&c. - - *erant comedentes & bibentes,* &c. ſic ſcribit: *Quæritur, Quomodo* „*ſupra ſcriptum ſit;* (*f*) Surget Gens contra Gentem, & Regnum contra „Regnum, & erunt peſtilentiæ & fames, & terræ motus, *& nunc ea futura memorentur, quæ PACIS indicia ſunt? Sed exiſtimandum juxta Apoſtolum, quòd poſt pugnas & * diſſenſiones, peſtilentias & fames, & terræ motus, & cætera, quibus genus vaſtatur humanum, brevì ſubſecutura ſit PAX; quæ quieta omnia repromittat, ut fides credentium comprobetur, utrum tranſactis malis ſperent Judicem eſſe VENTURUM. Hoc eſt enim, quod in Paulo* „*legimus: Quando dixerint,* (*g*) *PAX & SECURITAS, tunc repentinus* „*eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor parturientis, & non effugient.* Vides! Poſt *tribulationem dierum* ℣.29. & antecedentibus (citato Matthæi capite) indicatam, & poſt *adventum* Domini *in nubibus*, h. e. Sanctis ſuis, (℣. 30.) ſentit & docet S. *Hieronymus*, & quidem rectè ſecundùm Scripturam, ſecuturam adhuc magnam & univerſalem *pacem* in Eccleſia, atque in Mundo, antequam Chriſtus in perſona ſua ſe publicè manifeſtet; partim ut hoc pactô Evangelii doctrina eò feliciùs currat, partim ut impii magis atq; magis detegantur, & à Sanctorum cœtu diſcernantur, utpote non expectantes, neque curantes futurum Domini tum in Sanctis potentiorem adhuc quàm proximè ante memoratam *pacem*, tum in ſua perſona *adventum*, ſed potiùs ejus dilatione ad ſuas impietates exercendas ſecurè abutentes; ob idque in *judicio* ejus fiant eò magis inexcuſabiles. Quæ omnia benè penſitata, perſpicuè monſtrant nobis, *adventum* Chriſti ſecundum & glorioſum, non tantùm eum eſſe, qui in perſona ejus fiet, ſed etiam qui in operibus ejuſdem glorioſis in *Sanctis* & per *Sanctos* futurus eſt, antequam ipſe publicè de Cœlis manifeſtetur.

XLII. Obiter verò notare hîc libet, ipſum etiam Antichriſtum, *pace* proximè memoratâ abuſurum ad perſequendum excellentiſſimos illos *Sanctos*, in quibus Chriſtus Dominus tanquam *in nubibus* (juxta (*h*) ſuperiora) venturus eſt: ut de hoc pleniùs dicetur infra, h. Claſſ. cap. 12. §. 13. Id ipſum non obſcurè innui in verbis quoque S. *Ambroſii* de myſterio arboris *ficulneæ* ſupra (*i*) memoratis, judicioſo Lectori perſpicere haud difficile eſt. Clariùs verò S. *Hilarius* Pictavorum Epiſcopus (qui migravit ad Superos

(*e*) *Ibid. v. 37. 38.* (*f*) *v. 7. eodem cap.* * *Intellige hîc præſertim* diſſenſiones *fidei,* (*g*) *1. Theſſ. 5. v. 3.* (*h*) *§. 35. 36. 37. 38. h. cap.* (*i*) *§. 36. h. cap. pag. 338.*

peros an. D. 365.) eandem rem expreſſit his verbis: (*k*) *Ramus ficûs* (Matth. 24. ℣. 32.) *Antichriſtus eſſe intelligitur: Zaboli* (i. e. Diaboli) *filius; peccati portio; Legis* aſſertor. Qui cum tenereſcere cœperit atq; frondeſcere, tunc proxima eſſe æſtas, id eſt, dies judicii ſentietur. Frondeſcere autem quadam peccatorum † exultantium viriditate noſcitur.* Atque hinc ultrò & hoc ſequitur, quòd *Antichriſtus* ille magnus, non priùs in *Templo Dei* ſeſſurus eſt, nec priùs in electos graſſabitur, quàm ubi Chriſtus Dominus in excellentiſſimis ultimi temporis *Sanctis* venerit *cum poteſtate magna & majeſtate*, ſuoſque *Angelicos* Prædicatores *miſerit* in Orbem terrarum ad *congregandum electos* in unitatem Fidei; [quod etiam pleniùs patebit infra cap. 12. jam citato, §. 8. 9. & 13.] quanquam longè majori cum potentia & gloria veniet in iiſdem ſuis *Sanctis* (à perſecutione reſiduis) in fine perſecutionis eorundem, ad debellandum & extingvendum *Antichriſtum*: ut ex Apoc. 19. ℣. 11. & ſequ. (juxta ſuperiùs (*l*) in eum locum dicta) diſcere poſſumus. De *Antichriſti* apparitione & graſſatione in *Sanctos*, id ſenſiſſe etiam S. *Auguſtinum*, quod nunc inſinuavimus, ipſa ejus verba quædam in ſuperioribus (*m*) poſita nos docent. Eſtque hoc prorsùs inexpugnabile argumentum contra illos, qui putant *Antichriſtum* illum magnum cum omni ſua potentia & crudelitate jam dudum veniſſe & revelatum eſſe. Hoc, & alia noſtra argumenta jam an. D. 1696. contra eoſdem (*n*) in lucem edita, inter ſe collata, mirè ſe invicem juvant & illuſtrant. Hæc in digreſſu pro illuſtranda S. *Hieronymi* memorata de *pace* expoſitione, opportuno ſatis.

XLIII. Nunc iterùm ejuſdem S. *Hieronymi* teſtimonia pro nobis facientia adducere continuemus. De *nubibus*, in quibus Dominus *venturus* eſt, quàm conformem cum ſupra dictis habuerit ipſe ſententiam, ſequentia ejuſdem verba, ad illum Prophetæ *Nahum* locum, *Dominus in tempeſtate* &c. nos docent. (*o*) *Hoc*, inquit ille, *ſignificat, quòd in fine Mundi uni-„verſa moveantur, juxta illud quod ſcriptum eſt in Aggæo:* (*p*) *Adhuc ſe-„mel, & ego movebo cœlum & terram:* &c. *Et cum fuerint cuncta commo-„ta, (ut credant via Domini, qui in Evangelio dicit:* (*q*) *Ego ſum via, ve-„ritas & vita;) & cum* (*r*) *venerit Filius hominis in NUBIBUS, quibus „mandat in Eſaia,* (*ſ*) *ne pluant ſuper vineam imbrem, & ad quas per-*

Xx. „venit

(*k*) *S. Hilar. Comm. in Matth. cap. 24. (Canon. 26.)* * *Tùm quia prætendet ſe* Legis *Divinæ eſſe vindicem, tum quia* corticem Legis *urgebit, & ſpeciatim etiam in favorem* Judæorum; *ideò hunc ei titulum dedit ironicè.* † *Exultabunt ſcilicet & virebunt (externè) ſub* pace *& tranquillitate.* (*l*) §. 22. *&* 23. *h. cap. pag.* 322. 323. 324. (*m*) §. 38. *h. Cap. in verbis illis:* Sed ideò TUNC, *&c. p.* 341. (*n*) *In* Læto ad Lug. Sion Nunc. *pag.* 190. 191. *& ſequ. Vide ibid. præſertim* 2. 3. *&* 4*tum argum.* (*o*) *S. Hieron. Comm. in Nahum.* 1. *v.* 3. (*p*) *Agg.* 2. *v.* 7. (*q*) *Joan.* 14. *v.* 6. (*r*) *Matt.* 24. *v.* 30. *& Marc.* 13. *v.* 26. (*ſ*) *Iſa.* 5. *v.* 6.

,,*venit veritas Dei, dicente Pſalmographo:* (s) Veritas tua uſque ad nubes: *tunc etiam ipſa NUBES, Propheta videlicet, ANIMÆQUE SANCTORUM, quæ priùs conjunctione carnis fuerant prægravatæ, elevatæ in ſublime, tenuioris ſubſtantiæ fient, & in ſcabellum pedum Dei redactæ, in extremis quibusq; inter Angelos miniſtrabunt.* Hæc de *Sanctis* Eccleſiæ militantis S.Hieronymum dicere, atque etiam *Prophetas* pro Viris in Eccleſia, zelô *Prophetarum*, & Spiritû interpretandi *prophetias* inſtructis eum accipere, ipſa verba ejuſdem per totum contextum ritè excuſſa monſtrant. Cur etiam *nubes* vocentur illi Sancti, implicitè dat rationem. Videlicet, ut *nubes* ex vaporibus ſursùm elevatis & condenſatis fiunt, ac per hoc ſuâ naturâ ex graviori materia, v. gr. ex aqua, & rebus aliis humidis trahunt originem; at verò quà jam *nubes* ſunt per elevationem & condenſationem, ſubtilioris etiam ſunt & levioris ſubſtantiæ, quàm in ſua materia fuerunt; ſic & *Sancti* ultimi temporis, ex craſſioris naturæ (videlicet corruptæ carnis) fragilitate, per aſſiduam cœleſtium ſeu rerum Divinarum contemplationem, & fervens ſanctitatis vitæ exercitium ad ſublimia elevati, à priſtina gravitate & carnalitate in dies prorsùs liberabuntur, ut aptiſſimi fiant inſtar *Angelorum* ad ſancta Dei miniſteria. Atque tunc fiet, quod S. *Auguſtinus* de *Prædicatoribus veritatis* ceu *nubibus* myſticis notavit, (& ſignanter Apoſtolis applicavit;) ut nimirùm inſtar *nubium*, (præter pluvias) terrificum *ſplendorem*, v. gr. *fulgura* ſpiritualia, (imò etiam (t) *tonitrua*, & (u) *lapides* ſeu fulmina, & cum his *ignem* & *ſulphur*,) contra hoſtes veritatis ac pietatis emittant. (v) *Inflammati ſunt* (inquit ille) *inimici, incenſi ſunt inimici: arſit quicquid contradicebat, & apparuerunt fulgura ejus orbi terræ. Quomodo apparuerunt? Ut jam crederent. Unde fulgura? De nubibus. Quæ ſunt* nubes *Dei? Prædicatores veritatis. Vides autem* nubem *in Cœlo nebuloſam, obſcuram, & habet INTUS neſcio quid LATENS. Si coruſcet de* nube, *emicat SPLENDOR; ex eo ipſo quod contemnebas, inde exilivit quod expaveſcas. Miſit ergò Dominus noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos, Prædicatores ſuos ſanctos velut* nubes; *videbantur homines, & contemnebantur.-- Erant enim illi primùm homines carnem portantes, infirmi, deinde idiotæ, indocti, ignobiles; ſed erat in illis quod FULGURARET, erat in illis, quod coruſcaret.* Adde his; imò erat in eis etiam, quod *tonares* contra perverſos & obduratos corde peccatores. Hæc *Sanctis* ultimi temporis applicata, tùm docent nos uberiùs, quales & quàm potentes illi futuri ſunt, tum etiam pleniùs illuſtrant & ampliant rationes ſupra † vicibus diverſis auditas, ob quas

(s) *Pſal. 35. (al. 36.* *v. 6.* (t) *Pſal. 103. (al. 104.) v. 7. Apoc. 4. v. 5. & paſſim in Apoc.* (u) *Ezech 38. v. 22.* (v) *Enarrat. in Pſal. 96. v. 4.* † *34. b. cap. collat. §. 35. ibid. pag. 336. 337. & hoc §. in verb.* S. Hieron.

Digitized by Google

quas iidem Sancti *nubes* vocentur. Ideoque tantò libentiùs hæc occaſione verborum S. *Hieronymi* produximus in medium.

XLIV. Idem S. *Hieronymus* alibi eximiè nobis illuſtrat virtutem & potentiam Domini in Sanctis illis, in quibus ipſe (juxta hactenus dicta) venturus eſt, his verbis: (x) *Tunc* (inquit) *deſtruentur Dæmones, tunc ſæculi altitudines ad nihilum deducuntur, & omnis Hæreticorum ſcientia, quæ primùm tumebat, ad Dei SERMONIS ADVENTUM humiliatur & conteritur, atq; conſumitur. Et quod priùs pulchrum & maximum videbatur, quaſi deſpectum abjicitur & parvum. Et hoc fit PROPTER ADVENTUM DEI, & HOSPITIUM CHRISTI; juxta quod alibi ſcriptum* „*eſt: (y) Inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero Deus eorum, & ipſi erunt* „*mihi populus.* Sic ille. Jam quidem inde ab initio Novi Teſt. cœpit hoc ex parte impleri; plenè autem, in illo *adventu*, de quo hîc loquimur, implebitur.

XLV. Idem S. Doctor ſatis ſuperque nobis monſtrat, quàm latè debeamus accipere *ſecundum* & glorioſum Chriſti *adventum*, (juxta modum nempe in ſuperioribus explicatum,) dum diſertè docet, in illo *adventu*, *Jacobi* poſteros (ſeu Hebræos) converſum iri ad Deum. Sic enim verba illa „Michææ, (cap. 2. ℣. 12.) *Congregatione congregabo Jacob totum te*, &c. (poſt præmiſſam unam expoſitionem) verbis quaſi Chriſti Domini interpretatur: (z) *Quia in carnis humilitate veni, & non credidiſtis mihi; VENIAM in conſummatione Mundi*, † *IN MAJESTATE MEA, cum Angelis, ceteriſq; virtutibus, & TUNC TE TOTUM CONGREGABO JACOB: TUNC IN UNUM CONDUCAM RELIQUIAS ISRAEL, & cum Gentium populo, IN OVILI MEO pariter copulabo: TUNC te muro firmiſſimo ſepiam, & tanta erit credentium multitudo, & inter caulas poſiti Gregis tumultuatio, ut vincatur numerus pecorum largitate. Ac ne* „*forſan putes, quia dixi*: (a) Ponam illum quaſi Gregem in Ovili, & quaſi „pecus in medio caularum, *de ovibus me loqui; intellige, quòd oves iſtæ* „*homines ſunt. Sequitur enim*: Tumultuabuntur à multitudine hominum. *Tumultus vox plurimorum eſt, & nimia multitudinis clamor pariter emiſſus; ne æſtimemus unius vocem eſſe, ſed omnium communem, laudantium bonum Paſtorem, qui ardua queq; complanaverit, & ſuo æquaverit pede: Dux itineris eorum, ipſe ſit Paradiſi janua, & dicat: Ego ſum porta; quô iter dividente, & præcedente viâ & portâ, tranſibit per eum credentium populus. Paſtor*

Xx 2 *autem*

(x) *S. Hieron. Comm. in Hab.* 3. *v.* 6. (y) 2. *Cor.* 6. *v.* 16. *ex Lev.* 26 *v.* 11. 12. (z) *S. Hieronym. Comm. in Mich. cap.* 2. *v.* 11. 12. 13. † *Eadem eſt mens S.* Juſtini *Mart. in ſimilem locum, Mich.* 4. *v.* 6. 7. In die illa,--congregabo, &c. *Dialog. cum Tryphon p.* (mihi) 337. (*collat. pag.* 336.) *Ubi prophetiam illam, in* ſecundo *Domini* adventu *impletum iri docet.* (a) *Mich, cit. cap.* 2. *v.* 12.

„autem iſte, & Rex eſt & Dominus. Unde ſequitur: (b) Et tranſibit Rex „eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. [Scilicet, in eximiis & Angelicis ſuis Prædicatoribus, ſcandala omnia à facie Populi Dei amoturis; quos in anima & corpore totos gratioſâ ſuî præſentiâ implebit; ideò ipſe *Dominus* dicitur eos præceſſurus.] Alibi quoq; idem disertè ſcribit, quòd, (c) *Poſtquam Dominus in CLARITATE SUA VENERIT regnaturus, TUNC hi qui vocabantur non populus ejus, vocentur filii Dei viventis, cum Juda, id eſt, Eccleſia Dei fuerint COPULATI.* His conſona ſunt (quoad *adventum*) ſequentia apud eundem Doctorem nomine Domini Salvatoris dicta: (d) *Ecce ego ipſe ad Paſtores VENIAM, & requiram Gregem meum de manu eorum.* Et aliquantò poſt: *Tunc educentur de terris, ut inducantur in terram ſuam, quæ eſt terra viventium, & ipſe eas paſcet in montibus Iſraël.* Et mox: *Eſt infinita promiſſio, ſpeſq; beatitudinis, quando ipſe Do„minus pollicetur dicens: (e) EGO PASCAM oves meas, & nequaquam „eas committam malis Paſtoribus, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus; ut requieſcant (f) in ſinu Abraham, Iſaac & Jacob. TUNC quod perierat in gentium populis, requiretur, & quod erraverat in Hæreticorum perſuaſione, reducetur, quod confractum fuerat, alligabitur, & quod contritum atque infirmum, conſolidabitur: ut impleatur quod ſcriptum eſt: „(g) Qui ſanat infirmitates eorum, & alligat contritiones eorum.*

XLVI. Huc facit, quòd alibi idem S. *Hieronymus*, verbis jam ſupra (h) fusè relatis docet, hoc, ut electi, (i) *non ſolùm de Iſraël, ſed & de gentium populo*, in *unum Gregem*, ſeu in unam Eccleſiam (i) *congregentur*, hoc inquam, *in Mundi conſummatione, & in SECUNDO SALVATORIS ADVENTU pleniùs completum* iri. Eodem ſensû, & in eadem latitudine, in qua in ſuperioribus, accipit idem, *ſecundum Salvatoris adventum*, ad verba illa Zachariæ Prophetæ, *Et erit in die illa, non erit lux*, &c. dum ſic ibidem ſcribit: (k) *Manifeſtè de SECUNDO SALVATORIS prædicatur ADVENTU, de quo & Joannes in Apocalypſi ſua loquitur: (l) Ecce „veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* &c. *Et Dominus in Evan„gelio pronunciat, (m) venturum Filium hominis in NUBIBUS Cœli, cum „fortitudine & gloria multa.* Quòd verò ſubjicit ibidem: *Veniet cum nubibus, id eſt, Angelis, & cum Prophetis atq; Apoſtolis, de quibus ſcripum eſt: „(n) Veritas tua uſq; ad nubes*; hoc ſuperioribus non obſtat. Nam cum Sanctis & in Sanctis ultimi temporis, aderit inviſibile miniſterium *Angelorum*,

(b) *V.13. ibid.* (c) *S.Hieron. Comm. in Hos. 1. v.11.* (d) *S.Hieron. Comm. in Ezech. c.34. v.1. & ſequ.* (e) *Cit. c.34. Ezech. v.15.* (f) *Matt. 8. v. 11. & Luc. 13. v.29.* (g) *Ex Pſal. 102. (al. 103.) v.3. & Pſal. 146. (al. 147.) v.3.* (h) *Sub Regul. 9. huj. 2. Claſſ. c.5. §. 12. p. 162.* (i *Comm. in Iſa 60. v. ult.* (k) *S. Hieron. Comm. in Zach. cap. 14. v. 6. & ſequ.* (l) *Apoc. 1. v. 7.* (m) *Matt. 24. v.30. Hujus loci ſenſum jam ſupra dedimus.* (n) *Pſal. 35. (al. 36.) v. 6.*

Digitized by Google

lorum, eorumque ſingularis virtus & potentia, una cum Spiritu & zelo veterum SS. *Prophetarum* & *Apoſtolorum*, & cum intelligentia Scripturarum per eos editarum, antequam ipſe Dominus viſibiliter etiam unà cum iis conſpicuum ſe Orbi reddat. Alioquî ipſa ejus expoſitio ritè excuſſa, perſpicuè monſtrat, ſenſû illo latiori, quem in ſuperioribus poſuimus, accipi debere *ſecundum* Domini *adventum*, in allatis ejuſdem verbis. Non ſolùm enim ſcribit immediatè poſt verba proximè citata, quòd, *cum dies adventûs ejus fuerit impletus, non erit lux, ſed frigus & gelu, refrigeratâ omnium charitate, & præ multitudine malorum, quæ ſuperventura ſunt, frigeſcentibus cunctis, & calorem priſtinæ fidei perdentibus*; (quod ſanè tempori adventûs Domini in ſuis Sanctis, & non tempori perſonalis ac viſibilis ſuæ præſentiæ manifeſtandæ competit:) ſed inſuper in ejuſdem expoſitionis continuatione, dum exponeret ea, quæ juxta ℣. 8. & 9. tempore memorati *adventûs* Domini futura ſunt, per *aquas*, quæ juxta Zachariam (loc. cit.) *de Jeruſalem* ſunt *exitura*, rectiſſimè (o) *doctrinam Salvatoris de Eccleſia* exituram, ſeu quod idem eſt, Evangelicæ doctrinæ per fideles Eccleſiæ Doctores ad Mundi nationes deferendæ felicem progreſſum *indicari* interpretatur: ut jam hanc ejus expoſitionem ſupra (p) fusè produximus in medium; quò nunc remittimus lectorem. Hæc omnia huc usq; in medium allata celebrium SS. *Patrum* teſtimonia, perſpicuè monſtrant & confirmant veritatem ſententiæ de *Adventu Domini ſecundo* à nobis poſitæ & aſſertæ.

XLVII. Porrò, talia cum legimus, qualia non ita pridem ex S. *Hieronymo*, & paulò antè etiam ex S. *Auguſtino*, de futura in *adventu* Domini *ſecundo* populorum converſione audivimus, tunc pleniorem etiam in ſuperiora (q) accipiamus lucem, in quibus diximus, (occaſione textûs „Iſa. 66. ℣. 18. atque etiam alibi,) feliciſſimum Evangelii progreſſum, & „florentiſſimum Eccleſiæ Dei ſtatum fore tempore ſecundi *adventûs* & *judicii* Domini. Inſtruamur etiam ex *adventu Domini in Sanctis* (juxta modum explicatum) futuro, de veritate *Reſtitutionis* ſupra (r) aſſertæ & adſtructæ. Quantò enim pleniùs in dies Chriſtus Dominus ſuos Sanctos *vivos* in his terris reperiendos, ſuâ potenti virtute cœleſti & gratioſâ ſuî præſentiâ occupaverit & impleverit, tantò illa *Reſtitutio* erit perfectior.

XLVIII. Hactenus per *nubes* in ſuperioribus, (ſ) *nubes* animatas, (S. Ambroſio † *intelligibiles* dictas,) h. e. homines, & quidem quantum ad phraſim, *in nubibus*, ſpecialiter Sanctos Eccleſiæ militantis intelleximus; ſenſû nimirùm (locorum tunc allegatorum) *primariò*; ut etiam antehàc

 *maturè

(o) Comm. in Zach. cap. 14. v. 8. 9. (p) Sub Regul. 32. huj. Claſſ. c. 9. §. 41. pag. 288. 289. Confer verò hîc Joël. 3. v. 18. (q) § 15. 19. h. Cap. p. 314. 318. (r) H. Claſſ. Reg. 32. (ſ) §§ 34. 35. & ſequ. h. cap. † In S. Luc. 17. v. ult.

*maturè monuimus. At verò *ſecundariò*, per *nubes* intelligi poſſunt ac debent juxta Scripturam S. *nubes* etiam inanimatæ, ſed pariter myſticæ & ſpirituales. Uti ſunt, tot varii *ritus*, tot *traditiones*, tot *ordines* & diverſitates *Religioſorum*, tot *Sacramenta*, tor *ſtatuta* & myſteriis pleniſſima *dogmata* in Eccleſia. Cum enim, rectè obſervante Taulero, (*s*) *in Chriſtianitate, nullum tam vile, neq; tam exiguum opus ſit*, (ſcilicet, communiter ab Eccleſia receptum,) *nulla tam parva candela vel campanula, quæ non operi myſtici corporis* Chriſti *perficiendo inſerviat conferatque*; hinc certò tenendum unicuique verè Chriſtiano, vel in minimis quoque Eccleſiæ Catholicæ *ritibus* & obſervationibus jam radicatis, Spiritûs Divini, Eccleſiam etiam in minimis ad (*t*) *veritatem* ducentis, myſteria ſuo tempore aperienda latere; non obſtante, quòd nondum ea homines (ad plenum ſaltem Divini Spiritûs ſcopum) intelligant, imò plurimi nec curent ea intelligere. Atque hinc eſt, quòd jam inde ab olim eruditiores, † myſteria in ritibus & cæremoniis Eccleſiæ laborioſè rimati fuerint. Si in minimis quoque hujuſmodi latet cœleſte myſterium, quantò magis in majoribus, ac in profundiſſimis Eccleſiæ dogmatibus? quibus jungendæ ſunt hac in parte altiſſimæ obſcuritates Prophetiarum & typorum Scripturæ S. quam tenet S. Eccleſia. Rectè ergò res hujuſmodi, quoad uſque veritas in iis & ſub iis latens occultata manet, *nubes* dicuntur. Loca aliquot Scripturæ lucis causâ hîc ſubjicio. V. gr. Job. 22. ℣. 14. (*Nubes latibulum ejus.*) & cap. 37. ℣. 21. (al. 20.) Pſalm. 96. (al. 97.) ℣. 2. & 146. (al. 147.) ℣. 8. [*Qui operit Cœlum nubibus.*] Ezech. 1. ℣. 4. & 10. ℣. 3. & 4. [*Repleta eſt Domus nube.*] & cap. 30. ℣. 3. Et Joël. 2. ℣. 2. Confer hîc myſterium veteris etiam typicæ *nubis*; Exod. 19. ℣. 9. 16. & 24. ℣. 15. & 40. ℣. 32. & Lev. 16. ℣. 2. [*In nube apparebo ſuper oraculum.*]

XLIX. Dicitur autem Dominus *in* & *cum* hujuſmodi *nubibus* (ritibus nempe myſticis, & aliis ſacris Eccleſiæ obſcuritatibus) venire; (1.) quatenùs manentibus adhuc iiſdem *nubibus* in Eccleſia, apparebit per cœleſtem ſuam virtutem magnam & majeſtatem in excellentiſſimis ultimi temporis Sanctis, & quidem in medio illorum, qui myſteria in iiſdem dictis *nubibus* recondita, ſervatâ unitate Eccleſiæ venerantur. (2.) Quatenùs cum profundiſſimorum veritatis Divinæ myſteriorum in iiſdem *nubibus* latentium revelatione (ac per hoc, cum ipſarum rerum in iiſdem ſignificatarum adductione) venturus eſt in prædictis ſuis Sanctis, & per eadem myſteria in apertum producenda confundet omnes illos ſuæ S. Eccleſiæ hoſtes, qui populum Chriſtianum ſub hoc vel illo prætextu, inprimis ſub ſpecie melioris

*§. 33. *b. cap. p.* 335. (*s*) *Taul. Serm.* 1. *Dom. V. poſt Trinit. p.* 376. *edit. Colon. an.* 1603. (*t*) *Joan* 16. *v.* 13. *collat. Pſalm.* 24. (*al.* 25.) *v.* 10. † *Vid.* Durandum *in ſuo* Rationali, & *alios qui de* Divinis Officiis *ſcripſerunt*; *ut*, Alcuin. Amalar. Raban. &c.

lioris & purioris Religionis habendæ, per partes ad ſe (*u*) *rapuerunt*, & in varias Sectas, tum inter ſe tum adversùs Matrem Eccleſiam virulenter digladiantes diſcerpſerunt. Atque ſic implebitur illud, quod in quendam locum *Iſaiæ* ſcribit S. *Hieronymus* his verbis: (*v*) *Tunc Omnipotens Deus, per Eccleſiaſticos viros REVELABIT OPERIMENTUM Judæ, & univerſa SECRETA eorum, qui in confeſſione fidei conſtituti ſunt; & tunc videbis ô Vallis † Sion in DIE ILLA, & in CLARO LUMINE VERITATIS, omnem ARMATURAM Apoſtoli. -- Cum autem operimentum Judæ, atq; ſecretum, quod priùs propter myſterium CELABATUR, fuerit revelatum, & videritis ARMATURAM ECCLESIÆ, tunc intelliges SCHISMATA Civitatis David*, (h. e. Eccleſiæ Chriſti,) *quæ multiplicaſti*. &c. Quæ verba fuſiùs alio in opere (*x*) à nobis ſunt producta in medium.

L. *Nubes* autem dicuntur præmemorata myſteriorum vehicula, ſeu latibula: (1.) Quia ſicut ex *nubibus*, moderata Solis & ventorum in eas operatio producit & educit pluvias uberes & placidas, terramque fœcundantes; ſic ex ritibus aliisq; myſticis *nubibus* jam memoratis, ſolummodò *Solis juſtitiæ* Chriſti, & Venti ſeu Spiritûs ejuſdem in Sanctis ultimi temporis plenè habitaturi, moderatiſſima & ordinatiſſima operatio, [ſcilicet, iiſdem diligenti & piâ quadam dictorum Sanctorum de iiſdem diſquiſitione, & variorum hinc inde luminum veritatis comportatione, veluti ventorum moderatorum vî agitatis & condenſatis, * calore autem Fidei quaſi liquefactis & in guttas reſolutis,] facit & elicit pluviam ſpiritualem doctrinæ ſalutaris uberrimam & electis ſvaviſſimam, eorumque pectora opulenter fœcundantem. Huc facit locus ille quoad ſenſum myſticum & principalem, Pſalm. 146. (al. 147.) ℣. 8. *Qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluviam.* Locum hunc S. *Auguſtinus* (*y*) ſpecialiter de *obſcuritate Scripturarum* ſacrarum, ex qua *Servi Dei pluviam excipiunt* ſpiritualem, intelligit; rectè tamen latiùs etiam accipere eum poſſumus, pro aliis quoq; rebus myſticis & obſcuris in Eccleſia, ac pro *pluvia* doctrinæ ſalutaris ex iis elicienda. (2.) Dicuntur etiam *nubes*; quia quemadmodum *Sole* in vigore ſuo apparente, paulatim diſcutiuntur *nubes*, & ſequitur ſerenitas in aëre; juxta illud: *Nube ſolet pulsâ, clarior eſſe dies*; ſic *Sole juſtitiæ* Chriſto, ſecundô & glorioſo ſuô adventû in *Sanctis* ultimi temporis (ante perſonalem ſuî publicam manifeſtationem) apparente, & in dies in iiſdem potentiùs

(*u*) *Job.* 24. *v.* 2. (*v*) *Comm. in Iſa.* 22. *v.* 1. † *Ab* Eccleſia *diviſos, & à ſublimitate ſenſûs Scripturæ ad humilia devolutos intelligit.* (*x*) *In Examin. Reform. Luth. & Soc cap.* 9. *pag.* 515. *&* 516. * *Lumen hic ſuppeditat illud, quod ſcribit* S. Hieron. *Comm. in Amos.* 9. *v.* 6. *de maris aquis*: Ideò (*inquit*) *Dominus* vocat amaras aquas, ut dulces faciat, & educat ventos de theſauris ſuis, & graves ſalſugine aquas, ſuâ in altum juſſione ſuſpendat; eliquanſque eas, & æthereo calore decoquens, diſpenſet in pluvias; & emittat ſuper faciem terræ, *&c. Myſticè hæc intellige.* (*y*) *Enarrat. in Pſalm.* 146. *v.* 8.

tentiùs ac potentiùs operante, memoratæ rituum & aliarum obſcuritatum ſacrarum *nubes* myſticæ (quà tales ſunt,) ſenſim & ſucceſſivè tollentur, iiſque ſuccedet in Eccleſia abſque ullo velamine pura & clariſſima illa veritas, quæ nunc latet in iiſdem. Atque hoc eſt quod non ita pridem ex S. *Hieronymo* audivimus: (z) *Tunc* (inquit) *videbis*-- *in DIE illa*, *& IN CLARO LUMINE VERITATIS*, *omnem armaturam Apoſtoli. &c.* Hæc de ſenſu *adventûs* Domini *in nubibus* myſticis, tam animatis quàm inanimatis, ſatis. [Quales autem futuræ ſunt *nubes* illæ propriè dictæ, *nubes* nempe lucidiſſimæ & fulgidiſſimæ, (ut & hoc obiter hîc indicem,) quæ Chriſtum (vi loci, † Act. 1. ℣. 9. 11.) in ſua perſonali apparitione cincturæ ſunt; tunc ſciemus clarè & diſtinctè, quando nos ipſe Dominus glorioſô illo & jucundô ſuî conſpectû gratioſè dignabitur.]

LI. Quamvis jam trium inſignium S. Eccleſiæ (olim in Occidente) Luminum teſtimonia in ſuperioribus allata, latitudinem ſenſûs ſecundi *adventûs* Domini ex Scripturis aſſertam, ſatis ſuperque nobis illuſtrârint & roborârint; attamen ex ſuperabundanti placet hîc adhuc ſubjungere Orientalis etiam Doctoris celeberrimi, S. *Cyrilli* Alexandrini eruditam quandam expoſitionem, ſupra dictis faventem & robur addentem. Is dum *Iſaia* caput 60. explicaret, de mora Chriſti in ſua glorioſa præſentia, ſeu de latitudine ſenſûs *adventûs* ejuſdem ſecundi, hoc luculentiſſimum nobis (ad ejus diſcurſum attendentibus) conſignavit teſtimonium: (a) Ἔςαι δέ φησὶ, καὶ ὁ ὀλιγοςὸς εἰς χιλιάδας, καὶ ὁ ἐλάχιςος εἰς ἔθνος μέγα. νῦν μὲν γὰρ, τυτέςιν ἐν τῷ αἰῶνι τύτῳ, κέκρυπται τῶν ἁγίων ἡ δόξα.--ἐπιλάμψαντος δὲ πάλιν ἐξ ὐρανῶν τῦ χριςῦ, τὸ τηνικάδε, καὶ ὁ νομιθεὶς ἐλάχιςος εἶναι, καὶ ὀλιγοςὸς, ἔςαι εἰς ἔθνος μέγα. καθηγγήσεται γὰρ λαῶν, καὶ ἡγεμονεύσει πολλῶν, ἅτε δὲ τὸν εὐδόκιμον ἐν τῷ δε τῷ βίῳ, διανύσας δρόμον. καὶ τῦτο ἐςὶν ἰδεῖν ἐξ ὧν ἔφη χριςός· τοῖς γὰρ ἀποςόλοις προςλαλῶν, ὅταν ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ καθίσῃ, φησὶν, ἐπὶ θρόνυ δόξης αὐτῦ, τότε καὶ ὑμεῖς καθίσεσθε ἐπὶ δώδεκα θρόνων. &c. H. e. *Qui autem paucus* (propr. *pauciſſimus*) *eſt*, *inquit*, (nempe Iſaias,) *erit in millia*, *& qui minimus*, *in gentem magnam*. *Nunc enim*, *id eſt*, *in hoc ſeculo*, *occultata eſt gloria Sanctorum.* --*Sed rursùs*, *ubi ILLUXERIT DE COELO CHRISTUS*, *TUNC etiam qui habitus eſt minimus & pauciſſimus*, *ERIT IN GENTEM MAGNAM. PRÆFICIETUR enim POPULIS*, *& IMPERITABIT MULTIS*, *utpote*, *in hac vitâ confecto curſû laudabili.* [Scilicet, is de quo

(z) *Paragr. proximè praeced. ex Comment. in Iſa. 22.* † *De hoc loco vid.* S. Auguſtin. *Epiſt. 80. ad Heſych.* (a) *Cyrill. Comm. in Iſa. 60. v. 21. 22. Lib. 5. Tom. 5. pag. 856. & 857. edit. Par. an. 1638. Op. Tom. 2.*

quo ſonat ſacer textus, *curſum laudabilem* in hac vita miſera debet conficere, prius-quàm deſtructô in ſe prorsùs peccatô cum omni Satanæ opere, & externè quoque hoſtium Eccleſiæ Regnô, in ſtatum feliciorem mutatus, *ſit in gentem magnam*, multiſque in Eccleſia Dei, pacatiſſimo in ſtatu præſit.] Subjicit pro confirmatione: *Quod videre eſt ex his, quæ dixit Chriſtus.* „*Nam affatus Apoſtolos*, inquit; (*b*) *Quùm Filius hominis ſedebit in throno* „*gloriæ ſuæ, tunc etiam vos ſedebitis in duodecim thronis, judicantes duodecim* „*tribus Iſraël.* Rectè hunc locum pro confirmatione adducit. Nam ſancti Apoſtoli in *Spiritu & virtute*, eodem modô aderunt in excellentiſſimis ultimi temporis Sanctis, quô *Elias* adfuit olim in S. Joanne Baptiſta; (quod & ſupra (*c*) jam inſinuavimus;) ac proinde, ut de *Elia* rectè in Scriptura S. prædictum eſt, eum facturum illa, quæ *in Spiritu & virtute* ejus per aliud ſubjectum peragenda erant; (& adhuc pleniùs (*d*) peragenda ſunt;) ſic etiam rectè de Apoſtolis dicitur id, quod futurum eſt *in Spiritu & virtute* eorum per alios Sanctos; ſalvô etiam hôc, quòd & ipſi perſonaliter præſentes erunt è Cœlis cum Chriſto, in perſonali & publicâ ejuſdem manifeſtatione, ad judicandum Mundum.

LII. Poſt præmemorata, apprimè planè in ſcopum prædictorum ſubjicit etiam loca, Luc. 19. ℣. 17. (col. ult.) & ℣. 19. ibid. Et Pſalm. 46. (al. 47.) ℣. 4. *Subjecit populos nobis*, &c. Hæc, & præſertim verba illa, (ex *Iſaia* allata,) *Erit in gentem magnam*; item, immediatè iiſdem expoſitionis causâ ſubjecta: *Proficietur † populis, & imperitabit multis*, perſpicuè monſtrant, *S. Cyrillum*, de illa hîc Sanctorum felicitate agere, quæ futura eſt in his terris, Chriſto Domino, partim in ſuis Sanctis ultimi temporis, & operibus glorioſis, partim verò in propria ac ſupernâ ſuâ majeſtate perſonaliter ſuper terram præſente. Phraſes certè illæ ex propria & genuina ſua vi, juxtaq; verborum emphaſim, Sanctorum in his terris, aliis ſuâ directione præfuturorum felicitatem poſt Antichriſti excidium ſecuturam ſignificant. Quibus conſona eſt etiam phraſis illa, quæ exſtat Pſalm. 49. (al. 48.) ℣. 15. וירדו בם ישרים לבקר: *Et dominabuntur * in eis recti mane.* (Quem locum per ſingula verba nunc explicare, ſtudium brevitatis non patitur.) Quòd autem infrà dicit S. *Cyrillus*, Sanctos in adventu Domini juxta Apoſtolum *rapiendos in aëra*; hoc minimè obſtat ſuperioribus. Nam non obſcurè diſtingvit quandam Sanctorum tempore adventûs Domini futuram lætitiam, ab ea, quæ erit in raptu, & poſt raptum in occurſum Domini; ita ut illa, hanc præcedere debeat. Poſtquam enim dixiſſet, ſenſum verborum

 Iſaiæ

(*b*) *Matt. 19. v. 28.* (*c*) *H. Claſſ. Reg. 31. Cap. 9. §. 30. n. 2. p. 280.* (*d*) *Vid. Reg. 7. huj. 2. Claſſ. cap. 4. §. 25. & ſequ. pag. 116. & ſequ.* † *Confer hic Matt. 24. v. 46. 47. & noſtram in eum locum expoſitionem*, Læt. Nunc. *pag. 209. & ſequ.* * *Confer tutis causâ, Apoc. 5. v. 10. vol. ult, & Sap. 3. v. 8.*

Iſaiæ (juxta LXX.) ſecutus: (*e*) *Ego, inquit omnium Dominus, congregabo eos, ſuo tempere, adventûs ſcilicet de Cœlo*; illicò ſubjicit: Τότε γὰρ ἔσαι τοῖς ἁγίοις ἡ παντὸς ἀπόλαυσις ἀγαθοῦ· οἱ καὶ ἁρπαϑήσονται--εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου εἰς ἀέρα. H. e *Tunc Sancti OMNI BONO fruentur: QUI ETIAM rapientur--in occurſum Domini in aëra.* Videmus in his, *Sanctos* in adventu Domini, *omni bono* etiam in his terris (quod hîc capere poſſunt) *fruituros*, antequam in ſuperna *rapiantur*. Cur enim debebat Author ſic poſterius periodi membrum à priori diſtingvere; *Qui etiam rapientur*, &c. (juxta Græcum ejuſdem S. *Cyrilli* textum,) niſi hoc indicaretur quod jam poſuimus? Patet jam ex his quoque, quàm latè debeat ſumi *adventus* Domini ſecundus.

LIII. Non fuit ignota latitudo iſta phraſeos *adventûs Domini* Authori etiam illi poſterioris ævi, (*Matthia*, ut putatur, *Pariſienſi*,) qui circa an. D. 1365. ſic de ejuſdem *Domini in ſuis dilectis* & Sanctis *adventu* ſcripſit: (*f*) *Dominus Jeſus, diutinè & SUCCESSIVE ADVENIENS IN SUIS DILECTIS diſcipulis, ANTE Diem extremi judicii*, (ſcilicet, illius, quod poſt quædam Domini judicia per Sanctos hujus terræ celebranda, ipsô jam perſonaliter manifeſtato peragetur,) *tandem nocte cæcitatis, noviſſimè irruet* (per eoſdem ſuos) *ſuper Gentes Gog & Magog,--quaſi Gedeon* (*g*) *ſuper Madianitas cum fragore laguncularum & fulgore.-- Et ita „fiet, quod etiam SUCCESSIVE Dominus Jeſus* (*h*) *illuſtratione adven„tûs ſui, deſtruet eum, cujus adventus eſt ſecundùm operationem Satanæ, in „omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus.*

LIV. Hæc de latitudine phraſeos *adventûs Domini*, & ſpecialiter de *adventu* ejuſdem *in Sanctis* ultimi temporis, operibusque ſuis glorioſis. Nec mirabitur ille hanc dictæ phraſeos latitudinem, qui vel ſolùm *adventûs* Regis Mundani in Urbem vel Regionem aliquam ritè conſideraverit modum & ſolennitatem. Si Rex aliquis, poſt diuturnam & frequentiſſimam *adventûs* & *judicii* ſui ſecuturi denunciationem, adversùs rebellem aliquam Urbem vel Regionem, & ad liberandos ſuos fideles in medio perfidorum gementes è Regia ſua cum ſolenni ſuo comitatu prodeat, (quod exemplum jam ſupra (*i*) quoque paulò aliter, ſed in eundem ſcopum, retulimus,) quamprimùm proximi ejus prodromi, vicemque ejuſdem contra perfidos gerentes adſunt in rebelli Urbe vel Regione pro executione juſtitiæ, eamque victoriâ & terrore Regio implent, protinùs *adventus* illorum, (utpote quos perſonaliter etiam ſequitur ipſe Rex,) rectè dicitur

eſſe

(*e*) *Cap.* 60. *v. ult. col. ult.* (*f*) *Tractat. de* Regno, popul. vita *&* morib. Antichriſt. *cap.* 2. (*g*) *Jud.* 7 *v.* 19. 20. (*h*) 2. *Theſſ.* 2 *v.* 8. 9. (*i*) §. 21. *b, cap. p.* 321. *Confer etiam cap.* 5. *hujus Claſſ.* 2*dæ*. §. 28. *pag.* 175.

eſſe *adventus* Regis: (etiamſi ſatis notabile tempus inter horum adventum, & Regis perſonalem in Urbe vel Regione tali præſentiam intercedat;) tum quia jam adeſt in ſuis, tum verò quia actû venit & præſens eſt in comitatu ſuorum, etſi nondum iis ad quos venit, perſonaliter manifeſtatus.

LV. Quod autem attinet *adventum* Domini *in ſe*, ſeu in perſonali ſuî manifeſtatione; quid ille ſit, ipſa verba docent, & ex ſuperioribus quoque ſatis claret. Ad eum refero cum S. *Auguſtino* (k) Matth. 24. ℣. 33. *Cum videritis hæc omnia, ſcitote, quia PROPE EST in januis.* Item, Marc. 13. ℣. 29. & Luc. 21. ℣. 31. Loca autem ſequentia, videlicet, Matth. 24. ℣. 39. item ℣. 42. ibidem: *Neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus eſt*; & ℣. 44. ibid. *Eſtote parati; quia quâ neſcitis horâ Filius hominis venturus eſt*: (unde, per quandam ſequelam de mortis etiam horæ incertitudine inſtructio fieri poteſt;) collat. cum Marc. 13. ℣. 33. 35. & Luc. 12. ℣. 40. & 21. ℣. 34. & 1. Theſſ. 5. ℣. 2. 3. 4. ita collimant ultimatè ac principaliter in perſonalem Domini *adventum* ejuſque *adventûs* manifeſtationem, ut ſimul etiam includant in ſe proximè præcedentem ejuſdem Domini pleniorem & glorioſiorem in ſuis Sanctis (de quibus jam diximus) *adventum* poſt furorem Antichriſti, ad extingvendum eundem Antichriſtum ejuſque ſequaces. Ita etiam loca, Matt. 25. ℣. 31. 32. & ſequ. uſque ad ℣. ult. & Dan. 7. ℣. 9. 10. 13. item, 1. Theſſ. 4. ℣. 14. 15. (al. 15. 16.) & 2. Theſſ. 1. ℣. 7. 8. 9. 10. utramque partem *adventûs* ejuſdem glorioſi in ſe involvunt, ultimatò & in his ſcopo exiſtente perſonali ejuſdem Domini manifeſtatione, poſt adventum in operibus glorioſis ſecuturâ. Pleniſſima autem & maximè publica (velut coronis præcedentium) ejuſdem Domini perſonalis è Cœlis manifeſtatio indicatur Apoc. 20. ℣. 11. 12. collat. Act. 1. ℣. 11.

LVI. Antequam ad ulteriora progrederer, poſſet hîc aliquis quærere: „An interea temporis, dum Chriſtus Dominus prædicto modo in ſuis Sanctis adveniens & glorioſè præſens, publicam ſuî differt aliquamdiù manifeſtationem, an inquam, non ſe ipſum privatim in perſona quoque „ſua his vel illis Sanctis aliquando manifeſtabit? Reſp. Publicam ſuî coram toto Orbe manifeſtationem, (quam eô nomine, ideò ſupra ſubinde inculcavi, ut aliqua in ejus perſonali etiam apparitione notaretur diſtinctio,) abſq; dubio in illud extremum temporum reſervabit, ex quo deinceps ſemper cum ſuis futurus eſt viſibili præſentiâ; at verò, quin ante extremam quoq; illam & finalem ſuî manifeſtationem, privatim aliquando ſuis electis & ſanctis, ſe ipſum in cœleſti & regali ſuo throno, oculis etiam corporeis conſpiciendum exhibiturus ſit, (Mundo interim impiorum nîl de hoc animadvertente, ſolummodò ad varia ejus opera terribilia obſtupeſcente, vel obbruteſcente,) nullâ ratione negare, vel de eo dubitare

 poſſum,

(k) *Epiſt. 80.*

poſſum. Poteſt certè Chriſtus Dominus ſuorum mentes & oculos ita elevare, eâq; acie beare, ut ipſum in ea parte Cœli, vel in eo corpore cœleſti, in quo ipſe vult, conſpicere poſſint. (Privatæ ſuî manifeſtationis cujuſdam exempla jam habemus, in S. *Stephano* Protomartyre, Act. 7. ℣. 55. & in S. *Paulo* adhuc Saulo, Act. 9. ℣. 3. collat. 1. Cor. 15. ℣. 8.) Atque hoc non ſolùm non pugnat cum ejus verbo, (quod exempla nunc allata docent) ſed inſuper videtur in ejuſdem verbo quodam (ſpectatô pleniore ejus ſensû) perſpicuè fundari. Sic enim ait ipſe, Joan. 14. ℣. 21: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me:-- & ego diligam eum, & MANIFESTABO EI me-ipſum.* Græce habetur: ϗ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν. Quod *Beza* quoad ſenſum vertit ſic: *Et ei CONSPICIENDUM EXHIBEBO me ipſum.*

LVII. Cum verbum Dei latiſſimi ſit ſensûs, (ut patet ex iis, quæ ſupra (*l*) de Prophetiarum & Typorum ſenſu diximus,) ſic & in allegato Domini dicto, ſolida, intima, verè ſalutaris & pleniſſima myſteriorum ejuſdem Domini ut Θεανθρώπε, videlicet, incarnationis ejus, & huic connexorum notitia communicanda ita promittitur, ut ſimul etiam indicetur, perſonalem ejuſdem Domini Salvatoris præſentiam gratioſiſſimam & jucundiſſimam, mandata ipſius ſervantibus, & ipſum verè diligentibus, iisq; ſolummodò fore exhibendam, tum mente tum oculis externis conſpiciendam. Lucis causâ conferatur hîc verſus præcedens, ſcil. ℣. 19nus, ubi hæc habentur: *Adhuc modicum; & Mundus me jam non videt*; (hoc eſt, *non videbit*;) *Vos autem videtis me*; (h. e. *videbitis*:) *quia ego vivo, & vos vivetis.* Cum dicit; *Mundus me jam non videbit*; (verbum enim præſens, futuri vim illic habet;) vel juxta Græcum, με ἐκ ἔτι θεωρεῖ, *me NON AMPLIUS videbit*; ſignificat, non tantùm, quòd fide non videbunt ſeu non conſpicient eum impii, (hoc enim cuivis Chriſtiano notum, quòd impii quà tales manent, verâ & vivâ fide eum non contemplantur,) ſed præcipuè hoc, quòd, quoniam eum priùs in humilitate deſpexerunt, nec eundem in ſuſtinenda variorum adverſorum cruce ſequi voluerunt, ideò, ut omni myſteriorum ejus notitiâ ſolidâ & ſalutari hîc carebunt, ſic neque in gloria eum, ut benignum, lætum & jucundum conſpicient, ſed ſolummodò ut dirum & omni horrore plenum Judicem. Atque hoc ſensû intelligendum eſt, quòd veteres (*m*) obſervant Doctores, Chriſtum

(*l*) *Reg. 1. & 2. huj. 2da Claſſ. pag. 56. 57. 58. 69. 70. collat. pag. 77. 78. & 79.* (*m*) *Vid. Comm. in Apoc. ſub nomine S. Ambros. in c. 14 v. 14.--17. Ubi Author utrumq; Angelum* (*ſub diverſo habitu*) falcem *habentem, de eodem Chriſto Domino Judice, ſub forma ſuî diverſa, interpretatur.* Quia (*inquit*) Chriſtus aliter apparebit juſtis, & aliter injuſtis, non inconvenienter per duos Angelos figuratur. *&c. Confer S.* Auguſt. *Enarr. in Pſal. 85. v. 16. & 109. v. 3. Et S.* Gregor. *in Ezech. Lib. 1. Homil. 7.* Specioſus juſtis, & terribilis erit injuſtis.

Digitized by Google

Chriſtum aliâ formâ piis, & aliâ impiis in *judicio* appariturum. De electis autem in perſona diſcipulorum, dicit ibidem Dominus: *Vos autem videbitis me*: ubi *viſio* Domini eundem habet ſenſum, quem ſupra diximus de *manifeſtatione* ejuſdem ad ſuos electos. Ne autem quiſpiam putet, & *manifeſtationem* ℣. 21. jam allato, & *viſionem* ℣. 19. tantùm ad publicam & extremam ipſius Domini manifeſtationem referendam eſſe; contextus ibidem benè inſpectus & excuſſus docebit, non de publica tantùm *manifeſtatione* & *viſione* ejus hîc agi. Nam poſtquam dixiſſet Dominus, juxta memoratum 21. verſum: *Manifeſtabo ei me ipſum*; illicò *Judas* Apoſtolus, (alius ab *Iſcariote*) ſic de hoc dicto interrogat Dominum, ℣. 22: *Domine! quid factum eſt*, (ſeu, quæ cauſa, quid rei eſt,) *quia manifeſtaturus es nobis te-ipſum*,(*n*) *& non Mundo*? ad quod Dominus, ℣. 23. ſic ei reſpondet: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. (Cujus dicti, quoad verba poſteriora, ſenſum, jam ſupra (*o*) dedimus.) In his verbis (præter implicitam inſinuationem, quòd Mundus cum non diligat, ac ideò ei ſe non manifeſtabit,) perſpicuè docet Dominus, *manifeſtationem* ſuî, reſpectû *diligentium* ipſum, ejuſdem eſſe temporis, cujus eſt *adventus* ejuſdem ad ſuos, & habitatio in eiſdem. Atqui plenior ille *adventus Domini* ad Sanctos, pleniorque habitatio in iiſdem, in ſecundo ipſius *adventu* (latè ſumpto) erit, quando jam aderit *in nubibus*, h. e. in ſuis Sanctis, *cum poteſtate magna & majeſtate*, juxta ea, quæ in hanc rem fusè dicta ſunt in ſuperioribus. Ergo quamprimùm aderit Dominus in Sanctis Eccleſiæ militantis, juxta expoſitionem ſupra datam; ex eo tempore, ipſa etiam ſuî *manifeſtatio* plenior, h. e. tum myſteriorum ejus notitia uberior, tum etiam glorioſæ ſuæ perſonæ (ſeu perſonalis præſentiæ) ad videndum, dum ei placuerit, exhibitio affutura eſt ſuis electis & Sanctis, ante publicam quoque ſuî manifeſtationem. Hæc autem tantô clariora & firmiora erunt, ſi ſuperiùs de *adventu Domini in Sanctis* dicta, lector ſibi diligenter in memoriam revocet & expendat. Præcedet autem tunc ſine dubio *interna* Domini in pleniori ſuorum myſteriorum cognitione communicandâ, *manifeſtatio*, antequam ſe-ipſum in gloria oculis quoque *externis*, conſpiciendum privatim exhibeat.

LVIII. Si dicat hîc aliquis: Apoſtolis iſta, quæ nunc ex S. Joanne memoravimus, dicta eſſe: Reponimus facilè ſic: In Apoſtolorum perſonis, (*p*) aliis quoque Sanctis hæc propheticè dicta eſſe, ſicut & illud quod exſtat, Joan. 16. ℣. 22. collat. ibid. ℣. 16. 17. 19. De Apoſtolis autem & aliis veteribus Sanctis jam beatis, providit dudum Dominus, quomodo eum

(*n*) *Confer hic lucis causâ, Joan. 7. v. 4. col. ult.* (*o*) §. 29. 30. *h. cap. pag.* 330. 331.
(*p*) *Vide Marc.* 13. *v.* 37.

eum in gloria videant & contemplentur, etiam ante publicam ipſius manifeſtationem. Hæc de *adventu Domini ſecundo*, juxta requiſitas ejus diſtinctiones, monſtrantes & docentes, quæ res ſub eadem phraſi *adventûs Domini* comprehendantur. Nunc iterum ad id quod eidem eſt connexum, hoc eſt, ad ejus *judicium* revertamur, & quæ in ſuperioribus omiſſa, accuratioris ordinis cauſâ huc differenda erant, pro ulteriori *judicii* illius tremendi & rerum ſub mentione ejus incluſarum deſcriptione & illuſtratione in medium afferamus.

CAPUT XI.

In quo, *continuatur* Regulæ 33tiæ *illuſtratio à deſcriptione* rerum *illarum, quæ in futuro illo* judicio *tremendo ante perſonalem Domini apparitionem publicam* (*juxta* S. Hieronymi *in quadam loca* Ezechielis, Sophoniæ *&* Joëlis *expoſitionem*) *in terris peraguntur: unde etiam principalis infertur Concluſio, de* latitudine Diei Domini, *&* Diei judicii *futuri. Subnectitur demùm ſalutaris* admonitio *tam tremendo argumento accommodata.*

I. DE *Judicio* Chriſti futuro, ac toties in Scriptura S. celebrato, quid jam ſentiendum, & quâ diſtinctione de eo quoque loquendum ſit, ex ſuperioribus patet. Videlicet, *judicium* illud, partim erit, primò ſine manifeſtatione publica perſonæ Chriſti, in admirandis, terrificis, & præcedentia longiſſimè ſuperantibus ejus operibus judiciariis; (quibus, quà plagæ erunt, probentur, purgentur & emendentur electi, juxta ſuperiùs † dicta, impii autem tunc victuri, præmiſsâ cauſæ eorum per *Sanctos* cognitione, & exactâ diſcuſſione, confundantur, fatalique Judicis irati ſuis in *Sanctis* terrore obruti, diſſipentur & perdantur;) partim verò cum perſonæ ejus demùm manifeſtatione publica & glorioſa. De membro hujus poſitionis poſtremo, nullus Chriſtianorum dubitat. Primum autem membrum, ex iiſdem documentis clarum & firmum eſt, quibus ſupra, & *Diem adventûs* Domini glorioſi ejuſque *judicii*, latiùs pro *tempore* ſumendum eſſe, & ejus *adventum* glorioſum, etiam *adventum* ipſius in operibus ſuis glorioſis, ac ſpecialiter *in Sanctis*, ſignificare, demonſtratum eſt.

II. Sed ut ſpecialiùs etiam de hoc *judicio* è veneranda Antiquitate aliquid dicatur, & ampliùs hoc argumentum ad propoſitum ſcopum illuſtretur, placet hic eruditam & Scripturæ S. conſonam S. *Hieronymi* de tremendo illo Chriſti *judicio* futuro ſententiam in medium producere: qui „Ezechielis de *Gog* & *Magog* prophetiam explicans, ad verſum illum, *Ecce* „*venit & factum eſt*, *hæc eſt dies*, &c. de *judicio* illo, & rebus in eo geren- „dis, hôc verborum tenore ſcribit: (*a*) *Quod autem ſequitur*, Ecce venit, & factum eſt; *de JUDICIO CHRISTI dicitur: qui* (*b*) *veniens veniet, &*

non tar-

† *Cap.* 10. (*b. 2da Claſſ.*) §. 16. 17. 18. 20. *pag.* 315, 316. *& ſequ.* (*a*) *S. Hieron. Comm. in Ezech. cap.* 39. *v.* 8. *& ſequ.* (*b*) *Hab.* 2. *v.* 3.

Digitized by Google

*non tardabit. Et ipſa eſt DIES pœnarum & VINDICTÆ, DE QUA PER
„OMNES PROPHETAS LOCUTUS EST DOMINUS.* (c) Et egre-
„dientur habitatores Urbium Iſraël, *credentium populi:* Urbes *autem intelli-
gimus Eccleſias recta fidei.* (d) Et ſuccendent, & comburent arma; *de qui-
„bus & in alio loco ſcriptum eſt:* (e) *Arcum conteret, & confringet arma, &
„ ſcuta combures igni:* clypeos & haſtas, arcum & ſagittas, baculos *manûs,
in quibus perverſum Paſcha celebrabant*; lanceas *ſive contos, quibus lata &
inſanabilia inferebant vulnera doctrinarum.* Et poſtquam in ſequentibus
„expoſuiſſet verba illa: † *Et ſuccendent ea igni ſeptem annis*, illicò in ea-
dem expoſitionis de *die judicii* cœptæ ſerie, ſubjicit: *Nec poſſumus plenam
habere pacem, & habitationis confidentiam, niſi cunctam adverſariorum ſu-
pellectilem deprædemur; ut pereant omnia & in cinerem concrementur*; (ſer-
mone videlicet Eccleſiaſtico, igne Spiritûs S. fervente;) *& deprædemur
eos, qui nos fuerant antè prædati; & vaſtemus illos, qui vaſtaverant priùs
Eccleſiam. In DIE illa, IN CLARO PRÆDICATIONIS LUMINE;
Dabo, inquit,* Gog locum *nominatum* ſepulcrum in Iſraël, *juxta Hebrai-
„cum,* Vallem viatorum ad Orientem Maris, *quæ obſtupeſcere facit præter-
„euntes. Cujus ſermonis hic ſenſus eſt: Sepulcrum Gog, non erit in Monti-
bus, ſed in depreſſis vallibus, & confragoſis locis,* [myſticè ſumptis,] *quæ
Hebraicè appellantur* גיא, *quæ Hæretici, cum in Occidente ſint, Orientis*
(myſtici) *loca eſſe confingunt: ut decipiant* viatores, *eos videlicet, qui ſecu-
lum iſtud pertranſeunt, & non ſunt habitatores, ſed peregrini, dicentes iſtud
„Propheticum:* (*f*) Advena ſum ego & peregrinus, ſicut omnes Patres
„mei. *Quis enim prætereuntium,* [*de quibus ſcriptum eſt:* (*g*) Et non dixe-
„runt, qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos;] *non admiratur &
obſtupeſcit, cum* Vallem *viderit* Viatorum, *quæ viatoribus* vallis, *habitato-
ribus* (ejuſdem Vallis) Mons *videtur? -- Et quo modô ſuprà diximus, per*
ſeptem annos *adverſariorum arma ſuccendi; ſic per* ſeptem menſes *ſordibus
Hæreticorum terra mundabitur. A' primo enim Menſe, quando Paſcha Do-
mini* (in myſterio) *celebramus, & Exterminatorem Ægypti,* (*h*) agni *in
poſtibus noſtris cruore vitamus, usq; ad exitum anni, h. e. usq; ad* ſeptimum
menſem, *quando tabernacula figimus, & inter cæteras frondes,* palmarum
*quoq; ramis protegimur; ut PERFECTA contra hoſtes VICTORIA demon-
ſtretur, feſtivitates omnes complemus in Populis:* (h. e. fruemur bonis in
typo feſtivitatum veterum præſignificatis:) *nec ſolùm Magiſtri, ſed &*
(*i*) omnis

(c) *Ezech. 39. v. 9.* (d) *Ibid.* (e) *Pſal. 45. (al. 46.) v. 10. Confer de hoc verſu* S. Auguſtin. *ſupra pag. 84.* † *Verba* S. Hieronymi *in hunc textum, vide proximè in noſtro Lat. Nunc. pag. 96. 97. Inſuper, de toto hoc ſpirituali fidelium bello, conſule ea quoque, quæ habet idem* S. Hieronymus *Comment. in Zach. 12. v. 6. ubi ſic incipit:* Nos dicamus, quòd tempore perſecutionis *&c.* (*f*) *Pſal. 38. (al. 39.) v. 13.* (*g*) *Pſal. 128. (al. 129.) v. 8.* (*h*) *Exod. 12. v. 13. 23.*

(*i*) omnis Populus *hoc certatim faciet*, *ut* ſepeliat Gog, *& terrâ operiat*, *Q. nequaquam aërem liberum capere permittat. Poſt necem autem & interfectionem*, *ſive ſepulcrum Gog*, *eligentur* (*k*) Viri *Eccleſiaſtici*, *qui hoc habeant ſtudii*, *ne quid in terra Iſraël* (myſtici) *maneat ſordium priſtinarum*, *ne quid morticinum*; *qui* luſtrent terram, *& requirant mortuos*, *& ſepeliant*; *ut videlicet mundetur terra Eccleſia. Sin autem poſt* ſeptem menſes, *quando debent cuncta eſſe purgata*, *hi qui terram peragrant atque circumeunt, in aliquo* os hominis, *h. e. duritiem Hæreticæ pravitatis*, *ſive morticinum quid doctrina priſtina viderint remanſiſſe*; ponent *juxta illud ſive ædificabunt* titulum: *ut poſtquam notati fuerint qui hujuſmodi ſunt*, *tunc vel emundentur, vel ſepeliantur cum Gog*, *& in tumba ſepulturæ illius retrudantur. Nomen autem* Civitatis, *ubi Servorum Domini victoria eſt*, *appellabitur* (*l*) Amona, *ſive* (*m*) Polyandrion; *ut finis omnium RESTITUTIO PURITATIS ſit*. Hæc ille. Quæ omnia ex mente S. *Hieronymi* durante *judicio* illo magno futura ſunt.

III. Videmus in his iſta diſtinctè tradi: (1.) Quod *in judicio* illo tremendo, de quo *per omnes Prophetas locutus eſt Dominus*, arma ſpiritualia hoſtium Eccleſiæ (ſignanter *Gog* & *Magog*,) comburentur; hoc eſt, omnia argumenta & ſophiſmata eorum verbo Dei & igne Spiritûs S. Sanctos ultimi temporis plenè occupaturi, ita evertentur & ad incitas redigentur, ut nunquam illi ampliùs ſe ſe contra Eccleſiam Dei erigere poſſint. Quod aliunde etiam patet ex S. *Hieronymo*; ut paulò poſt *audiemus. Ad quem laborem, extraordinaria planè ſcientia, & ſingularis ſapientia cœleſtis, (ultimis nempe temporibus reſervata) requiritur. Unde ultrò ſequitur, quòd Chriſtus Dominus hoc † *judicium* reſurandi & evertendi errores unà cum ſequacibus errorum, per ſuos ultimi temporis *Sanctos* peracturus eſt: inter quos primus erit ipſemet ejuſdem *Vicarius*. Tunc implebitur illud, quod jam ſupra (*n*) ex eodem S. *Hieronymo* audivimus: (*o*) *In die illo*, (inquit,) *qui SANCTI ſunt & electi de Eccleſia*, *aſcendent ad ſpeculam*, *& IN SUBLIMITATE DOCTRINARUM atq; OPERUM ſuorum*, *de rebus cœleſtibus diſputabunt*. (2.) Quòd ſtante illo *judicio*, debellatiſque Eccleſiæ hoſtibus, ipſa Evangelii prædicatio feliciſſimum & optatiſſimum habebit progreſſum. Quod verbis illis ſignificatur: *In die illa*, *in claro prædicationis lumine*. Quibus verbis non obſcurè inſinuat, *clariſſimum prædicationis* verbi Divini *lumen*, quô omnium myſteriorum

(*i*) *Ezech. 39. v. 13.* (*k*) *Ibid. v. 14. 15.* (*l*) *Ibid. v. 16.* (*m*) *Sic juxt. LXX. Int.* * *§. 5. 8. & 9. h. cap.* † *Confer hic lucis causâ*, Dan. *7. v. 22.* Ezech. *44. v. 24. &* Abd. *v. ult. Per hos*, *de quibus* Daniel, Ezechiel *&* Abdias (*loc. cit.*) *meminerunt*, *peraget Dominus etiam illud* judicium, *quod habetur Pſal. 95. (al. 96.) v. 13. & 97. (al. 98.) v. 9.* (*n*) *Sub Regul. 10. h. Claſſ. Cap. 5. §. 40. pag. 184.* (*o*) *S. Hieron. Comm. in Mich. 7. v. 1.*

riorum in verbo Dei ſcripto, & traditionibus ac ritibus Eccleſiæ reconditorum ſignificata penitùs pateant, umbriſque ac figuris omnibus remotis ſola & nuda veritas Sanctis contemplanda maneat, tempori illi extremo, quô *judicium* erit, eſſe reſervatum. Quod & alibi jam à nobis ſupra (*p*) eſt notatum, ac verbis ejuſdem S. *Hieronymi* ſimilibus & ejuſdem ſensûs illuſtratum ac roboratum. (3.) Quòd ſpecialiter, veterum quoque *Feſtivitatum* Legalium, ac per conſequens eiſdem annexarum Legum cæremonialium myſteria plenè & exactè tempore *judicii* per *Sanctos* agendi pandentur. Hoc patet ex myſtica *ſeptem Menſium* illorum, intra quos præcipuæ Judæorum feſtivitates celebrabantur, expoſitione per S. Hieronymum hîc data. Signanter in verbis illis: *Quando Paſcha Domini celebramus;--quando tabernacula figimus, &-- feſtivitates omnes complemus.* (4.) Quòd *omnium* ſupra deſcriptorum contra immanes Eccleſiæ hoſtes futurorum certaminum & judiciorum *finis* erit, *Reſtitutio puritatis*: ſcilicet, vera vitæ ac morum, doctrinæque *reformatio*, ac per conſequens, ſucceſſivè in omnem *integritatem* in Adamo amiſſam noſtrî *reſtauratio.* Hæc omnia monſtrant, quanta futura ſit *latitudo* magni illius *judicii* futuri.

IV. Ad eandem *judicii* Domini latitudinem faciunt ſequentia quoq; ejuſdem S. *Hieronymi* verba, etiam proximè dicta de *reſtitutione puritatis* „egregiè illuſtrantia. Sic itaque ipſe in illa verba Sophoniæ, (*q*) *Et erit* „*in die illo, ſcrutabor Hieruſalem cum lucerna*, &c. ſcribit: (*r*) *In conſummatione Mundi* (*quia Dies Domini ipſa intelligitur,*) *ſcrutabitur Dominus Hieruſalem, id eſt, Eccleſiam cum lucerna, & ulciſcetur ſuper viros contemptores,* (*ſ*) *qui noluerunt ſuas ſervare cuſtodias.* Et aliquanto poſt: *Quia igitur in noviſſimo tempore, quod ſæpè jam diximus,* (*s*) *multiplicatâ iniquitate, refrigeſcet charitas, & Solis lumen recedet ab Hieruſalem, & tanta erit vaſtitas, ut difficilè ſalventur etiam electi Dei; tunc IN LUCERNA SERMONIS ſui atq; † Rationis, OMNIA VITIA SCRUTABITUR DOMINUS in Hieruſalem, & in medium proferet, & de otioſo quoq; verbo FIET JUDICIUM & vindicta; non in peccatores,* (*poterat enim & peccatum veniam promereri,*) *ſed in* (*t*) *contemptores, de quibus dicitur in Ha*„*bacuc:* (*u*) *Videte contemptores, & aſpicite.* Hæc ille. Sic *ſcrutari vitia* in *judicio*, ut hîc dicitur, idque *in lucerna Sermonis* Domini, actus eſt, quem Dominus non in propria ſua perſona, ſed per Sanctos ſuos peraget inter illos peccatores, quos *adventus* ejuſdem in iiſdem Sanctis, in hac vita

(*p*) *H. Claſſ. Cap. 10. §. 48. 49. 50. pag. 350. & ſequ.* (*q*) *Juxta LXX. Soph. 1. v. 12. Senſus idem eſt etiam in Hebræo*: Et erit tempore illo: ſcrutabor Jeruſalem in lucernis. (*r*) *S. Hieron. Comm. in Soph. 1. v. 12.* (*ſ*) *Ita juxt. LXX. loc. cit. Soph.* (*s*) *Matt. 24. v. 12.* † *Æternam hîc* Sapientiam *intellige per* Rationem. (*t*) *Juxt. LXX.* (*u*) *Hab. 1. v. 5. juxt. LXX.*

terrena deprehendet. Ac proinde, actus ille judiciarius, non unico *die* naturali, ſed juſtô *tempore*, eidem peragendo ſufficienti durabit. Qua de re fusè in ſuperioribus dictum.

V. Huc ſpectant etiam illa, quæ habet idem S. Doctor, in expoſiti„one verſuum illorum Joëlis: (cap.3.℣.1.2. & ſequ.) *Ecce in diebus illis* &c. „*Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat*, &c. ubi ſic ſcribit: (v) *Juxta anagogen, prioribus poſteriora jungentes, eadem ſi poterimus, ad DIEM JUDICII referre tentabimus. Salvatis credentibus in monte* Sion *&* Hieruſalem, *& vocatis reſiduis de populo Judæorum;--in tempore illo, (poſtquam converteris Dominus captivitatem Juda & Hieruſalem* &c.) *congregabit omnes gentes qua credere noluerunt, & deducet eas in vallem* Joſaphat; *quod ſignificantiùs juxta Hebraicam veritatem Græcè dicitur* κατάξω, *id eſt, deorſum ducam, & de ſublimibus ad inferiora detraham. Simulque conſidera, quando incredulos quoſque, vel adverſarias poteſtates Dominus ad JUDICIUM provocat, & DISCEPTAT CUM EIS pro Populo ſuo*; „(x) deducam, *inquit*, eas in vallem Joſaphat: *Quando autem credentes* „*AD PRÆLIUM cohortatur & dicit:* (y) Suſcitate robuſtos: accedant, „aſcendant omnes viri bellatores; (z) conſurgant & aſcendant gentes in „vallem Joſaphat, *non* deſcendere, *ſed* aſcendere *cohortatur. Omnis enim qui judicatur*, (judicio nempe condemnante,) *in valle poſitus eſt, qua appellatur* Joſaphat, *id eſt, Domini judicium.* (a) *Qui enim credit in Domino, non judicabitur. Ibiq; diſputabit cum eis, non potentiâ majeſtatis, ſed RATIONIS eos VERITATE CONVINCENS: qui partiti ſunt populum Dei, & hæreditatem illius diſperſerunt in Nationes, ut Servos Dei ſibi ſervire compellerent, & terram illius diviſerunt, multis eam inter ſe erroribus ſeparantes; ut alii colerent Jovem, alii Junonem & Minervam, & Febrem & Rubiginem, Anubim & Crocodilum, & Ibin, noctuas, accipitres & ciconias. Sub his nominibus quondam diviſus eſt Populus Dei; qua adverſaria nationes, id eſt, Principes Mundi iſtius, & Rectores tenebrarum, non ſolùm diviſerunt ſibi populum Dei, ſed poſuerunt pueros in proſtibulum, ut virilem cogerent muta„re naturam, de quibus Apoſtolus loquitur:* (b) *Propterea tradidit illos Deus* „*in paſſiones ignominiæ.* &c. *Nec hoc feciſſe contenti, vendiderunt puellam pro vino, ut biberent, & libidini præferrent gulam. Quæ univerſa Judæi*, (ſcilicet de *diviſo populo Dei*, item, de *pueris* in proſtibulum poſitis, & de vendita pro vino *puella*,) *Veſpaſiani Titiq; temporibus, & maximè Hadriani, juxta litteram impleta eſſe commemorant.* Hæc obiter ab ipſo interſerta hîc ex ſententia Judæorum. Mox verò redit ad propoſitum ſuum de *die judicii* (ſeu de *congregandis* ad Domini *judicium* populis) ſcopum, ſic ſcribens:

Si autem

(v) *S. Hieron. Comm. in Joël. cap. 3. v. 1. 2. & ſequ.* (x) *Joël. 3. v. 2.* (y) *Ibid. v. 9.* (z) *Ibid. v. 12.* (a) *Joan. 3. v. 18.* (b) *Rom. 1. v. 24. 25. 26. 27.*

Digitized by Google

Si autem ad DIEM JUDICII quæ (hîc) *ſcripta ſunt, voluerimus referre, dicimus, omnem qui ſalvatur, ſalvari in Eccleſia, ſive in cœleſti Hieruſalem. Et poſtquam* * *Juda fuerit & Hieruſalem converſa captivitas, tunc congregandos & deducendos omnes in vallem Joſaphat, & ibi diſceptaturum Dominum cum eis, qui ſuum populum perſecuti ſunt, & diviſerunt ſibi hæreditatem Domini, & diſperſerunt eos in Nationibus, & ſuper terram illius miſerunt ſortem: quæ non ſolùm ſuper Hæreticis debemus accipere, qui ſibi Dei populum diviſerunt, & eos faciunt eſſe Gentiles, ſed ad omnem rigidum ſuperbumq́ Doctorem, qui ſub nomine doctrinæ & ſacerdotii dominantur Cleris, & opprimunt eos, qui ſibi ſubjecti ſunt.* Quis ſit verò ſenſus myſticus juxta hanc ejuſdem expoſitionem, *ponere pueros in proſtibulo, & vendere puellas*; lector, cui authoris copia eſt, apud eundem videre poterit. Noſter ſcopus hîc eſt monſtrare, quo modo S. *Hieronymus*, allegatum Prophetæ *Joëlis* locum celeberrimum explicet de ultimo judicio.

VI. Dum in horum initio dicit S. Hieronymus; *prioribus poſteriora jungentes*; habitâ reflexione ad ea quæ ipſe ſub finem capitis ſecundi dixerat, Apoſtolorum temporibus extrema ejuſdem dicti capitis applicando, „ſenſus dicti illius hic eſt: Poſtquam juxta verſum 1. cap. 3. *Joëlis*, conſonum verſui ultimo capitis 2di, per Apoſtolos & alios fidos Doctores „Apoſtolorum ſequaces, vicibus diverſis ad ſalutem in Eccleſia conſequen„dàm adduxerit Dominus credentes tàm ex Judæis quàm ex aliis Natio„nibus, & *liberaverit eos*, (ut S. Hieronymus (*e*) loquitur,) *qui Dominum „confitentur, & qui verſantur in Eccleſia*, ſeu Jeruſalem myſtica, *quæ viſio „pacis eſt*, ſervantes ſcilicet cum ea ſanctam unitatem; (quæ *liberatio* ex mente ejuſdem S. Doctoris, ℣. 1. ſic exprimitur: *In diebus illis, -- cum „convertero captivitatem Juda* & *Jeruſalem*;) tunc demùm hoc opere per„actô, *congregabit* Dominus (juxta expoſitionem S. Hieronymi in verbis „Prophetæ fundatam,) *omnes gentes quæ credere noluerunt, & deducet eas „in vallem* Joſaphat myſticè intellectam. Unde patet, *congregationem gentium* non credentium, & *deductionem* earum *in vallem Joſaphat*, ſeu vallem *judicii Domini*, ex mente quoque S. *Hieronymi*, ad ultimum tempus, ad tempus nempe *judicii* tremendi eſſe referendam. Ipſa enim ejus verba de dictis gentibus judicandis prolata, oſtendunt perſpicuè eum de tremendo illo Domini *judicio* futuro loqui. Ut cum ait: *Incredulos quoſq́ vel adverſarias poteſtates Dominus ad JUDICIUM PROVOCAT.* Item: *Omnis qui judicatur, in valle poſitus eſt*, &c. Et: *Qui credit in Domino non judicabitur.* Nec obſtat, ſi dicatur, videri S. Hieronymum, verbis illis poſterioribus, *Si autem ad diem judicii, quæ ſcripta ſunt, voluerimus referre*, aliam planè

 & diver-

* Judam *myſticè pro* confitentibus Dominum, & Hieruſalem *pro* Eccleſia *accipit: ut ex ſuperioribus apud eundem patet.* (*e*) *In cap. 3. Joël. ſub initium.*

& diverſam à priori ſententiam inchoare, & poſtrema ſaltem de *Chriſtianis*, non priora de *gentibus* incredulis dicta, ad futurum illud *judicium* referre. R. Fateor, verba quidem illa ejuſdem primò intuitû, curioſo Lectori ſcrupulum injicere, quid phraſi illâ ſibi velit: Verùm, quia ipſa ejuſdem expoſitio ritè excuſſa dubitare nos non ſinit, quin & priora de *gentibus* incredulis dicta, ad tremendum illud Domini *judicium* ſint referenda; inde patet, phraſim illam adverſativam, proximè ſaltem dictis, *Judæorum* opinionem eiſdem faventem exprimentibus, non autem anterioribus eſſe opponendam; imò potiùs reſpectû anteriorum, de gentibus incredulis dictorum, eſſe tantùm notam reditûs ad cœptam in prioribus ſententiam. „Quaſi diceret Author: Si autem, uti cœpimus, ad diem judicii, quæ „ſcripta ſunt, voluerimus referre, &c. Hâc ſaltem diſtinctione notatâ: quòd poſteriora ſua verba latiùs extendit, ita ut non ſolum merè *gentiles*, ſed & *Chriſtianos*, ſcilicet nominales, & maximè hos in iſtis, ad *judicium* (juxta præſentem *Joëlis* textum) deducendos doceat, cum in prioribus, ſolùm de *gentibus* incredulis (tacito alio nómine) fuerit locutus. Quas *gentes*, in poſterioribus quoque ſuis verbis non obſcurè comprehendit dum ait: *congregandos & deducendos OMNES*, &c. *qui populum ſuum PERSECUTI ſunt.* Quis enim neſcit, quantopere olim *perſecuti ſunt* Gentiles Populum Chriſtianum?

VII. Hæc propter intricatum dicendi modum, ſed rem ipſam ſolidè tradentem, (quales apud S. *Hieronymum*, & alios veteres non raró inveniuntur,) paucis enodanda erant. Et cum hæc de expoſitione S. *Hieronymi* hoc capite *Joëlis* tertio, ſint certiſſima; (non obſtante quodam ſcrupulo verborum;) ideò nihil dubitavit etiam Cornelius à *Lapide*, ſtatim in principio dicti capitis tertii dicere, quòd S. *Hieronymus* ea, quæ de *congregandis* omnibus ad *judicium* gentibus hoc capite dicuntur, de extremo *judicio* intelligat. Verba ejus (cum aliàs etiam ſcopo noſtro inſerviant) placet hîc apponere: quæ ad verſum 1mum cap. 3. *Joëlis* ſic ſe habent: (*d*) *In die ex-„tremi judicii, de quo præceſſit in fine cap. præced.* † *cum convertero captivitatem* Juda, *non Babylonicam, ſed eâ longè acerbiorem, eâq; tantùm adumbratam, ſcilicet captivitatem peccati & cæcitatis, quâ* Judæi *tenentur captivi, & occæcati ſub jugo Legis Moſaicæ, quam pertinaciſſimè retinent; quod fiet IN FINE MUNDI. Q. d. Poſtquam* Judæos *in fine Mundi à* Judaiſmo *ad Chriſtianiſmum, & à ſervitute* Judaica *traduxero ad libertatem Evangelii, ad ſortem inquam, & gloriam filiorum Dei; congregabo omnes gentes ad* JUDICIUM EXTREMUM. Et illicò pro fulcimento hujus ſuæ expoſitionis ſubjicit: *Ita S. Hieronymus, Rupertus & alii.*

VIII. Sic

(*d*) *Cornel. à Lapid. Comm. in Joël cap. 3. v. 1.* †. *v. 31.*

VIII. Sic intellectô perſpicuè, quòd S. *Hieronymus* præclarum *Joëlis* locum (cap. 3.) memoratum, non ſolùm in poſterioribus, ſed & in prioribus ſuis verbis, de ultimo *judicio* intelligat; jam expendamus ea, quæ in illo *judicio* juxta dictam *Joëlis* prophetiam gerenda, per eundem S. Doctorem dicuntur, eaque ſcopo noſtro applicemus. (1.) Dicit (poſt Joëlem) S. Hieronymus, quod ad judicium illud *increduli quiq;* deducentur, ſeu *deorſum ducentur*, (ut ſignificantiſſimè in Hebræo exprimitur, *deſcendere faciam*;) quod in ſe involvit, (ut rectè obſervat idem S. Doctor,) *de ſublimiori ſtatu* eoſdem *ad inferiora detrahi* ac deturbari, antequam ſententia in ipſos feratur; eô modô, quo etiam in judicio Principum Mundi, is qui Reges vel Principes offendit, detrahitur primùm è ſuo ſtatu meliori, & in vincula vel in arreſtum dejicitur, antequam ultimam accipiat ſententiam. Quô modô increduli & impii tempore *judicii* ſint dejiciendi è ſublimiori ſuo ſtatu, antequam ultimam accipiant ſententiam; non eſt difficilè intellectû, de incredulis & impiis tunc victuris: (de quibus ſtudiô brevitatis nunc loca ſaltem (*e*) in margine noto.) Non enim tantùm de mortuis, ſed vel maximè de victuris tunc hoſtibus Eccleſiæ, prophetia *Joëlis* & ejus expoſitio ſub figura veterum *Gentium* eſt intelligenda. (Mortui verò impii benè maturè dejecti ſunt è ſuo ſtatu per ſuam mortem.) E' contra, (2.) *Credentes* & ſancti *aſcendere* dicuntur in illud *judicium*, tanquam inſignes *bellatores*, juxta datam S. *Hieronymi* expoſitionem: quod vice verſâ involvit in ſe, horum ex abjectiori ſuo ſtatu futuram à Deo ſublimationem, antequam ipſum *judicium* contra impios celebretur; ut ſic tantò aptiores fiant ad hoc *judicium* vice Chriſti in his terris contra hoſtes Eccleſiæ peragendum. Quæ autem futura eſt tunc horum ſanctorum *bellatorum* contra impios functio, antequam extrema in illos feratur ſententia; apparet ex eodem S. Doctore, ſic in verſum illum nonum, *Clamate,--ſuſcitate robuſtos, accedant, aſcendant omnes viri bellatores*, ex quorundam Doctorum expoſitione ſcribente: (*f*) *Quidam arbitrantur hæc ſanctis gentibus prædicari, ut præparentur ad bellum*, (ſcilicet, ſpirituale & ſanctum,) *& pro populo Dei dimicent, & omnia inſtrumenta agriculturæ in gladios lanceasq;* (ſpirituales nempe, ſpiritû ſanctæ pacis, charitatis & mo„deſtiæ temperatas) (*g*) *convertant; ut* infirmus dicat *ſe eſſe* robuſtum: *& veniant omnes de circuitu, & in certamen Domini congregentur; maximè „quia juxta LXX. ſequitur:* (*h*) Manſvetus & mitis ſit pugnator, *juxta „illud quod in Paralipomenis ſcriptum eſt:* (*i*) *Et trans Jordanem de Ruben & Gad*,

(*e*) *Pſal.* 106. (*al.* 107.) v. 40. 42. *collat. Job.* 12. v. 18. 19. 21. *& Pſal.* 48. (*al.* 49.) v. 15. *in verbis illis*: Dominabuntur eis recti manè. *& Prov.* 14. v. 19. (*f*) *S. Hieron. Comm. in Joël.* 3. v. 9. (*g*) *V.* 10. *cap.* 3. *Joël. collat. Zach.* 12. v. 8. *&* 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 2. v. 4. (*h*) *Joël.* 3. v. 11. *in LXX.* ὁ πραῢς ἔστω μαχητὴς. (*i*) 1. *Paral.* 12. v. 37. 38. *juxt. LXX.*

„*& Gad, & dimidia tribu Manaſſe;* - - *omnes iſti viri bellatores, parati ad* „*pugnam* MENTE PACIFICA. *Hos eſſe volunt imitatores veri David,* „*de quo legimus*: (*k*) Memento Domine David, & omnis manſvetudinis „ejus: *Et ipſe loquitur in Evangelio*: (*l*) Diſcite à me &c. *Viros quoq; eos intelligi volunt, qui deſtruentes initia* (*m*) *parvulorum, ad* (*n*) *perfecta ætatis robur acceſſerint, & omne ſtudium, quò priùs animarum ſuarum exercebant agros, ad neceſſitatem prælii contulerunt.* Hæc ibi. Juxta hanc expoſitionem, (quam & ipſe S. *Hieronymus* in ſuperioribus (*o*) approbat, nec poteſt ea non approbari, quantum ad ℣. 9. & 10. etiam in Hebræo,) ſancti illi *bellatores*, priùs in Spiritu ſanctæ *pacis* & *manſvetudinis* proponent, ſvadebunt & offerent incredulis & impiis ſub tempus *judicii* victuris, veritatem, pietatem & ſanctæ Eccleſiæ amplexum, quàm ſub Chriſto Judice ad duriora procedant, ut qui ſic quoque contumaces manſerint, tantò magis fiant inexcuſabiles in ſuî condemnatione. (3.) Dicitur apud eundem S. Doctorem, quòd in illo tremendo *judicio*, Dominus *diſputabit* ſeu *diſceptabit cum* incredulis & impiis, *qui perſecuti ſunt* & *diſſerſerunt populum* ejus, *non potentiâ majeſtatis, ſed rationis veritate eos convincens.*

IX. Hæc omnia ritè expenſa oſtendunt, tum hoc, quòd *judicium* illud tremendum apud *Joëlem* deſcriptum, & per S. *Hieronymum* expoſitum, non unius *diei* naturalis, ſed juſti ac tanto operi ſufficientis *temporis* erit; tum etiam, quòd Chriſtus Dominus *judicium* illud ex *Joële* explicatum, non in propria ſua perſona, ſed per Sanctos ultimi temporis eſt peracturus; eô modô, quô ſupra quoq; juxta ejuſdem S. Hieronymi expoſitionem (*p*) de *Gog* & *Magog armis* evertendis diximus. *Diſputare* enim cum impiis in *judicio*, ſeu, quod idem eſt, *pugnare* ſpiritualiter contra eos in *manſvetudine*, & *mente pacificâ*, eoſdemque de veritate hujuſmodi pugnæ & prædicationis, *non potentiâ majeſtatis* Divinæ, *ſed rationis veritate* ac pondere *convincere*, atque ſic omne (*q*) *os iniqua loquentium obſtruere*, de Sanctis dici propriè convenit, non autem de ipſo Chriſto Domino in ſua perſona conſiderato. Unde jam hoc non obſcurè ſequitur, (quod & ſupra eſt (*r*) inſinuatum,) quòd in *judicio* Chriſti, omnes hoſtium veritatis & pietatis errores, per toties memoratos *Sanctos* ultimi temporis, planiſſimè, clariſſimè & exactiſſimè, abſque ulla ſententiarum indeciſâ varietate vel ambiguitate, & abſque ullis virulentis contentionibus verborumque ambagibus, refutabuntur, & funditùs evertentur. *Judicii* enim illius diſtrictiſſima rectitudo, & omnimodâ perfectio id requirit, ut hoc ipſum in illo *judicio*, poſt tam mul-

(*k*) *Pſal.* 131. (*al.* 132.) *v.* 1. *junct. Græc. & Lat. Vulg.* (*l*) *Matt.* 11. *v.* 29. (*m*) 1. *Cor.* 13. *v.* 11. (*n*) *Eph.* 4. *v.* 13. (*o*) §. 5. *h. cap. p.* 362. (*p*) §. 3. *h. cap.* (*q*) *Pſal.* 62. (*al.* 63.) *v.* 12. & *Pſal.* 106. (*al.* 107.) *v.* 42. *collat. Job.* 5. *v.* 16. (*r*) §. 8. *h. cap. pag.* 360.

tam multas & perpetuas in Mundo contentiones virulentas, in majorem dictorum hoſtium convictionem & confuſionem peragatur.

X. Porrò, ſi quis curioſus lector, occaſione textûs *Joëlis* explicati, de *valle Joſaphat*, loco nempe *judicii* deſcripti, ulteriorem ſibi haurire lucem ex S. *Hieronymo* velit, quòd nempe ea apud ipſum, non ad literam hîc, ſed myſticè ac ſpiritualiter accipiatur; is ſuperioribus ejuſdem (*ſ*) de *valle* illa verbis, adjungat etiam ſequentia ex eodem: (*s*) *Pollicetur alibi vox Di-* „*vina dicens:* (*t*) *Veniam, & ſedebo, & judicabo populum in Valle* Joſaphat; *quod interpretatur, Domini judicium. Qui peccator eſt* (inquit) *& mei ſimilis, videt Dominum ſedentem in Valle* Joſaphat, *non in colle, non in monte, ſed in valle, & in valle judicii. Qui verò juſtus, & Eſaia ſimilis eſt, videt illum* (*u*) *ſedentem ſuper thronum excelſum & elevatum.* Verba hæc erudito & judicioſo Lectori expendenda relinquo. Hoc ſaltem hinc eruere poſſumus; quòd myſtica *vallis* illius *judicii* ſignificatio innuit, *judicium* illud de quo hîc eſt ſermo, illis in Eccleſia Dei commiſſum iri à Chriſto, qui non aſpirant ad excelſa Mundi, ſed coram Mundo abjecti, variisq́; tribulationibus depreſſi, in ſancta † *humilitate* & manſvetudine, Mundique vanitatum contemptu, velut *in valle* poſiti, Deo ſerviunt, & Eccleſiam ædificant. Quando in talibus ſedebit & habitabit Chriſtus, ut Judex terribilis, tunc (*v*) *ſedebit* in myſtica & ſancta *valle* ſui *judicii*, ad judicandos hoſtes ſuæ Eccleſiæ. Diſcere etiam poſſumus ex verbis memoratis, quòd priùs electi videbunt mente & fide Chriſtum in talium *humilium* Sanctorum *valle* judicantem, quàm in ſua perſonali gloria cœleſti & celſiſſima, oculis etiam corporeis publicè videre poſſint.

XI. Magnam nobis lucem, de futuro Domini per opera glorioſa ac tremenda, ante perſonalem ejus manifeſtationem *judicio*, ſuppeditant ſequentia etiam apud eundem S. *Hieronymum*; dum ad verſum illum Joëlis, „*Canite tuba in Sion*; -- *quia venit Dies Domini*, &c. ſic ſcribit: (*x*) *Tranſe-* „*amus ad intelligentiam ſpiritualem, ſingula quaque repetentes. Tubarum buccinarumq́; clangorem, non ſolùm in* (*y*) *Levitico & Numerorum* (*z*) *Libro legimus, (in quibus jubetur, ut duas argenteas tubas faciat Moyſes, quibus & in Kalendis, & ſeptimo Menſe, primâ die menſis, & in jubileo. & in ceteris feſtivitatibus, & quando ad bella procedunt, canant hi, qui huic officio mancipati ſunt,) ſed etiam Hiericho*, (*a*) *ad* tubarum *clangorem ſcriptum eſt corruiſſe: & Dominus Angelum miſſurum ſe dicit eſſe cum clangore* (*b*) tubæ; *& Apoſtolus reſurrectionem mortuorum ad* (*c*) tubæ *ſonitum fieri prædicat. Et in*

(*ſ*) §. 5. *h. cap.* (*s*) *S. Hieron. Epiſt.* 142. *ad Damaſum.* (*t*) *Hac ex Joël.* 3. *v.* 12. *paraphraſticè ponit S. Hieronymus.* (*u*) *Vid. Iſa.* 6. *v.* 1. † *Vide lucis causâ, S. Auguſt. Enarr. in Pſal.* 103, (*al.* 104.) *v.* 10. (*v*) *Juxta Joël.* 3. *v.* 12. (*x*) *S. Hieron. Comm. in Joël. cap.* 2. *v.* 1. *& ſeqq.* (*y*) *Lev.* 25, *v.* 9. (*z*) *Num.* 10. *v.* 2. (*a*) *Joſ.* 6. (*b*) *Matth.* 24. *v.* 31. (*c*) 1. *Cor.* 15. *v.* 52.

Google

Et in Apocalypſi quoq; Joannis legimus, ſeptem Angelos accepiſſe (d) tubas
ſingulas. &c. Præcipitur ergò nunc Sacerdotibus & Magiſtris, ut exaltent quaſi
,,(e) tuba vocem ſuam, & impleant illud quod ſcriptum eſt: (f) In montem
,,excelſum aſcende, qui evangelizas Sion; exalta vocem tuam qui annuncias
,,Hieruſalem; ut canant tubâ in Sion, id eſt, in Eccleſia, quæ interpretatur
,,ſpecula atq; ſublimitas: & in ſancto Dei monte, qui Chriſtus eſt, (hoc
,,eſt, ubi Chriſtus ſpeciali modo habitat,) ut conturbentur ſive confundantur
,,omnes (g) habitatores terræ, & confuſio eos pertrahat ad ſalutem. DIEM
autem DOMINI, DIEM intellige JUDICII, ſive diem exitûs uniuſcujusq;
de corpore. Quod enim in die judicii futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die
mortis impletur. (At verò mox omnem ſuam expoſitionem unicè tremen-
,,do illi judicio applicat; ut ſtatim patebit in ſequentibus.) (h) Dies tene-
,,brarum & anguſtiæ, dies nubis & turbinis: quia cuncta pœnarum plena
,,ſunt atq; cruciatuum. Veniet † Angelorum (i) populus multus & fortis, ut
REDDAT UNICUIQUE SECUNDUM OPERA SUA; & ſicut mane
& aurora conſurgens occupat montes; ſic JUDICIUM ab excelſis & poten-
,,tibus incipiet, ut (k) potentes potenter tormenta patiantur. (l) Similis ei
,,non fuit à principio, & poſt eum non erit uſque ad annos generationis
,,& generationis. Omnia enim mala, quæ veteribus hiſtoriis continentur,
aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut peſtilentiâ, morbis, fame,
beſtiis, hoſtium vaſtitate, hominibus acciderunt, his ſuppliciis, quæ in DIE
,,ſunt reddenda JUDICII, non poterunt comparari. (m) Ante faciem hujus
,,populi, (qui fortis & multus eſt,) ignis vorans, ſive conſumens; ut omne
in nobis (n) fœnum, ligna, ſtipulamq; conſumat. Unde & de Deo dicitur:
,,(o) Deus ignis conſumens. (p) Et poſt eum urens flamma; ut nihil abſque
ſuppliciis derelinquat. Quemcunq; hic populus non attigerit, nec invenerit in
eo combuſtionis materiam, horto Dei & Paradiſo aſſimilabitur voluptatis, qui
Hebraicè dicitur Gan Eden: ſi quem autem * exuſſerit, quaſi ſolitudinem in
cinerem rediget ac favillas; nec eſt qui furorem ejus poſſit evadere, cujus cru-
delis aſpectus frementium (q) equorum habebit ſimilitudinem, & ſic diſcur-
rent ad cruciandos, quos in poteſtatem acceperint, quaſi equites huc illucq;
volitantes: terribilis erit ſonitus eorum, quaſi (r) quadrigarum per prona cur-
rentium, & ſuper (ſ) capita montium exilient; excelſos quosq; & in Eccle-
ſia culmine conſtitutos, cruciare cupientes. -- Tantus erit timor omnium, &
tanta conſcientiæ peccatorum, ut nullus luceat, nec ſplendorem habeat gaudii,
ſed in-

(d) Apoc. 8. v. 2. (e) Iſa. 58. v. 1. (f) Iſa. 40. v. 9. (g) Scil. Joël. 2. v. 1. (h) Ibid. v. 2.
† Tales hic Angelos intelligit S. Hieron. quales memorantur Pſal. 77. (al. 78.) v. 49. (i) Cit.
v. 2. Joël. cap. 2. (k) Sap. 6. v. 7. (l) Joël. 2. v. 2. col. 2. (m) Ibid. v. 3. (n) 1. Cor. 3. v. 12. 15.
(o) Deut. 4. v. 24. & Heb. 12. v. 29. (p) Joël. 2. v. 3. * Al. excuſſerit. (q) Ibid. v. 4. (r) Ibid.
v. 5. (ſ) Ibid.

ſed inſtar aduſta (*s*) ollæ, facies *ejus vertatur in tenebras.* Cetera huc ſpectantia videat Lector apud Authorem, ſi cui eſt copia eum legendi.

XII. Hoc interim obiter hîc adjicio; quòd inter caput 2dum *Joëlis* & 3tium, ratione *judicii* in illis deſcripti, hæc eſt differentia; quòd *judicium* cap. 3tio deſcriptum ſequitur id quod eſt cap. 2do, (ut & cap. 1.) eritque illud toti Eccleſiæ Dei in his terris lætiſſimum, (quod patet ex ℣. 16. 17. 18. 19. 20. 21. dicti cap. 3tii;) utpote contra hoſtes ejus, ac ſignanter contra *Antichriſtum* illum magnum celebrandum; at verò capite 2do, ſub typo vaſtitatis per Babylonios olim Judæis illatæ, *judicium* illud horrendum prænunciatur, quod erit contra Eccleſiam, Populumque Chriſtianum ante extremum hoſtium ejus exitium; (quod vel ex ipſa S. *Hieronymi* expoſitione clarum eſt;) quô nempe electi probentur, mundentur & (*t*) *dealbentur*, & in quo impleatur illud: (*u*) *A' Sanctuario meo incipite*; ſeu, quod idem eſt: (*v*) *Judicium incipit à Domo Dei.* Hæc tamen eſt conſolatio in eodem capite, quòd licet nullus in populo Dei futurus ſit, qui non aliquod malum ex illo *judicio* ſentiat; non tamen prorsùs omnes electi & credentes extremam dicti illius *judicii* ſeveritatem experientur. Eximios enim ſuos Sanctos ac præcipuos de populo ſuo, Deus tunc per aliquam tribulationis illius ac *judicii* ſeveri partem citò abſque læſione traductos, à majori periculo ejuſdem *judicii*, ad maturam & ſeriam eorum pœnitentiam mirabiliter immunes conſervabit: ut facilè colligi poteſt, ex ℣. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. usq; ad 27. dicti cap. 2di. Scilicet, paſcet illos in *deſerto* ipſis *parato*, juxta Apoc. 12. ℣. 6. 14. Quod non obſcurè innuit etiam S. *Hieronymus* verbis illis: *Quemcunq; hic populus non attigerit,..horto Dei & Paradiſo aſſimilabitur.* Huc facit etiam illud: *Quoniam ſervâſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum.* &c. Apoc. 3. ℣. 10. Confer Job. 5. ℣. 19. 20...24. & Pſalm. 90. (al. 91.) ℣. 7. 10. 14. 15. Sed redeo ad ſcopum.

XIII. Hæc ex S. *Hieronymo* in proximè præcedentibus in medium allata, (& alia non pauca apud eundem,) propoſitam noſtram in ſuperioribus de latitudine futuri *judicii* tremendi ſententiam, fusè & perſpicuè confirmant, ac inſuper docent, quæ res ante perſonalem Domini apparitionem publicam in eodem judicio ſint gerendæ. Unde iterùm principalem infe-„ro concluſionem hanc: quòd *Dies Judicii*, æquè ac *Dies adventûs* Domi-„ni, non unicum tantùm diem naturalem, ſed more & ſtylo Prophetarum, „in genere *tempus* ſatis longum, utpote, multis & arduis *adventûs ac ju*-„*dicii* illius operibus congruum & proportionatum ſignificat: quod erat pro *Regula* noſtra in hoc capite demonſtrandum. Hunc videlicet in finem, ut plu-

(*s*) *Ibid. v.* 6. (*t*) *Dan.* 12. *v.* 10. *collat. cap.* 11. *ibid. v.* 35. (*u*) *Ezech.* 9. *v.* 6. (*v*) 1. *Pet.* 4. *v.* 17.

ut plurimæ *prophetiæ* & *typi* Scripturæ ſacræ, indivulſum cum tremendo illo *die* nexum habentes, faciliùs, feliciùs & pleniùs abſque errore à nobis in dies intelligi poſſint.

XIV. Cum verò fruſtrà eſſet Chriſtiano homini de tam arduo, tàm ſublimi, tamque tremendo argumento aliquid intelligere, niſi in ſe reverſus, ſollicitâ ſuî in Domini conſpectum præparatione, verâ nimirùm pœnitentiâ, verâque vitæ ſanctitate, ad amorem, & ardentem dicti *Diei*, adventûsq; Domini expectationem, & quaſi accelerationem, jugemq; de eo meditationem ſe excitaret; ideò operæ pretium eſſe duco, ſalutarem hîc ſubjungere (loco huic congruam) inſtructionem & admonitionem, antequam etiam de *Signis adventûs Domini* aliquid dicam. Placet autem hujusmodi inſtructionem verbis S. *Ambroſii* ſic ſcribentis ordiri: (*x*) *Quia* (inquit) *propter improbos, neceſſe eſt probi in hoc ſeculo contritionem cordis animiq; patiantur, quò uberiorem mercedem accipiant in futurum, remediis in-,,ſtruuntur, ut* qui (*y*) in Judæa ſunt, fugiant in Montes. *Quæ eſt iſta* Judæa? *Novi enim & aliam* Judæam *ſecundùm ſpiritum, non ſecundùm lite-,,ram:* (*z*) Notus in † Judæa Deus. *Quales autem iſti* Montes, *qui poſſint ,,metum futuri cohibere* JUDICII, *cum ſcriptum ſit:* (*a*) Tremor ante te ,,Montes occupabit; *&*, (*b*) Cœlum & terra tranſibunt? *Quomodo terrarum portio manebit immunis, aut tueri me poterit, quæ nec ipſa ſe ſervat? Ubi igitur me ab ira ejus abſcondam,* (*c*) *qui conturbat profundum Maris? --Non ergo falli poteſt, qui ubiq; adeſt, ſed placari. Adeſt itaq; judicii dies; ſi vis non comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Quæris, quomodo fu-,,gias?* (*d*) Aſcende in Montem, qui evangelizas Sion, *ut excelſorum verticee poſſis eminere meritorum...Aſcende eò* (mente & fide,) (*e*) *ubi Chriſtus ſedet ad dexteram Dei, cujus* (*f*) *fundamentum in Montibus ſanctis.--Mons tuus Paulus, mons tuus Petrus eſt. Supra illorum fidem mentis tua locato veſtigium. In* LEGE DEI *atq;* HÆREDITATE FIDEI *conſtitutos, judicii dies, non ad pœnam inveniet, ſed ad gloriam.*

XV. Quicunque ergò in *Judæa* myſtica, hoc eſt, in vera & conſtanti Dei confeſſione conſtituti, per veram converſionem ad fidem & ſanctitatem Apoſtolorum, virtutum culmine *montium* inſtar eminentium, ſe receperint, ac veſtigiis eorum inſiſtentes montibus pariter myſticis (partibus nempe Chriſtianiſmi eminentioribus) per eorundem Apoſtolorum prædicationem olim in hæreditatem Dei ſanctificatis, per ſanctam *unionem* ſe ſe adjunxerint, atque hoc modo (miſſis omnibus diſſidiis virulentis & contentio-

(*x*) *S. Ambroſ. Comm. in Luc. cap.* 17. *v.* 24.--30. (*y*) *Matt.* 24. *v.* 16. *Marc.* 13. *v.* 14. *& Luc.* 21. *v.* 21. (*z*) *Pſal.* 75. *al.* 76. *v.* 2. † *Sc.* *in iis, qui Deum vere in Eccleſia* confitentur. (*a*) *Iſa.* 64. *v.* 1. *juxt. LXX.* (*b*) *Luc.* 21. *v.* 33. (*c*) *Pſal.* 64. *juxt. Vulg. v.* 8. (*d*) *Iſa.* 40. *v.* 9. (*e*) *Col.* 3. *v.* 1. (*f*) *Pſal.* 86. (*al.* 87.) *v.* 1.

tentionibus,) Deum in Spiritu & veritate coluerint, illis non ad pœnam, ſed ad gaudium & gloriam *judicii* dies venturus eſt. Quàm ſit neceſſaria Chriſtianis ſancta inter ſe *unio*, (maximè à parte filiorum contra Matrem pugnantium,) antequam Dominus ad terribile judicium adveniat, apparet ex illo ejuſdem Domini Salvatoris monito: (*g*) *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in VIA cum eo.* &c. In *via* ſcilicet, viatorum communi, quâ itur inter varia adverſa, ad Judicem vivorum & mortuorum. Certè odioſæ contentiones, ac virulentæ in invicem digladiationes, (ſæpiùs etiam ſcommatibus & conviciis refertæ, ut eſt mos hodie quorundam,) non poſſunt conſiſtere cum vera & ſalutari expectatione *adventûs* Domini. Si hæres in quibuſdam, (etiam magnis & arduis,) quæ tibi obſiſtunt, quò minùs ad pacem & unionem ſanctam inter Chriſtianos (maximè à parte filiorum ab unitate in tot Sectas diviſorum, cum S. Matre Eccleſia) habendam & colendam te reſolvas, factioniq; tuæ nuncium mittas; fac hoc; in ſancto ſilentio preces inter aſſiduas, Chriſto Domino ut unico Salvatori & illuminatori ſuorum firmiter adhærens, diſce illa quæ ignoras. Silentium enim ſanctum requirit Dominus ab iis qui eum expectant, præſertim in ſuî adventûs propinquitate, dum Mundus tot malis tàm profundè eſt immerſus. Vide Hab. 2. ℣. 20. Soph. 1. ℣. 7 Zach. 2. ℣. 13. Pſal. 36. (al. 37.) ℣. 7. 8. 34. Et confer Amos. 5. ℣. 13. & Jerem. 8. ℣. 14. Quanti ſit uſûs alioquî etiam hujuſmodi *ſilentium* ſanctum, docet nos Thomas à *Kempis* his verbis: (*h*) *In ſilentio & quiete, proficit anima devota, & diſcit abſcondita Scripturarum.* Sic experieris demùm in te quoque verificari illud: (*i*) *Pax multa diligentibus legem tuam, & NON EST ILLIS SCANDALUM.*

XVI. Porrò, cum in illa *tempora periculoſa* jam devenerimus, de quibus S. Paulus (*k*) prædixit, quòd in iis futuri eſſent *homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus* (ſeu Superioribus ſuis) *non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace,* ſeu *implacabiles, .. & voluptatum amatores magis quàm Dei,* &c. quibus annumerandi ſunt illi quoque *illuſores*, de quibus alter Apoſtolus Domini (*l*) prophetavit; tu è contra homo (quiſquis es) verè Chriſtiane, Deoq; adhærens, omnium talium perverſa ſtudia deteſtare, & fuge omnem eorum carnalem ſecuritatem, firmiſſimè ſemper ipsâ vitæ modis omnibus ſobriæ, & in extrema ſua ſollicitè vigilantis praxi tenens illud Domini Salvatoris monitum: (*m*) *Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ; & ſuperveniat in vos repentina dies illa: Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate*

Aaa 2

(*g*) *Matt. 5. v. 25.* (*h*) *De Imit. Chriſt. Lib. 1. cap. 20. n. 6.* (*i*) *Pſal. 118. (al. 119.) v. 165.* (*k*) *2. Tim. 3. v. 1-2. 3. 4. 5.* (*l*) *2. Pet. 3. v. 3. & 4.* (*m*) *Luc. 21. v. 34. 35. 36.*

gilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. Hoc tenendo, diligenter agas, ne ampliùs in te, juxta prædictionem S. *Ambroſii* (*n*) in noſtra tempora factam, ac infra (*o*) pleniùs memorandam, *lumini cœleſti vitia carnis obſiſtant*, quò minùs *fulgorem Divini luminis de Chriſti radiis poſſis mutuari.* Sed eheu, quàm ſenſibiliter in populo Chriſtiano hæc ejus prædictio eſt impleta! Quàm plurimi ſunt hodie, quorum *vitia lumini cœleſti obſiſtunt*, quive ſuis peccatis, *fulgorem* uberioris *luminis* & gratiæ à *Sole juſtitiæ* Chriſto provenientis, planè repellunt! Jam incepit paſſim *ira* gravis in *Populo* Chriſtiano, per (*p*) *iram* in Judæos olim effuſam præfigurata: Jam ad literam (*q*) *cadunt* ſubinde plurimi *in ore gladii* à longo tempore, & *captivi ducuntur in* Barbaras *Gentes*: (quod annorum multorum antehac triſtis experientia docuit, & adhuc manet (*r*) *manus* Domini *extenta*:) jam initium quoddam adeſt (*ſ*) *preſſura Gentium* præ *inopia conſilii*, ſeu *confuſione*: jam (*s*) *reſonat* dudum tumultibus & bellis perniciofis undiquaque inquietum Mundi *mare*: jam omnia id ſpirant in Mundo, ut homines planè (*t*) *areſcant* in fide & exanimentur, *præ timore & expectatione* malorum acerbiorum *orbi* terrarum *ſupervenientium*; nec dum tamen videmus ipſos *homines* ſeriò ſub ira Dei humiliari, & vitam in melius commutare. Quia potiùs etiam ſub ira Numinis ſevera, experimur veritatem graviſſimæ illius querelæ, quam S. *Auguſtinus* (an. D. 419.) contra ſui ſeculi Chriſtianos fecit: (*u*) *Nunc* (inquit) *iſta mala, quæ tanquam ſumma & extrema creduntur*, (ut ſunt, bella, peſtilentiæ, & ſimilia) *utriq;* † *Genti & utriq; Regno, & Chriſti ſcilicet & Diaboli, videmus eſſe communia. Pariter quippe his & boni affliguntur & mali.. Inter quæ tamen mala, adhuc uſquequaq; frequentantur LUXURIOSA CONVIVIA, fervet EBRIETAS. AVARITIA graſſatur. PERSTREPUNT laſcivi cantus, organa, tibiæ, lyræ, cithara, teſſera, multa & varia genera SONORUM atq; ludorum.* ,,*Heccine eſt* (*v*) areſcere præ timore, *an potiùs madeſcere præ libidine?* Audis Chriſtiane! cujus vita hodie, ſi maximam partem, maximæ parti veterum Chriſtianorum comparemus, longè deterior & profanior eſt, quàm fuit tempore S. *Auguſtini.* Quid diceret ſanctus ille Vir, ſi hodie inter nos viveret, noſtrique temporis, tum in his enarratis, tum in aliis, longè majores videret corruptelas? Videret certè hodiè, quòd etiam illorum multi, qui etſi in doctrina magnum fecêre profectum, atque etiam ſubtiliora in quibuſdam & ſublimiora præ veteribus attigerunt, quive loco magnorum apud ſuos Luminum habentur; attamen omni verâ charitate, curàque

(*n*) *Comment. in S. Luc. cap.* 21. *v.* 25. 26. (*o*) §. 4. *cap.* 12. *h Claſſ.* (*p*) *Luc.* 21. *v.* 23. (*q*) *Ibid. v.* 24. (*r*) *Iſa.* 9. *v.* 21. (*ſ*) *Luc.* 21. *v.* 25. (*s*) *Ibid.* (*t*) *Ibid. v.* 26. (*u*) *Epiſt.* 80. (*al.* 199.) *ad Heſych. de fine ſeculi.* † *Phraſis ex Matth.* 24. *v.* 5. (*v*) *Ex Matt.* 24. *v.* 26.

curâque ſanctæ pacis Eccleſiæ ſeriò quærendæ & promovendæ prorſùs vacui, carni ejuſque ſuggeſtibus, per iram odiumque implacabile, & per virulentas tum in invicem, tum in adverſam ſibi partem contentiones, perq; laborioſum proprii ſui honoris, famæ, gloriæ & emolumenti mundani ſtudium, ſtrenuè & ardentiſſimè ſerviunt; atque hâc ratione regnum Satanæ intra ſe potenter promovent, & ſplendidè florere faciunt; idq; continuantes, & pravô hujuſmodi exemplo ſuis præeuntes, agunt ſenſibiliter, ut verâ & ardenti charitate procul à ſe ablegatâ, (*x*) *iniquitas* inter homines magis atque magis in dies prævaleat & multiplicetur. In ſumma: Quocunque te vertas, quàcunque oculos mentis & corporis circumferas, (niſi ultrò cæcutire velis,) in ultima illa tempora, in quibus juxta prædictiones ſacras, longè major quàm unquam antea, (*y*) *iniquitatis* abundantia in Mundo regnare debuit, nos deveniſſe, ſentire potes: ut vel ex hoc ſciatur, jam proximè eſſe, ut juſtiſſimus *Judex vivorum & mortuorum*, ad puniendam diſtrictiſſimè, & debellandam tantam Mundi ac propiùs Orbis Chriſtiani iniquitatem, ad Cœlos uſq; dudùm accumulatam, (*z*) *throno* judicii inſideat, & *judicet orbem terra in æquitate.*

XVII. Expergiſcere ergò Munde immunde, è lethifero ſecuritatis tuæ carnalis ſopore! Excute ſpiritualis deſidiæ ac torporis ſomnum ex oculis mentis tuæ! Exue immitem & charitatis expertem, in tuos proximos animum! Abjice perverſam Mundi ſollicitudinem, à cura cœleſtium te avocantem: Ceſſa à Mundi gaudiis & oblectamentis, & ſacrum in corde indue luctum, ſi vis, ut non ab irato Deo illa tibi demùm (*a*) eripiantur. Reſeca fœdam libidinem, intemperantiam, luxuriam, (*b*) *carnis* ventriſq; *in ſuis deſideriis curam*, te in opere Dei non ſolùm impedientem, ſed planè ad inferos detrudentem, ſi vis (*c*) *iram* verè *effugere venturam.* Heu heu! quàm dudùm te Chriſtus per ſuos admonet Servos! quàm dudùm conqueritur de tuis iniquitatibus! quàm dudùm deplorat tuas ruinas, & prædicat Judicem eſſe ante fores! nîl tamen in te proficit, ſed quò benigniùs te expectat, tu in dies è contra eò in pejus laberis. Evigila ex tuo veterno, erige oculos, & deduc uſque ad Apoſtolos; videbis jam tunc etiam, vigente licet & paſſim reſonante Apoſtolicâ prædicatione, ob multitudinem carnalium, verbi Dei lucem & monita ſalutaria (imò vel ipſius rectæ rationis dictamina) contemnentium, dictum fuiſſe, † *Mundum totum in maligno eſſe poſitum.* Deſcende citeriùs ad SS. Patres, audies ibi innumeras de Mundi perverſitate querelas. Taceo hîc S. (*d*) *Cyprianum*, S. (*e*) *Hi-*

(*x*) *Matth.* 24. *v.* 12. (*y*) *Loc. nunc. cit. collat.* 2. *Tim.* 3. *v.* 1. 2. 3 4. 5. (*z*) *Pſalm* 9. *v.* 8. 9. (*a*) *Iſa.* 24. *v.* 7. 8. 9. (*b*) *Rom.* 13. *v. ult.* (*c*) *Matth.* 3. *v.* 7. † 1. *Joan.* 5. *v.* 19. (*d*) *Cypr. de Lapſis.*

S. (*e*) *Hieronymum*, *Salvianum* (*f*) Maſſilienſem, *Gildam* (*g*) Sapientem, aliosque veterum; pauca tantùm hæc S. *Gregorii* Magni, è multis ejus querelis audienda tibi propono: (*h*) *Mundus* (inquit) *in annis* * *prioribus, velut in juventute viguit; ad propagandam humani generis prolem robuſtus fuit, ſalute corporum viridis, opulentiâ rerum pingvis. At nunc ipsâ ſuâ ſenectute deprimitur, & quaſi ad vicinam mortem, moleſtiis crebreſcentibus crebriùs urgetur.* Cauſas etiam tanti hujus mali, horrenda nempe (etiam ſub gravi Numinis ira) peccata, exprimit alibi, dum ſic docet: (*i*) *Ecce jam Mundus in ſe ipſo aruit, & adhuc in cordibus noſtris flores. Ubiq; mors, ubiq; luctus, ubiq; deſolatio: undiq; percutimur, undiq; amaritudinibus replemur, & tamen cacâ mente carnalis concupiſcentia, ipſas ejus amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus.* Contra tales intonat illud apud eundem: (*k*) *Ecce aerem movit* (per immutationem, & ſigna quædam,) *& terra* † *non ſubſiſtit; quis ergo ferat, cum* (*l*) *Cœlum moverit? Quid autem TERRORES quos cernimus, niſi SEQUENTIS IRÆ PRÆCONES dixerimus?* Item: (*m*) *Appropinquavit finis ipſe ſeculorum. Ecce enim MORA NON ERIT, & ardente Cœlo, ardente Terrâ, coruſcantibus elementis, cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principibus & Poteſtatibus, tremendus JUDEX apparebit.* Et alibi: (*n*) *Mundi mala, quæ dudùm ventura audiebamus, aſpicimus: quaſi pagina nobis codicum, facta ſunt ipſa jam plaga terrarum. Appropinquantem itaq; æterni Judicis diem ſollicitâ mente conſpicite, & TERROREM ipſius POENITENDO PRÆVENITE. Delictorum omnium maculas fletibus lavate: iram, quæ æterna imminet, temporali lamento compeſcite.* Hæc ille.

XVIII. Poſſem hîc graviſſimas afferre S. *Bernardi* (*p*) medio ſeculo duodecimo querelas; poſſem aliorum; ſed brevitatis causâ eas prætereo; ſolummodò ex recentioribus, pii & eruditi Viri, *Joannis Feri*, (Ord. S. Franc.) Moguntini an. D. 1550. Concionatoris, pro pietate fervidiſſimi verba, Chriſtianis noſtri temporis (cujuslibet profeſſionis) congruentiſſimè applicabilia, paucis adhuc in medium producam; ſi fortè dura aliqua mundi pectora emollire, & ad ſaniorem flectere mentem poſſint. (*q*) *Magnus* (inquit) *furor Domini contra nos ſuccenſus eſt; nec ullus relictus eſt excuſationis*

(*e*) *Hieron. in Epitaph. Nepotian. ad Heliod. Ep.3. ſub fin.* (*f*) *Salvian.* (*an. D. 460.*) *in Lib. ſub nomine* Timothei. *Item, de Provident. Lib.5. 6. 7.* (*g*) *Gild.* (*an. 581.*) *de Excid. Britann.* (*h*) *S. Greg. Homil.1. in Evang.* (*in Luc. 21. v.25. & ſequ.*) * *Ætatem primorum Patriarcharum intelligit* (*i*) *Homil.28. in Evang.* (*k*) *Homil.1. in Evang.* † Terræ motum *intelligit.* (*l*) *Ex Hagg. 2. v.7. Heb.12 v.26.* (*m*) *Regiſt. Epiſt. Lib.2. Ind.11. Epiſt.61. ad Mauric.* (*n*) *Epiſt Lib.2. Indict.11. Epiſt.29* (*al. cap. 68.*) (*o*) *2. Cor. 5. v.11.* (*p*) *Super Cantic. Serm. 33. & paſſim.* (*q*) *Fer. Comm. in Matt. Lib.3. in cap.17. v.11.*

tionis locus. Ego, inquit, (ſcil. Dominus,) *ego ſum, ego* (r) *vidi. Itemque:* „(ſ) *Quid niteris bonas oſtendere vias tuas?* (s) *Ecce ego judicio conten-* „*dam tecum. Fili hominis, inquit Dominus, ad Ezechielem:* (t) *Leva* „*oculos tuos, & vide abominationes magnas, quas domus Iſraël facit, ut* „*procul recedam à Sanctuario meo. Et levavi oculos meos; & ecce idolum* „*zeli, in ipſo introitu portæ.-- Annon & hæc in nobis videntur? Qui enim nos intuetur, & converſationem noſtram conſiderat, ſtatim primò conſpectû apparet* † *idolum zeli: hoc eſt, vita Chriſtiano homine indigna. Diligentiùs autem ſingulorum vitam conſiderans, videt* 70. *Principes idolis thurificare; ulteriùs progrediaris; videt quòd & dorſa noſtra obverſa habemus ad Domum Dei: h.e. quòd nec admoniti reſipiſcimus. Quid igitur aliud nobis reſtat,* „*quàm quod ſequenti capite deſcribitur:* (u) *Et clamavit, inquit, voce magnâ,* „*dicens: Appropinquaverunt viſitationes Urbis. Tranſite per Civitatem, &* „*percutite. Non parcat oculus veſter, niſi tantùm his, qui habent ſignum* „*thau, qui gemunt & dolent ſuper cunctis abominationibus, quæ ſunt inter eos.*

XIX. Audis peccator obſtinate! peccator tibimet placens! peccator ſine gemitu & vera reſipiſcentia! quàm multæ ab olim contra te, tuique ſimiles, nomine Dei effuſæ ſunt querelæ atque minæ! Dominus tamen te hactenùs, etiam inter tot iræ ſuæ ſigna, benignè toleravit, verbique ſui illius dudùm pronunciati veritatem, uberrimè demonſtravit: (v) *Non tardat Dominus,-- ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed* * *omnes ad pœnitentiam reverti,* ſeu *accedere.* At verò jam poſt longam patientiam, quid ſupereſt, niſi ut Dominus tarditatem hanc iræ, (ſeu potiùs dilationem,) gravitate pœnæ compenſet? Dixit Vir ſanctus, (*Gregorius* M.) ante aliquot ſecula, hoc eſt, circa an. D. 600. quòd *mora non erit,* quin *tremendus Judex appareat,* ut ſupra ‡ ex ipſo audivimus: ſi tunc ipſe hoc dixit, quantò magis nos hodie jam id ipſum longè convenientiùs dicere poſſumus, ejuſque verba potiſſimùm de noſtris temporibus (quibus illa, noſtra facimus,) propheticè dicta, accipere? (x) *Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt:* jam manus Domini ac Judicis juſtiſſimi, in igne iræ ſuæ appropinquantis & adventantis extenta eſt, contra Mundum reſipiſcere neſcium; imò jam procedit Dominus in judiciis ſuis per gladium utrumque,

(r) *Jerem.* 7. *v.* 11. (ſ) *Jer.* 2. *v.* 33. (s) *Ibid. v.* 35. (t) *Ezech.* 8. *v.* 5. 6. † *Huc quadrant maximè, invidia, odium, contentioſa altercatio inter Chriſtianos, velut pravi* Zeli idolum, *& Spiritus omnis ſorida charitatis expers, in plurimis.* (u) *Ezech.* 9. *v.* 1. 4. 5. 6 (v) 2. *Pet.* 3. *v.* 9. * *Græc.* πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι. *Propr.* Omnes ad pœnitentiam recipere, *aut* complecti, *vel* venire: *ut ex Tigurin. verſione habet etiam Cornel.* à Lapid. *Comm. in hunc loc. qui & rationem rectè ſubjicit:* Hæc enim omnia ſignificat verbum χωρῆσαι. ‡ §. 17. *h. Cap.* (x) *Matt.* 3. *v.* 10.

utrumque, ſeu per bella externa & interna, velut prodromis majorum, dum peccatis noſtris id exigentibus, non ſolùm per crudeliſſimum Chriſtiani nominis hoſtem, utpote ingens ſuum flagellum, ſuperioribus ſeculis & annis, horrendas ſubinde Chriſtianis clades & vaſtitates intulit; ſed quod longè flagrantioris iræ ſignum eſt, ipſos Chriſtianos inter ſe commiſit, eorumq; animos ab invicem, per tot Sectas, per virulentas contentiones, ſæpè etiam per externa bella, & per odium in invicem implacabile, prorsùs diviſit, & alieniſſimos fecit. Procedit ille adversùm nos per temporum etiam adverſitatem, ulterioremque & ſeveriorem ſuî iram minatur, dum facit, ut ea quoque valde novercantem in nos faciem, (tam triſti, tamque moleſtâ frequenter ſuî immutatione) oſtentent. Proceſſit inſuper hactenùs ab aliquot annis (non paucis) in Hungaria, per *incendia* frequentiſſima, & atrociſſimè (Civitates præprimis) vaſtantia: proceſſit nuper per terribiles quoque *terræ motus* in Italia; & quod per hæc uno in loco facit, per idem alios etiam admonitos eſſe vult de malis ſibi imminentibus, niſi ea ſanctâ vigilantiâ præveniant, juxta illud;

Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet.

Jam non evades diutiùs, (orbis impœnitens!) etiamſi adhuc te Dominus ad aliquod tempus patienter expectet, ſed rues brevî atq; corrues, (*y*) *dormiesq; ſomnum ſempiternum*, niſi reſipiſcas. Illi hæc intelligant, & ſibi applicent, quibus congruunt.

XX. Ceteroquin, exultent illi, ac in mediis quoque tribulationum ignibus læti Deum glorificent, qui eum (*z*) *diligunt*, & ipſum corde ſincero (*a*) *quærunt*, adventumque Domini Salvatoris pias & indefeſſas inter preces, cum (*b*) *gemitu* ſuper tot iniquitatibus & *abominationibus* hominum, & in exercitio veræ pietatis, ſuſpirantes (*c*) *gravati* expectant. Quicunque tales eſtis, ulteriùs etiam animo ad ſuperna erectô, (*d*) *expectate Dominum*, ut ſuorum Vindicem & Liberatorem, & pro ſummis deliciis ducite, de ejus *adventu* rebuſque glorioſis ei connexis jugiter meditari, ac in dies magis atque magis vos huic expectationi aſſvefacite, ſicq; pergite conſtanter inter omnia Mundi adverſa, hôc ejus optatiſſimo *adventû* voſmet conſolari. (*e*) *Cum enim plagæ Mundi crebreſcunt, cum terror JUDICII virtutibus commotis oſtenditur*; tunc Salvatore docente (*f*) *levanda* ſunt *capita* noſtra, cordaque corroboranda & exhilaranda; *quoniam* tunc *appropinquat redemptio* noſtra, ut longè magis quàm antea unquam, dicere

(*y*) *Jerem. 51. v. 39.* (*z*) *Pſal. 96. (al. 97.) v. 10. 11. 12. collat. Pſal. 22. (al. 23.) v. 4. & Iſa. 24. v. 14. 15.* (*a*) *Pſal. 104. (al. 105.) v. 3. & 149. v. 2. collat. Iſa. 40. v. ult. & 49. v. 23.* (*b*) *Ezech. 9. v. 4.* (*c*) *2. Cor. 5. v. 4. collat. Rom. 8. v. 23.* (*d*) *Pſal. 26. (al. 27.) v. 13. & 36. (al. 37.) v. 34. & 129. (al. 130.) v. 7.* (*e*) *Verba ſunt S.* Gregorii *M. Homil. 1. in Evang.* (*f*) *Luc. 21. v. 28.*

dicere illud poſſimus: (*g*) *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

XXI. Huc uſque ſe habet inſtructio & adminitio illa, quam huic tam ſublimi de *adventu* & tremendo *judicio* Domini argumento, non otioſâ digreſſione ſubjungendam judicavi. Nunc jam *Regulæ* 33tiæ proximis duobus capitibus tractatæ, *Appendicis* inſtar, ſubnectam ſequentem de *Signis adventûs Domini* Tractatulum.

CAPUT XII.

In quo, *de* Signis adventûs Domini, *eidem adventui* propioribus, *usq; ad* decem *enumeratis agitur; quæ dum tractantur & explicantur*, (Signi *interim* quinti, *h. e.* Signi Filii hominis, *Matt. 24. v. 30. peculiari tractatû in Caput proximè ſequens dilatô,*) *monſtratur occaſione* octavi *&* noni *Signi futurus* Antichriſti *ex aurora lucis & felicitatis ultimi temporis ortus, ejusq;* iniquitatis *detectio &* perſecutio *in Sanctos una cum magna hominum carnalium ſui temporis* ſecuritate, *pro* decimo *& ultimo* Signo *ponitur.*

I. SI longiorem hîc vellemus de *Signis Adventûs Domini* Tractatum inſtituere, deberemus diſtingvere, quòd *Signa* adventûs Domini ſunt vel remotiora, vel propiora; atque ſic ordine de utriſque agere. Verùm nunc tantùm de propioribus (aut ſaltem non valde remotis) pauca dicere mihi eſt animus: quæ non aliunde meliùs, quàm ex ipſius Domini propria hac de re informatione, ritè expenſa, colligere poſſumus. (r.) *Primum* (inter propiora) Signum eſt, univerſalis Nationum totius Terræ motus & tumultus in bellis, diverſis quidem vicibus excitatus, at ſucceſsû temporum in communem Mundi agitationem demùm excreſcens; (qui per literalem etiam *terræ motum*, motui ac tumultui hominum terrenorum in figura reſpondentem præſignificatur;) juxta Matt. 24. ℣. 6. 7. (collat. Iſa. 24. ℣. 19. 20.) Ubi (apud Matthæum) non excludimus quidem bella etiam anteriora, (cum Scriptura ſit latiſſimi (*a*) ſenſûs,) ſed tamen de propioribus agere volentes, ea potiſſimùm hîc ex principali illius loci (cum aliis collati) ſcopo intelligimus, quæ hiſce ultimis temporibus in longè majori Nationum Orbis terræ (*b*) *preſſura*, *confuſione* & conſilii inopia fieri debebant & debent, quàm antea unquam fuerunt: neque etiam allegatione loci illius negamus ibidem ſigna excidii quoq; Hieroſolymorum prænunciari; ſed ſubintelligimus, quòd ut ipſum Urbis Hieruſalem excidium, figura fuit ruinæ & excidii Orbis impœnitentis in judicio Domini futuri; ſic etiam *ſigna* prius illud excidium antecedentia, unà cum ipſo excidio in verbis Domini latiori ſensû acceptis prænunciata fuere; manente tamen principalitate ſcopi verborum illorum in ulteriora & longè majoris excidii *ſigna* tendente. Inter motus autem hujus ultimi temporis, (quos

 hîc pro-

(*g*) *Pſal. 26. (al. 27.) v. 13.* (*a*) *Vid. Reg. 1. & 2. hujus ad. Claſſ.* (*b*) *Luc. 21. v. 25.*

hîc pro *primo* ſigno ponimus,) poſt tam crebra, tamque deploranda mutua *Chriſtianorum* in invicem bella, vel maxime cenſeri debent tot horrendi motus, tot bella, totque furores *Muhammedanorum* adversùs *Chriſtianos*.

II. (2.) *Alterum* Signum eſt, magnum in hominibus regnum (*c*) *iniquitatis*, quale antea non fuit, & *refrigeſcentia charitatis multorum*. Illorum ſcilicet *multorum*, de quibus dicitur: (*d*) *Multi vocati*; item: (*e*) *Multi crediderunt in nomine ejus*, & de quibus ſperari poterat ex ſignis externis, ex confeſſione nimirum nominis Chriſti, & ex ſpecie quadam pietatis, quòd habeant veram charitatem. Talium etiam *charitas* juxta prædictionem Domini Salvatoris *refrigeſcet*; quod idem eſt, quòd talium *multorum* charitas vera prorsùs extingvetur. Charitas enim *frigida*, quà talis, non eſt vera charitas; ſed ſimulacrum tantùm & larva charitatis; eò quòd omnis vera charitas debet habere aliquem fervorem, (minorem vel majorem,) pro ratione ſubjecti & gratiæ. *Refrigeſcere* autem dicitur: quia fervebat ea olim in majoribus eorundem, qui eos in fide præceſſerunt. Cum tamen Salvator non dicit, prorsùs *omnium*, ſed *multorum*; per hoc innuit, quòd etiam in tanta Mundi iniquitate, & multorum ſpirituali algore, futuri eſſent aliqui. (licet pauciſſimi,) ſoli nempe Deo (& quibus ipſe voluerit detegere) certò noti, quorum vera charitas non penitùs extingvetur. Semper enim futuri ſunt aliqui, qui Deo verè adhærebunt. Sed quia adeò abundabit Mundi *iniquitas*, & *refrigeſcet charitas multorum*, (ut jam dictum;) imò jam quoque hoc malum ſatis eſt evidens; hinc ſequitur ingens piorum & verè Deum timentium eique adhærentium † deſpectus in Mundo, (ut vix ſciant quô modô vitam hanc trahere debeant,) & odium adversùs ipſos, in atrocem demùm eorum vexationem & perſecutionem erumpens.

III. (3.) *Tertium* Signum eſt, multorum ac inter ſe diſſidentium in Chriſtiano populo exortus (*f*) Doctorum, ſermone & ſcientiâ potentium, Chriſtumque & ejus veritatem Evangelicam ore crepantium, (quòd ipſi eſſent unctionis Chriſti participes, & veri ejus *Prophetæ*, ſeu, Spiritû & zelo veterum ejus Prophetarum in prædicanda veritate inſtructi,) ac per hoc, (*g*) *ſigna magna & prodigia* (ſpiritualiter intellecta) edentium, in tot *montium* myſticorum, Regnorum ſcilicet ac Regionum, in alium ſtatum facta translatione, ſeu, quod idem eſt, tot Nationum & Eccleſiarum facillimâ & ad ſtuporem ſubitanea ad ſuas partes pertractione; procul tamen ab imitatione Chriſti & vitâ verè Evangelica diſtantium, ac re ipsâ Eccleſiam Chriſtianam, non ædificantium, ſed potiùs turbantium, diſſipantium

(*c*) *Matth.* 24. *v.* 12. *collat.* 2. *Tim.* 3. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. (*d*) *Matt.* 20. *v.* 16. & 22. *v.* 14 (*e*) *Joan.* 2. *v.* 23. *collat. Joan* 7. *v.* 31. 40. 41. † *Conſule hîc Lactant. Divin. Inſtit. Lib.* 7. *c.* 15. (*f*) *Matt.* 24. *v.* 24. *collat. v.* 11.) & *Marc.* 13. *v.* 22. (*g*) *Ibid.*

pantium & deſtruentium, tum novitate ſuâ Venerandæ Antiquitati contrariâ, tùm verò potiſſimùm virulentis & odioſis ſuis contentionibus, tam in invicem, quàm in principalem partem ſibi adverſam uſitatiſſimis, quibus tum hi tum illi prætendunt, apud ſe potiùs quàm apud alios *Chriſtum* & ejus Eccleſiam veram ſalutariter inveniri. Qui tales ſunt, illi ipſo opere monſtrant, ſe non *Chriſtos* Domini, ſeu ſanctâ ejus *unctione* plenos, & non veros ejus *Prophetas*, (quà tales manent,) ſed potiùs *Pſeudo-chriſtos*, & *Pſeudoprophetas eſſe.*

IV. (4.) *Quartum* Signum eſt, (*h*) *Solis, Lunæq;* myſtico ſenſû obſcuratio, & *Stellarum* pariter myſticè acceptarum caſus de Cœlo myſtico, h. e. Eccleſia, (non negatô interim hîc etiam ſenſû literali de ſignis in *Sole*, *Luna* & *Stellis*,) juxta ſequentem S. *Ambroſii* in illa verba Evange„liſtæ, *Et erunt ſigna in Sole*, *Luna & Stellis* &c. expoſitionem: (*i*) *Et prophetiæ vera ſeries, & integra cauſa myſterii, quòd & captivi Judæi ſecundò in Babyloniam Aſſyriamq; ducentur, captivi in toto orbe erunt, quia „negaverunt Chriſtum;-- & fient SIGNA diverſa in Sole, & Luna & Stel„lis.-- Plurimis enim à Religione deficientibus, CLARA FIDES OBSCURABITUR nube perfidiæ: quia mihi SOL ille JUSTITIÆ meâ fide vel minuitur vel augetur.--Et quemadmodum menſtruis curſibus Luna, vel terræ oppoſitû, cum fuerit è regione Solis, vaneſcit; ſic & ſancta Eccleſia, cum lumini cœleſti VITIA CARNIS obſiſtunt, FULGOREM DIVINI LUMINIS de CHRISTI radiis non poteſt mutuari. Namq; in perſecutionibus, lucem Dei plerumq; amor vitæ hujus excludit.* Stellæ cadent: *illi uſq; reſurrectionis gloriâ jam micantes, illi viri ſicut LUMINARIA in ſeculo, verbum vitæ continentes.* Mox pleniùs id ipſum ſic exprimit: *Excident ergò hominibus Patriarchæ, excident Prophetæ*, (id eſt, Viri ac Servi Dei Patriarcharum & Prophetarum veterum Spiritum habentes, juſtô Dei judiciô ſubtrahentur hominibus ingratis, partim per martyrium vel aliter per mortem beatam, partim verò per ereptionem eorum è medio ingratorum, in locum tutiorem,) *ſi perſecutionis accerbitas invaleſcat. Quæ oportet fieri, donec Eccleſia in omnibus virtutibus plenitudo cumuletur. Sic enim probantur boni, ſic produntur infirmi. Ergò varii animorum æſtus ita graves erunt, ut deliſtorum multitudine malè conſciis, futuri iudicii metû, ſacri in nobis ros fontis areſcat. Ares enim perfidia, torat fides.* Hæc ille. Ad ſcopum noſtrum facit etiam ſententia S. *Auguſtini* de hoc quarto Signo, ſic ſcribentis: (*k*) *Eccleſia eſt Sol, Luna & Stella*; (ſcilicet pro diverſitate reſpe„ctuum;) *cui dictum eſt*: (*l*) Specioſa, ſicut Luna; electa, ſicut Sol. *Ab „hac adoratur Joſeph noſter in hoc Mundo.-- Quando enim* (*m*) Sol obſcu„rabitur,

(*h*) *Matth. 24. v. 29.* (*i*) *S. Ambr. Comm. in Luc. 21. v. 25. 26.* (*k*) *S. Auguſt. Epiſt. 80.* (*l*) *Cant. 6. v. 9.* (*m*) *Matt. 24. 29. & Marc. 13. v. 24.*

„rabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cœlo, & „virtutes Cœlorum commovebuntur, (*ſicut ab aliis duobus* * *Evangeliſtis hic locus commemoratus eſt*;) *ECCLESIA NON APPAREBIT*, *impiis tunc perſecutoribus ultra modum ſævientibus*, *& remoto timore*, *tanquam* „*arridente Mundi felicitate*, *dicentibus*: (*n*) *Pax & ſecuritas. Tunc* Stellæ „cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur; *quoniam MULTI*, *QUI GRATIA FULGERE VIDEBANTUR*, *perſequentibus cedent*, *& cadent*; *& QUIDAM fideles FIRMISSIMI TURBABUNTUR*. *Ideò autem ſecundùm Matthæum & Marcum*, *poſt* tribulationem dierum illorum *dicitur hoc futurum: non quia tranſactâ totâ illâ perſecutione*, *accident iſta*; *ſed quia præcedet tribulatio*, *ut ſequatur quorundam defectio: & quia per omnes dies illos ita fiet*, *propterea poſt tribulationem dierum illorum*, *ſed tamen in eiſdem diebus fiet*.

V. In his allegatis, apud S. *Ambroſium* per *Solem* (ut videmus) ipſe Chriſtus Dominus, & apud S. Auguſtinum *Eccleſia* intelligitur. Utrumq; ſano ſensû verum eſt. Chriſtus enim Dominus in verbis S. *Ambroſii* eatenùs hîc intelligitur, quatenùs Eccleſiæ ſuæ præſidet, & in ea habitat; ac proinde ipſa quoque Eccleſia, non aliter dici poteſt *Sol* myſticus, quàm propter Chriſtum in ipſa habitantem. Chriſtus ergò cum ſua ſancta Eccleſia, ſeu ut ipſe eſt in Eccleſia, in ſe quidem perinde non *obſcuratur* ullâ ratione, ut *Sol* propriè nunquam lumen ſuum amittit; ſed *obſcurari* dicitur ſolummodò à parte hominum propter impedimenta interjecta, quæ obſtant, ne homines eum in Eccleſia ſalutariter videre poſſint. Obſtant nempe *vitia* carnalium, ne ipſi Chriſtum in ſua Eccleſia, & in eximiis ejuſdem Eccleſiæ membris mente cernere poſſint; & quod majus eſt, ne eum in ſe ipſis, (ut ſalutariter illuminantem,) habeant. Notandum autem hîc eſt; quòd etſi latiori ſensû tota Eccleſia *Sol* dici poteſt; in verbis tamen Domini in Evangelio, ſpecialiter propter excellentiores ſuos Doctores, Chriſtum in pleniori gradu in ſe gerentes, (& tanquam Eccleſiam repræſentativam conſtituentes,) ſic vocatur. *Luna* autem eadem Eccleſia propter auditores ac regimini ſpirituali ſubjectos, (ut lucem à Chriſto per Doctorum miniſterium mutuantes,) præcipuè verò propter Seculares eminentiores (utriusq; ſexûs,) ſolatio ſcilicet ſui ſubſidii alios in nocte tribulationum refocillantes, dicitur. *Stellæ* item dicuntur minoris gradûs Doctores in Eccleſia. Unde ultrò patet, quòd dum S. Auguſtinus, per *Stellas* quoq; *Eccleſiam* intelligit, verba ejus Synecdochicè ſunt accipienda. Partem enim pro toto ponit. Sed digniſſimum illud notatû eſt in verbis ejuſdem Doctoris; quòd *fideles firmiſſimi* tempore futuræ magnæ perſecutionis, *turbabuntur* quidem, (vel ſignificantiùs juxta Evangelium, *commovebuntur*,

* *Scil. à Matthæo & Marco.* (*n*) 1. *Theſſ.* 5. v. 3.

buntur, ut nempe, etiam hujuſmodi ſuæ *commotionis & turbationis* occaſione, per ſanctum zelum, ad altiora in virtutibus progrediantur,) *turbabuntur* inquam, ſed propriè (o) non corruent, nec *perſecutoribus cedent*, (tametſi in (p) *oculis inſipientium* ita *videbitur*;) ſicut alii infirmiores. (*Stellarum* nomine juxta mentem S. Auguſtini inſigniti,) *qui videbantur* priùs *gratiâ fulgere. Firmiſſimi* enim Sancti, (titulo *Patriarcharum* & *Prophetarum* (q) à S. Ambroſio deſignati,) etſi ingratis hominibus tempore gravioris tribulationis ſubtrahentur, & per hoc ex viſibili eorum conſortio *excident*; non tamen propriè corruent; quicquid interim inſipientibus de illis videatur. Imò ex infirmioribus quoque illis,, qui caſuri ſunt, aliquos demùm Divina miſericordia ex lapſu reſuſcitabit; illos nempe, qui ex mera infirmitate perſecutoribus ad tempus cedent. Qui verò Mundi amore inebriati, & ex mera malitia excæcati cadent, ac per hoc juſto Dei judicio impœnitentes permanſuri ſunt, illis applicanda ſunt verba illa S. *Gregorii* Papæ: (r) *Draconis cauda in terram* (ſ) Stellas *dejicit: quia illa Satanæ extremitas, per audaciam aſſumpti hominis* (ſcil. Antichriſti) *erecta, quoſdam, quos VELUT ELECTOS DEI in Eccleſia invenit, obtinendo REPROBOS oſtendet. Stellas itaq; de Cœlo in terram cadere, eſt, relictâ nonnullos ſpe cœleſtium, illô duce ad ambitum gloriæ ſæcularis inhiare.* (Confer ibidem ſequentia.) Porrò, cum *Stellarum* myſticarum (ſcilicet *Doctorum* quorundam) caſus (vel ſaltem ſubtractio fortiorum,) juxta memoratos Doctores, tempore gravioris *perſecutionis* futurus eſſe indicatur; ſciendum eſt, *perſecutionem* illam ultimi temporis graviorem, futuram eſſe partim per præcurſores Antichriſti magni, partim per ipſum Antichriſtum jam præſentem ac detectum. *Perſecutio* per præcurſores ejus in Sanctos futura, inchoabitur ante apparitionem *Signi Filii hominis*, de quo ℣. 30. (cap. 24. Matth.) eſt mentio, ita ut planè vigente illâ perſecutione, & *Solis* ac *Lunæ* myſticè acceptorum *obſcuratione*, debeat *Signum* illud apparere; quô apparente, & in dies magis ac magis in notitiam hominum veniente, turbabuntur vehementer ipſi perſecutores, turbatique ac terrore perculſi deſiſtent ad tempus à perſecutione, ut interea Regnum Chriſti potenter propagetur inter varias Nationes, Eccleſiaq; ipſi Sponſo perfectè exhibenda præparetur. *Perſecutio* verò futura ſub ipſo Antichriſto magno, ſequetur dicti *Signi* apparitionem; ut in ſequentibus pleniùs patebit. Atque ſic ratione impiorum, & credentium frigidorum, pleniùs adhuc implebitur in ipſa per Antichriſtum magnum excitanda perſecutione id, quod ℣. 29. habetur de *obſcuratione* myſticorum Luminarium & *caſu* ſtellarum: ut facilè

(o) Confer Pſal. 36. (al. 37.) v. 24. 31. (p) Sap. 3. v. 2. (q) Supr. §. 4. h. cap. p. 379. (r) Moral. in Job, Lib, 32. cap. 12. in cap. 40, Job. v. 12. (ſ) Apoc. 12. v. 4.

ex ℣. 38. collat. ℣. 41. 48. & 49. Matth. cap. 24. & Luc. 17. ℣. 33. 34. 35. & 21. ℣. 34. colligere poſſumus. Hæc de *quarto* Signo.

VI. (5.) *Quintum* Signum adventûs Domini, eſt *Signi Filii hominis* κατ' ἐξοχὴν ſic dicti, *in Cœlo apparitio.* Matt. 24. ℣. 30. col. 1. *Et tunc parebit Signum Filii hominis in Cœlo.* Illud, *tunc*, reſpicit proximè præcedentem ℣. 29. Q. d. Tunc apparebit hoc *Signum*, cum adhuc durabit implementum ℣. 29. ſcilicet, Luminarium *obſcuratio*, & alia quæ illic prædicuntur. Atque hoc exiſtimo ſingulare illud præ ceteris *Signum* eſſe, quod qui rectè intellexerit, cetera omnia *adventum* Domini propinquum indicantia, faciliùs intelliget. Ut enim ſuprà Diſcipuli (apud Matthæum) in ſingulari quærebant Dominum, (*s*) *quodnam* futurum eſſet *Signum adventûs* ejus; ita Chriſtus Dominus, enumeratis aliquot indiciis, iisq; omnibus (exceptô unô, ℣. 14. quoad pleniùs implementum ad ℣. 31. & ad partem ℣. 30. pertinente,) triſtibus, hoc unicum (℣. 30.) ſingulariter & per excellentiam *Signi* nomine intitulat, quod vocat *Signum Filii hominis.* Quid autem ſit hoc *Signum*, ejuſque *in Cœlo apparitio,* pauló poſt (*t*) iterùm ad hoc *Signum* redituri, quantùm cœleſtis gratia favebit, dicemus. Hoc unum in præſenti indicandum habemus, quòd hujus *Signi in Cœlo apparitio*, proximè *adventûs* Domini in ſuis *Sanctis* erit propinquius ſignum: (quanquam ultimatè & principaliter tendit in ipſum perſonalem Domini *adventum*;) quod patet ex eo, quòd in eodem verſu, ſtatim ſubnectitur: *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli.* Quæ phraſis, quòd primariò Chriſti Domini in ſuis *Sanctis* adventum ſignificet, jam in ſuperioribus (*u*) docuimus, atque etiam oſtendimus verbis S. *Auguſtini* (*v*) in ipſa Salvatoris inſtructione fundatis, quòd ipſe quoq; *adventus Filii hominis in nubibus* juxta memoratum textum, non erit perſonalis Domini è cœlis manifeſtatio publica, ſed potiùs unum ex *Signis*, quæ propiùs antecedent, perſonalem Domini è Cœlis manifeſtationem. Vide ℣. 33. cap. 24. Matth.

VII. (6.) *Sextum* Signum erit, *planctus omnium tribuum terræ*, poſtquam viderint & cognoverint reverà *Signum Filii hominis* apparuiſſe in Cœlo. Cit. ℣. 30. col. 2. *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Quid & qualis futurus ſit ille *planctus omnium tribuum terræ*; longum eſſet id hîc pro rei merito explicare. Aliquid jam de illo diximus (*x*) in ſuperioribus. Paucis adhuc, quantum fieri poteſt, de eodem dicam. *Planctus* ille (ut & aliàs dixi,) erit potiſſimùm Hebræorum, ſeu Iſraëlitici ſeminis hominum, per *tribus terræ* hîc deſignatorum fletus & pœnitentia ſuper eo, quòd *Filium hominis* aliquando contempſerint, & (*y*) *noluerint eum* per cœleſte &

(*s*) *Cap. 24. v. 3.* (*t*) *Cap. 15. b. Claſſ.* (*u*) *§. 33. 34. & ſequ. cap. 10. b. Claſſ. pag. 334. & ſequ.* (*v*) *Ibid. §. 37. 38.* (*x*) *Cap. 10. b. Claſſ. §. 18. pag. 317.* (*y*) *Luc. 19. v. 14. 27.*

leſte & jucundum ſuum regimen *regnare ſuper ſe.* Erit autem *planctus* ille primùm omnibus illis plancturis valde terribilis, & horrendis tribulationibus plenus; eò quòd non niſi tardè, ad terribile illud *Signum Filii hominis* evigilaturi ſunt ex deteſtandis ſuis adversùs Dominum iniquitatibus, manente irâ Domini perpetuò ſuper doloſis ac hypocritis, & ſine fructu plancturis; at verò electis inter eos, ſeriamque pœnitentiam acturis fiet demùm ille *planctus* ſalutaris, & quoad fructum ejus lætiſſimus: quod certò colligere poſſumus ex loco huic planctui parallelo, ſcil. ex Zach. 12. ℣. 10. *Effundam* (inquit Dominus) *ſuper Domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem, SPIRITUM GRATIÆ & PRECUM; & aſpicient ad me quem confixerunt: & PLANGENT eum planctû quaſi ſuper unigenitum.* &c. Non eſt ergò dubium, quin omnibus illis ſalutaris futurus ſit planctus ille, qui *Spiritû* illo *gratiæ & precum* ſibi communicando, rectè utentur, & ſincerum edent *planctum* ſuper contemptu Salvatoris, & ſalutiferæ ejuſdem doctrinæ. Porrò, hic *planctus*, non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſivè peragetur; (uti & alia Scripturæ S. loca hujuſmodi prophetica ſucceſſivè & gradatim ſolent ad plenum impleri.) Magna enim pars † *ſeminis Iſraëlitici* (ſeu Judæorum,) tunc demùm verè convertetur ad Dominum, quandò revelandus *Antichriſtus* ille magnus cum ſua potentiâ extingvetur, eôque extincto Regnum Chriſti pacatiſſimè rurſus florebit; quod ex ſuperioribus (z) planum eſſe poteſt. Cum verò hic *ſeminis Iſraëlitici* facimus mentionem; ſciendum eſt, *ſemen* illud ex parte in medio Chriſtianorum, ſub ipſo hoc nomine mirè occultatum, & ex parte inter Muhammedanos & alias gentes Orientales & Septentrionales latenter ſub illarum gentium nominibus diſperſum, mentis oculis quærendum nobis eſſe priùs, quàm ſemen viſibile & literale ſeu corticale Judæorum, experiremur verè ad Chriſtum converti: quod in alio Opuſculo, (cum titulo, *Reſtitutio Iſraëlis,*) Deo piis conatibus favente, oſtenſuri ſumus. Quomodo autem quadret in Chriſtianos aliquos, imò in multos id, quod pro ratione *planctûs* futuri *tribuum terræ* ſupra (a) dedimus, ſcilicet, quòd *Chriſtum contemſerint, & eum ſuper ſe regnare noluerint*; non obſcurum eſt ei, qui novit quàm multi ſunt in medio Chriſtianorum, nomine tenùs Chriſtiani, qui ſalutarem Chriſti doctrinam & ſanctiſſimas ejus inſtructiones practicas, ut & ejuſdem per fideles Doctores regimen, re ipsâ dudum contempſerunt, per hoc declarantes, ſe nolle ut Chriſtus ſuper ipſos & in ipſis regnet. Hæc de *ſexto* Signo: quod etiam ita erit Signum adventûs Domini perſonalis, ut tamen proximum & immediatum ſignum futurum ſit *adventûs* ejuſdem in ſuis *Sanctis*; ut ſtatim patebir. VIII. (7.)

† *De phraſi hac vide* 1. *Paral.* 16. *v.* 13. *collat. Pſalm.* 104. *(al.* 105.) *v.* 6. *Confer etiam Pſal.* 67. *(al.* 68.) *v.* 27. *& Iſa.* 44. *v.* 5, *&* 48, *v.* 1. (z) §. 19, 22. *&* 25. *Cap.* 10. *b.* 2*da Claſſ.* *pag.* 318. *& ſequ.* (a) *In hoc Paragr.*

VIII. (7.) *Septimum* Signum adventûs Domini perſonalis, erit ejuſdem Domini *adventus in* ſuis *Sanctis*, per *nubes* ſignificatis, & glorioſis ſuis per eoſdem operibus; citato ℣. 30. colo 3. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli, cum virtute multa & majeſtate.* Quid & qualis futurus ſit hic *adventus*; fusè jam ſupra (*b*) explicatum dedimus. Scilicet, quamprimùm incipient multi ſalutariter *plangere* (juxta ſextum Signum) ad præſentiam *Signi Filii hominis*, ex eo tempore Chriſtus Dominus ſuos electos & Sanctos (hujus vitæ) paulatim & gradatim *virtute* ſuâ cœleſti & *majeſtate* (& per hoc ſe-ipſo) pleniùs ac pleniùs induet, & ad potentiſſimam Regni ſui in medio inimicorum promotionem, atque ad ulteriora contra Antichriſtum certamina præparabit. Eâdem verò occaſione, quâ ſic in *Sanctis* ſuis Dominus *veniet*, ſimul etiam per eoſdem *Sanctos* incipiet populi ſui Chriſtiani varias ac diuturnas ruinas reſtaurare; præmiſſis interim jam antea diverſis in Eccleſia ad hoc opus præparamentis: quod pleniùs deinceps juxta Signum *octavum*, (de quo ſtatim dicemus) peragetur. Porrò, cum dicit Dominus: *Videbunt venientem* &c. ſenſus eſt: „quòd tum ipſi *Sancti* excellentiores in ſe ipſis, tum verò alii electi ad „Deum converſi in iiſdem excellentioribus *Sanctis*, ſinguli verò electorum illuminatorum & ad Deum converſorum, in ſe ipſis pro diverſitate „menſuræ gratiæ majoris vel minoris, videbunt mentis oculis & certò co- „gnoſcent ex effectis, Chriſtum Dominum in ipſis, & in admirandis ſuis „operibus ſic *adveniſſe*, ut deſcribitur: ipſi verò impii, viſis magnificis & glorioſis operibus per *Sanctos* edendis, terrore ſaltem percellentur, ne auſuri ſint pro ſuo voto impedire Regni Chriſti profectum. Imò & ipſi impii mentientur ad tempus Chriſto Domino, prætendentes in ſpeciem, quòd & ipſi ament lucem illam ultimi temporis, & velint Chriſti Regnum promovere. Atque inter hos mentientes erit ad tempus etiam *filius* ille *perditionis*, antequam ex actibus ſuis manifeſtetur quòd ſit *Antichriſtus* magnus; ut pauló poſt pleniùs patebit. Quòd autem ipſe quoque *adventus* Domini in *Sanctis*, pro *Signo* jam jam appropinquantis adventûs ſeu manifeſtationis ejuſdem hîc ponatur; vera ejus ratio ex (*c*) ſuperioribus (expensô locô Matt. 24. ℣. 33.) eſt perſpicua.

IX. (8.) *Octavum* Signum adventûs Domini perſonalis (ſcil. appropinquantis) erit, Evangelii plena in toto Orbe terrarum per ſanctiſſimos & Angelicos ultimi temporis Doctores prædicatio, & electorum in unum Ovile Chriſti adductio; juxta ℣. 31. cap. 24. Matt. *Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna; & CONGREGABUNT electos ejus à quatuor ventis* &c. Cujus verſûs ſenſum genuinum (de *Angelis mittendis*, Angelicos Do-

(*b*) *H. Claſſ. Cap.* 10. §. 33. 34. *& ſeqq. pag.* 334. *& ſeqq.* (*c*) *H. Claſſ. Cap.* 10. §. 26. 27. *pag.* 329. 340.

cos Doctores ſignificantibus) in ſuperioribus (*d*) jam dedimus. Conferri autem debet cum hoc verſu etiam verſus 14. hujus 24ti cap. ubi hæc habentur: *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe, in teſtimonium OMNIBUS GENTIBUS: & tunc veniet conſummatio. Tunc* nempe, dum jam curſus *Evangelii* (remotis omnibus impedimentis) per totum Orbem terrarum, perque omnes Nationes pleniſſimè abſolvetur. Quòd autem hic verſus tam longè præcedit alium ejuſdem ſcopi verſum priùs allegatum, (ſcil. ℣. 31.) ratio hæc eſt: Quia Chriſtus Dominus in ſuperioribus quoq; verſibus ejuſdem cap. 24. (℣. 5. & ſequ. aliquot,) breviùs & contractiùs enumeraverat quædam *ſigna* ſui adventûs, (quæ ex parte etiam pro *ſignis* excidii Hieruſalem accipi poterant;) at verò deinde pleniùs etiam, & in forma paululùm diverſa recenſet ejuſdem ſui adventûs & conſummationis ſeculi *ſigna*; qua in recenſione iterata, verſus 31. allegatus eſt is, qui reſpondet & conſonat parallelè verſui 14to. Alioquî etiam res ipſa monſtrat, verſus illos duos, ſcilicet 14tum, & 31mum, inter ſe eſſe parallelos: hâc manente interim diſtinctione; quòd ℣. 31. ultimi temporis notæ magis quàm ℣. 14. exprimuntur: ſcilicet, quòd prædicatio illa in omnes Mundi nationes penetrans, per Angelicos Doctores (qui *Angeli* hîc nominantur) & per efficaciſſimam eorundem prædicationem, *tubæ* & *voci magnæ* comparatam futura eſſet; & quòd implicitè etiam innuitur, (℣. 31.) quòd electi in atrociſſimis inter ſe diſſidiis futuri eſſent ultimo tempore, ita ut eâ prædicatione tunc maximè indigerent, (ſignanter illi, qui nomen Chriſtianum gerunt,) quâ ad unitatem fidei undiquaque *congregarentur*. Cum ergo ſic *Angelici* Doctores in Orbem terrarum mittentur, tunc ſicut ipſi Sancti virtute & glorioſâ præſentiâ Chriſti juxta ſignum *ſeptimum*, uberiùs atque uberiùs implebuntur; ſic ipſa quoque reſtauratio tot ruinarum populi Chriſtiani, ſtatim in primordiis *adventûs* Domini in ſuis *Sanctis* (℣. 30. col. 5. indicati) inchoata, pleniùs ac pleniùs in dies abſolvetur. Seu, quod idem eſt; Chriſtiani tantis diſſidiis ab invicem diviſi, † in *unitatem Fidei* plenamque inter ſe pacem adducentur, & tot myſteriorum in Scripturis ſacris, ac etiam in doctrinæ & ritibus Eccleſiæ reconditorum ſignificata in dies magis ac magis aperientur, populuſque Chriſtianus modis omnibus reformabitur.

X. Dum autem *Sancti* huic operi ſtrenuè & cum felici atque glorioſo progreſſu incumbent, nondum abſolutô hôc curſu ſuô, intereà authore Diabo-

(*d*) *H. 2. Claſſ. Cap. 10. §. 46. p. 343. collat. c. 5. §. 54. 38. & §. 15. ibid.* † *Illuſtrantur hæc ex ſequentibus* Pannonii *in Apoc. 16. v. 12. verbis*: Locus oſtendit, principium illius (*ſcil. phialæ ſextæ, & prædicationis duorum Teſtium*) SEDATUM fore, non turbidum; pium, ſincerum & gratum, antequam tyrannis Antichriſti INCIPIAT; ut & gentes pleræque agnitâ Dei veritate ad fidem veniant. *Confer* Victorini. *ſupr. pag. 106.*

Diabolo, tantam Eccleſiæ felicitatem invidente, (juſtiſſimo tamen Dei judiciô adverſus multorum peccata, inſignem illam ultimi temporis lucem Evangelii non debitè honorantium) ipſe quoque *Antichriſtus* magnus, (antequam nempe actû fiat *Antichriſtus*,) naſcetur ex *luce* illa ubertima prædicationis per dictos *Sanctos* ultimi temporis futuræ; quatenùs per eam * illuminabitur, & inde magnam ſibi hauriet ſcientiam, quâ tamen demùm (ut inflatus hypocrita) abutetur in ſuî & multorum aliorum perniciem. Atq; hoc eſt, quòd is apud Iſaiam juxta textum Hebræum, (*e*) *Lucifer FILIUS AURORÆ* (Helel ben ſachar) dicitur; cui dicto, ſensû æquipollet illud in Latino: *Lucifer, qui manè oriebaris*: quo de loco noſtram ſententiam in alio Tractatu (*f*) pleniùs expreſſam dedimus; quam, cui placet, conſulere poterit. Adeò verò erit *filius auroræ* lucis Evangelii ultimi temporis, ut ipſe quoque primùm (quem pro ratione illius ævi, abſq; dubio ſupponendum eſt longioris vitæ futurum eſſe, quàm nunc ſunt ordinariè homines) antequam fiat actualis & manifeſtus *Antichriſtus*, adjumento futurus ſit ipſis *Sanctis* in propagatione Regni Chriſti, inprimis in adducendis ad *unitatem* & *pacem* Eccleſiaſticam hominibus; (quamvis hoc ipſe abſque ullo ſincero in Deum & animarum ſalutem zelo, ſed propriæ tantùm gloriæ & commodi causâ facturus ſit;) quod planè ad rem, & Scripturæ S. arcanis conformiter notavit de ipſo (circa an. D. 224.) S. *Hippolytus* Martyr his verbis: (*g*) Τὰ πρῶτα αὐτοῦ γενήσεται πραῢς, ἀγαπητικος, ἥσυχος, εὐλαβὴς, εἰρηνοποιὸς, μισῶν ἀδικίαν, βδελυττόμενος δῶρα, εἰδωλολατρείαν μὴ προσιέμενος, τὰς γραφὰς φησιν ἀγαπῶν &c. H. e. *In primordiis* * *ſuis* (Antichriſtus) *erit clemens*, ſeu *manſuetus*; *dilectionem habens, quietus, religioſus, PACIFICUS,* (ſeu, *paci operam dans*,) *qui odio pro-*

* *Pro hac ejus* illuminatione *facit illud* S. Gregorii *M.* (*Moral. Lib. 4. cap. 12. in Job. cap. 3. v. 8.*) Malignus Spiritus, qui per meritum nox eſt, DIEM ſe in Mundi fine SIMULAT. (*In* Antichriſto *nempe, quem totus inhabitabit.*) *Et alibi,* (*ſcil. Moral. Lib. 33. cap. 25. ad verſum illum, Job. 41. v. 9.* Oculi ejus, ut palpebræ diluculi,) *ſic de Conſiliariis* Antichriſti *ſcribit*: Spondent ſe tenebras repellere, & VERITATIS LUCEM ſignis clareſcentibus nunciare. *Et mox* (*ad dicti cap. 41. v. 10.*) *de ejuſdem Prædicatoribus iſta tradit*: Quaſi per ſapientiam LUCENT. *Huc referre poſſumus etiam illud S.* Bernardi, (*Serm. 33. in Cantic.*) *quòd* Antichriſtus ſe non ſolùm DIEM, ſed & MERIDIEM mentietur. (*e*) *Iſa. 14. v. 12. Hunc locum de* Antichriſto *accipit etiam* S. Cyprianus, *Lib. 3. Teſtimon. n. 118. & Epiſt. 55. ad Cornel. n. 2.* (*f*) *Lat. ad Lugent. Sion Nunc. §. 94. pag. 191. 192. 193.* (*g*) *Oration.* de Conſummat. Mundi, de Antichr. & de 2do Chriſt. Advent. *Biblioth. SS.* Patrum, *Tom. 12. edit.* Par. *an. 1654. pag. 596.* * *Sic etiam* Damaſcenus (*Lib. 4. de Fid. Orthod. cap. 27.*) *paucis de eo ſcribit*: Antichriſtus in exordiis Regni ſui, ſimulabit bonitatem.

odio proſequatur injuſtitiam, deteſtetur munera, idololatriam † *non admittat; amet* (ut *dicit*) *SCRIPTURAS; revereatur Sacerdotes, canitiem honorari habeat, ſcortationem repudiet, adulterium abominetur; obtrectationes non audiat; dejerationes non recipiat: hoſpitalis, ſtudioſus pauperum, miſericors.* Et mox inter prodigia ejus, plenius exprimit hoc, quòd dixerat ſupra eum fore priùs *pacificum:* Τὺς *μαχομένυς* (inquit) *ἀνθρώπυς καταλλάττων ἐις ἀγάπην, ϗ λέγων, μὴ ἐπιδυέτω ὁ ἥλιος ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν.* H. e. *Conciliabit homines contendentes ad amorem,* (ſeu *amicitiam,*) *dicens:* (*h*) *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* (Hæc omnia monſtrant, eum *Chriſtianum* nomen externè profeſſurum.) Sed audi nequiſſimam hujus Impoſtoris fraudem, & fucatam pietatem, quomodo ille deinceps omnibus ſuis bonis & donis à Deo acceptis in peſſimum finem abutetur. *Atque hæc omnia* (inquit S. Hippolytus) *faciet CONSILIO SIMULATO ac FRAUDULENTO, quò circumveniat omnes,* *πρὸς τὸ ποιῆσαι ἀυτὸν βασιλέα, ut ipſum REGEM CREENT.* Caput nempe viſibile populorum. Ergo *pacis* quoq; ſtudium doloſum, unà cum ſuis in ſuæ impietatis dominium promovendum vertet, juxta illud: (*i*) *In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias:* vel, (*k*) *Loquuntur pacem cum proximis ſuis, & malum eſt in cordibus eorum.* Scilicet, impleri debet de illo prophetia illa: (*l*) *Totum -- congregat in rete ſuum;* imò & (*m*) *non ſua multiplicat.* Sic teſtabitur rerum eventû, amorem veritatis & ſinceram pietatem nunquam altas in pectore ejus egiſſe radices, eò quòd etiam in actibus in ſpeciem bonis, peſſimum habiturus eſt finem intra ſe reconditum. Ea verò quæ ex S. *Hippolyto* ſunt in medium allata, egregiè (& quidem per modum illuſtrationis) concordant cum eo, quod habetur de eodem filio perditionis, ſub typo *Principis Tyri*, Ezech. cap. 28. ℣. 12. 13. 14. 15. *Tu* (inquit) *ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore: In deliciis Paradiſi Dei fuiſti; omnis lapis pretioſus* (decor nempe & corona magnorum Sanctorum) erat *operimentum tuum: -- poſui te in monte ſancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulaſti: perfectus* (eras) *in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Eſt autem in his ſimul alluſio ad Diaboli Principis malorum Angelorum primævam integritatem: eò quòd ipſe totus habitaturus eſt cum univerſa Inferni potentia in *Antichriſto* illo magno; ut alibi (*n*) jam ex S. *Hieronymo* (illuſtrato etiam ex S. *Gregorio*) oſtendimus. Ne quis autem dubitet,

† *Ita etiam de eodem S.* Irenæus, *Lib. 5. cap. 25.* *quòd* idola ſeponet. *Et* Hugo *Eterian. de Regreſſ. animar. cap. 23. quòd* Antichriſtus, nullius penitùs imagini cultum exhibebit. (*h*) *Eph. 4. v. 26.* (*i*) *Jerem. 9. v. 8.* (*k*) *Pſal. 27.* (*al. 28.*) *v. 3.* (*l*) *Hab. 1. v. 15.* (*m*) *Ibid. cap. 2. v. 6.* (*n*) *In Lat. ad* Lug. Sion Nunc. *pag. 191. §. 94.*

Antichriſtum magnum, occaſione magni illius & felicis progreſsûs Evangelii, qui in hoc *Signo octavo* (ex ✝. 31. & 14.) deſcribitur, oriturum; oportet ut is, tum loca ex *Iſaia* & *Ezechiele* † hîc allata ritè expendat, tum etiam in ea, quæ in ſequentibus dicentur, diligenter attendat.

XI. (9.) Hinc jam id ipſum quod proximè eſt dictum, erit *Nonum* Signum *octavo* conjunctum: ſcilicet ipſius *Antichriſti* (antequam ſe prodat eum eſſe,) unà cum multis aliis ſibi ſimilibus, per uberrimam ultimi temporis lucem Evangelii, in magnis Scripturæ S. arcanis intelligendis illuminatio, & fucata ad Chriſtum Dominum converſio. Atque hoc eſt, quod Dominus ſub ſimilitudine *fici* ſola *folia* cum *teneritudine* quadam *rami* oſtentantis, apud S. Matthæum & Marcum nobis prænunciavit. (*o*) *Ab arbore autem fici* (inquit) *diſcite parabolam: cum jam RAMUS ejus TENER fuerit, & FOLIA nata, ſcitis quia propè eſt æſtas: ita & vos cum videritis hæc omnia*, (inter quæ eſt & hoc, quod nunc de *Fico* myſtica dictum eſt,) *ſcitote quia propè eſt in januis*. Nemo putet Chriſtum abſque ullo hîc myſterio loqui de *Fico*, quaſi hâc ſimilitudine in ſola literali *fico* terminaret ſcopum ſuum. Cum enim jam & aliàs Chriſtus Dominus non ſine myſterio locutus ſit (*p*) de *Fico*, (quod & Prophetarum (*q*) mos fuit;) ita neq; in hoc loco: quod jam olim rectè SS. Patres animadverterunt. De hac *fici* arbore S. *Ambroſii* mentem jam ſupra (*r*) vidimus. Ejus verò *ramum* eſſe myſticè *Antichriſtum* illum magnum, ex S. *Hilario* (*ſ*) didicimus.

XII. Cur autem tantam in ſpeciem ſanctitatem ac ſuî dealbationem (ut paulò antè audivimus) *filius* ille *perditionis* oſtenſurus primùm ſit; ſeu potiùs, cur bonis animi & corporis ſibi à Deo donandis, (per ſe enim bona Dei dona futura ſunt in ipſo, ut talis primùm fiat, in majorem ſuî inexcuſabilitatem, qualis jam eſt deſcriptus,) cur inquam iis abuſurus ſit, & ea per ſuperbiam animi tantamque ſuî oſtentationem, in merum fucum verſurus? etſi jam hujus rei rationem aliquam ex S. *Hippolyto* (*s*) audivimus; qui verbis ſupra allatis etiam iſta ſubjungit: (*t*) *Ubi populi ac multitudines tantas ejus virtutes atq; facultates perſpexerint, unô conſensû convenient omnes in unum locum, ad creandum illum Regem:* Veruntamen præter hoc, quod ipſe notavit, eſt alia etiam ſubtilior ratio, cur donis ille à Deo ſibi dandis tantopere ſit abuſurus, tantam nempe ſuî pietatem & ſanctitatem (ſed eventû fucatam) in primordiis ſuis oſtentando. Scilicet verſutus ille, & (*u*) *intelligens ænigmata*, noſcet ex Scripturis & Scripturarum interpretationibus, qualis futurus ſit *Chriſtus* * *in ſuis Sanctis* ultimi temporis adveniens,

† *Hoc paragr.* (*o*) *Matt.* 24. *v.* 32. 33. & *Marc.* 13. *v.* 28. 29. (*p*) *Matt.* 7. *v.* 16. & 21. *v.* 19. & *Luc.* 13. *v.* 6. (*q*) *Joël.* 2. *v.* 22. *Hab.* 3. *v.* 17. & *paſſim.* (*r*) *H. Claſſ. Cap.* 10. §. 36. (*ſ*) *Ejuſd. cap.* §. 42. (*s*) *Hoc Cap.* §. 10. (*t*) S. *Hippol. Orat. de Conſumm. Mundi.* (*u*) *Dan.* 8. *v.* 23. * *Illuſtra hæc ex* §. 22. *Cap.* 10. *h. Claſſ. ibi*: Et qualis à Sanctis illis prædicabitur. &c.

adveniens, inprimis in *uno* illorum, in magno nempe illo *Paſtore*, ſuo Vicario, ſub quo (*v*) *unum ovile erit*; itaque, ut Diabolus in eo avertere poſſit mentes hominum à veri Chriſti, tum in ſuis Sanctis pleniùs ac pleniùs tunc in dies ſe manifeſtaturi, tum etiam in perſona ſua propediem appariturì expectatione; ex eo, *dealbatum* † illum *parietem*, fucatum nempe Sanctum eiſdem oſtendet & obtrudet, prætendens (per os ipſius nequam, ejuſque præconum) & ſuggerens ex quibuſdam ſignis, eum eſſe *Chriſtum* Domini, (non alium;) ſcilicet illum, (*x*) in quo totus Chriſtus ſeu Meſſias verus habitet cum maxima ſua virtute cœleſti & majeſtate. Atque hoc ſensû intelligendum eſt illud, quòd *Antichriſtus*, juxta S. Ambroſium, (*y*) *ex Scripturis diſputabit ſe eſſe Chriſtum:* ſeu, *tentabit* juxta S. Irenæum, (*z*) *ſemet-ipſum Chriſtum oſtendere:* cum tamen aliùs prætenſurus ſit ſe (*j*) *Chriſtum* noſtrum *imitari.* Sed longè pleniùs & clariùs rem hanc *Ruffinus* Aquileienſis in Expoſitione Symboli (circa an. D. 400.) expreſſit his verbis: * *Scire debemus, quòd ſalutarem hunc Chriſti ADVENTUM, conabitur inimicus ad decipiendum fideles quosq; callidâ fraude SIMULARE, & pro FILIO HOMINIS, qui expectatur venturus in majeſtate Patris ſui, FILIUM PERDITIONIS in prodigiis & ſignis mendacibus præparare, ut pro CHRISTO Mundo huic introducat ANTICHRISTUM.* Et aliquantò poſt: *Propterea Propheticis & Evangelicis, atq; Apoſtolicis vocibus nobis prænunciatur hic error, ne quis pro ADVENTU Chriſti, ADVENTUM credat Antichriſti.* Hæc ibi. Certè præter fraudes & impietates ejus, vel ex hoc noſcent (cum tempore) verè pii & ſancti illius temporis, ipſum non eſſe *Chriſtum* Domini, hoc eſt, eum in quo Chriſtus præ aliis excellentiſſimo modo habitet; quia carebit myſterio S. *Crucis*: hoc eſt, non aſſimilabitur Chriſto (ante ſuî ſublimationem) in variis preſſuris & tribulationibus ipſam animam (cum corpore) diù multumque affligentibus. Non enim in ullis veniet aliter Chriſtus, ut fiat demùm in illis abſque infirmitatibus eorum potens & glorioſus, niſi veniat priùs in iiſdem per varias infirmitates & tribulationes, per quas in illis exurat peccatum; ut jam hoc ſupra (*a*) inſinuavimus, & infra † ſuo loco (ad *Signum Filii hominis* rediturì) adhuc dicemus.

XIII. (10.) *Decimum* Adventûs Domini tùm in ſuis horrendis judiciis (per Sanctos, ſuî gratioſâ præſentiâ & potentiâ etiam in ipſis adverſis

(*v*) *Joan.* 10. *v.* 18. † *Phraſis eſt ex Act.* 23. *v.* 3. (*x*) *Confer hic* Læt. Nunc. §. 96. *pag.* 193. *& ſequ. & ibid.* §. 95. *p.* 194. 197. (*y*) *Comm. in Luc. cap.* 21. *v.* 20. (*z*) S. Iren. *Lib.* 5. *adv. Hær. cap.* 25. (*j*) S. Hieron. *Comm. in Amos. cap.* 5. *v.* 25. 26. *Conf.* S. Hippolyt. *cit. Orat. de Antichr. Ita etiam* S. Gregorius *M.* (*Moral. Lib.* 33. *cap.* 26.) *ex Apoc.* 13. *v.* 11. *ſcribit de* Prædicantium *Antichriſti* multitudine, *quòd ea* aſſumet AGNI ſpeciem.* Ruffin. *ad verba Symb. Apoſt.* Inde venturus eſt judicare viv. & mort. (*a*) *Sub Reg.* 12. *h. Claſſ. cap.* 9. §. 27. *pag.* 277. † *Cap.* 13. § 25. 26. 30. 31. 32.

plùs atque plùs implendos,) in impios effundendis, tum in perſonali ſuî manifeſtatione jam jam imminentis Signum, (*octavo & nono* Signis ex parte contiguum,) erit hominum carnalium ſub alta pace Eccleſiæ, (pro feliciori Evangelii curſu) divinitùs danda, ſecuritas magna. & ipſius *Antichriſti* iniquitatis * detectio, ejuſque crudeliſſima in Sanctos, & quoslibet in Populo Dei ab ejus placitis diſſidentes perſecutio. Atque ſic (juxta S. Hippolytum) † *qui priùs erat manſuetus, evadet ferox; qui dilectionem amplectebatur, fiet immiſericors; qui animum gerebat ſubmiſſum, ſuperbus atque inhumanus evadet; qui oderat injuſtitiam, juſtos perſequetur.* Adde hîc; quòd qui priùs in ſpeciem erat *pacis* conciliator, is demùm acerrimum ſe hoſtem illis exhibebit, qui in pura veritate, ſolida pietate, veraque charitate colenda concordes ac ſpiritu uniti erunt, agetque omni ſuâ arte & crudelitate, ut tales ab invicem dividantur & diſpergantur. Impleri nempe oportet de ipſo; quòd dum *gratia* ſeu *miſericordia* fit *impio*, (in illuminatione ſcilicet larga, ac in aliis bonis animi & corporis, nec non in altæ pacis & tranquillitatis datione,) *non diſcet juſtitiam* ſolidam & perennem; ſed *in terra Sanctorum iniqua geret*; juxta Iſa. 26. ℣. 10: *Pax* & *ſecuritas* illius temporis, apud S. Matthæum toties citato cap. 24. indicatur ℣. 37. 38. 39. verbis illis: *Sicut erat in diebus Noë* &c. -- *ita erit & adventus Filii hominis.* (collat. Luc. 17. ℣. 26. 27.) Ipſa autem per Antichriſtum magnum ſuſcitanda *perſecutio*, (ab ea, quæ *Signi Filii hominis* apparitione interrumpetur, ut diximus, (*b*) diſtingvenda,) inſinuatur apud eundem S. Matthæum dicto capite 24. ℣. 48. 49. his verbis: *Si autem dixerit MALUS SERVUS ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit PERCUTERE conſervos ſuos*, &c. Ubi illicò ſubjicitur extrema pœna ejus, ℣. 50. & 51. *Veniet Dominus Servi illius, in die qua non ſperat, & horâ quâ ignorat: Et dividet eum, partemq; ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & ſtridor dentium.* Scilicet, *veniet* tunc proximè in ſuis Sanctis ab ejus furore reſiduis, pleniùs jam tunc ſe ipsô ac ſuâ virtute cœleſti & majeſtate induendis, ac per conſequens in horrendis ſuis judiciis per eoſdem in ipſum effundendis, donec perſonali quoque ſuî apparitione, omne ejus virus in ejuſdem reliquiis

* S. Ephrem Syrus *Tractat. de* Conſummat. Mundi *&* Antichriſto, *hujus detectionem* Enocho *&* Eliæ (*ſeu* duobus Teſtibus *juxta modum ſupra pag. 101. & ſequ. explicatum*) *aſſuturis tribuit; qui* palàm *de eo* prædicabunt, dicentes: Antichriſtus hic eſt atque Seductor, & filius perditionis, o homines! *Quô non obſcurè innuit, idq; rectè, non alium vel a 101 poſſe primùm verè detegere, quis ſit* Antichriſtus *ille magnus, niſi qui Spiritum & virtutem* Eliæ *&* Enoch *habituri ſunt. Unde etiam mox ſubdit*: Et cunctis Divinâ quidem cognitione atque intelligentiâ (*ſalutari*) illuſtratis, continuò innoteſcet Tyranni adventus; qui verò mentem ſemper in ſecularibus rebus terreniſque commodis appetendis defixam habuerint, nequaquam ejus adventum cognoſcere poterunt. *Floruit hic circ. an. D. 380.* † *S. Hippol. Oration. de Conſummat. Mundi.* (*b*) *§. 5. h. cap. p. 381.*

quiis aliquamdiù ſuperſtitans, prorsùs aboleat & deſtruat; juxta illa, quæ ſupra (*c*) occaſione cujuſdam objectionis ſolutæ, & loci Apoc. 19. ℣. 11. 14. 20. ea de re diximus. Porrò * *Servus ille malus* diſertè hîc *Servo* illi *fideli* & *prudenti* (magno & bono Paſtori) opponitur, de quo eſt mentio ibidem (apud Matthæum) verſibus proximè antecedentibus ℣. 45. 46. 47. *Quis, putas, eſt fidelis Servus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam,* † &c? *Beatus ille Servus,* &c. (Quo de loco noſtram expoſitionem Lector alibi (*d*) videre poterit.) Unde patet, verum eſſe id, quod jam & aliàs docui, *Antichriſtum* illum magnum, (*e*) proximè & immediatè Chriſti Domini Vicario, (& hôc mediante, ſeu, per conſequens in eo, ipſi Domino,) ſe oppoſiturum. Quòd in corde ſuo dicet *malus* ille Servus: (*f*) *Moram facit Dominus*; &c. per hoc magna ejus notatur carnalis ſecuritas, putantis intra ſe, quaſi jam neque venturus eſſet Dominus eô modo, quô à ſuis expectabatur, & expectatur. Quod ſic exprimitur apud S. Hippolytum: (*g*) *Tum efferetur animo in omnes homines, ſperans doloſus ille, in poſterùm ſe* PERPETUO REGNATURUM *ſuper terram.* Hoc eſt quod prophetice per Pſalmiſtam de ipſo dicitur: (*h*) *Dixit in corde ſuo: Non movebor à generatione in generationem.* Per *Conſervos* ejuſdem impii, intelliguntur *Sancti* illi Servi Dei, quibuſcum in ſuis melioribus primordiis Regnum Chriſti & ipſe promovebit, & quorum coronâ ad tempus, ceu totidem (*i*) *lapidibus pretioſis* vallabitur & ornabitur. Quos *percutiet* tunc, quando modis omnibus atrocem in eos movebit perſecutionem. Certè quos ad literam non interficiet, attamen horrendâ mortificatione, fugatione, diſperſione, item, furore, inquiſitione, (ubi ſint,) minis & fulminibus oris blaſphemi, etiam eos omnes affliget & *percutiet.* Sed benè quòd tantùm incipiet hanc perſecutionem: (quod verbis illis inſinuatur; *& cœperit percutere* &c.) non enim in Sanctis Dei Servis pro voto ſuo hanc ſuam crudelitatem ad finem perducere poterit. Regnum ergò *Antichriſti* magni, & *perſecutio* per eum in Sanctos excitanda, unà cum ingenti hominum illius temporis carnalium *ſecuritate,* erit certiſſimum *Signum* proximi *adventûs* Domini ad terribile contra impios judicium, ſuæque Eccleſiæ liberationem pleniorem, & ſubſequentem glorificationem. Conferatur hîc locus, 1. Theſſ. 5. ℣. 3.

XIV. Atque hæc *decem* enumerata, ſunt propiora & præcipua ſecundi adventûs Domini Salvatoris *Signa.* Inter quæ, quoniam unum, quod eſt *quinto*

(*c*) *Hujus Claſſ. Cap. 10. §. 20. & 23.* * *Confer lucis cauſâ, Matt. 18. v. 32. & 25. v. 26. 30.* † *Conf. Luc. 12. v. 42. 43. 44.* (*d*) *In Lat. ad Lugent. Sion Nunc. §. CI. pag. 209. & ſequ.* (*e*) *Ibid. §. XCVI. & XCVII. pag. 198. & ſequ.* (*f*) *Confer 2. Pet. 3. v. 3. 4.* (*g*) *Oration. de Conſummat. Mundi.* (*h*) *Pſal. 10. v. 6. juxt. Heb.* (*i*) *Ezech. 28. v. 13. 14. Vide hunc locum ſupra §. X. ſub fin. h. cap. pag. 387.*

eſt *quinto* loco poſitum, ſpecialiter & per excellentiam vocatur *Signum*; videlicet *Signum Filii hominis*; (Matt. 24. ℣. 30.) idcircò peculiarem etiam requirit Tractatulum; quem juxta (*k*) promiſſum, in ſequentibus jam (Deo duce) inſtituemus.

CAPUT XIII.

In quo *reditur ad* quintum *Adventûs Domini* Signum, *quod* Signum Filii hominis in Cœlo apparriturum *dicitur*, *idq;* (*juxta proximi capitis promiſſum*) *explicatur.* Literalia *primùm* Signa *huc facientia* (*ut ſunt*, Columna, [*ſeu* Gometa,] Iris *&* Crux) *recenſentur*; *demùm itur ad* ſpirituale *&* principale *Signum*. *Subnectitur aliquid etiam de* tempore *eventurorum bonorum*.

I. *Signum Filii hominis in Cœlo appariturum*, (ad quod me rediturum in ſuperioribus (*a*) promiſi,) ut dupliciter hîc intelligam, ſcilicet, tum *literaliter* tum *ſpiritualiter*; nullâ ratione prohibeor; cum jam didicerim, & in hoc quoque Libro tradiderim, (*b*) Scripturam S. (inprimis Propheticam) eſſe latiſſimi ſensûs, ſalvâ interim ſemper fidei rectitudine. At verò cum *ſpiritualis* Scripturæ ſenſus ſemper ſit excellentior ſensû *literali*, (ſensû nempe in cortice literæ lectori obviô, & ob id facilè dum proponitur, etiam à Vulgo perceptibili,) ut eruditis eſt notum; juxta illud S. Hieronymi: (*c*) *Totum quod legimus in Divinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice*; *ſed DULCIUS IN MEDULLA eſt*; idcircò ita hîc *literalem* ſenſum admittimus, ut tamen potiſſimùm ad *ſpiritualem* mentis oculos intendamus, ac ipſum quoque literale & in corporis oculos incurrens *ſignum*, ſpiritualis rei, (utpote in verbis Domini principaliter intentæ) ſignificativum eſſe doceamus.

II. *Literale*, ſeu externum & in ſenſus corporis incurrens *ſignum*, probabiliter triplex hîc intelligi poteſt; videlicet, *Columna*, *Iris*, & *Signum Crucis*: ut quorum fundamentum in Scriptura S. non obſcurè inſinuatur. Poteſt ergo in hac prædictione *Signi* (quantum ad literam) includi; (1.) Quòd aliquando appariturum eſſet *Signum* quodpiam in Cœlo inſtar *columnæ* magnæ, inuſitatum & admirandum, quod veteri *columnæ nubis* & *ignis* (præſertim *ignis*) quodam modo reſpondendo, ſuî ipſius tali formâ indicaret, ſe eſſe *Signum Filii hominis*, & Liberatoris populi Dei, qui olim populum ſuum ex Ægypto liberatum in *columna nubis* & *ignis* duxit versùs Chanaan. Exod. 13. ℣. 21. 22. Atque ſic, hujuſmodi *Signum*, poteſt ſignificare, partim lætitiam Eccleſiæ, eamq; primariò, (ſed antè fruitionem illius lætitiæ, terribili *mari* tentationum & tribulationum priùs ſuperatô,) ex ampliſ-

(*k*) *Vid. §. 6. h. Cap. p. 382.* (*a*) *§. 6. c. 12.* (*b*) *H. Claſſ. 2. Reg. 1. & 2.* (*c*) *Epiſt. 13. ad Paulin. de inſtitut. Mon. cap. 4. Confer etiam Epiſt. 27. cap. 12. ubi in laudibus S.* Paulæ *ponit, quòd* hiſtoriam *Scripturæ ita* amaret, *ut tamen* magis ſequeretur intelligentiam ſpiritualem.

ex ampliſſima luce & conſolatione cœlitùs ex ipſo verbo Dei & doctrina Eccleſiæ danda futuram, quâ luce & conſolatione prælucente in Mundi hujus deſerto ducantur fideles in repromiſſam ultimi temporis quietem, inque hæreditatem cœleſtis Chanaan; partim verò exitium hoſtium Eccleſiæ, ſuo terrore & formâ inuſitatâ: ſicut & olim una eademque *columna*, & exitio erat hoſtibus ſuâ *tenebroſitate*, & ſaluti lumine ſuô, populo Dei. Exod. 14. ℣. 19. 20.

III. Jam inveſtigemus, annon hactenùs, noſtro jam tempore, viſum eſt ingens aliquod *Signum* cœleſte, quod *columnam* quodam modô referret, aut ſaltem majoris adhuc apparituræ prænuncium eſſet? Ego, quotiescunq; *Cometam* illum terribilem anni 1680. & 1681. de admiranda caudæ in rectum longitudine, lucidâ & vivida, apud me conſidero, non poſſum non in eam ire ſententiam, quòd omninò Deus tam portentoſum *Cometam*, & tam exactè ſuâ caudâ referentem ingentis formam *Columnæ*, non ſine ſignificatione futurarum rerum arduarum, (longè majorum, quàm ab illo tempore huc uſque fuerunt,) in ſingulare bonum S. Eccleſiæ, inq; ruinam hoſtium ejus, in Cœlo monſtraverit; & hunc quoq; ratione tam præclaræ formæ *columnæ*, prodromi ſaltem inſtar (ſi majus quid in eo non ſubſit,) pro *Signo* illo celebri (apud S. Matthæum) *Filii hominis*, præmiſerit. Cum enim juxta vulgatum dictum antiquorum, *Nunquam viſus terris ſit impunè Cometes*; memoratus quoque *Cometa* certam ac ſuæ magnitudini ſtupendæ & terribili congruam debet habere ſignificationem, & quidem eam, quæ Eccleſiam Dei primariò reſpiciat, ipſamque principaliter in *Occidente*; eò quòd terribilis ille Cometa *occidentalis* fuerit. Omnia enim *Signa* cœleſtia (infra Dei gloriam, omnium ſummum finem) ultimatè & principaliter ſunt propter Eccleſiam, & in ejus bonum, etiam eâ parte, quâ triſtia populo Dei denunciant. (Unde ſequitur, quòd etiam antiquiſſimorum *Signorum* hujuſmodi, inprimis *Cometarum* ſtupendorum congrua ſignificata, in diverſis & gradatim ultimo tempore ſecuturis S. Eccleſiæ contra hoſtes ſuos progreſſibus, debeant in lucem pandi. Deus enim nihil fruſtrà & ſine congruo fine agit.) Non poteſt autem dictus ille *Cometa* congruentiorem pro S. Eccleſia habere ſignificationem, quàm eam, quæ jam eſt tum hoc paragrapho, tùm præſertim proximè præcedenti inſinuata. Tempus certè tot motuum Mundi Nationum, tot tumultuum horribilium, tot confuſionum, totque tribulationum & preſſurarum, quô idem *Cometa* viſus eſt, non refragatur, quò minùs hoc quoque *Signum*, inter literalia *Filii hominis ſigna* juxta citatum Matthæi (*d*) locum recenſeamus. (Nîl enim obſtat, quò minùs plura ſint ea quoad literam & ſenſum externum; cum unicum tantùm ſit in ſe *ſpirituale* illud & principale *Signum*, quod *literalia* ſignificant; ut

(*d*) *Cap. 24. v. 30.*

infra patebit.) At eſto, quòd de tempore præterito hîc ſileremus; hoc tamen potiſſimùm de hoc *Signo* conſiderandum eſt, quid & quæ adhuc cum tempore ſunt eventura. *A' Signis* (*e*) quidem *Cœli* in ſe & per ſe, quà oculis hiſce carneis videntur, *metuere* non debemus; ſed Author, Director & Præmonſtrator eorum ſupremus, valdè conſiderandus, & metuendus eſt. Sic etiam in hoc *Cometa*, non id formidare, vel in conſolationem noſtrî trahere debemus, quod oculi & carnalis ratio, ſeu vana hominum de eo præſagia denunciârunt; ſed id mente verbo Dei informatâ in eo eſt conſiderandum, quod ex Dei omnium Directoris diſpoſitione ſignificare poteſt. Nec eſſet ille ſanæ mentis, qui prorsùs negaret talia *Signa*, præſertim quæ rara & inuſitata apparent, aliquid ex Dei ordinatione ſignificare. Etſi enim non ſemper illicò ſentitur effectus (præſertim principalis) intentionis Divinæ in tali *Signo*; attamen ſentietur ſuo tempore. Et quò majora, quove magis terribilia ſunt ejuſmodi *ſigna*, eò majora denunciant in futurum. Notum eſt, quòd horrendæ olim (*f*) *tenebræ* in paſſione Domini, horrendam Mundi & Judæorum cæcitatem, atque futurum horum exitium ſignificabant. Sic etiam ante everſionem Urbis Hieroſolymorum, & Politiæ Judæorum, variis primùm (*g*) *ſignis* eandem Deus illis præſignificavit. Unde facilè aſſentimur de prædicto etiam *Cometa* prodigioſæ magnitudinis, eum non qualiumcunq; rerum intra paucos annos finitarum, ſed planè ingentium & extraordinariarum deinceps futurarum fuiſſe & eſſe prænuncium. Quæ res adeò ingentes & extraordinariæ, habitô reſpectû temporum in quæ devenimus, non poſſunt aliæ congruentiùs dici, quàm quæ futuræ ſunt, dum *ſpirituale* etiam *Signum Filii hominis*, (de quo infra ſuo loco dicturus ſum) evidenter apparebit, atque ipſe Dominus in ſuis *Sanctis* incipiet *venire* cum *magna* ſua *virtute* cœleſti experimentaliter.

IV. In hac de terribili illo *Cometa* ſententia, eò magis id me confirmat, quòd licet diligentiſſimè (pro tenuitate virium) inveſtigem apud celeberrimos Authores, tum veteres tum recentiores, qui de *Cometis* ſcripſerunt, (ut ſunt, *Seneca*, *Cardanus* aliique,) vel eas ordinè etiam recenſuerunt, (ut, *Hevelius*, *Alſtedius*, *Lubienicius*, aliique;) nullum tamen hactenùs *Cometam*, caudæ admirabili, per * rectas & parallelas lineas extenſâ longitudine, prædicto *Cometa* ſimilem viſum fuiſſe lego, inter Occidentales præſertim *Cometas*; adeò, ut rectiſſimè in Chronico Calendarii Hungarici, conſignetur quolibet anno ab illo tempore; Menſe *Decembri* (anni ſcilicet 1680.) *magnum & SINE EXEMPLO Cometam ortum fuiſſe*. Præ omnibus aliis ante hunc, tres *Cometas* magnitudine inſigni celebres lego: duos

(*e*) *Jerem.* 10. *v.* 2. (*f*) *Matt.* 27. *v.* 45. (*g*) *Conſul. Joſeph. Hiſtor. & ex eo Euſeb. Hiſt. Lib.* 3. *cap.* 8. * *Exigua illa extremitatis* caudæ *ejus incurvatio, quam ſub exitum Decemb. an.* 1680. Hevelius *obſervavit*, (*juxt.* §. 6. *h. cap.*) *non obſtat, quò minùs à potiori parte* recta *dicatur*.

duos ante natum Chriſtum, & tertium poſt eundem natum, anno 1618. viſum; de quo ſuo locô dicemus. Primus valde celebris anno 371. ante natum Chriſtum, eſt Cometa ab *Ariſtotele* (*h*) memoratus; de quo paulò infra: alter verò eſt is, quem *Juſtinus* † Hiſtoricus, quaſi in gratiam *Mithridatis* * bis etiam (ſcilicet, tum circa ann. 134. [vel 130.] ante nat. Chriſt. tum verò circa an. 122. itidem ante nat. Chriſt. hoc eſt, & circa nativitatem *Mithridatis*, & circa initia regni ejus) ortum & viſum, deſcribit hunc in modum: (*i*) *Et quo genitus eſt anno, & ex quo regnare primùm cœpit, Stella Cometes, per utrumq; tempus, ſeptuaginta diebus ita luxit, ut Cœlum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine ſuî, quartam partem Cœli occupaverat, & fulgore ſuî Solis nitorem vicerat; & cum oriretur occumberetque, quatuor ſpatium horarum conſumebat.* Hic *Cometa* ſplendore quidem apparenti, (ſi talis fuit, qualis deſcribitur,) noſtri temporis *Cometam* longè ſuperavit; ſed magnitudine caudæ ab hoc noſtro, 15. circiter gradibus (atque etiam pluribus,) ſuperatur. Nam magnitudine ſeu longitudine caudæ, ille tantùm *quartam partem Cœli*, ſcilicet hemiſphærii viſibilis, (quod & frequentior uſus loquendi indicat,) occupaverat; hic verò aliquando etiam ultra *tertiam partem*, hoc eſt, ultra 60. gradus extendebatur. Imò & tantus ille fulgor *Cometa* illius, arguit eum noſtrô ut propinquiorem terræ, (unde tantus ejus fulgor hominibus conſpicuus,) ſic per conſequens eodem minorem fuiſſe. Quod argumentum peritis in Aſtrorum ſcientia, non eſt obſcurum. Inſuper, ex hoc etiam quòd adeò fulgidus dicitur extitiſſe, colligo, illum quoque non *Mithridatis* in ſe † conſiderati, ſed *Chriſti* Domini poſt illa tempora naſcituri, & regnaturi (per verbum ac Spiritum ſuum) in Mundo, fuiſſe prænuncium. Quòd tàm maturè, & quidem inter Gentes apparuerit *Cometa* ille Chriſti & ejus rerum prænuncius; nemo miretur, ſi conſideret magnitudinem imò æternitatem Chriſti ac ſui Regni, & quòd ipſe totius Mundi Salvator, & (*k*) *deſiderium* omnium Gentium futurus erat. Nec tamen nimis maturè, ſed juſto tempore apparitio illius ſigni, reſpectu tanti Domini naſcituri, ac demùm perpetuò regnaturi facta fuit; præſertim ſi conſideremus, jam dudum ante hoc tempus, (videlicet circa ann. 267. ante nat. Chriſt.) in indicium appropinquantis Chriſti naſcituri, *Biblia* ſacra ex *Hebraico* fonte, in lingvam *Græcam* (Nationibus

(*h*) *Meteorologic. Lib. 1. cap. 6. pag. 330. edit. Lugdun. An. 1590.* † *Vixit hic* Juſt. *an. D. 141.* * *Scilicet* Magni, *qui fuit Rex Ponti & Armeniæ.* (*i*) *Juſtin. Hiſt. Lib. 37. cap. 2. Hunc, quà primò apparuit, eundem eſſe cenſet Hevelius* (*Cometogr. Lib. 12. p. 800.*) *cum eo, cujus meminit* Seneca *Nat. Qu. L. 7. cap. 15.* † *Sic limito; quia in rebus etiam Gentilium, ipſe Deus, (qui Satanæ quoq; ſui Simiæ opera in bonum finem gubernat,) aliquando umbram quandam rerum in Eccleſia futurarum præmiſit: unde ſcribit S. Hieronymus de* Cyro *Rege,* (*Comm. in Iſa. cap. 45. v. 1.--4.*) *quòd is* in Chriſti typum & imaginem præceſſerit. (*k*) *Agg. 2, v. 8.*

Mundi tunc valde communem) fuiſſe verſa: ubi legitur valde clarè (clariùs certè quàm in ipſo fonte) verſus Pſalmiſtæ de incarnatione Chriſti ſonans: (*l*) σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. *Corpus autem adaptaſti mihi.* Quæ nondum plenè clarent ex ſignificatione tanti *Cometa*, clareſcent demùm, ubi plenitudo Regni Chriſti advenerit. Atque idem dicendum eſt de aliis quoque *Cometis*, ac ſignanter etiam de *Cometa* Ariſtotelis. Sed redeo ad noſtrum *Cometam*.

V. Poſſet hîc aliquis in contrarium dicere: Saltem *Cometam* Anni 1618. ſub finem Novembr. & Menſe Decembri, ac parte Januarii ſequ. anni viſum, inter *Cometas* temporis Novi Teſt. fuiſſe majorem caudæ longitudine, noviſſimo * celebri & prodigioſo *Cometâ*, aut ſaltem æqualem ei exſtitiſſe. Sic enim de illo (poſt alios) ſcribit *Hevelius* celeberrimus Aſtronomus: (*m*) *Die* 9. *Dec. juxta Cyſatum*, 75. *gr. Die* 10. *Decembr. referente Longomontano, cauda longitudo ad* 104. *grad. protendebatur; ſic, ut ſtupendo & horrendo modô, quartam imò tertiam ferè Cœli partem æquaverit. Cui profectò ſimilis nullus (ſi Ariſtotelis excipias) Cometarum, à Mundo condito, unquam, quod ſciam, emicuit.* Sic ille ante noſtrum Cometam, h. e. an. D. 1668. adhuc loquebatur. Quid poſtea de noſtro dixerit & obſervaverit, infra audiemus. Qualis autem fuerit *Cometa*, de quo *Ariſtoteles* meminit, ſic idem *Hevelius* (ex eodem edoctus) refert: (*n*) *Cometa ſplendor, quem Ariſtoteles, anno antè Chriſtum natum* 371. *obſervavit, extenſus fuit per tertiam Cœli partem.* Sic ergo ſaltem poſt Chriſtum natum, videtur *Cometa* anni 1618. omnium maximus fuiſſe. Reſp. Cum *Cometa* anni 1618. fuerit Orientalis ſeu Matutinus, ut ex ejus obſervatoribus eſt notum; (quanquam demùm etiam in Occidente cœpit conſpici;) hinc primâ fronte videbatur mihi ſic, quaſi tantùm inter Occidentales *Cometas* ſtatuendus eſſet noſter hactenùs maximus exſtitiſſe: Verùm re penitiùs inveſtigatâ, nego ullum *Cometam* ſive Orientalem ſive Occidentalem, inde à condito Mundo viſum, ita à rerum obſervatoribus deſcribi, ut certò pateret inde, majorem prædicto noſtro Occidentali ſeu Veſpertino *Cometâ* hactenùs fuiſſe. Nam ut primùm de *Ariſtotelis* Cometa dicam, (qui etiam Occidentalis fuit,) nulla ratio ſvadet, ut Cœlum ſtrictè pro integra Cœli ſphæra accipiamus in illo Ariſtotelis dicto: (*o*) *Splendorem ſuum* Cometa *extendit ad tertiam uſq; Cœli partem inſtar ſaltûs*; (ſicut celeberrimus *Hevelius* accipit ſupra (*p*) de Cometa anni 1618. faciens mentionem;) ſed tantùm pro hemiſphærio cœleſti, ſeu dimidia parte Cœli, ſupra horizontem viſibili; ut vulgaris & uſitatus loquendi modus docet; (ſicut & pauló ante in verbis *Juſtini*

(*l*) *Pſal.* 39. (*al.* 40.) *v.* 7. (*al.* 6.) * *Noviſſimum, non ſimpliciter, ſed ratione celebritatis voco.* (*m*) *Heve, Cometograph Lib.* 8. *pag.* 518. (*n*) *Ibid. Confer eum Lib.* 12. *Cometogr. pag.* 796. & 797. (*o*) *Meteorolog. Lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 330. *edit. Lugd.* (*p*) *In hoc paragr.*

Juſtini audivimus & notavimus:) Ut v.gr. Cum dicimus Solem, vel Lunam vel quodlibet Sidus ad medium uſque *Cœli* elevatum eſſe, tunc ipſum *Cœlum* pro hemiſphærio tantùm cœleſti nobis viſibili accipimus; eò quòd illâ locutione ſignificamus tale Sidus in linea meridionali eſſe. [Unde etiam ſunt voces apud Græcos, *μεσουράνιος*, (*qui in medio Cœli eſt*,) item, *μεσουράνημα*, (Apoc. 8. ✝.13. & 14. ✝.6. & 19. ✝.17.) *medium Cœli*.] Pariter ergò, dum veteres quartam vel tertiam *Cœli* partem dixerunt, *Cœlum* juxta uſitatiſſimum modum loquendi pro ejuſdem hemiſphærio ſupra horizontem viſibili acceperunt. Atque hinc rectè eximius Mathematicus Cantabrigienſis J. *Newton*, (*q*) verba illa Ariſtotelis, *ad tertiam usq; Cœli partem*, per 60. *gradus* explicat: tot enim gradus faciunt exactè (ut notum) *tertiam partem* hemiſphærii.

VI. Jam comparemus noſtrum *Cometam* cum *Cometa* anni 1618. & videamus, an ſuperetur ab illo, vel potiùs ſuperet illum noſter verâ longitudine caudæ, & non ſolùm apparenti. *Cometa* anni 1618. caudæ longitudinem deſcriptam, jam vidimus. De Cometa anni 1680. & 1681. ſcribit proximè memoratus eruditus Mathematicus *Newton*, (*r*) quòd *Menſe Decembri*, (an. 1680.) *quo tempore caput ſuâ luce vix æquabat ſtellas ſecundæ magnitudinis*, *caudam emittebat ſplendore notabili usq; ad gradus* 40. 50. 60. *longitudinis, ET ULTRA.* Doctiſſimus autem *Hevelius*, ſic de hoc noſtro Cometa ſcribit: (*ſ*) *Inter feliciſſimos me ſanè reponerem, ſi hunc inſignem Cometam, qualis hoc NOSTRO SECULO VIX ALTER apparuit, ex mea* † *priori ſpecula -- obſervare & annotare mihi licuiſſet.*. Alibi (*s*) *Cometam MAXIMUM & facie ſtupendum* hunc vocat. De longitudine caudæ hujus ſcribit, ad *diem* 27. *Decembr.* Anni 1680. (*t*) *Caudam erectam, inſignem, MIRÆQUE LONGITUDINIS & latitudinis, ac quidem paulò incurvatam* in *Septentrionem*, *ad ſtellas in Stellionem*, *Caſſiopeam versùs* 56. *imò* 60. *ferè gradus oſtendebat. Ad hæc, lumen caudæ erat quidem albicans, ſed LUCIDISSIMUM, & maximè in oculos incurrebat: unde meritò inter præcipuos hujus ſeculi Cometas numerari poteſt; maximè eo attentô, quòd præcipuam partem caudæ, per TOTAM NOCTEM exhibuerit.* Pro ſequenti die ſcribit ſic: (*u*) *Die* 28. *Dec. Veſp. ſplendente licet Lunâ, cauda nihilominùs in immenſum excurrebat, ad* 60. *imò* 70. *ferè gradus.* Ubi verò cœpit explorare, an etiam horis matutinis pars aliqua caudæ poſſet conſpici, ſic de quodam ſuo experimento ſcribit: (*v*) *Die* 31. *Decembr. manè, denuò præcipuam partem caudæ notavimus. - Extremitas*

(*q*) *Philoſoph. Natur. Princip. Mathem. p.* 508. (*r*) *Lib. cit. Pag.* 500. (*ſ*) *Ann. Climacteric pag.* 103. *edit.* 1685. † *Sic loquitur, quia hæc flammis conſumpta eſt.* (*s*) *In Præfat. Ann. Climact. pag* 6. (*t*) *An. Climact. pag.* 109. (*u*) *Ibid.* (*v*) *Ibid. pag.* 109. & 110.

Coma ad caput usq; Caſſiopeia ſub incurvatione excurrebat; ſic, ut tota longitudo HAUD MINOR 80°. *imò* 90°. (grad.) *exiſteret.*

VII. Ut verò jam ſubſidiô præmiſſorum & eorum quæ ſequuntur, demonſtrare poſſimus, noſtrum *Cometam*, longè fuiſſe majorem tum capite, tum longitudine caudæ verâ, *Cometâ* anni 1618; altitudinem, ſeu diſtantiam utriusq; à terra, ab Aſtronomis obſervatam, debemus conſiderare & inter ſe conferre. Nam ut rectè memoratus peritiſſimus Aſtronomus *Hevelius* annotat; (*x*) *Vera longitudo caudarum, non ſecundùm pluralitatem graduum, ſed ſecundùm Cometarum genuinam à Terra diſtantiam eſt definienda.* Jam fiat collatio diſtantiarum. De *Cometa* anni 1618. ſcribit idem *Hevelius*, (ex obſervatione *Crugeri*,) quòd ejus altitudo maxima ſeu diſtantia à terra, (ſub finem,) in Sphæra ♀ (Veneris) fuerit (*y*) *ſemidiametrorum Terra* 336. hoc eſt, milliarium German. 288960. quâ tamen altitudine (*z*) *Cyſatus* multò minorem ſcribit. At verò altitudo *Cometa* noviſſimi celebris, longè major quàm illius fuit; ut hoc ex obſervatione RR. Patrum Soc. Jes. *Gracienſium*, *Viennenſium*, & ex parte *Tyrnavienſium*, per Reverendum Patrem Martinum *Szent-Iványi*, ejuſdem Societ. Theologum & Aſtronomum *Tyrnavienſem* conſignata, eruere poſſumus. Sic enim dictus Author, dum adſtruit noſtrum *Cometam* fuiſſe *ſuperlunarem*, ex memorata obſervatione de eodem ſcribit: (*a*) *Nullam ferè ſenſibilem, aut ſaltem longè minorem parallaxim habebat quàm Luna: quò autem minorem parallaxim habet aliquod ſidus, & altius & ſuperius eſſe ab Aſtronomis demonſtratur.* Et illicò: *Quanta igitur ejus à Terra diſtantia? Reſp. Fuiſſe ad minimum tantam, quanta eſt maxima diſtantia Saturni à centro Terra: quæ eſt ex calculo Tychonis* 12340. *ſemidiametrorum Terra.* Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, milliar. Germanic. 10612400. Quæ ſumma, ſummam diſtantiæ *Cometa* anni 1618. à Terra, ſuperat milliaribus Germanicis 10323440. hoc eſt, vicibus 36: ita ut, juxta has obſervationes inter ſe collatas, *Cometa* anni 1680. diſtantia à Terra, habeat ſe ad diſtantiam Cometæ anni 1618, ab eadem Terra, ut 36. ad 1. Unde, quàm longè major ſit longitudo vera 60. graduum in Orbita Sideris cujuſpiam, ſemidiametrô, ſeu diſtantiâ ſuâ, alterius ſemidiametrum ſeu diſtantiam à Terra, vicibus 36. ſuperantis, longitudine illâ, quæ in Orbita Sideris alterius, diſtantiam 36. vicibus priore minorem habentis, eſſet 104. graduum, (qualis erat maxima longitudo apparens Cometæ anni 1618.) unuſquiſque rerum Mathematicarum peritus facilè perſpicit. Porrò, etiamſi tantùm mediocrem hîc diſtanti-

(*x*) *Cometogr. Lib.* 5. *pag.* 518. (*y*) *Eod. Lib. pag.* 522. (*z*) *Ibid. apud Hevel. coll. Lib.* 12. *Cometogr. pag.* 884. (*a*) *Sub fin. Calendarii Tyrnaviens. anni* 1682. §. *ult. De* Comet. *& aliis* oſtent. *Ipſemet autem Author mihi indicavit, ſe hac ex intùs memorata obſervatione accepiſſe.*

diſtantiam (*b*) Saturni à Terra, juxta memorati *Tychonis* hypotheſin, (hoc eſt, 10550. ſemidiametros terrenas) daremus dicto Cometæ anni 1680. pro ejuſdem altitudine; attamen ſic quoq; hic Cometa, juxta datam dicti Cometæ anni 1618. altitudinem ſeu diſtantiam à Terra, (quæ fuit 336. Semidiametrorum terræ,) ſuperaret eundem anni 1618. Cometam ſuâ diſtantiâ 31. vicibus cum aliquo reſiduo; ſeu foret novioris hujus Cometæ diſtantia ad illius diſtantiam, ut 31. (cum fragmento $\frac{67.}{168.}$) ad 1. Ex quo etiam calculo ſequetur longè major longitudo vera 60. graduum in Orbita, certô ſuo punctô quoad diſtantiam mediocri Saturni diſtantiæ reſpondente, quàm graduum 104. in Orbita quapiam, punctô quodam ſuo 336. Semidiametris terræ ab ipſa terra diſtante. At verò cum non tantùm 60. ſed & 70. imò aliquando 80. vel etiam 90. graduum fuerit longitudo caudæ *Cometa* anni 1680. (ut ſupra (*c*) dictum eſt;) inde ſequitur immenſo ferè intervallo hunc *Cometam* quoad veram caudæ longitudinem, priorem illum anni 1618. ſuperâſſe. [Addo limitationem de *vera longitudine:* nam *apparenti longitudine* caudæ, non ſolùm æqualem priorem illum poſteriori fuiſſe, ſed aliquando eô etiam majorem, ſuperiora monſtrant. Sed hoc nihil hactenùs dictis obſtat.] Quàm multum etiam magnitudine capitis noſter illum ſuperaverit, ex ſequentibus apparet. Sic enim de *Cometa* anni 1680. ſcribit paulò ante citatus R. P. Aſtronomus Tyrnavienſis: (*d*) *Quanta* (inquit) *fuerit ipſius magnitudo vera? Reſp. Quoad magnitudinem capitis ſtellæ, non fuiſſe minorem Saturno; qui juxta Tychonem & alios Aſtronomos* 22. (vicibus) *eſt major Terrâ.* At verò de Cometa anni 1618. ſcribit *Cyſatus* referente *Hevelio*, eum comparatè ad noſtrum tàm parvum fuiſſe, ut (*e*) *Terra globo minor fuerit nongenties quinquagies; Lunâ autem minor fuerit bis & vicies.* Ex his omnibus patet, habitâ ratione deſcriptionum, nullum hactenùs *Cometam* fuiſſe viſum, (uti *Cometæ* diſcribuntur ab obſervatoribus,) quem non magnitudine verâ & accuratâ (juxta requiſita ſcilicet Matheſeos conſideratâ) *Cometa* anni 1680. ſuperâſſet. Subjungo tamen hîc; quòd cum *Cometa* quoque anni 1618. fuerit valde celebris; eum etiam longè plura & majora portendiſſe, quàm proximè eundem ſecuta ſunt; ita ut genuina ejus quoque & plena ex principali ſupremi Gubernatoris ſcopo ſignificatio, temporibus illis apparere debeat, (uti & de aliis *Cometis*, præſertim ſtupendis, ſupra jam † diximus,) quando Chriſtus ipſe in ſuis excellentiſſimis *Sanctis* (modô ſupra explicatô) veniet ultimis temporibus, & per illos ſuum ac ſuæ Eccleſiæ Regnum feliciſſimô & florentiſſimo progreſsû

(*b*) *Vide de hac diſtantia proximè* Gaſſend. *Inſtitut. Aſtronom. Lib.* 3. *cap.* 15. (*c*) §. 6. *h. cap.* (*d*) *In citat. ſupra Calend. Tyrnav.* §. *ult. qu.* 5. *Vid. hac noviter an. D.* 1689. *Tyrnaviæ edit. pag.* 318. *Decad.* 1. (*e*) Hevel. *Cometograph. Lib.* 12. *pag.* 884. † §. 4. *ſub fin. h. cap.*

greſsû paſſim in Orbe terrarum dilatabit. Sed ad noſtrum *Cometam* iterùm revertor.

VIII. Quandoquidem ſupra quædam de noſtri *Cometa* ſignificatione jam diximus; age nunc lucis & roboris causâ in noſtrum ſcopum, audiamus quid etiam antehàc non ſemel citatus eruditus Aſtronomus ac ſimul Venerandus Theologus *Tyrnavienſis* de cœleſtium oſtentorum, ac ſignanter de noſtri etiam *Cometa* ſignificatione ſcribat. (*f*) *Cauſa* (inquit) *demùm finalis* (cœleſtium *oſtentorum* ſeu *portentorum*) *eſt, ut Deus iſtis ludicris ſpectaculis nos erudiat ad debellanda vitia, placandam iram Dei, & præparationem ad ſuſtinenda majori cum conformatione noſtra voluntatis cum divina, mala imminentia.* (*Jacula enim præviſa minùs feriunt.*) *Aliquando autem ad erigendos animos fidelium contra impiorum hoſtiles incurſiones, ſpemq; concipiendam in Dei auxilio.* Item, de quibuſdam Iridibus, nec non Solis Lunæque diverſis imaginibus in aëre viſis, ſic ſcribit: (*g*) *Sunt igitur hæc miracula, ſed Natura: poſſunt tamen etiam ſupra Naturam divinâ juſſione fieri, in MAXIMI MYSTERII TESTIMONIUM, ut in Nativitate Chriſti contigit; vel in MAGNI alicujus EVENTUS PRÆSAGIUM; quamvis naturaliter ſint ſolummodò copioſi humoris indicium.* Et de *Cometa* noſtro ſpecialiter hæc habet: (*h*) *Cometa ex ſe nec bonorum, nec malorum eventuum* (eſt) *cauſa.-- Quia tamen quandoq; Deus, etiam naturales effectus aſſumit in SIGNA & PRODIGIA futurorum Eventuum, maximè Cometas; credibile eſt & per hunc † præſentem, Deum voluiſſe INSIGNEM ALIQUEM EVENTUM præſignificare. Quis autem ſit ille, cum is dependeat à ſola libera voluntate Dei, divinare prudenter nemo poterit.* Quod ſic intellige: ſolâ nempe naturali ratione, id *nemo prudenter divinabit.* Attamen mente & ratione ex verbo Dei per Spiritum S. ad intelligendas prophetias illuſtratâ, aliquid etiam propiùs ad ſcopum poſſumus dicere de tali *eventu* ſecuturo: qui *eventus* nec magis *inſignis*, nec ſcopo ſignificationis tanti Cometæ ex verbo Dei eruendæ congruentior eſſe poteſt, quàm is quem jam in ſuperioribus paucis attigimus, usq; dum temporum decursû, (rebus ſecuturis monſtrantibus,) per cœleſtem gratiam pleniùs etiam de eodem dici poſſit.

IX. Ad celebritatem hujus *Cometa* ulteriùs illuſtrandam, non eſt ſilentio prætereundum, quòd cum Libri *Sibyllini*, modô ſanè & nexû, imitationeque textuum ſacrorum admirabili, (qua de re nunc diſſerere mihi non eſt otium,) multa & varia prædixerint, *Cometam* tamen terribilem, unicum

(*f*) *Calendar. Tyrnav. an. 1682.* de Simulacris viſis §. *II. Et in nova edit. Tyrnav.* Miſcellaneorum, *an. 1685. pag. 312.* (*g*) *Ibid.* §. *III. Et in Miſcell. Decad. 1. part. 1. pag. 318.* (*h*) *Ibid.* §. *ult. Qu. ult. In nova edition. Tyrnav. Miſcell. pag. 318. & 319. Decad. 1. Part. 1.* † *Scilicet anni 1680.*

unicum tantùm, eumque in *Occidentali* Cœli plaga oriturum, denunciârunt: quod certè authores (vel autrices) eorum, neque ex ſui temporis *Cometis* haurire, neque merè per accidens dicere poterant; ſed, (quicquid ſit nunc de privato ipſorum authorum (*i*) vel autricum lumine,) ſupremum Directorem ſuis in dictis habere debebant; ſine cujus intentione aliqua & ſcopo certo, tale quid pronunciare non valuerunt. Verba ſunt Libri Tertii Oraculor. *Sibyllinorum*:

(*k*) Ἐν δὲ δύσει ἀστὴρ λάμψει, ὃν ἐρέουσι κομήτην,
Ῥομφαίας, λιμοῦ, θανάτοιό τε σῆμα βροτοῖσιν.
H. e. *Sole ſub occiduo verò vocitata Cometa*
Stella, relucebit; gladii mortalibus index,
Et famis & mortis.

Ubi per *gladium*, (ut obiter indicem,) Scripturâ mihi de ultimis temporibus duce, non ſolùm corporalem, ſed maximè ſpiritualem ego *gladium*, ejuſque vim & incrementum contra hoſtes veritatis & S. Eccleſiæ futurum intelligo; & quidem in Eccleſia *Occidentali* inchoandum, indeque propagandum: eò quòd Sidus, de quo loquimur, tàm juxta hanc prædictionem, quàm juxta eventum *Occidentale* eſt ſeu fuit.

X. Memorabile & illud eſt, (licet in re parva oſtenſum,) quod ſcribit toties memoratus Reverendus P. Theologus & Aſtronomus *Tyrnavienſis*, (ex fida aliorum relatione olim acceptum) de expreſſa *Roma* in *ovo Gallinæ* imagine dicti *Cometa* anni 1680. aliquot diebus ante ejus exortum. Verba ejus ſunt: (*l*) *Roma* 4. *Decembris*, 1680. *Gallina ovum peperiſſe ſcribitur, in cujus ſuperiori cortice, figura hujus Cometa, cum adjunctis eidem Stellis, earumq́ ſitu, repræſentabatur.* Et aliquanto pòſt ſcribit de hoc portento: *Quæ ludit in humanis divina potentia rebus, ſæpè per minimos ſimiles inuſitatos effectus, MAGNOS ſolet præſignificare EVENTUS. Quòd enim* Romæ, *quòd in* Ovo Gallinaceo, *quòd* ſpeciem Cometæ *hæc impreſſio præ ſe tulerit, amplam dant hæ circumſtantiæ inquietis ingeniis conjecturandi materiam.* Hæc ille. Si Scripturæ S. lumen conſulamus, & dicta de noſtro jam *Cometa* benè penſitemus; hæc *figura Cometa* in *ovo Gallina* (ut refertur) expreſſa, non poteſt malum eſſe omen Eccleſiæ Dei ſanctæ, inprimis Matri Eccleſiarum in *Occidente*, in qua figura hæc Occidentalis Cometæ eſt viſa. Chriſtus enim Dominus (ut notum eſt,) comparatur in Evangelio (*m*) *Gallinæ pullos ſuos ſub alas congreganti*; quem locum ſupra (*n*) oc-

Eee casione

(*i*) *Vide de his ſupr. h. Claſſ. 2. Cap. 4. §. 21. p. 118.* (*k*) *Pag. 114. & 115. ed. Baſil. & edit. Amſtelod. pag. 397.* (*l*) *In Calendar. Tyrnav. an. 1682. De Cometis §. VI. & in Miſcellan. an. D. 1689. Tyrnav. edit. pag. 215.* (*m*) *Matt. 23. v. 37.* (*n*) *Sub Reg. 18. huj. 2da Claſſ. cap. 7. §. 21. ſub fin. pag. 226.*

caſione loci Job. 9. ℣. 9. pleniùs memoravimus. Unde, *Gallina* partus, Signi, Chriſtum ejuſque res ultimo tempore per Sanctos futuras ſignificantis imagine (cum ſtellis eidem adjunctis) notatus, valde probabiliter poteſt ſignificare primitias & quaſi præcurſores (ut ſic dicam) ſeminales in Eccleſia magnorum illorum ultimi temporis Sanctorum, in quibus Chriſtus Dominus ut Pacificus Princeps, & ſuos in unitatem fidei congregaturus Paſtor, ſuam expreſſerit ſimilitudinem, & in quibus plenè ſe ipſum efformaverit. Atque hinc, ipſi quoque tales præcurſores debent charitatis & initialis ſanctæ pacis Spiritû præditi eſſe: alioquî non poſſent eſſe ſeminale principium magnorum illorum Sanctorum. Imò per augmentum virtutum, poſſunt aliqui eorum in dies eò uſque proficere, ut qui priùs erant primitiæ, demùm fiant ipſa maturitas ſancta, & per conſequens pars magnorum illorum Sanctorum. Hæc de *Cometa* illo terribili, ut *columnam* quandam myſticam repræſentante, ac per hoc inter cœleſtia *ſigna* venturi *Filii hominis* literalia connumerandô. Ad ulteriora jam progrediamur.

XI. (2.) *Alterum* Signum *literale* cœleſte ſub prædictione appariturі *Signi Filii hominis* incluſum, poteſt eſſe *Iris* aliqua inuſitata & extraordinaria, etiamſi tempore pluvio fiat, dummodò formam inuſitatam, aut certè rariſſimè contingentem habeat, ob idque homines ſingulari ſtupore & admiratione percellat; maximè verò, ſi die claro & ſereno circa Solem ipſum, in forma circulari conſpiciatur; ſeu, ſi circulus aliquis, (Phyſicis *Halo*, *corona*, vel *area* dictus,) circa Solem modô inuſitatô exactè colores *iridis* referens appareat; qualis (*o*) fuiſſe videtur ex ipſa phraſi Scripturæ S. *iris* illa, (exceptâ fortè parte infimâ,) quæ bis etiam in viſione ſacra dicitur *in circuitu* Domini & *throni* ejus exſtitiſſe, ſcilicet, apud Ezechielem, cap. 1. ℣. 27. 28. & apud S. Joannem Apoc. 4. ℣. 3. (Cui non multum aut vix diſſimilis videtur fuiſſe etiam illa, de qua eſt mentio, Apoc. 10. ℣. 1.) De prioris generis *Iride*, ſcilicet ſemicirculari, quæ alias *arcus* dicitur, ſonare videtur illud apud *Sigibertum* Gemblacenſem, ad an. D. 673. (*p*) *Iris apparuit in Cœlo Menſe Martio, & tremuit omnis caro, ita ut omnes dicerent, quòd conſummatio eſſet.* (Ubi per *conſummationem*, finem Mundi, & judicium inſtans intelligit.) Quàm fuerit ſtupenda *Iris* illa, apparet ex *tremore* illo, qui tunc homines apprehenderat. Quid ſi adhuc longe magis ſtupenda, magiſq; terribilis dehinc fiat? Quod fieri poterit, tum ex forma inuſitata, tum ex plaga Cœli, tum ex tempore, ubi & quando continget. Eſt etiam ex rarioribus, & haud ſæpè uſitatis oſtentum illud *Iridis* geminæ, (ſcilicet ſemicircularis,) de quo hæc ſcribit ſuprà toties citatus R. Pater

(*o*) *Vid. Alcaſar. in Apoc. 4. v. 3. Not. 5. pag. 337. coll. pag. 328. Conſule etiam S. Hieron. Comm. in Ezech. 1. v. 28. ad verb.* per gyrum. (*p*) *Vide Chron. Sigibert. Obiit hic an. D. 1113.*

R. Pater Szent-Iványi: (*q*) *Durante eodem Cometâ*, (ſcilicet anni 1680. & 1681.) *Stokholmiæ in Suecia 7. Januarii,-- duæ Irides ſimul* [ſunt] *conſpectæ, quarum una alteri erat OBVERSA.* Si directè hæ ſibi invicem fuerunt *obverſæ*, & ejuſdem utraq; quantitatis, fuêre ſanè ex rarioribus, imò ex inuſitatis. Nam aliàs ordinariè, dum aliquandò duæ irides ſimul conſpiciuntur, uti una alteram, hoc eſt, exterior interiorem, (ſeu ſecundaria primariam,) quantitate (ut Phyſicis notum) ſuperat; ſic non etiam ſunt directè ſibi invicem obverſæ. At longè magis his adhuc ſtupendæ, & admiratione dignæ poſſunt fieri: quæ etſi *Naturæ miracula* eſſe videantur, ſicut jam recenſitæ; *poſſunt tamen etiam ſupra naturam Divinâ juſſione fieri,* (ut paulò ſupra (*r*) ex proximè memorato R. Authore audivimus,) *in maximi myſterii teſtimonium.*

XII. Quod verò attinet iridem circularem, ſeu *coronam* ad formam *iridis* circa *Solem* die claro & ſereno apparentem; quanquam etiam hujus generis *coronæ* diverſi coloris, quatenùs conſvetam & ordinariam ſuî formam non excedunt, (ordinariè enim † minùs vegetos habent colores, quàm *Iris* propriè dicta, ſeu arcuata, tempore pluvio apparens;) poſſunt ex Phyſicis principiis explicari, & de facto etiam explicantur; attamen poſſunt talem habere formam, ſcilicet ex vividiſſimis *Iridis* coloribus conſtantem, ut non facilè (hactenùs ſaltem) ex Phyſicorum principiis explicari queant; vel ſi aliquo modô queant, æquè ac *Iris* arcuata, (jam ab olim in ſignum fœderis Divini (*ſ*) cum *Noë* initi ab ipſo Deo data) poterunt certo tempore Divinâ juſſione fieri, ad brevî futuræ rei magnæ ſignificationem. Sic legimus apud *Svetonium*, quòd *Auguſto* Cæſare, (ante plenum ſuî imperium) anno circiter ante natum Chriſtum 43tio, (*s*) *poſt necem* Julii *Cæſaris, reverſo ab Apollonia, & ingrediente eo Urbem* Romam, *repentè liquidô ac puro ſerenô, circulus ad ſpeciem cæleſtis arcûs orbem Solis AMBIIT:* quod ſignum *Svetonius* ex *peritorum* ſuæ Sectæ ſententia, inter ea recenſet, *per* quæ *læta & magna* tunc *portendebantur*. Atque hinc eſt, quòd etiam *Lovanii* ante portam Bruxellenſem, in inauguratione Principum *Alberti* & *Iſabellæ* (an. D. 1599.) uni arcui triumphali, hæc (ex dicta narratione) fuerunt inſcripta: (*t*) *Octaviani in Urbem adventu, corona Iridis ſpecie circa Solem apparuit, nova potentia, nova pacis auſpicium. Hanc vobis o Principes noſtri, Senatus Populusq; Lovanienſis in ipſo ingreſſu dedicat,*

(*q*) *In Calend. Tyrn. an. 1682. ſub fin. Diſſert. de Cometis §. 3. & inde in Select. Miſcell. Decad. 1. part. 1. p. 312.* (*r*) *H. Cap. §. 8. p. 400. ex loc. proxim. citat.* † *Vide Honorat. Fabr. Phyſ. Tractat. 6. Lib. 4. Prop. 8. pag 444. edit. Lugd. an* 1670. (*ſ*) *Gen. 9. v. 12. 13.* (*s*) Sveton. *in Octav. Auguſt. §. 95. pag. (mihi) 94. Floruit* Svetonius, *circa an. D.* 110 (*t*) *Alcaſar ex Chronico Ducum Brabantiæ, Comm. in Apoc. 4. v. 3. Et Corn. à Lapid. Comm. in eund. loc. ex propria oculorum experientia.*

dedicat, nova potentia, nova pacis auſpicium. Hæc ibi. Sed non eſt mirum, quòd tempore Octav. *Auguſti*, quô imperante Mundi Salvator, *Sol juſtitiæ* natus eſt, tale ſignum circa *Solem* fuerit viſum. Sicut enim *Auguſti* latè patens, & multis victoriis inſigne imperium, longè majoris & excellentioris imperii (Chriſti nempe) fuit umbra; ſic *corona* quoque illa *iridis ſpecie Solem ambiens*, præter & ſupra potentiam *Auguſti* umbraticam, & evanidam *pacem* per eum Orbi Romano acquiſitam, longè majoris potentiæ, Chriſti nimirùm, & *pacis* æternæ, per eum electis dandæ fuit præſagium, ſi omninò ſignum ejuſmodi ſtupendum, *iridis* nempe ſpeciem, cœlô ſerenô exactè referens, ingrediente Urbem *Auguſtô*, Solem ambîerit. Nota hîc obiter; *Conſtantino* quoque Magno, proximè ante ſuî Chriſtianiſmum, (h. e. an. D. 312.) præter alia ſigna Domini, (de quibus infra † dicturi ſumus,) *coronam* quoque ſeu *circulum* quendam, (ſed ſine mentione colorum iridis) ſupra *Solem* horis pomeridianis apparuiſſe, ex *Euſebio* (u) eidem coævo novimus. Sed ad *Iridis* circularis ſeu *coronæ* ſupra deſcriptæ ſignum redeamus.

XIII. Hujuſmodi *Signum* circa *Solem* noſtris quoque temporibus jam conſpectum fuiſſe, vellem ut alii potiùs narrarent, & exemplis à ſe viſis id docerent, quàm ego ipſe hîc aliquid tale ex proprio experimento referrem. Rem tamen veriſſimam ſi hîc candidè referam, nemo ſanus propter id mihi ſuccenſere poterit. Scilicet, vidi jam ipſemet an. D. 1688. die 4. Febr. pauld poſt ortum Solis die claro & ſereno, Hyemeq; intensè rigente, juxta Oppidum *Rima-Szécs*, dum *Caſſoviâ* pro libris meis irem *Gyöngyöſinum*, teſte oculatô etiam Prædicante quodam nomine *Samuele Kálmáncſai*, mihi tunc in curru aſſidente, & aurigâ, (ſocius enim alius, ſcilicet *Stephanus Rozgonyi*, an viderit, eo quòd parumper tunc abfuerit à curru, ignoro,) vidi inquam, *Iridem circularem* ſeu *coronam* iridis ſpecie circa *Solem*, hunc tanquam centrum ſuum, ad rectas quaquaverſùm lineas ambientem, jucundiſſimi naturalis ſui coloris, (quanquam non tam craſſi, nec tam latè patentis, ut in *Iride* arcuata tempore pluvio ſolet fieri,) maximè ſupra Solem, & hinc inde ad latera ejus: in infima enim parte, exiguo in ſpacio, debilior minuſque apparens erat ejus ſpecies quàm alibi. In ſumma: tam vegetos habuit colores *Iridis*, inprimis viridem & rubicundum ſeu igneum, ut non niſi ex rariſſimè contingentibus quiſpiam Phyſicus, talem circa Solem *coronam* eſſe, monſtrare poſſit. Eodem Menſe, atq; in eodem itinere, vidi etiam ſequenti die, (h. e. 5. Febr.) in occidente, pauld ante occaſum Solis, *coronam* hujuſmodi *iridis* ſpecie circa ipſum Solem, ſed priori langvidiorem. Vidi etiam die 17. ejuſdem Menſis in reditu, ad ortum

† *§. 17. h. cap.* (u) *Vid. Euſeb. de Vita Conſtantin. Lib. 1. cap. 31. collat. cum cap. 28. & 29. juxt. edit. Valeſ.*

ortum ut priùs, circa Solem; (rigente etiam tunc adhuc hyeme, ſine ullis pluviis, vel nive recenter demiſſa;) quæ ſecundam quidem aliquantò ſuperabat, ſed priori longè debilior erat. Hæc vel ſaltem ideò hîc retuliſſe ad rem facit, ut alios quoque excitem, ut impoſterùm diligentiùs ſignum hujuſmodi, ſi fiat, obſervent & notent. Poſſunt enim ſucceſsû temporum longè majora, magisq; ſtupenda his circa *Solem* obſervari. Quàm autem congruum hoc ſit ſignum (utriuſque *Iridis*,) ad ſignificandas res Chriſti ut venturi Judicis futuras; colligere poſſumus tum ex Apoc. 4. ℣. 3. tum ex Ezech. 1. ℣. 28. jam (v) citatis, collatô etiam locô Gen. 9. ℣. 12. 13. 14. Præterea, cum omnes *terrores* cœleſtes, uti ſunt, fulgura, fulmina & tonitrua, aliaque, augeri debeant his ultimis temporibus appropinquante Mundi Judice; (ut inferre poſſumus, ex largo ſenſu Luc. 21. ℣. 11. ex verbis illis: *terroresq; de * Cœlo*, &c.) hinc dubium eſſe nequit, quin etiam ſignum *Iridis* (utrinſque) hactenus deſcriptum, & in Scriptura quoque ſacra pro ſigno (ſeu re ſignificante) memoratum, in forma aliqua ſtupenda debeat his ultimis temporibus conſpici.

XIV. Signum autem hujuſmodi *Iridis* ſtupendæ & extraordinariæ, tàm arcuatæ, quàm circularis, (1.) primariò quidem & potiſſimùm *pacem* Dei internam & externam, poſt multas hujus Mundi tribulationes in populum Dei ſanctum ſecuturam, in eoque perrennaturam denunciat & denunciabit: argumento illuſtrante hîc ſumptô, ab ordinaria (x) *Iride* in ſignum Divini fœderis conſtituta. Hinc S. *Hieronymus* occaſione explicati *arcûs* ſeu iridis Ezechielis ſcribit: (y) *Hic arcus ſignum eſt clementiæ & teſtamenti Dei, quod fecit cum hominibus.* Et paulò poſt: *Ex quo oſtenditur, poſt pœnas atq; ſupplicia, & purgationem peccatorum, futuram miſericordi- ,,am, duntaxat in his, qui Deum meruerint videre regnantem.* Hoc nempe ,,innuit; quòd ſicut olim Chriſtum Deum regnaturum vidit *Ezechiel* in ty- ,,po, ſic electi ultimis temporibus poſt exantlatas multas ſuî tribulationes, ,,per quas à peccatis ſuis purgandi ſunt, videbunt eum re ipsâ pacatè & ,,gloriosè in S. Eccleſia regnantem; & quòd ad hos ſolos (ut hæredes Re- ,,gni æterni) ſpectat miſericordia & pax Divina, quæ per *iridem* ſignificatur. Huc facit etiam illud quorundam apud *Cornelium* à Lapide: (z) *Iris eſt Dei miſericordia, quæ undiq; thronum Dei circumdat.* Item: *Iris verſicolor recreat, & imbrem copioſum ac varium in terram depluit; idem facit Dei miſericordia.* Sed maximè iſtud ejuſdem noſtrum illuſtrat ſcopum: (a) *Geſtat iridem*, Angelus nempe; (Apoc. 10. ℣. 1) *quia invitat homines ad PACEM & RECONCILIATIONEM cum Deo, ſi mores corrigere, & vitam emendare velint.* Loquitur autem in his de ultimo tempore, ut

(v) §. 11. h. cap. * *Confer hic Joël 2. v. 30.* (x) *Gen. 9. v. 12. 13. 14.* (y) *Comm. in Ezech. 1. ſub fin.* (z) *Comm. in Apoc. 4. v. 3.* (a) *Cornel. à Lap. Comm. in Apoc. 10. v. 1.*

(præter ipſum textûs ſcopum) diſertè hæc ejus verba nunc citatis immediatè præmiſſa docent: *Nubes* (quâ *Angelus* amictus erat,) *ſignificat ignorantiam, caliginem & perplexitatem, quâ involvuntur homines IN FINE MUNDI.* (2.) Secundariò autem & ex parte, *Iris* de qua loquimur, igneo ſuo colore *iram* quoque Dei ut Judicis juſtiſſimi in hoſtes S. Eccleſiæ effundendam, ſignificat vel ſignificabit. Hanc *Iridis* ſignificationem inſinuat implicitè *Alcaſar* verbis illis: (*b*) *Ut Philoſophi aſſerunt, Iris TEMPESTATEM interdum, interdùm tranquillitatem prænunciat.* Quod ad ſcopum ſpiritualiter applicando, dicimus, quòd etiam *Iris* aliqua ſtupenda in myſterio, piis quidem & electis *tranquillitatem*, (ut jam dictum,) at verò impiis horrendam *ira* Dei & juſti judicii *tempeſtatem* prænunciat. Hoc eruere poſſumus etiam ex S. *Hieronymi* verbis ſupra † allatis: qui non niſi iis, qui à *peccatis purgantur*, atque ſic purgati *Deum viſuri* ſunt *regnantem*, interpretatur *iridem* ſignificare Dei *miſericordiam.* Unde ex adverſo ſequitur, quod *Iris* igneô ſuo colore, in peccato obſtinatis, non aliud niſi horrendam Dei *iram* denunciat. Sed & hoc, quod Cornelius à *Lapide*, de *igneis pedibus* Angeli *iridem in capite* geſtantis eruditè exponit, æquè igneo *iridis* colori, quoad impios adaptari poteſt. Verba ejus ſunt, paulò antè de *Iridis* myſterio ex ipſo allatis, immediatè apud ipſum ſubjuncta: (*c*) *Sin autem*, (hoc eſt, *ſi mores corrigere, & vitam emendare nolint,*) *rugit ut Leo, oſtenditq; pedes columnares & IGNEOS, id eſt, iram & furorem.*

XV. (3.) Specialiùs *Iris* circularis, ſeu *corona iridis ſpecie* Solem ambiens, præter haſtenùs dicta convenienter ſignificat & ſignificabit chorum & coronam Sanctorum ultimi temporis, qui Chriſtum, ut *Solem juſtitiæ*, in variarum virtutum ceu totidem eximiorum colorum ornatu (inprimis in Spiritu ſanctæ pacis & charitatis in invicem, in commune bonum totius Eccleſiæ,) cincturi, eique firmiter adhæſuri ſunt. Atque hi, ut amore in Deum & proximum, ſic zelo quoque ſancto (quaſi igneo ornatû) veritatis & juſtitiæ promovendæ, (abſque ulla virulenta inanium litigiorum & contentionum reciprocatione) contra hoſtes S. Eccleſiæ & filios iniquitatis perſeveranter ardebunt: nec alium ſibi in hoc zelo ad imitandum proponent, quàm Chriſtum Dominum, (vel in ſua perſona, vel in antiquis ſuis ſanctis conſideratum,) quem videlicet in devotione fidei & cultu aſſiduo circumſtipabunt, & in quem oculos fidei ſuæ ut in ſuum centrum, in veritate & ſinceritate (ceu per rectiſſimas lineas) defigent. Hæc de *Iridis* Signo ſatis.

XVI. *Tertium* Signum *literale*, quod pro *Signo Filii hominis* appariturum expectare poſſumus, imò quod jam quoque ex parte aliqua fuit viſum,

(*b*) *Comm. in Apoc.* 4. v. 3. † *Hoc paragr.* (*c*) *Cornel. à Lap. Comm. in Apoc.* 10. v. 1.

viſum, congruenter ſtatui poteſt juxta multorum SS. Patrum & ſubſecutorum Doctorum ſententiam, ipſum *Signum* ſeu figura *Crucis* Domini. Ut ita ſentiamus, movere nos poteſt, *primò*, tam conſtans multorum S. Eccleſiæ Catholicæ Doctorum ea de re in hunc uſque diem conſenſus; maximè Venerandæ antiquitatis apud aliquot SS. Patres (*d*) ſententia, (unde depromptum eſt illud quoque in Officio Eccleſiaſtico: (*e*) *Hoc Signum Crucis erit in Cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit*, quanquam non ſine ſensû etiam myſtico,) in magnam hîc debet ſumi conſiderationem, præſertim cum nulla ratio obſtet, quô minùs literale *Signum Crucis* in Cœlo oculis corporeis conſpiciendum exhibeatur: ut ſtatim patebit. *Deinde* conſiderare debemus ipſa etiam exempla hujuſmodi *Signorum Crucis*, jam hactenùs viſorum: de quibus (ut jam aliquid inſinuavimus) ſtatim in ſequentibus dicemus. Uſus autem, ſeu ſignificatio quoque hujuſmodi *Signi* literalis, infra ſuo loco patebit. Nunc de exemplis dicamus.

XVII. Sic, notum eſt ex fida relatione *Euſebii* (*f*) & (aliorum poſt eum) accepta ex ore *Conſtantini* M. ac communiter in Orbe Chriſtiano recepta, eidem *Conſtantino* M. paulò ante-quàm Chriſto nomen dediſſet, & Maxentium viciſſet, an. D. 312. hujuſmodi † *Signum crucis ex luce conflatum*, in forma magnæ *haſtæ tranſverſam habentis antennam inſtar crucis*, unà cum circulo ſeu *corona in ſummitate haſtæ*, (h. e. longioris ac erectæ partis crucis) *duas* Græcas *literas nominis Chriſti initiales*, ſcil. X & P, poſteriori *in medio ſuî decuſſatâ*, hoc modo: ☧, (ad *deſignandum* ipſum nomen Chriſti) intra ſe continente, cumque addita (ſupernè vel in ambitu circuli) inſcriptione: * τύτῳ νίκα, *Hôc* (ſeu *in hoc*) *vince*, *horis pomeridianis Soli ſuperpoſitum*, in ſtuporem ſuî & ſuorum comitum militum apparuiſſe. Formam hujus *Signi* talem fuiſſe, qualem hîc breviter poſui, ipſa *Euſebii* narratio, inprimis juxta textum Græcum ritè expenſa docet. An autem ipſius quoque *veli* quadrati (ſeu vexilli) de *antenna per haſtam trajecta* in ipſo Signo militari Conſtantini *dependentis* ſpecies, unà cum recenſitis ſignis, à *Conſtantino* viſa in Cœlo fuerit; id valdè probabiliter ex prædicta narratione colligitur; (exceptis ſolummodò *imaginibus Imperatoris & liberorum ejus*, aliiſque ornamentis, juſsû Imperatoris, ut videtur, in velo militari adjectis;) apertè enim narrat Euſebius, (*g*) quòd ad *imitationem*

(*d*) *Vid. S. Hippol. Mart. de Conſummat. Mundi. Item, S. Chryſoſt. Homil. 77. in Matt. ſcilicet cap. 24. v. 30. Et ex parte, S. Hieron. Comm. in eund. loc.* (*e*) *Vide Breviar. Rom. ad diem 3. Maji, & 14. Sept.* (*f*) *Euſeb. de Vit. Conſtantin. Lib. 1. cap. 28. 29. 30. & 31. juxt. edit. Gr. & Lat. Vales. Confer Socrat. Hiſt. Ecc. Lib. 1. cap. 2. & Sozom. Lib. 1. cap. 3.* † *Gr.* ςαυρῦ τρόπαιον ἐκ Φωτὸς συνιςάμενον. * *Socrates habet:* ἐν τύτῳ νίκα. In hoc vince, *Sozomenus utroq; modo.* (*g*) *Cit. Lib. 1. de Vit. Conſt. cap. 29. & 31.*

Digitized by Google

ſionem cœleſtis viſi, Signum militare *Conſtantini* fuerit efformatum. Et ut totum hoc *tropæum* ſeu Signum erat *ex luce conflatum*, & per hoc, lucidum & candidum inſtar nubis candidæ, ac ut probabile eſt, etiam fulgidum; ſic ipſa quoque *veli* ſpecies, ejuſdem coloris ſeu fulgoris eſſe debuit in viſione, non obſtante, quòd etiam rubor igneus fortè paſſim in ea intermicuerit.

XVIII. Alterum *Signum Crucis* memorabile, quod circa an. D. 353. temporibus *Conſtantii* Imperatoris, Hieroſolymis ſupra Calvariam & montem Oliveti apparuiſſe narratur apud veteres, ſic deſcribitur in Epiſtola *Cyrilli* Hieroſolymitani ad Conſtantium Imp. data: (*b*) *Tempore tuo Domine,-- non jam amplius de terra, ſed de Cœlis ſunt prodigia: quoniam Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti unigeniti Filii Dei, mortis devicta trophæum, beata (inquam) Crux, ſplendoribus luminis coruſcans, Hieroſolymis apparuit. Sanctis enim hiſce diebus ſancta Pentecoſtes, circiter horam tertiam, omnium MAXIMA CRUX ex lumine conſtituta in Cœlo, ſuper ſanctiſſimum montem Golgotham extenſa apparuit; non uni aut alteri tantùm viſa, ſed univerſæ Civitatis multitudini oſtenſa; neque, ut aliquis fortè putaverit, celeriter ſecundùm phantaſma percurrens, ſed compluribus horis ſuper terram apertè conſpecta, coruſcis ſplendoribus radios ſuperans ſolares. Nam ſi ab illis ſuperaretur, certè obfuſcaretur & lateret. Adeò excellentiores quàm Sol emittebat fulgores, ut illicò univerſa Civitatis multitudo ad S. Eccleſiam concurreret, metû illius Divini prodigii non ſine lætitia, concitata*: Et mox addit: *Vicinorum hoſpitum Chriſtianorum, & aliunde advenientium Ethnicorum ingens erat ſpectaculum: qui tum concordi & uno ore omnes Jeſum Chr. Dom. noſtrum, Filium Dei unigenitum ejuſmodi mirabilium effectorem laudabant.* Hæc ibi. *Sozomenus* de hujus magnitudine ſic ſcribit: (*i*) *Longitudine à Calvaria loco ad montem Olivarum, id eſt, circiter quindecim ſtadia, totum cœlum, quod tractum illum ſupereminet, complectens: latitudo verò reſpondebat longitudini.* Et in fine narrationis ſuæ ſubjicit: *Et hoc quidem ſignum, plurimos Gentiles ac Judæos ad Chriſtianam religionem pertraxit.*

XIX. Exemplum tertium hujuſmodi *Signi Crucis* in Cœlo viſi, quod hîc memorandum duxi, eſt illud, quod habetur apud *Cantipratanum*, (*k*) & ex eo apud Theophilum *Raynaudum*, Soc. Jes. Theologum, his verbis dicti Cantipratani: *Ego fidelium noviſſimus, antequam piiſſimus Ludovicus Francorum Rex, anno ab incarnatione Domini* 1246. *crucem tranſmarinam*

(*b*) *Vide hanc Epiſt. in Bibl. SS. Patr. Tom.* 2. *edit. Paris. an.* 1589. *col.* 207. & 208. & *Confer Socr. Hiſt. Eccl. Lib.* 2. *cap.* 28. & *Sozom. Hiſt. Lib.* 4. *cap.* 5. *juxt. edit. Vales.* (*i*) *Loc. cit.* (*k*) *Lib.* 2. *Apum, cap.* 2. *n.* 9. *quem citat* Raynaud. *Oper. Tom.* 2. (*de Chriſto Judice,*) *pag.* 228. *edit. Lugd.* 1665.

marinam ſuſciperet, *CRUCEM in Cælo, ex clariſſimo & ſydereo lumine vidi: nec recolo me decentiùs & operoſiùs formatam crucem unquam ſub aliqua materia vel figura vidiſſe. Octonos habere cubitos crucem ipſam in longitudine mihi planiſſimè viſum eſt. Serenum cœlum erat valde, & ſine aliqua nube in aliqua parte ſui, ſub noſtro horizonte.* Hæc ibi. Proximè antè deſcriptum iſtô longè majus erat.

XX. Hæc exempla ſvadent, ne quis tanquam abſurdum vel ſuperſtitioſum putet, tenere hoc, quòd expectari adhuc poteſt hujuſmodi Signum *Crucis* etiam dehinc in Cœlo appariturum, ad ſignificanda nempe myſteria paſſionis Domini in ejus *adventu* pleniſſimè aperienda. Nec illa ſanè Signa *crucis*, quæ hactenùs in Cœlo apparuerunt, ſunt fruſtranea; ſed quatenùs nondum patet plena eorum ſignificatio, patebit demùm pleniſſimè ipsô *Signo* reali & ſpirituali apparente; de quo infra † ſuo loco.

XXI. Addit mihi motivum & hoc, pro literali Signo *Crucis* apparituro, quòd cum legam Moſi (*m*) olim, omnium quæ pro Tabernaculo typico, ejusq; partibus & contentis facienda erant, ideas in Monte apud Deum monſtratas fuiſſe; non poſſum non inde mihi perſvadere, etiam figuræ *Crucis* ideam, ſapientiæ Dei congruam, in Cœleſtibus exſtare; utpote quam tantus Mundi Rex & Redemptor, ad ſuſtinendum pro nobis ſupplicium elegerit. Atq; hoc ſensû explicandum cenſeo illud in Libris Chriſtianorum *Sibyllinis*, primam & antiquiſſimam (circ. an. D. † 138.) de futura *Crucis* apparitione, mentionem facientibus:

(*n*) Ω ξύλον, ὦ μακαριστὸν, ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξεπετάσθη.
Οὐχ ἕξει σε χθὼν, ἀλλ' ὐρανὸν οἶκον ἐσόψει,
Ἡνίκα ἀστράψῃ τὸ νέον Θεῦ ἔμπυρον ὄμμα.

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit!
Non te terra capit, ſed cœli tecta videbis;
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

„*Lignum* ſcilicet, pro idea *Crucis* hîc accipiendum. Quaſi diceret: parvum „hoc eſt in ſe, quod in terris memorabilis eſt tua forma ob Dominum in te „crucifixum; ſed reſervatur idea tuî, ultimo tempore, in Cœlis conſpectui „hominum oſtendenda. Fateor quidem, quòd verba dictorum verſuum, videntur primâ fronte id ſonare, quaſi *Lignum* Dominicæ *Crucis* ex omnibus ſuis particulis, pulveribusq; diſperſis, demùm in nova Domini apparitione in unum recolligeretur, ac in totum reſtitueretur, & (ſi liceat ſic

Fff loqui,)

† §. 24. & *ſequ. h. cap.* (*m*) *Exod. 25. v. 40. Heb. 8. v. 5. collat. Act. 7. v. 44.* † *Dum hanc annum(ſcil. 138.) pono, innuo, quod aliàs monui, Libros* Sibyllinos, *qui hodie exſtant, à quibuſdam Chriſtianis eſſe conſcriptos.* (*n*) *Sibyll. Lib. 7, pag. 208. & 209, edit. Baſil. & edit. Amſtel. pag. 652.*

loqui,) quaſi reſurgeret, ſicque cum Sanctis Cœli ſedes viſurum eſſet. *At verò*, quia in his verſibus, (utpote à Chriſtiana (*o*) mente manuque aliqua profectis,) non id quod homo ſenſerit, ſed quod Divinus Spiritus (generalis ſaltem in his Director,) ignorante etiam homine intenderit, ſpectandum eſt; ideò datam priùs illuſtrationem, quantùm ad *literalem* ſenſum S. *Crucis*, ſententiæ illi, quæ primâ fronte ex memoratis verſibus erui poſſe videtur, præferendam cenſeo: non tamen per hoc negare volo, quin Deus ſapientiſſimus & potentiſſimus, in futura renovatione Mundi, dictæ quoq; S. *Crucis* Dominicæ particulas, poſſit & velit mutare junctim in rem aliquam pretioſiſſimam, in admirandis rerum cœleſtium theſauris in æternum manſuram, quam nempe humana mens nequaquam ex ſe, vel minimâ cogitatione attingere queat. Sed & hîc in verſibus allatis, ſub literali ſenſu, ſeu ſub Signo *Crucis* oculis corporeis viſibili, idem *myſticus* & *ſpiritualis* latet ſenſus, qui ſub aliis Signis *Crucis* in Cœlo oculis corporeis viſis vel videndis: ſive potiùs, qui ſub ipſo textu S. Matthæi, de *Signo Filii hominis* apparituro, ſonante. Quis verò ſit ſenſus ille *ſpiritualis*, quantum cœleſtis gratia tenuitati ſcribentis favebit, in ſequentibus jam dicetur.

Signi Crucis *ſignificatio in genere*; & *ſpecialiùs* Signum Filii hominis *Spirituale*.

XXII. Nunc de ſenſu ſpirituali *Signi Crucis*, quà huc ſpectat, in genere primùm; ac deinde ſpecialiùs etiam de myſterio *Signi Filii hominis* ut in Evangelio nominatur, ſeu, (quod idem eſt,) de *Spirituali* ac principali *Signo* ejuſdem *Filii hominis*, in *Cœlo* myſtico & ſpirituali apparituro, in quod nempe omnia *literalia* Signa hactenùs recenſita, ut principalem & ultimum ſuum ſcopum tendunt, Deo ex altis noſtræ infirmitati ſuccurrente, aliquid dicamus.

XXIII. *Signum Crucis* oculis viſibile, in genere (præter utilitatem convincendi & confundendi Judæos, & alios quoslibet, Chriſtum ac ejus paſſionem rejicientes) ſignificat & ſignificabit atque denunciabit *primariò* horrendas calamitates & tribulationes hominibus ſuperventuras; electis quidem caſtigatorias, probatorias, & emendatorias, ad tempus in iis duraturas, uſque dum à peccatis mundati, pleniore Dei favore fruantur; impiis verò & impœnitentibus planè fatales & exterminatorias ab irato Judice juſtiſſimo infligendas. *Crux* enim quà talis, in ſe & ſuâ natura, calamitates ſignificat in Scriptura, extra literalem ſenſum poſita. Hinc illud requiſitum Domini ab omni ſuî ſequace, ut (*p*) *accipiat*, vel *tollat crucem ſuam.* Tantò autem evidentiùs *Signum Crucis* in aëre ſeu in Cœlo conſpiciendum,

(*o*) *Vid. Vales. in Not. ad Orat. Conſtantin. pag.* 592. *ſupra jam à nobis citatum, ſub Reg.* 7. *b.* 2*da Claſſ. c.* 4. §. 21. *in marg. p.* 112. (*p*) *Matth.* 10. *v.* 38. & 16, *v.* 24, & *Marc*, 8. *v.* 34. & *Luc.* 9. *v*, 23. & 14, *v*, 27.

ciendum, tribulationes, præſertim impiorum extremas & æternas, ſignificabit, ſi *Crux* aliqua valdè ignei vel obſcuri coloris appareat: quanquam non poteſt eſſe tam fulgida, quin *Crux*, quà talis, hominibus futura ſit terrifica. Nihilominùs electis *ſecundariò* & ultimatè *Crux* ipſa (ſuî præſertim fulgore) ex virtute paſſionis Chriſti in *Cruce* exantlatæ, uberiorem lucem cœleſtem, pacemque Divinam cum omnibus bonis meritô obedientiæ Chriſti partis, deſignabit & prænunciabit. Ipſorum enim fletus & tribulationes demùm vertentur in gaudium & felicitatem ſempiternam. Hæc de ſignificatione Signi *Crucis* literalis in genere.

XXIV. Specialiùs jam de *ſpirituali* & principali *Signo Filii hominis* acturi, dicimus; ipſum hoc *Signum* non aliunde meliùs & certiùs ſciri poſſe, quid ſit, quàm ex ipſis Scripturæ S. locis in præſentem ſcopum parallelis & conſonis. *Signum* enim *Filii hominis* idem eſt, quod *Signum* Meſſiæ ſeu Salvatoris jam olim in Vet. Teſt. prænunciatum. Vel, ut clariùs dicam; idem eſt *Signum Filii hominis* apud Evangeliſtam, quod ipſe Dominus Salvator per os Iſaiæ *Signum* ſuum dicit, his verbis: (q) *Et ad populos exaltabo SIGNUM MEUM.* Ubi in Hebræo eſt, נסי (*Niſſi,*) h. e. *vexillum meum*: re ipsâ tamen idem cum *Signo* caſtrorum Dei. Græcè habetur illic: *σύσσημόν μου*, h. e. *commune Signum meum.* Sed ſubinde etiam in *Græco*, Hebraicum נס (Nes,) h. e. *vexillum*, vertitur (r) *σημεῖον*, h. e. *Signum*, voce eâdem, quâ apud Matthæum (cap. 24. ℣. 30.) *Signum Filii hominis*, (*τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου*) Græcè exprimitur. Ipſum autem Dominum, ut Salvatorem & Redemptorem noſtrum (ac per conſequens, ut Mediatorem) loqui apud Iſaiam in citatis ex cap. 49. verbis, apparet ibidem ex antecedentibus. Ubi in eodem contextu & ſerie verborum, is ipſe, qui ℣. 22. promittit ſe *exaltaturum ad populos Signum* ſuum, diſertè ibidem ℣. 7. ſic loquitur: *Hæc dicit Dominus, REDEMPTOR Iſraël, Sanctus ejus.* Ejus, ſcilicet *Iſraël.* Sic enim, (nempe, *Sanctus Iſraël*) (ſ) intitulatur ſæpè *Redemptor* noſter apud Iſaiam: qui titulus etiam in (ſ) Pſalmis, item, apud (t) Jeremiam quoque & (u) Ezechielem reperitur. Uterque ergo titulus (*Redemptoris*, & *Sancti Iſraëlis,*) oſtendit quis illic ſpecialiter loquatur. Alibi idem ipſe Dominus, dicitur *ſtare in Signum populorum.* Iſa. 11. ℣. 10. *In die illa, Radix Jeſſe, qui ſtat in SIGNUM populorum.* Et ibidem ſequente ℣. 12: *Et levabit SIGNUM in nationes, & congregabit profugos Iſraël*, &c. Quòd autem hoc, quoad plenitudinem

 implemen-

(q) *Iſa. 49. v. 22.* † *Ita etiam Iſa. 5. v. 26. & 62. v. 10. in Græc.* (r) *Sic Iſa. 11. v. 12. & 13. v. 2. & 18. v. 3. (collat. 30. v. 17.) & Jerem. 51. v. 12. 27.* (ſ) *Iſa. 1. v. 4. & 5. v. 19. & 12. v. 6. & 17. v. 7. & 30. v. 11. 12. & 31. v. 1. & 37. v. 23. & 41. v. 14. 16. & 43. v. 3. 14. & 47. v. 4. & 48. v. 17. &c.* (ſ) *Pſal. 70. (al. 71.) v. 22. & 77. (al. 78.) v. 41. & 88. (al. 89.) v. 19.* (t) *Jerem. 50. v. 29. & 51. v. 5.* (u) *Ezech. 39. v. 7. Ita quoad ſenſum ex Hebr.*

implementi, ad ultimum tempus pertineat, patet ibidem ex ℣. 11. *Adjiciet Dominus SECUNDO manum ſuam*, &c. Quo de loco jam & alibi ſupra (v) diximus, & docuimus, quòd potiſſimùm de ultimo tempore ſonet. Certè etiam verba illa, in fine verſûs 12mi, *Et diſperſos Juda colliget à quatuor plagis terræ*, id ipſum docent. Huc ſpectat etiam locus de *Signo*, Iſa. 13. ℣. 2. *Super montem caligin. levate SIGNUM.* Et Iſa. 18. ℣. 3. (al. ℣. 6.) *Cum elevatum fuerit SIGNUM in montibus, videbitis, & clangorem tubæ* (myſticæ) *audietis.* Confer Iſa. 31. ℣. 9. juxta text. Hebr. *Et conſternabuntur à SIGNO Principes ejus.* Item, Iſa. 62. ℣. 10. *Elevate SIGNUM ad populos.* Adde his lucis cauſâ, Jerem. 4. ℣. 6. & 50. ℣. 2. & 51. ℣. 12. 27. Huc facit etiam locus ille in Pſalm. 60. juxt. Hebr. (al. 59.) ℣. 6. *Dediſti metuentibus te SIGNUM* (ſeu *vexillum*,) *ad elevandum*, ſeu, *ad vexillandum.* &c. In omnibus his locis in Hebræo habetur נס, [*Nes*,] h. e. *Vexillum*, ſeu *Signum militare*, vel etiam *prodigioſum*. Iſaiæ autem cap. 66. ℣. 19. [*Et ponam in eis SIGNUM*,] in Hebræo habetur אות (*Oth*,) quod propriè & tantummodò **Signum* ſignificat, ſive ſimplex, ſive prodigioſum. Sed & locus ille, valde inſervit ſcopo noſtro, in exponendo *Signo Filii hominis*. Cui jungatur illud Ezechielis, cap. 9. ℣. 4. *Signa thau ſuper frontes virorum gementium*, &c. Et iſtud Apoc. 7. ℣. 2. *Et vidi alterum Angelum -- habentem SIGNUM Dei vivi.* Et ibid. ℣. 3. 4. *Nolite nocere terræ, & mari, neq; arboribus, quoadusq; ſignemus Servos Dei*, &c. *Et audivi numerum SIGNATORUM.* &c. collat. Apoc. 9. ℣. 4. & 14. ℣. 1. Ex his locis in dies clariùs & pleniùs intellectis, non poteſt fieri, quin etiam Spirituale *Signum Filii hominis* apud S. Matthæum rectè intelligamus.

XXV. Nunc, quantùm per cœleſte ſubſidium datur intelligi, videamus quid eſt *Signum* noſtri Redemptoris apud Iſaiam locô primùm citatô; & quid etiam *levatio* ſeu *exaltatio Signi* apud eundem; quid item, *poſitio Signi*, in iis, qui *venient & videbunt gloriam* Domini? (juxta Iſa. 66. ℣. 18. 19.) Ad primum ſic reſpondet S. *Hieronymus* in ſuo Commentario: (x) *Nec ſolùm manum ſuam levabit ad Gentes, ſed & Signum ſuum exaltabit in populis: haud dubium, quin VEXILLUM CRUCIS: ut im„pleatur illud quod ſcriptum eſt: (y) Laudibus ejus plena eſt terra: Et „iterùm: (z) In omni terra admirabile nomen ejus. Tunc afferent in ulnis, ſive in ſinu filios Sion, & filias ejus portabunt in humeris.* Hæc ille. Ne putemus terminandum hîc nobis animum eſſe ſolummodò in externo & oculis viſibili *vexillo Crucis*: hoc enim nunc planè quærimus & inveſtigamus.

(v) *Sub. Reg. 8. b. Claſſ. cap. 5. §. 1. p. 150. & 151.* * *Confer hic lucis causâ Iſa. 7. v. 14. col. 1. & 8. v. 18. & Luc. 2. v. 34. col. ult.* (x) *Comm. in Iſa. 49. v. 22.* (y) *Hab. 3. v. 3. col. 2.* (z) *Pſalm. 8. v. 2. & 10.*

mus; quid illud externum & viſibile *Signum* ſignificet: ob idque ad ſublimius, ad illud nempe, quod externum *Signum* deſignat, debemus animum noſtrum erigere. Ex admirabili enim re hîc per *Signum* ſignificata fit illud, quod hîc pro concomitanti ſequela *Signi exaltandi* ſubjungit S. Hieronymus, ſcilicet, ut *laudibus Domini ſit plena terra*, (qui locus ex principali ſcopo Spiritûs S. ad ultimum tempus ſpectat,) & ut *in omni terra admirabile* fiat *nomen ejus*. Ergo, per hoc Domini *Signum*, (ſeu *vexillum Crucis*, ut S. Hieronymus loquitur,) intelligitur apud Iſaiam ipſa Domini *paſſio* victorioſa, (in *Cruce* nempe conſummata,) in Sanctorum ultimi temporis variis ac variis tribulationibus exprimenda & repræſentanda. Eorum nempe paſſiones & *cruces* Chriſtus Dominus pro ſuis habet, ſuasq; vocat, juxta illud: (*a*) *Saule, Saule, quid me perſequeris?* (dum nempe ille Chriſti *diſcipulos* perſequeretur.) Item: (*b*) *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt PASSIONUM CHRISTI, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Unde non mirum, quòd alibi, idem *Signum*, ipſe Chriſtus (ſub titulo *Radicis Jeſſe*) eſſe dicitur, verbis ſupra (ex Iſa. 11. ℣. 10.) allatis: *Radix Jeſſe, qui ſtat in SIGNUM populorum.* Quia nempe ipſe habitat in ſuis Sanctis, & habitabit longè pleniori in gradu, in ultimi temporis Sanctis, de quibus nunc loquimur.

XXVI. Ipſe ergò Chriſtus Dominus ſtabit in illis *in Signum populorum*, ipſeque vincet per potentes eorum paſſiones; ut ex fortiſſimis & glorioſis eorum paſſionibus, uti ex certiſſimo *Signo* noſcant alii electi, Chriſtum Dominum ſingulari quodam modo adeſſe & operari in Sanctis illis eximiis. Quàm autem quadret in noſtrum ſcopum, locus *Iſaiæ* (cap. 11. ℣. 10.) proximè memoratus, patet etiam ex ſequenti in locum illum S. *Hieronymi* expoſitione: (*c*) *In tempore illo, quando Chriſti in toto Mundo Evangelium coruſcârit, & repleta fuerit omnis terra ſcientiâ Domini, ſicut aqua maris terram operientes, erit radix Jeſſe, & qui de ejus ſtirpe conſcendet, in SI-„GNUM omnium populorum; ut videant etiam populi (d) SIGNUM FILII „HOMINIS in Cœlo: qui (e) habet cornua in manibus, in quibus abſconditur fortitudo ejus, ut † exaltatus omnia trahat ad ſe.* Hæc ille: cujus in verbis ultimis, ſub figura literalis *exaltationis* Chriſti Domini in cruce, magnorum ultimi temporis Sanctorum *exaltatio*, per cruces & tribulationes victorioſas futura intelligitur: qui dum in Eccleſia honore & laborum ſuorum fructû jucundo exaltabuntur, ipſe Chriſtus cenſebitur in illis exaltari & celebrari. Ipſa enim anteriora verba S. *Hieronymi* hîc allata, (de tam largo *Evangelii* in *mundo* progreſſu,) perſpicuè docent, non eſſe hîc literalem

(*a*) *Act.* 9. *v.* 4. (*b*) *Col.* 1. *v.* 24. (*c*) *Comm. in Iſa.* 11. *v.* 10. (*d*) *Matt.* 24. *v.* 30. (*e*) *Habac.* 3. *v.* 4. *Ubi de* cornibus *S. Hieronymus ſcribit*: Moris eſt Scripturarum, ut ſemper *cornua* pro Regnis ponant. † *Reſpicit ad loc. Joan.* 12. *v.* 32.

literalem & ignominioſam in Cruce factam *exaltationem* intelligendam; quæ dudum præceſſit uberem illum in Mundo Evangelii progreſſum, qui hîc deſcribitur. Porrò cum *exaltandum* dicitur hoc *Signum*, & quidem ſic, ut alicubi ipſis credentibus mandetur, ut *exaltent* ſeu (*f*) *elevent* hoc *Signum ad populos*; inde evidenter ſequitur, non quoslibet Sanctos, ſed excellentiores quoſdam ex iis Prædicatores hîc intelligendos eſſe, in quibus *Signum* hoc Chriſti, (& per conſequens ipſe Chriſtus) ultimis temporibus exaltabitur. Imò erit unus inter hos, à quo fiet initium hujus *Signi* cognoſcendi, quive primarius & anteſignanus erit inter hos in opere Domini; Chriſti nempe *Vicarius* ultimi temporis, ſeu *Paſtor* ille viſibilis, ſub quo demùm *unum ovile* futurum eſt: de quo ſubinde locuti ſumus (*g*) in ſuperioribus.

XXVII. Hinc jam facilè ad alterum quæſitum, [Quid ſit *levatio* ſeu *exaltatio Signi?*] reſpondemus. Scilicet, *levatio* ſeu *exaltatio* hujus *Signi*, erit honorifica ejuſdem *Signi* Dominici in eximiis ultimi temporis Sanctis Dei Servis recognitio & prædicatio, dum ubique & undiquaque electi Dei agnoſcent & prædicabunt, Chriſtum Dominum in illis tùm victrici multarum tribulationum tolerantiâ, tùm vitæ ſanctitate, tùm etiam ferviſſimâ & efficaciſſima ad populos Evangelii pacis prædicatione (ceu in vivis ſuis imaginibus) expreſſum eſſe. Atque hoc erit jam, *Signum Filii hominis apparere in Cælo*: noſci nimirum evidenter in *Eccleſia* militante, Chriſtum ſic in talibus adeſſe, ut jam diximus. Spirituali enim hîc *Signo*, ſpirituale etiam debet reſpondere *Cælum*; quod eſt *Eccleſia*, juxta illud S. *Gregorii* Papæ: (*h*) *Cælum quippe Eccleſia vocatur electorum.* Huc facit & illud ejuſdem: (*i*) *Sæpè in ſacro eloquio, Regnum Cælorum præſentis temporis Eccleſia intelligitur.* Ne omittamus hîc & illud S. Auguſtini: (*k*) *Cælum Dei, anima ſancta ſunt.* Cum verò ſic in *Eccleſia* Dei debeant paſſim noſci & celebrari in ore fidelium, ac per hoc in ſuis ſequacibus (*l*) *per totam Eccleſiæ latitudinem diffundi*, Sancti illi Prædicatores ultimi temporis, Chriſto ſic ut jam eſt dictum, conformandi; hinc patet ratio validiſſima, quare tum apud *Iſaiam*, magnum Eccleſiæ bonum *Signi* hujus *exaltationi* ſubjicitur, verbis illis: (*m*) *Et afferent filios tuos in ulnis*, &c. tum apud *Matthæum* † apparitioni *Signi Filii hominis*, verbis iſtis: *Et tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli, cum vir-*

(*f*) *Iſa.62.v.10. coll. Iſa.13.v.2.* (*g*) *Sub Reg* 10. *h.Claſſ. c.5. §.38.39.40.p.181.& ſeq. & ſub Reg.33.c.10. §.22. & 39. p.323. & 342.* (*h*) *Moral. in Job. Lib.30. c.12. in c.39. Job.* (*i*) *S.Greg. Homil.12. in Evang. Confer ſuprà, huj. Claſſ. c. 10. §.22. p. 322.* (*k*) *Enarr. in Pſal. 98. v. 1. Confer hîc ea, quæ ex eodem produximus ſuprà in medium h. Claſſ. cap. 6. §. 13. pag. 204.* (*l*) *Vide hanc phraſim de* Viris *verè* Evangelicis *futuris, apud Abbatem* Joachim, *in Jerem. cap. 50. pag. 382. edit. Colon. 1577.* (*m*) *Iſa. 49. v. 22. 23.* † *Matth. 24. v. 30.*

Digitized by Google

cum virtute multa & majeſtate; cujus loci ſenſum, jam ſupra (*n*) dedimus. Ad talium enim & tantorum Prædicatorum in Eccleſia agnitionem, neceſſariò ſequi debet ingens ejuſdem S. Eccleſiæ commodum.

XXVIII. Ad tertium quæſitum dico: *Poſitio Signi* in iis, qui *venient* (ultimo tempore in S. Eccleſiam,) *& videbunt gloriam* Domini, quid ſit, S. *Hieronymus* ſic exponit: (*o*) *Venient autem omnes gentes, ut videant gloriam Dei: & ponet in eis Signum, quod* (*p*) *in Ezechiele,* † *principio ſub* ת (Thau) *litera Hebraica interpretatione monſtratur; quo SIGNO qui fuerit impreſſus, manus percutientis effugiet. Hôc & poſtes domorum in Ægypto ſignabantur, quando pereunte Ægypto, ſolus Iſraël manſit illæſus.* Et pauló pôſt ibidem, ſubjicit etiam locum Pſalmiſtæ juxta Græc. & Latin. Vulgat. textum: (*q*) *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugerent à facie arcûs.* Conferamus cum his ſequentia ejuſdem in Ezechielem: (*r*) *Theodotio ipſum verbum Hebraicum poſuit* תו (Thau,) *qua extrema eſt apud Hebræos viginti & duarum literarum; ut perfectam in viris gementibus & dolentibus ſcientiam demonſtraret. Sive, ut Hebræi autumant, quia Lex apud eos appellatur* תורה (Thorah,) *quæ hâc in principio nominis ſui literâ ſcribitur; illi hôc accepêre ſignaculum, qui legis præcepta compleverant. Et ut ad noſtra veniamus, antiquis Hebræorum litteris, quibus huc usq; utuntur Samaritani, extrema* Thau *littera* * *crucis habet ſimilitudinem: quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manûs inſcriptione ſignatur.* Hæc (in Iſaiam & Ezechielem) inter ſe collata monſtrant, S. *Hieronymum* locô allegato, per *Signum* inter *Gentes* convertendas *ponendum*, ex mente Chriſtianorum, ipſum *Signum Crucis* Domini intelligere. At nequaquam eum hærere hîc in cortice tantùm literæ, nec mentem ſuam in externo *Signo* terminare, apparet ex ipſo loco Ezechielis, quem hîc pro illuſtranda & fulcienda ſua expoſitione citat. In Ezechiele enim (cap. 9. ℣. 4.) Signô illo jubentur ſignari quidam, quô non ſignantur ulli alii, niſi *gementes & dolentes ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio* Eccleſiæ viſibilis. Atqui externum & *literale* Signum *crucis*, etiam vel maximè impiis in medio Populi Chriſtiani, commune eſt. & ipſi quoq; ſubinde ſignantur illô, nunc per ſe, nunc per alios: de quibus dici poteſt illud S. *Auguſt.* à Jac. *Gretſero* citatum:

(*n*) *Sub Reg. 33. b. Claſſ. cap. 10. §. 34. 35. 37. 38.* (*o*) *Comm. in Iſa 66. v. 19.* (*p*) *Ezech 9. v. 4.* † *Hoc innuit, quòd* primitùs *Hebræi literam* Thau *ad formam crucis habuerint; (ut ſtatim ex aliis ejus verbis in Ezech. cap. 9. patebit;) quæ forma de ſui myſterio explicata, paſſionem Domini, ejusq; virtutem ſignificat: juxta illud* Abbatis *Joachim in Jerem. cap. 19. ſub. fin.* Habentes Thau in fronte, doctrinam Crucis in aperto. (*q*) *Pſal. 59. (al. 60.) v. 4.* (*r*) *Comm. in Ezech. 9. v. 4.* * *Antiquitatis hujus veſtigium quoddam adhuc apparet in illis* Phœnicum *&* Samaritanorum *Literis, quæ per D. Eduard. Bernard. ſingulari* Tabulâ *Oxon. an. D. 1689. ſunt edita: ubi pro* Thau *occurrit inter alias formas, etiam forma decuſſata* Crucis. *Confer hic etiam* Pradum *&* Willalpand. *in Ezech. 9. v. 4.*

citatum: (*ſ*) *Multi illud faciunt*, (*ſignum* nempe *cruc.* in fronte,) *& intelligere nolunt. Factorem quærit Deus ſignorum ſuorum, non pictorem.* Imò multi planè ſuperſtitioſiſſimè eô abutuntur; quod jam & olim notavit S. *Hieronymus*, dum *Phariſæis* ſua *phylacteria dilatantibus* ſuperſtitioſas quasdam mulieres comparat, ſic ſcribens: (*s*) *Hoc apud nos ſuperſtitioſa mulierculæ, in parvulis Evangeliis, & in CRUCIS ligno, & iſtiuſmodi rebus*, (*quæ habent quidem zelum Dei, ſed non juxta ſcientiam*,) *usq; hodie factitant*, (*t*) *culicem liquantes, & camelum glutientes.* Simile huic exemplum eſt, (at in majori exceſſu) id quod ante paucos annos, contra hujuſmodi ſuperſtitioſos in publica (*Tyrnavia*) concione, retulit quidam Pater Religio-„ſus de quodam *Thrace* Comaromienſi; hunc nempe innumeris ferè *cruci*-„*bus* parvis (pendulis ſcilicet) corpus ſuum intra tunicam vallâſſe & op-„pleviſſe, hunc in finem, ne ipſi armorum ictus noceret.

XXIX. Non ergò hîc ſubſiſtendum nobis eſt in externo & communi impiis etiam *Signo*, ſed altiùs mens eſt elevanda, (ut & ſupra (*u*) jam monuimus,) ac deſigenda in rem internam & ſpiritualem externô ſigno ſignificatam, ipſisq; Deum verè timentibus propriam: quæ *fronti* internæ, hoc eſt, *menti* noſtræ imprimitur, juxta illud S. *Chryſoſtomi* in verba Apoſtoli, (1. Cor. 6. ℣. 20.) *Pretio empti eſtis*, à Gretſero citatum: (*v*) *Pretium* (inquit) *hîc Crucem appellavit, quam non ſimpliciter digito in corpore, ſed magnâ profectò fide in MENTE priùs formare oportet.* Eſt autem ſingularis quædam ratio, cur hîc *frontem* non nudè, ſed figuratâ locutione intelligere debeamus. Scilicet, in *fronte* dicitur poni *Signum* Domini Salvatoris à parte illorum, qui verè illud juxta S. Chryſoſtomum *in mente* gerunt; quia illi rem *Signo* illô deſignatam, (mox (*x*) indicandam, & ex parte jam indicatam,) non à tergo, ſed *à fronte* & coram ſe ponunt; hoc eſt, omnibus iis, quæ à tergo relinquenda ſunt, præponunt, & ejus primariam ſemper curam habent: quod & olim ſignificabatur per hoc, quòd Judæi Legem Domini, (ſummariè ſaltem,) (*y*) *inter oculos* (h. e. in *fronte*) gerere jubebantur: ut taceam nunc geſtationem nominis *Domini* in (*z*) *fronte* Pontificis apud eos conſvetam. Deſignatur etiam hîc, ſingularis per (*a*) *frontem animoſitas* in cauſa Dei.

XXX. Ipſe quoque S. *Hieronymus* diſertè alibi, (*b*) *Levare Signum ad Gentes*, explicat per τὸ *auditum fieri* facere illud *in extremis terris*, *ut PASSIO-*

(*ſ*) *Grets. de Cruce Chriſt. Lib. 3. cap. 15. pag. 35. ex Serm. 20. S. Auguſt. de Divers.* (*s*) *Comm. in Matth. 23. v. 5.* (*t*) *Matt. 23. v. 24.* (*u*) §. 25. *h. c.* (*v*) *Chryſoſt. Homil. 55. in Matth. & ex eo Grets. de* Cruce *Chriſt. Lib. 3. cap. 15. pag. 35. 36.* Frontem *pro* mente *accipi, vide etiam* Pannonium *in Apoc. 14. v. 1. & 7. v. 3.* (*x*) §. 30. *h. c.* (*y*) *Deut. 6. v. 8. & 11. v. 18. col. ult.* (*z*) *Exod. 28. v. 36. 38.* (*a*) *Vid. Cornel. à Lapid. Comment. in Apoc. 7. v. 3.* (*b*) *Comm. in Iſa. 62. v. 10.*

PASSIONEM omnium Creatoris totus Mundus exaudiat. Crux ergo & *Signum crucis* etiam pro præſenti quæſito, ac pro illuſtrando loco *Iſa.* 66. ℣. 19. col. 1. † *paſſionem* Domini ſignificat, gentibus cum effectu & fructu jucundo inculcandam, ac pectoribus hominum altè imprimendam: quæ *paſſio* hîc in ſe involvit omnem virtutem & myſterium *paſſionis* Domini in Cruce conſummatæ. Ac proinde qui hanc Domini *paſſionem*, cum omni ejus virtute & myſterio habent *mentibus* ſuis impreſſam, illi ita oculos fidei ſuæ ſub onere peccatorum & omnium adverſitatum in ſolum Jeſum Chriſtum, & in pleniſſimam redemptionem per eum factam defigunt, ut ſimul etiam in variæ *crucis* tolerantia, nec non in vitæ ſanctitate (inprimis in vera humilitate, ‡ charitate & manſvetudine) Chriſto Domino in dies ſeſe magis ac magis conforment, abdicatâ, à ſe omni Mundi vanitate, & animô ad cœleſtia fixè erectô. Atque hic erit jucundiſſimus fructus prædicationis Evangelii ultimis temporibus futuræ, quâ certiſſimum hoc *Signum* internum, nunc deſcriptum, at per effecta externè quoque noſcibile, quô nempe ab impiis, & omnibus hypocritis veri fideles diſtingvantur, eorundem fidelium mentibus illicò inprimetur, ac in dies in iiſdem magis ac magis radicabitur. Quia nimirum per illos tunc ipſis Evangelium prædicabitur, qui & ipſi jam antecedenter *Signo Filii hominis* inſigniti & exaltati erunt, (de quibus ſupra * diximus;) quos ipſi ante ſe tanquam certiſſimos *Vexilli* Domini portatores, tutò ad imitandum intueri poſſunt. Quia verò *paſſionis* Domini myſterium hoc erit in ipſis; inde ſequitur, quòd ſicut Chriſtus Dominus glorioſè emerſit ex ſuis *paſſionibus*; ſic etiam fideles ultimi temporis ſperabunt certò Eccleſiam Dei emerſuram ex ſuis tribulationibus ejus temporis, ut in hac quoque terra Deum laudare & celebrare poſſit.

XXXI. Hinc jam patet, quàm veriſſimum ſit dictum illud *Cornelii* à Lapide: (*c*) *In fine Mundi, CRUX Signum erit Servorum Chriſti, oppoſitum Signo Beſtiæ, id eſt, Antichriſti.* Loquitur nempe ibidem, de illis, *qui tollentes crucem Chriſti* ſpiritualiter intellectam, *acriùs ſe edomant, & charitatis compaſſione erga proximos cruciantur.* Huc facit & illud Thomæ à Kempis: (*d*) *Qui modo libenter audiunt & ſequuntur verbum CRUCIS, tunc* (in judicio,) *non timebunt ab auditione æternæ damnationis.* (*e*) *Hoc*

Ggg *SIGNUM*

† *Huc facit illud in Libello* (Imago Sapient.) *publica in promotione,* Tyrnaviæ *an. D.* 1702. *d.* 13. *Jul. diſtributo, pag.* 9. In Gruce Reges (*Hung.*) fidem in Deum & Religionem voluerunt. ‡ Charitatem *veram Chriſtianorum* in invicem, (*quæ ſanctam inter eos* pacem, *aut certè ſincerum* pacis *mutua ſtudium in ſe involvit,*) *ſignum eſſe verorum Chriſti* diſcipulorum, *patet ex* Joan. 13. *v.* 35. *ſine qua fruſtra aliqui glorientur, ſe eſſe Chriſti diſcipulos, ſeu,* Evangelicæ *doctrinæ ſequaces.* * §. 27. *h. cap.* (*c*) *Comm. in Ezech* 9. *v.* 4. (*d*) *De Imit. Chriſt. Lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 1. (*e*) *Ex Cantu Eccleſiæ, ſupr. cit. h. cap.* §. 16.

SIGNUM CRUCIS erit in Cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes SERVI CRUCIS, qui ſe Crucifixo CONFORMAVERUNT in vita, accedent ad Chriſtum Judicem cum magna fiducia. Perſpicuè patet legenti, & connexa hinc inde conferenti, pium Authorem loqui hîc de *Cruce* ſenſu ſpirituali accepta. Porrò, ex ſequentibus hiſce tribus ſententiis piis & eruditis paulò antè citati Cornelii à *Lapide*, pleniùs adhuc ſuperiora illuſtrantur. V. gr. (1.) dum ait; (*f*) *Tau eſt ultima litera Hebræorum; ſignificat ergo CHRISTUM, qui pro nobis factus eſt NOVISSIMUS virorum in Cruce.* (Iſa. 53. ✠. 3.) (2.) Dum ex ſignificatis *Thau*, docet *gementes & dolentes ob peccata populi eſſe perfectos in charitate, & conſummatos in virtute; atq; crucem & tribulationem unicum eſſe ſanctitatis & perfectionis inſtrumentum.* (3.) Dum adſtruit, *Crucem eſſe ſignaculum & teſſeram amicorum & electorum Dei.*

XXXII. Dum ergò *Chriſtus* Dominus cum virtute & myſterio ſuæ *crucis* conſideratus, tanquam *Signum Dei vivi*, quoſdam eximios ultimi temporis *Sanctos* plenè in corpore & anima pro ſuo habitaculo occupaverit, & in iis (ob magnum eorundem coram Mundo deſpectum) *noviſſimus virorum* iterùm exſtiterit, dumque *perfecti* illi *in charitate*, atque *amici Dei* variis crucibus excocti & purgati, (iidem nempe *Sancti*, cum paucis ſuis ſequacibus,) de quibus loquitur Cornelius à *Lap.* conſpicuos ſe in Eccleſia exhibuerint, (vel potiùs Deus ipſe tales eos exhibuerit,) tunc incipiet *apparere Signum Filii hominis in Cœlo* ſenſû myſtico, & creſcente in dies eorum notitiâ, terroreq; hoſtibus piorum ex eorum nota præſentiâ divinitùs incuſsô, tantò pleniùs deinceps id ipſum *Signum apparebit*; atq; per eoſdem Sanctos & amicos Dei, *Signum* illud internum Dei vivi, Signumque *Filii hominis*, in alios etiam electos longè latèque in dies propagabitur, & in pectoribus eorum radicabitur. [Notemus interim hîc obiter: quoniam Chriſto conformari, & in charitate perfecti eſſe debent *Sancti* illi, de quibus proximè diximus; ergò impoſſibile eſt, ut contentioſi illi Spiritus, qui omiſsâ omni ſeriâ curâ ſanctæ *pacis* Eccleſiæ, nîl niſi *bella Fidei* volunt, impoſſibile inquam, quà tales manent, ut pars *Sanctorum* illorum eſſe poſſint, atq; unà cum illis partem habere.] Ex hactenùs dictis lux affulget etiam loco Apocalypſeos de *Servorum Dei ſignatione*, cap. 7. ✠. 2. 3. & ſequ. collat. cap. 9. ✠. 4. & 14. ✠. 1. Ex iiſdem etiam intelligi poteſt, quomodo triplex etiam *Gloſſa* interlinearis de *Signo Filii hominis* ſtare hîc rectô ſenſû poſſit. Videlicet, quòd *Signum* illud ſit, (*g*) *Thau impreſſum* (h. e. imprimendum) *frontibus fidelium: Vel, Signum Crucis, ut videant in quem transfixerunt: Vel, Vexillum, ſignum victoriæ triumphantis.* Hæc enim cuncta ex ſuperioribus clarent. Tunc etiam, cum *Signum* illud ſensû jam ex-

plicato

(*f*) *Comm. in Ezech*, 9. v. 4. (*g*) *Apud. Lyran. in Matth.* 24. v. 30.

plicato *apparebit*, dici poterit iſtud in pleno ſenſu ex Cantu Eccleſiæ: (*b*) *Fulget Crucis MYSTERIUM.* Tunc enim plenè pandentur omnia *myſteria crucis* & paſſionis Domini. Sed & memorabile illud in Vita S. *Martini* de *adventu Domini*, quô ipſe non *diademate renitentem*, ſed *in habitu patientis* Chriſtum Dominum venturum, Satanæ repoſuit, plenum lumen ex ſuperioribus accipit. Scilicet, (*i*) *Diabolus quodam die, præmiſſâ præ ſe, & circumtectus ipſe luce purpureâ, veſte etiam Regiâ indutus, diademate ex auro gemmiſque, calceis auro illitis, ſereno ore, latâ facie, ut nihil minus quam Diabolus putaretur, oranti* Martino *in cellula adſtitit*, inquiens ei: *Agnoſce Martine, quem cernis. Chriſtus ego ſum; deſcenſurus ad terram, priùs me manifeſtare tibi volui. Ad hæc* poſt aliquod ſilentium, & iteratam Diaboli audaciam, B. *Martinus Diabolum eſſe intelligens*, reſpondit: *Non ſe Jeſus Dominus purpuratum & diademate renitentem venturum eſſe prædixit. Ego* (inquit) *Chriſtum, niſi IN EO HABITU, FORMAQUE QUA PASSUS EST, niſi CRUCIS ſtigmata preferentem, veniſſe non credam.* Hæc quô ſensû ſint veriſſima, ſuperiora † monſtrant.

XXXIII. Hæc de *Signo Filii hominis*, (*quinto* loco inter alia *Signa Adventûs Domini* priùs poſito, at mox peculiari Tractatu explicato,) ejusque *in Cœlo apparitione*, huc uſque dicta ſunto. A' Quæſtione tanti momenti, non potuimus nos citiùs quàm factum eſt, expedire. Nunc aliquid de *tempore*, quà de eo quærere huc ſpectat, in ſequentibus ſubnectemus, antequam hoc Caput concludamus.

XXXIV. Non dubito, quin jam hîc multi de *tempore* eventurorum bonorum in ſuperioribus ſubinde memoratorum, aliquid ſpecialiùs expreſſum audire & legere vellent; (uti eſt in talibus humanæ mentis fragilitas, adverſa ſuſtinere perhorreſcens, citiùs de *tempore* & opportunitate, quàm de forti patientia malorum, vel de ſeria ſuî emendatione ſollicita:) ſed quia novi, ad hoc, ut quis de *temporibus* rerum *S.* Eccleſiæ futurarum in Scriptura S, ſub magnorum involucro myſteriorum revelatis, ſeu potiùs reconditis, rectè aliquid dicere poſſit, & temporum decurſum pleniorem, & lumen cœleſte uberius requiri; malo pias inter preces humillimè à Deo expectare, quid ipſe de his ulteriùs mihi ac ceteris ſuis fidelibus ex ſuo verbo in dies aperiat, quàm intempeſtivè hîc de re tanta determinatè quidpiam dicere & calculare. Hoc interim breviter inſinuo, quòd ſi cui dabitur cœlitùs cum tempore locum Danielis cap. 8. ✠. 14. de *veſpera & mane duobus millibus & trecentis*, ſeu diebus integris totidem rectè & plenè juxta ſenſum myſticum intelligere, ſciet inde is, quantum circiter ſuperſit ad feliciora Eccleſiæ tempora: ad quæ tamen non niſi deguſtatis primùm

 acerbiſſi-

(*b*) *Hymn.* Vexilla Reg. prod. *ad d.* 3. *Maji &* 14. *Sept.* (*i*) *Sulpit. Sev. de Vit. B. Mart. cap.* 25. † §. 25, 26. *h. cap. p.* 413. *& cap.* 10. (*h. Claſſ.*) §. 38. *ſub fin. p.* 341. *&* 342.

acerbiſſimis calamitatibus perveniemus. Adjungo etiam hoc, quòd ipſe Satanas jam videt, non diù ſe poſſe dehinc potentiſſimas & ferociſſimas *Orientis* Nationes Chriſti regno adverſantes ſub ſua poteſtate detinere. Nam ut olim paulò ante & circa nativitatem Chriſti, (uti in quadam *Ciceronis* (*k*) ann. circ. 40. ante nat. Chr. querela de ceſſantibus in dies ipſius tempore *Delphis*, oraculis, nec non circa eandem nativit. in illo doctis noto Apollinis oraculo; (*l*) παῖς ἑβραῖος κέλεταί με--ἀίδην αὖθις ἱκέσθαι, *Puer Hebræus jubet me--ſtatim in Orcum abire*;) fateri coactus eſt in ſucceſſiva oraculorum ſuorum ceſſatione & obmuteſcentia, quòd de gradu ſuo jam jam dejici debeat, Regnoq; Chriſti locum dare; ſic noſtris etiam temporibus apertiſſimè fatetur per ora ſuorum membrorum, ruinam ſuam in prædictis *Orientis* Nationibus, præ foribus eſſe. Ut enim taceam, palàm ipſos *Turcas* jam hoc prædicare, quòd *Turcarum imperium brevì corruet*; (ſicut hoc pluries quàm poſſem dicere, ex eruditioribus ipſorum audivi;) unum tantùm valde hanc in rem memorabile, ut ab ipſis accepi, hîc referam.

XXXV. Cum in proximè geſto diuturno bello Hungarico, frequenter ego à Turcis pro Civitate *Gyöngyöſienſi*, (dum poſtulata eorum illa non illicò celeriter poſſet præſtare,) tanquam unus Populi tunc ibidem Antiſtes, huc atque illuc raptarer, & inprimis *Hatvanum* (in arreſtum) ſubinde abducerer, contigit quâdam occaſione, in dicto loco *Hatvan*, An. D. 1685. die 9. April. in domo Procuratoris tunc Caſtri, *Száló Dizdár Aga*, & fratris ejus *Ibrahim Alaj-Bégh*, (apud quos tunc detinebar,) mecum ipſos diſcurſum modeſtè de *Jeſu* Chriſto, (quem diſcurſum *Hogeſa*, ſeu Sacerdos ipſorum inceperat,) & de ſecutura brevî *Turcarum ruina*, nec non de *pace* Mundi, inſtituere: (ſicut quædam de his alibi quoq;(*m*) jam retuli;) tum, ubi curioſè omnia ipſorum contra ſe dicta, obſervare animus mihi eſſet, interrogavi eum, qui proximè de *ruina Turcarum* (cujus ad initium quinq; † circiter tunc annos reſtare dicebat,) brevî ſecutura, verba mecum faciebat, hoc eſt, ipſum Arcis Procuratorem: *Quid deinde poſt Turcarum ruinam in Orbe terrarum ſequeretur*? Reſpondit lingvâ Hungaricâ, ſuo loquendi mori accommodatâ: (candidè referam verba ejus, ac deinde etiam

(*k*) *Lib.* 2. *de Divinat.* (*l*) Suid. *in Auguſt.* Cedrenus *hoc ex* Euſebio *citat, Hiſt. Comp. Tom.* 1. *in Auguſt. Potuit tamen ex* G. Syncello *habere; ut* Caſaubonus *ex Scaligero jam obſervavit.* (*m*) *In Lat. Nunc. pag.* 44. 48. † *Rotundò numero & incompleto hoc intellige. Scilicet, tenent illi communiter quaſi ex traditione ſui Prophetæ acceptum, quòd* 1100. *annos debeant ipſi florenter regnare in hoc Mundo; qui jam an. D* 1689. *autumno expirârunt; qua de re pleniùs dixi in* Lat. Nunc *pag* 44. [*Quanquam ante* 100. *& aliquot annos, non niſi* mille *annos pro ſe numerarunt; juxt.* Leoncl. *Proam. Hiſt. Muſulm.*] *Illis vero* 1100. *expletis* (*ajunt ipſi,*) *utcunq; tantùm adhuc aliquamdiù regnabunt.*

etiam Satanæ mendacium cum veriloquio mixtum notabo:) *Akkor ſem* * *Turok ſem Német Cſáſzár nem léſzen e' Viligon; hanem mindenütt cſak* ,,*maga léſzen az Iſza Peigamber az egéſz Világnak Cſáſzára.* Hoc eſt: ,,*Tunc neq; Turcarum neq; Germanorum erit Imperator in Mundo; ſed ubiq;* ,,*ſolus Iſa* † *Peigamber* (h. e. Jeſus Propheta) *futurus eſt totius* ‡ *Mundi* ,,*Imperator.* Sic loquitur Satanas per ſuos, ut nihil veri poſſit dicere ſine mixtione mendacii. Ille vellet quidem, ſi in ipſo ſtaret, omnes perire veros Chriſtianos; at ſummopere fallitur in hoc, quòd Chriſtianum Imperatorem, æquè ac Muhammedanum abolitum iri prædicat, ultimis temporibus. Chriſti enim Regni plenitudo, non tollet Chriſtianum Regnum, ſive ſit Germanicum, ſive Hungaricum, ſive aliud, quà Chriſtianum eſt, & tale manebit; ſed tantùm emendabit & perfectius reddet. Unde etiam ipſi *Turca* (ac ſimiles) Chriſtiani tunc futuri, æquè habituri ſunt ac alii populi ſuos ſub Chriſto Principes.

XXXVI. Fallit & in hoc ſuos Satanas, & fallitur, quòd iiſdem ſuis perſvadet ipſum *Jeſum* Chriſtum in ſua perſona huc in terras deſcenſurum, & hîc more humano ac mundano regnaturum: quod & in illo diſcurſu prodidit tunc, dum memoratus *Turca*, dicti ſui, de regnaturo poſt *Tur*-,,*carum* ruinam *Jeſu*, hanc ſubjunxit ulteriorem illuſtrationem: Quòd ni-,,mirum communis jam eſt hodie Turcarum expectatio, *Jeſum* Prophetam ,,brevî venturum eſſe è Cœlo, ad Regnum terrarum capeſſendum. (Scilicet ut *Turca*, carnaliter more ſuo de regno Chriſti hîc ſentiebat.) Verba ejus erant: *Jam nunc* (inquiebat) *ſingulis diebus & noctibus, in turri quadam Scham*, (h. e. Syriæ; Hieroſolymitanam ille intellexit, cum Damaſcena potiùs ſit ex mente ſuorum;) *quatuor Viri Stipendiarii, qui ab ipſo Imperatore Turcarum habent ad hoc certum ſtipendium, continuò excubias agunt, & ſic expectant adventum Jeſu Propheta è Cœlis.* Sequenti quoque die (10. April. dicti anni 1685.) cum jam plures eſſent, & ipſe quoque *Kadia* (hoc eſt, Judex ipſorum in cauſis majoribus) unicè mecum ſermonem conferendi causâ (de B. Virgine *Maria*, & de *Jeſu* Chriſto) adeſſet, (datâ plenâ libertate [quod aliàs ipſis inſolitum erat] adducendi, quæcunque argumenta adducere vellem pro Divinitate Chriſti probanda,) eandem ſuam ſententiam de venturo in hunc Mundum *Jeſu* Chriſto regnaturo (aliis licet verbis) confirmârunt. Sic etiam apud *Pocockium*, in lingvis & hiſtoria Orientalium peritiſſimum, *quintum* ſignum inter majora ſigna reſurre-

* *Hungáricè propriè juxta genuinam noſtram pronunciationem* Török *dicitur* Turca. † *Sic illi vocant noſtrum Dominum* Jeſum. ‡ *Lucis causâ lubet hic conſignare, quod de* Indis *refert S.* Xaverius, (*Lib. 1. Epiſtolarum, Epiſt. 5. an. D. 1544. data,*) *ſe accepiſſe à quodam Brachmane*, in ſuis Literarum monumentis eſſe, tempus aliquando fore, cum mortales UNAM OMNES RELIGIONEM amplecterentur.

reſurrectionem præceſſura, ponitur ex *Muhammedanorum* ſententia, (*n*) *Deſcenſus Jeſu in terram*; quem, inquit, *deſcenſurum* fabulantur, *apud turrim albam ad partem Damaſci orientalem.* Hæc quidem ipſi more ſuo (ut jam innui,) carnaliter ſomniant; ſed ſuô illo ſomniô, ſuôque factô paulo ante memoratô, tum ſuî ruinam, & è contra Regni Chriſti futurum incrementum teſtantur, tum etiam Chriſtianos illos noſtri temporis confundunt, qui procul ab hoc diſtant, ut Jeſu Chriſti adventum glorioſum, more Chriſtiano, erecto capite, menteq́; in res divinas jugiter attentâ, in veræ pietatis exercitio expectarent. Utinam Deus *Turcis* hoc ſuum opus, (non quà error ſuperſtitioſus & carnalis, ſed quà eſt externa circa Chriſtum ſollicitudo) miſſione ad ipſos gratiæ *Jeſu* Chriſti ſalutiferæ, brevî remuneret! Nec eſt dubitandum, quin propè ſit eorundem converſio ad Chriſti fidem. Sanè veteres Chriſtiani attentiores & diligentiores erant in expectatione Chriſti, quàm hodie ſumus communiter; ut ex S. *Hieronymo* (*o*) diſcere poſſumus.

XXXVII. Alibi quoque Satanas, hanc propinquitatem plenioris Regni Chriſti præſagit, dum *Judæis* carnalibus id promittit brevî eventurum, quod in ſpirituali *Iſraele*, h. e. in Eccleſia Chriſtiana, tempore à Deo præſtituto, non procul jam remoto, debebit impleri modô Chriſtianis congruô. Verba ſunt iſta Joſephi *Jachiada* (an. D. 1528.) Rabbini Judæorum: (*p*) בסף החמשת אלפאים ושבע מאות שנה לבריאת העולם בקירוב אם מעט קודם או מעט אחר כך יבוא קיצנו בעזרת ה' למען יוכלו לשבת בני ישראל לבטח על אדמתם כשלש מאות שנה מהאלף הששי למען יתראה לעין כל היות האמת אתם ויהנו בגוף ונפש מן העולם הזה תחת אשר נענשו בעול גלות האומות בגוף ונפש. H. e. *In fine* (vel *ſub finem*) *quinquies mille & ſeptingentorum annorum à condito Munde circiter, aut paulò antè, aut paulò poſt; ſic Deo dante adventurus eſt finis noſter, ut habitare poſſint filiî Iſraël ſecurè in terra ſua ad trecentos circiter annos ſexta chiliadis: quò omnium oculis perſpiciatur, cum illis facere omnem veritatem. Itaq́, corpore & animâ utilitatem percipient ex hoc Mundo, pro eo, quòd puniti fuerunt jugô exilii inter Nationes corpore & animâ.* Eruditus lector ex noto præſenti anno Judaico inde à condito Mundo, facilè perſpiciet, quot anni ex hujus *Rabbini* & ſuorum opinione ſuperſint ad terminum uſque hîc poſitum. Tandem more ſuo idem *Rabbi*, communem majorum ſuorum Talmudiſtarum ſubjicit ſententiam, quòd *Chiliade ſeptimâ, Mundus redigetur in inane*, ſeu, *vaſtabitur.*

XXXVIII. Hæc ille, in locum illum Danielis, (cap. 8. ℣. 14.) de *bis mille-trecentis veſpertinis & matutinis.* Noſtrum eſt, in expectatione adventûs.

(*n*) *In Notis Miſcellan.* Portæ Moſis *ſubjectis, pag.* 260. (*o*) *Comm. in Matth.* 25. *v.* 6. (*p*) *Paraphras, in Dan. cap.* 8, *v.* 14, *ex edit, Conſt, L' Emper. pag.* 154.

Digitized by Google

ventûs Chriſti Domini & plenitudinis Regni ejuſdem, illud præcipuè obſervare; quòd inopinatus ille Mundi Invaſor, (*q*) *Furi* in Evangelio & Scriptis Apoſtolicis comparatus, qui occultè & ignorante Mundo (ut ea de re pleniùs ſupra (*r*) dictum,) rapit ad ſe & occupat corda ſuorum fidelium, etiam ipſis aliud agentibus; occultè & ſapientiſſimè (contra omnem Mundi opinionem) tunc operatur & operabitur in illis, & ruinam hoſtium, & exaltationem ſuæ Eccleſiæ futuram, cum omnia contrarium in Mundo oſtendunt ac oſtendent; atq; ſic in ipſa (*ſ*) *nocte* horrendarum populi ſui tribulationum, Mundiq; errorum & peccatorum, venturus eſt primùm in ſuis Sanctis, & admirandis ac terrore plenis operibus, (juxta ſuperiùs (*s*) fusè ea de re dicta,) uſque dum ipſe demùm in propria perſona, in majorem impiorum terrorem, majuſque ſuorum gaudium, longe pleniore cum gloria & majeſtate, cumq; comitatu innumerabilium Sanctorum cœlitum veniens, publicè ſe ipſum conſpiciendum exhibeat, ut juſtiſſimus & diſtrictiſſimus *Judex* vivorum & mortuorum. At verò ſi *lucem* cœleſtem verè amemus, ſi in ea (*t*) *coram Domino* jugiter *ambulemus*, ſi *in ejus* (*u*) *Lege die ac nocte meditemur*, & contemptâ omni Mundi vanitate, ejusq; evanidis deliciis procul à mente ablegatis, omnes noſtras delicias in Domino & rebus Divinis ponamus, atque hæc agentes, & in ſpirituali noſtra (*v*) ſpecula ſtantes, Dominum ſemper expectemus; ſic non eſt metuendum, quòd nos *adventus* Domini tanquam *fur* in nocte comprehendat & obruat, juxta illud S. Apoſtoli: (*x*) *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei.* Concludo hæc ejuſdem verbis ibidem ſequentibus: (*y*) *Igitur non dormiamus ſicut ceteri, ſed vigilemus & ſobrii ſimus.*

CLASSIS TERTIA REGULARUM,

Quatuor Capitibus (& 8. *Regulis*) conſtans; *De* Typica & Prophetica Hiſtoriarum *ſacrarum ratione.*

CAPUT I.

In quo, prima *hujus tertiæ Claſſis traditur & illuſtratur* Regula; *quâ docetur, ipſa quoq; geſta typicæ perſonæ, omnia eſſe* typica.

TRaditis hactenùs iis *Regulis*, quæ tùm *Propheticis* peculiari nomine ſic dictis, tùm *Typis* ac figuris in dies pleniùs intelligendis communiter

(*q*) *Matt. 24. v. 43. 44. Luc. 12. v. 39. Apoc. 3. v. 3. & cap. 16. v. 15. collat. 1. Theſſ. 5. v. 2. & 2. Pet. 3. v. 10.* (*r*) *H. Claſſ. Cap. 10 §. 34. pag. 336.* (*ſ*) *Matth. 25. v. 6. 1. Theſſ. 5. v. 2. 2. Pet. 3. v. 10. collat. Exod. 12. v. 29. 31.* (*s*) *Huj Claſſ. cap. 10. §. 32. 33. 34. 35. & ſequ. pag. 333. & ſequ.* (*t*) *Gen. 17. v. 1. coll. Pſal. 56. juxt. Hebr. v. 18.* (*u*) *Pſal. 1. v. 2.* (*v*) *Hab. 2. v. 1.* (*x*). *1. Theſſ. 5. v. 4. 5.* (*y*) *Ibid. v. 6.*

Digitized by Google

niter inſerviunt; nunc paucis dicam etiam ſpecialiùs aliquid de *Hiſtoriis* Scripturæ ſacræ; quò faciliùs *typica* & prophetica earum ratio cognoſci poſſit. Subjungam verò hîc ultimæ *Regulæ*, de *ceremoniis* etiam *Moſaicis* quandam inſtructionem, (juxta promiſſum;) uti & de *geſtis Chriſti* Domini peculiarem *obſervationem*. Regula ergo *prima* pro dicto ſcopo hujus *tertiæ* Claſſis, hæc eſto:

REGULA I.

I. „*Quicquid in Hiſtoriis ſacris, narratur de perſona aliqua, quæ ſuî* „*deſcriptione, appoſitiſſimè typica eſt ad Chriſtum, certum eſt, id omne typi-* „*cum eſſe ad Chriſtum & Eccleſiam.* [Vel quod idem eſt: *Perſonæ alicujus typicæ, omnes etiam res geſta vel tolerata, ut in Scripturis enarrantur, ſunt typica.*] Sic, (v. gr.) quia *Adam*, *Noë*, *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*, *Joſeph*, *Job*, *Moſes*, *Aaron*, *Joſue*, *Gedeon*, *Samſon*, *Samuel*, *David*, *Salomon*, *Elias*, *Jonas*, & alii quidam his in Vet. Teſt. annumerandi, ſunt *typicæ* perſonæ ad Chriſtum & Eccleſiam Nov. Teſtamenti; (ut hoc eruditis, partim ex ipſis Scripturæ S. locis (*a*) de quibuſdam, partim ex vi bonæ ſequelæ, à ſimili ad ſimile argumentando, de reliquis, eſt extra dubium;) ergo etiam omnia horum geſta in Scripturis deſcripta, *typica* eſſe cenſenda ſunt ad Chriſtum & ejus Eccleſiam; nîl obſtante hoc, quòd non ſtatim uno eodemque, aut brevi tempore, imò nec ſatis longô, myſteria ſub iis latentia nobis pateant. Quæ nondum patent, patebunt ultimo tempore; juxta id quod habetur, Apoc. 10. ℣. 7. collat. Jerem. 23. ℣. 20. col. ult. & cap. 30. ℣. 24. col. ult.

II. Fundamentum *Regulæ* eſt: Quia cum *finis* & ſcopus *Legis*, ac per conſequens totius Scripturæ Vet. Teſt. (*b*) *Chriſtus* ſit; non poteſt ulla alia dari ratio genuina, ob quam tàm accuratè geſta quædam nonnullorum Vet. Teſt. Sanctorum ex inſtinctu Spiritûs S. deſcripta ſunt, niſi hæc, ut nimirum doceamur, Chriſtum & Eccleſiam Nov. Teſt. hujuſque inſignia membra, in illorum vita & geſtis, tanquam in umbris & craſſioribus delineamentis fuiſſe præfiguratum & præfigurata. Multa certè narrantur de Sanctis illis, quorum fidelis & cœleſtium avida anima, nullum alium ſalutarem pro ſuî refectione uſum inveniet, niſi hunc, quem nunc indicavimus, & ſupra etiam (*c*) verbis *Ruperti* Tuitienſis adſtruximus. Hôc admiſsô, experiemur in omnibus vel minimis narratiunculis Vet. Teſt. verum illud eſſe: (*d*) *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam* (ſeu, inſtructionem ſalutarem) *ſcripta ſunt*. Præterea, cum Apoſtolus diſertè dicat de veteri

(*a*) *Vide de* Adamo, *Rom. 5. v. 14. col. ult. 1. Cor. 15. v. 45.* *De* Jona, *Matth. 12. v. 40* *Conſule etiam SS. Patres; inprimis S.* Cyprian. *Teſtim. Lib. 1. advers. Jud. cap 20. Et S.* Ambros. *de diverſis Patriarchis.* (*b*) *Rom. 10. v. 4.* (*c*) *Praecognit. Cap. 1. §. 20. pag. 15.* (*d*) *Rom. 15. v. 4.*

Digitized by Google

de veteri populo Iſraëlitico ejuſque geſtis in deſerto, quòd (*e*) *omnia* illa *in figura contingebant illis, ſcripta autem ſunt, ad correptionem* (ſeu *admonitionem*) *noſtram*; inde rectè inferimus, quòd etiam Sanctorum V. T. geſta & acta in Scripturis deſcripta, *figuram* ac *typum* rerum Chriſti & Eccleſiæ futurarum in ſe habuerunt. Conferri hîc poſſunt ea quoque, in quibus docuimus ſupra, (*f*) *hiſtorias* quoque Scripturæ S. eſſe propheticas, ſeu myſteriis futurorum refertas. Si quis fortè perfractè univerſalem *Regula* veritatem neget, is non ſolùm onus ſibi imponet probandi contrarium; ſed inſuper ex collectione particularium geſtorum veterum Sanctorum facilè refutabitur, præſertim cum tempore, dum *typi* & *prophetia* pleniùs implebuntur. Ad multa hîc excurrere, ſtudium brevitatis non patitur; paucis tamen exemplis *Regulam* illuſtrare conabimur.

III. Primùm etiam de Patriarcha *Joſeph* ejuſque geſtis quibuſdam (pro lumine aliorum etiam ejus geſtorum myſticè intelligendorum) ex S. *Ambroſio* aliquid hîc in medium proferam. Sic autem ille de eo ſcribit: (*g*) *Venit in* (*h*) *Sichem*, (ſcil. Joſeph;) *quod interpretatione dicitur humerus ſive dorſum, hoc eſt, ad eos, qui non converterentur ad Dominum, ſed fugientes,* „*ſe à facie ejus averterent; quod eſt proprium peccatoris.* (*i*) *Exiit enim* „*Cain à facie Dei. Et Propheta dicit:* (*k*) Pones eos dorſum.-- *Ergo Jo*„*ſeph à Patre miſſus eſt ad fratres, ab illo magis Patre, qui proprio Filio* „(*l*) *non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.-- Et invenit eum* (Joſephum) *homo errantem in agro. Errabat Joſeph, quia fratres ſuos invenire non poterat. Non immeritò errabat, qui quærebat errantes.-- Deniq; & Jeſus* (*m*) *fatigatus ex itinere ſedebat ſupra puteum. Fatigabatur, quia non inveniebat Dei populum, quem quærebat: exierat enim* (populus ſcil.) * *à facie Domini. Qui enim culpam ſequitur, exit à Chriſto.- Invenit autem Joſeph fratres ſuos in* (*n*) Dothaim; *quod ſignificat* † *defectionem. Ubi eſt enim, niſi in* defectione, *qui Deum deſerit?* Et paulò poſt: *Ruben & Judas germanitatis pia jura ſervantes, de manibus cæterorum eum liberare cupie*„*bant, meritoq; Judas paternâ benedictione præfertur, cum ei dicitur:* (*o*) A„dorabunt te filii Patris tui. &c. *Quod utiq; ſoli convenit Chriſto.- Quid* „*verò ipſe Joſeph, cui dictum eſt:* (*p*) *Filius meus ampliatus Joſeph;-- in* „*quem conſilia conferentes maledicebant; in quo benedictio prævaluit; ſuper* „*benedictiones montium manentium, & deſideria collium æternorum?-- Subierunt* (fratres) *perſonam peccatoris populi, ut acciperent gratiam Domini Re-*

(*e*) 1. *Cor.* 10. *v.* 11. *coll. ibid. v.* 6. (*f*) *In Præcognit. Cap.* 1. §. 18. 19. 20. (*g*) *S. Ambr. Libr. de Patriarch. Joſeph, cap.* 3. *Tom.* 1. (*h*) *Gen.* 37. *v.* 14. (*i*) *Gen.* 4. *v.* 16. (*k*) *Pſal.* 20. (*al.* 21.) *v* 13. *Ubi in Hebr. planè* Schechem *habetur.* (*l*) *Rom.* 8. *v.* 32. (*m*) *Joan.* 4. *v.* 6. * *Alludit ad Gen.* 4. *v.* 16. *collat. Jon.* 1. *v.* 3. & 10. (*n*) *Gen.* 37. *v.* 17. † *Conſule S.* Hieron. *de Nominibus Hebraic. ex Genes.* (*o*) *Gen.* 49. *v.* 8. (*p*) *Ibid. v.* 22, 23. 24. 25. 26. *juxt.* LXX.

demptoris.- Et ut cognoſcamus omne hoc de populo & Domino Jeſu *myſterium ,,eſſe; Venite, inquit, vendamus eum Iſmaëlitis. Quid interpretationis habet nomen* (q) Joſeph, *niſi quòd divinam gratiam ſignificet, & expreſſionem Dei ſummi? Quis igitur venditur, niſi ille, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe aqualem Deo?* &c.-- *Vendiderunt negotiatoribus boni odoris; emerunt à proditoribus.* Et infra: *Ergò* tunica *ejus, id eſt, caro, non Divinitas cruentata eſt; & indumentum ei carnis, non immortalitatem vita auferre potuerunt. Hanc tunicam* Judaica *beſtia cruentave- ,,runt, de quibus dicit:* (r) Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. *Quòd autem lacus* (in quem nempe Joſeph fuit conjectus) (ſ) *ſiccus erat; ,,quid mirum, ſi* Judaorum *lacus aquam non habet;* qui (s) dereliquerunt ,,fontem aquæ vivæ, fecerunt ſibi lacus contritos? *Et ut ſcias verum hoc ,,eſſe myſterium, ipſe de ſe Dominus ait:* (t) Poſuerunt me in lacu inferiori, ,,in tenebris & in umbra mortis. *Illi igitur emunt Chriſtum, qui boni odoris deferunt thymiama, qui adolent altaria pia mentis.* Poſt aliqua deinde: (u) *Venditus eſt ergò* Joſeph, *& ductus in Ægyptum, emptus à Prapoſito Coquorum. Non otioſa perſona, qua cruda ciborum coqueret, ut epularentur animi, fidei ſuavitate. Nullus enim cibus ſcientiâ & doctrinâ dulcior.*..*Venditus eſt* Joſeph *in Ægypto; quia Chriſtus venturus erat ad eos, quibus dictum ,,eſt:* (v) *Peccatis veſtris venditi eſtis.*

IV. Et infra de eodem argumento: (x) *Conſidera* (inquit) *nunc illum verum Hebraum, illum non ſomnii, ſed veritatis & praclara viſionis interpretem, qui de Divinitatis illa plenitudine, ac ubertate cœleſtis gratia, in hunc corporeum carcerem venerat, quem non potuit ſeculi hujus illecebra mutare, non ulla corruptela mundana voluptatis evertere: qui tentatus non decidit, appetitus non appetivit; poſtremò adulterinâ quadam Synagoga manû veſte* † *corporis apprehenſus, carnem exuit, liber mortis aſcendit.* Item, de myſteriis eorum quæ collata ſunt Joſepho: (y) *Quid ſibi vult* annulus *digito ejus inſertus, niſi ut intelligamus Pontificatum ei Fidei eſſe delatum, ut alios ipſe* (nempe Chriſtus) *ſignaret? Quid* ſtola, *qua amictus eſt Sapientia, niſi tributum ei ab illo Rege cœleſti, prudentia Principatum?* Torques *aureus, intellectum bonum videtur exprimere.* Currus *quoq; ſignificat faſtigium ſublime meritorum. Quis autem eſt, qui ex Gentibus accepit* uxorem, *niſi qui Eccle-*

ſiam ex

(q) *Ex Gen. 30. v. 24. (ſcilicet ex Hebr.) patet, quid propriè* Joſeph *ſignificet. Nempe,* addat *vel* addet, *ſcilicet Deus. Ubi ſatis includitur abundantia* gratiæ *Divina. Inſuper, Pſal.* 81. (*al* 80.) *v. 6. in Hebrao habetur,* Jehoſeph; *quod ſignificat,* Domini augmentum, *vel,* Dominus addet. *Unde non eſt mirum, quod S. Ambros.* τὸ Joſeph, *interpretatur* Divinam gratiam, & Deum ſummum. (r) *Matt. 10. v 16.* (ſ) *Gen 37. v. 24.* (s) *Jerem. 2. v. 13.* (t) *Pſal. 87. (al. 88.) v. 7.* (u) *S. Ambr. loc. cit. de Joſ. cap. 4.* (v) *Iſa. 50. v. 1.* (x) *Lib. eod. de Joſeph, cap. 6.* † *Egregiè ſupra, cap. 5. de Joſeph.*: Teneri veſte potuit, animo capi non potuit; ac ne ipſa quidem verba diù paſſus eſt. (y) *Loc. cit. cap. 7. In Gen. 41. v. 42.*

ſam ex Nationibus ſibi congregavit, & ſuſcepit ex ea filium Manaſſen, *per*
quem oblitus eſt omnium dolorum ſuorum, quos habuit de ſacrilegiis Judæo-
rum? Suſcepit alium quoq; filium, Ephraim; *per cujus profectum claruit,*
quòd ſuſcepta in carne humilitas, & divinitatem non humiliavit, & glori-
am cumulavit. Denique, quicunq; famem *patiebantur, ad* Joſeph *mitteban-*
,,*tur. Qui ſunt iſti, niſi de quibus dictum eſt:* (z) Convertentur ad veſpe-
ram, & famem patientur ut canes? *Erat autem* fames, *non unius loci, ſed*
,,*totius terræ: quia* (*a*) *non erat qui faceret bonitatem. Ideò Dominus jeju-*
nia mundana miſeratus, aperuit horrea ſua, & myſteriorum cœleſtium theſau-
ros ſcientiæ ſapientiæque, patefecit abſconditos; ut nulli alimenta deeſſent.
,,*Dixit enim Sapientia:* (*b*) Venite, edite panes meos.--*Aperuit ergo hor-*
rea ſua Chriſtus, & vendebat; non æra pecuniæ, ſed fidei pretium, & devo-
tionis ſtipendium quærens. Vendebat autem non paucis in Judæa, ſed vende-
bat omnibus, ut ab univerſis Nationibus crederetur.- Obtinuerat enim eos fa-
mes. Omnes enim eſurient, quos non paverit Chriſtus.

V. ,,Item, ad verba illa *Jacob* Patriarchæ: *Ecce audivi, quia frumen-*
,,*tum eſt in Ægypto; deſcendite illò,* &c. ſic ſcribit: (*c*) *Citiùs utiq; junio-*
res, quàm ſeniores conſuèrunt audire, dum foris poſiti, multa circumeunt:
ſed hanc negotiationem priùs Senex audit; ſed ille Senex, in quo eſt Fidei
,,*longæva canities. Prior Senex intelligit; ſed ille Senex, in quo eſt* (*d*) *vene-*
,,*rabilis ſenectus, & ætas ſenectutis vita immaculata. Nec omnes hanc nego-*
tiationem ſuſcipiunt, niſi filii Jacob, & ipſi provectioris ætatis. Ideò de-
cem pergunt, non pergit junior.--Accepimus hiſtoriam; cognoſcamus myſteria.
Sine Beniamin *primo Patriarchæ perrexerunt: ſine* Paulo *Apoſtoli. Uterq;*
non primus advenit, ſed accerſitus à primis, uberiorem mercem priorum, ſuo
,,*fecit adventû. Eſt, inquit, frumentum in Ægypto; hoc eſt, ubi major fa-*
mes; ibi major ubertas eſt. Magnum frumentum in Ægypto. Denique, &
,,*Deus Pater dicit:* (*e*) Ex Ægypto vocavi filium meum. *Ex iſto grano illa*
fœcunditas. Neq; enim meſſis eſſe potuiſſet, niſi Ægyptii granum ante ſeviſſent.
Eſt ergò frumentum, quod nemo ante eſſe credebat. In hoc frumento negoti-
antur Patriarchæ. Et illi quidem argentum detulerunt; ſed bonus Joſeph,
frumentum dedit, argentum reddidit. Non pecuniâ emitur Chriſtus, ſed gra-
tiâ. Pretium tuum Fides eſt: hâc emuntur divina myſteria.-- Tenebatur
Beniamin *junior domi, & patrio adhuc adhærebat * affectui. Tenebant eum,*
Legis vincula, mos paternus.

VI. Et mox: (*f*) *Fames invaleſcebat, quia ſerò veniebat* (Beniamin.)

 Inter-

(z) *Pſalm.* 58. (*al.* 59.) *v.* 7. 15. *coll. v.* 16. (*a*) *Pſalm.* 13. (*al.* 14.) *v.* 1. (*b*) *Prov.* 9. *v.* 5.
(*c*) *S. Ambros. cit. Lib. cap.* 8. *in Gen. cap.* 42. *v.* 1. 2. *& ſequ.* (*d*) *Sap.* 4. *v.* 8. 9. (*e*) *Oſe.* 11.
v. 1. * *In text.* affectu. (*f*) *S. Ambr. loc. cit. cap.* 9. *in Gen. cap.* 43.

Intercedunt pro eo duo, Ruben *&* Judas; *hoc eſt,* † *Humilitas atq; Confeſſio.* -*His deducitur* Beniamin *junior, & bonis odoribus comitatus advenit portans ſecum reſinam, quâ lapides marmorum connectuntur; eò quòd prædicatione propriâ, tanquam ſpirituali reſinâ, vivos lapides etiam ipſe connecteret; portans etiam mel, quô noxia vulneris intùs exeduntur, ſine aliqua acerbitate ſectionis. Talis enim* Pauli *prædicatio, ut putrem aboleret affectum, corruptumq; evacuaret humorem, diſputationis ſuæ aculeo, urere magis ægra mentis viſcera cupiens, quàm ſecare.--- Vidit autem illos Joſeph, &* Beniamin *fratrem, ex eadem Matre. Jam videntur Hebræi, & videntur à Chriſto, qui verus* Joſeph *eſt, quando eum* Pauli *veniunt typo; & loquitur illis mitia atq; manſueta, ut pariter cibum ſumant.-- Myſticè illis reſpondit (g)* Major Domûs. *Et is qui ſit, intellige, cum legeris Moyſen (h) fidelem in tota Domo ejus.* Majores *enim* Domûs, *Moiſes, Petrus & Paulus, & ceteri ſancti ſunt.* Et infra: *Triticum multis datur,* Scyphus *uni, qui prophetico & ſacerdotali „donatur munere. Non enim omnes, ſed Propheta dicit:* (*i*) Calicem ſalu„taris accipiam, & nomen Domini invocabo. *In corpore igitur* Pauli *jam doctrina cœleſtis eloquium refulgebat, cum eſſet (k) eruditus in Lege: ſed quia adhuc juſtitiæ Dei ſubjectus non erat, intra* ſaccum *erat* ſcyphus, *doctrina inter Legem, lucerna intra modium.* Eleganter ſupra pro majori hujus luce dixerat: *Hoc invenit in nobis Chriſtus argentum, quod ipſe donaverat.-- Etſi non poſſumus videre dona Chriſti, ille tamen donat, & operatur occultè, & donat omnibus; ſed ſervare paucorum eſt, & non omittere. Non omnibus tamen donat omnia.*

VII. Deinde pergit: (*l*) *Juſſit* Joſeph *omnes recedere, ut cognoſceretur „à fratribus. Non venerat enim, ſicut ipſe ait, (m) niſi ad oves, quæ perie„runt domûs Iſraël.--* Adhuc Pater meus vivit? *Hoc eſt, ego Patrem * non nego, ego fratres agnoſco, ſi vos aut fratrem, aut Pater filium recognoſcat. Adhuc ergo Populus meus vivit, de cujus Populi familia fratrem mihi elegi. --Quàm pia fraternitas, quàm dulcis germanitas! ut etiam parricidiale excuſetur admiſſum, dicens, (n) Divina illud providentia fuiſſe, non impietatis humanæ.--- (o) Et gaviſus eſt* Pharao, *quòd* Joſeph *agnoviſſet fratres ſuos.-Et hortatus eſt ſanctum Joſeph, ut fratres ſuos invitet, ut veniant cum Patre; & mandat impleri eorum ſarcinas tritico, & vehicula dari. Unde hæc humanitas barbaro, niſi ut illud oſtenderetur magnum myſterium, quoniam non invidet Eccleſia, cum redimuntur Judæi, & Populus Chriſtianus hâc adjunctio-*

† *Non tam ad nativam vocis* Ruben *originem, quàm ad dictum Matris Ruben, Gen. 29. v. 32. eſt hic reſpiciendum.* (g) *Gen. 43. v. 19. 23.* (h) *Heb. 3. v. 5.* (i) *Pſal. 115. (al. 116.) v. 13.* (k) *Actor. 22. v. 3,* (l) *S. Ambr. loc. cit. cap. 12. in Gen. cap. 45, v. 1.* (m) *Matt. 15. v. 24.* * *Explicat ſtatim, quòd per* Patrem *in myſterio,* Populum *ex quo ortus eſt, ſignificat.* (n) *Gen. 45. v. 5. 8. collat. cap. 50. v. 20.* (o) *S. Ambr. ibid. cap. 13. in Gen. 45.*

Digitized by Google

adjunctione lætatur, & quibus poteſt ſubſidiis juvat, & mittit Evangelizantes Regnum Dei, quò maturiùs evocentur? Et aliquantò poſt: *Et benè au-*
„*reos accepit*; (Paulus ſcil. in typo Beniamin;) *quia* (*p*) *non in ſvaſoriis*
„*humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs prædicabat. Quinq; autem* ſtolas *accepit? vel Sapientiæ multiplicis diſciplinas*; *vel quòd nullis* (quinq;) *ſenſuum corporalium captus illecebris, ubi alii periculum, ille teneret victoriam, qui omnes voluptates carnis ſingulari continentiâ & virtute ſuperaret; cujus ingenium ſtudiumq; nulla corporis hebetaret infirmitas; qui cum eſſet in*
„*corpore, corpus ſe habere neſciret.* Et infra, ad illa verba: *Et Dominus*
„*ait: Ego ſum Deus Patrum tuorum; noli timere deſcendere in Ægyptum,* &c. ſic ſcribit: (*q*) *Quid evidentius, quàm quòd hoc loco invitantur, ut ad Eccleſiam Dei tranſeant, & qui antè intra Judææ terminos coarctabantur anguſtos, ad populum Dei migrent, qui ex TOTO ORBE, ex omnibus Nationibus congregatus, in magnam factus eſt gentem? - - Vocatur ergò à filiis ſuis* Jacob, *id eſt à Petro, Paulo, Joanne, Populus* Judæorum *invitatur ad gratiam. Ipſe quoq; Deus noſter proprio eum hortatur oraculô, ſpondet ei pro-*
„*fectum fidei, muneris ſui fructum, dicens:* Joſeph *immittet manus ſuas ſuper oculos tuos.* Quis horum poſtremorum ſit ſenſus verborum, jam in ſuperioribus (*r*) ex hoc ipſo S. *Ambroſio* vidimus.

VIII. Porrò, cum in poſterioribus ſuæ expoſitionis verbis nunc auditis, (quæ pleniùs aliunde (*ſ*) in hoc Libro illuſtrantur) diſertè inſinuet S. *Ambroſius* ſe agere hîc de illa *Judæorum* converſione, quæ adhuc exſpectatur, & quæ *ultimis* futura eſt *temporibus*; inde haud dubiè diſcimus, priora etiam ejus in hoc argumento verba, ita aptanda eſſe Apoſtolorum temporibus, ut tamen ea ſanô ſensû rectè applicari poſſint etiam temporibus illis, quibus populus Hebræus verè convertetur ad Dominum Salvatorem in veteri *Joſeph* præfiguratum. Unde ſequitur, quòd etiam in illa converſione futuri ſunt, quibus typi *Jacob*, *Ruben*, *Juda*, *Beniamin*, & reliquorum filiorum Jacob, applicari queant & debeant; manente ſemper principalitate penes Chriſtum, propter quem in illis habitantem vel habitaturum, typorum memoratorum laus & excellentia modo & ſensû ſtatui Regni Chriſti congruô in iiſdem impleri debeat. Hæc de typo S. *Joſeph*, juxta S. *Ambroſium*.

IX. Quòd autem etiam res *Eliæ*, res Chriſti & Eccleſiæ ejus adumbraverint, non obſcurè innuit nobis ipſemet Salvator, Luc. 4. ℣. 25. 26. Unde toties memoratus S. *Ambroſius* eruditè tangit more ſuo nucleum myſterii illius geſti typici, quòd (*s*) *Elias* ad unam tantùm ex multis *viduam*

(*p*) 1. *Cor.* 2. *v.* 4. (*q*) S. *Ambr. Lib. cit. cap.* 14. *in Gen.* 46. *v.* 1. 2. 3. (*r*) *Sub Reg.* 6. *Claſſ.* 2. *Cap.* 3. §. 7. *pag.* 95. & 96. (*ſ*) *Loc. nunc cit.* (*s*) 3. (*al.* 1.) *Reg.* 17. *v.* 9. 10.

duam miſſus fuerit tempore *famis*, ſcribendo in hunc modum: (*t*) *Quid verò illud, quòd cum in omni terra eſſet fames maxima, VIDUÆ tamen cura non defuit, atq; ad alendam eam, Propheta directus eſt? In quo cum me admoneat Dominus, (u) quòd in veritate dicturus ſit, ad myſterium videtur ſollicitare aures. Quid enim verius CHRISTI & ECCLESIÆ poteſt eſſe myſterio? Non igitur otiosè inter multas viduas una præfertur. Quæ enim talis, ad quam tantus Propheta, qui ad Cœlum raptus eſt, dirigatur, eô præſertim tempore, quô clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra? Ubiq; ergò* fames *erat, & adhuc tamen hæc* Vidua *non egebat. Qui ſunt hi tres anni? Fortè illi, quibus Dominus venit in terras, & fructum in Ficulnea invenire non potuit; juxta quod* ,,*ſcriptum eſt:* (*v*) Ecce anni tres ſunt, ex quo veni quærens fructum in ,,ficulnea hac, & non invenio. *Hac eſt profectò VIDUA illa, de qua di-* ,,*ctum eſt:* (*x*) Lætare ſterilis quæ non paris; erumpe & exclama, quæ ,,non parturis: quoniam multi filii deſertæ magis, quàm ejus, quæ habet ,,Virum. *Et benè* Vidua, *cui dicitur:* (*y*) Ignominiæ viduitatis tuæ non ,,eris memor: quia ego Dominus, qui facio te. *Et fortaſſe ideò* Vidua, *quæ amiſit quidem Virum ſecundùm corporis paſſionem, ſed in † DIE JU-* ,,*DICII, Filium hominis, quem amiſiſſe viſa eſt, receptura.* (*z*) Tempus *enim* breve, *inquit*, dereliqui te, *ut glorioſiùs ſcilicet fidem relicta ſervares. Hæc igitur illa* Vidua *eſt, propter quam verbi cœleſtis ſiccitas cum eſſet in Terris, Propheta ſunt deſtinati. Erat enim* Vidua, *quæ ſterilis erat, ſed partum ſuo tempori reſervabat. Unde nec illius nobis videtur perſona mediocris, qui aridam terram, verbi rigavit rore cœleſti, clauſumq; cœlum, non humanâ utiq; poteſtate reſeravit. Quis enim eſt, qui Cœlum poteſt aperire, niſi Chriſtus, cui quotidie de peccatoribus, cibus Eccleſiæ cumulo congregatur?* ,,*Neq; enim humanæ facultatis eſt dicere*: Hydria farinæ non deficiet. &c. *Domini enim eſt perpetuitatem Sacramentorum ſpondere cœleſtium, & non defuturam ſpiritualis exultationis gratiam polliceri, largiri munimenta vitæ,* ,,*fidei ſignacula, dona virtutum. Quid eſt autem*, (*a*) Usq; in illum diem, ,,quô dabit Dominus pluviam ſuper terram; *niſi quia* (*b*) *deſcendet ſicut* ,,*pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram?* Hæc ille: qui illicò occaſione memoratæ hujus *pluviæ* excurrit ad res geſtas *Gedeonis*, cujus ad poſtulatum (*c*) *ros* nunc *in vellere*, nunc *in omni terra* fuit; quod explicat de *ſermonis* Divini *rore* primùm in *Judæa* ſola, deinde mox poſt Judæorum in Chriſtum perfidiam, per *totum* terrarum *orbem* diffuſo. Atq; ſic ex

(*t*) *S. Ambr. Lib. de Viduis, Tom 4. col. 499. 500. edit. an. 1614.* (*u*) *Luc. 4. v. 25. 26.* (*v*) *Luc. 13. v. 7.* (*x*) *Iſa. 54. v. 1* (*y*) *Ibid. v. 4. 5. juxt. LXX.* † *Vide ſupra de latitudine* diei judicii *dicta, & ex iis hoc illuſtra; Cap. 10. & 11. Claſſ. 2.* (*z*) *Cit. cap. 54. Iſa. v. 7.* (*a*) *3.* (*al. 1.*) *Reg. 17. v. 14.* (*b*) *Pſal. 71.* (*al. 72.*) *v. 6.* (*c*) *Judic. 6. v. 37. 38. 39. 40.*

ſic ex parte etiam rerum *Gedeonis* myſteria explicat: ſuper cujus explicatione, is, cui (*d*) *datum eſt noſſe myſteria Regni cœlorum*, facilè etiam plura cum tempore in hanc rem ſpectantia, ſuperædificabit.

X. Huc faciunt etiam illa de myſteriis rerum *Eliæ* apud eundem S. Doctorem: (*e*) *Eliam* (inquit) *Corvi* (*f*) *cibo adventitio inter deſerta paverunt; ut indicio foret, populos Nationum retrò ſqualentes colore meritorum, qui antè, cibum fœtidis in cadaveribus requirebant, nunc de ſe adventitiam Prophetis alimoniam præbituros. Cibus enim Prophetarum* (*g*) *Divinæ voluntatis effectus eſt.* Et alibi idem: (*h*) *Primùm* (ait) *Elias in Berſabe * eſt; conceſſit ad ſancta Legis myſteria, diviniq; juris Sacramenta. Poſtea ad* (*i*) *torrentem mittitur; ad illum fluminis impetum,* (*k*) *qui lætificat Civitatem Dei. Utrumq; advertis unius auctoris Teſtamentum. Vetus Scriptura, quaſi † puteus, profunda atq; obſcurior; unde cum labore haurias, non plenam: quia adhuc qui impleret eam, non venerat.--Ideò ad Fluvium* (ſeu torrentem) *tranſire Sanctus à Domino jubetur; quoniam qui de Novo Teſtamento biberit, non ſolùm „flumen eſt, ſed etiam* (*l*) *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; flumina intellectûs, flumina cognitionis, flumina ſpiritalia, quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore, ne ſacrilegi biberent, potarent perfidi. Ibi Prophetam Domini agnoſcebant corvi, quem non agnoſcebant Judæi. Paſcebant corvi, quem genus regale illud & nobile perſequebatur.-- Qui corvi paſcebant, niſi quorum „*(*m*) *pulli eum vocant, qui jumentis dat eſcam, ut legimus, pullis corvorum „invocantibus eum? Sciebant illi corvi quem paſcerent, qui juxta intellectum erant, & ad illum cognitionis ſacræ fluvium eſcam vehebant. Paſcit Prophetam, qui intelligit, qui cuſtodit, quæ ſcripta ſunt. Dat ei ſuccum fides noſtra, dat ei alimentum noſter profectus. Ille ſensû * noſtro paſcitur; in noſtro, ſermo ejus, intellectu, epulatur. Damus ei manè panem, qui in lumine Evangelii poſiti, conferimus ei noſtri firmamenta cordis. His alitur, his viget, his jejuna diù replet ora, quibus Judæorum perfidia, nullum fidei cibum ſubminiſtrat. Jejunus eſt illis omnis ſermo propheticus, cujus adipem interiorem non vident; exeſus & tenuis, qui impingvare eorum fauces non poteſt. Fortaſſe ideò deferebant* (*n*) *ad veſperam carnes, quaſi fortiores cibos; (quos infirmi ingenia*

(*d*) *Matt.* 13. *v.* 11. (*e*) *S. Ambros. Comm. in Luc.* 3. *v.* 1. 2. (*f*) 3. (*al.* 1.) *Reg.* 17. *v.* 6. (*g*) *Joan.* 4. *v.* 34. (*h*) *Epiſt. Lib.* 3. *Epiſt.* 25. *ad Vercell. Eccl. Tom.* 5. * *Supponit S. Ambroſius, quòd cum* Elias *ea quæ* 3. (*al.* 1.) *Reg.* 17. *v.* 1. *habentur, dixiſſet, fuit in* Berſabe. *ubi & aliàs ſolebat eſſe;* 3. *Reg.* 19. *v.* 3. *Explicat autem illud paulò ſupra, myſticè de numero* ſeptenario, *vel de* Juramentis; *ſcil. juramentis Dei implendis.* (*i*) 3. (*al.* 1.) *Reg.* 17. *v.* 2. 3. 4. 5. (*k*) *Pſal.* 45. (*al.* 46.) *v.* 5. † *Reſpicit hic ad ſignificatum* τῦ Berſabe, *ſeu* Beerſeba, *quod eſt,* Puteus juramenti, *& nunc inſinuat, quid myſticè per hunc* puteum *intelligat.* (*l*) *Joan.* 7. *v.* 38. (*m*) *Pſal.* 146. (*al* 147.) *v.* 9. * *H. e. intelligentiâ & ſcientiâ ſpirituali; ut mox exponit.* (*n*) *Loquitur hîc juxta LXX. in* 3. (*al.* 1.) *Reg.* 17. *v.* 6. *Ubi LXX. videntur reſpexiſſe ad Exod,* 16. *v,* 8,

ingenio Corinthii (*o*) *non poterant ſumere, & ideò lacte potabantur Apoſtolico:) eſca ergò fortior ad veſperam* (*p*) *Mundi hujus deferebatur, Manè panis.* Plura, ſi cui placet videre de hujuſmodi myſticis expoſitionibus, ac ſignanter aliquod lumen haurire etiam de *ignis* illius Eliani, (*q*) *holocauſtum, ligna, lapides & pulverem* copiâ *aquarum* ad exundantiam uſque perfuſa conſumentis, & ipſam quoq; *aquam lambentis* myſterio; conſulat eundem (*r*) S. Doctorem. Inveniet non contemnenda Lector de myſteriis geſtorum *Eliæ* ad Chriſtum & Eccleſiam, etiam apud eruditum Commentatorem ſub nomine S. *Ambroſii* in Apocalypſim: (*ſ*) ubi proximè ante expoſitionem geſtorum *Eliæ*, de *David* † quoque factis aliquot typicis, doctam explicationem videbit. Sed & hîc, ut & in aliis SS. Patrum expoſitionibus myſticis, tenendum eſt illud, quod paulò antè, ſub finem proximè præcedentis paragraphi inſinuavi. Scilicet, ſi quis SS. Patrum expoſitionibus ſalutari cum fructu uti vult, ac plura etiam ſuper iis ædificare, oportet ut is ita ſe rebus Divinis addicat & conſecret, eoſque habeat (*s*) *ſenſus* in Scripturis *exercitatos,* ut ſit è numero illorum, quibus (*t*) *datum eſt noſſe myſteria Regni Cœlorum.* Alioquî nunquam SS. Patrum expoſitione, uti nec ipsâ Scripturâ S. ad ulteriorem & altiorem ſenſum eruendum, rectè utetur.

XI. E' contra verò ſi quis ſit è numero illorum, de quibus diximus, is ex paucis etiam SS. Patrum in typorum vel prophetiarum explicatione verbis, multa illic latentia cum tempore eliciet, & congruam ſcopo ſtructuram (ut jam inſinuatum eſt) in illis ſuperſtruet. Ut, v. gr. dum apud S. *Ambroſium* in rerum *Salomonis* adhuc juvenculi, ſcilicet, in ejus judicii de *duabus mulieribus* inter ſe litigantibus lati expoſitione myſtica, legis iſta: (*u*) *Duæ iſtæ mulieres, FIDES eſt atq; TENTATIO: Tentatio inquam, communis ab initio auctor erroris; quæ poſtquam poſteritatem ſuam, carnalis vitio converſationis, & ſomnô mentis amiſit, poſteritatis fructus auferre conatur aliena. Itaq; dum TENTATIO litigat, FIDES fluctuat; donec MACHÆRA CHRISTI latentes diſtingvat affectus. Quæ eſt* „*hæc MACHÆRA Chriſti? Illa, de qua ſcriptum eſt:* (*v*) Gladium ve„ni mittere in terram. *Eſt enim gladius, de quo ſcriptum eſt:* (*x*) Et tuam „ipſius animam pertranſibit gladius. *Qui autem ſit hic gladius, quæ ma„chæra, cognoſce.* (*y*) *Verbum, inquit, acutum & validum, & penetrabilius* „*omni*

(*o*) *1. Cor. 3. v. 2.* (*p*) *Recurre hic ad ea, quæ in ſuperioribus paſſim, de feliciori & ſolidiori ultimi temporis Eccleſiæ ſtatu futuro ſunt dicta: ſub Reg. 8. 9. 10. 32. & 33. Claſſ. 2.* (*q*) *3.* (*al. 1.*) *Reg. 18. v. 34. - - 38.* (*r*) *Vid. S. Ambros. Lib. de Elia & jejun. Tom. 1.* (*ſ*) *In cap 6. Apoc. v. 7. inter opera S. Ambr. Tom. 5.* † *Juxt. 1. Reg.* (*al. 1. Sam.*) *17. v. 34. 35. 36. 40. 41. 42. 51. Adjunge hic Serm. 24. inter Serm. de Sanctis,* Ambros. *Tom. 5.* (*s*) *Heb. 5. v. 14.* (*t*) *Matt. 13. v. 11.* (*u*) *S. Ambros. Lib. 3. de Virginibus, Tom. 4.* (*v*) *Matt. 10. v. 34.* (*x*) *Luc. 2. v. 35.* (*y*) *Heb. 4. v. 12.*

„*omni gladio acutiſſimo, penetrans uſq; ad diviſionem animæ & ſpiritûs, ar-* „*tuumq; & medullarum. Bonus* gladius *VERBUM DEI*, *bonus* gladius, *utpote ſcrutator cordis & renis; qui MENDACIUM à VERITATE diſcernat, atq; eos, quorum animas pertranſierit, non interficiat, ſed reſervet:* illa inquam, dum legis, & habes donum illud Domini Salvatoris, noſcendi in dies *myſteria Regni cœlorum*, adhibito rectô judicio, certò inferes, ſub figura illius judicii *Salomonei* adumbratum fuiſſe judicium illud, quô Chriſtus, ſemper quidem cauſam ſuæ Eccleſiæ contra errantes tuetur; ſed maximè ultimis temporibus, per efficaciam *verbi* ſui in ore & ſcriptis piorum Doctorum demonſtrandam, diuturnis & virulentis inter Chriſtianos contentionibus finem imponet, decidendo, quorum ſit ipſe proprius, & quorum non ſit. Quod præſertim fiet tunc, cum *Antichriſtus* magnus, *filius* ille *perditionis*, ac per hoc *mortuum* Chriſtianitatis membrum conſpicuum ſe exhibebit. Tunc enim verus *Salomon* Chriſtus, per ſuos fideles Servos mediante efficaciâ verbi ſui, *duabus* quibuſdam partibus in una (z) *Domo* Eccleſiæ viſibilis (ſeu Chiſtianitatis) inter ſe de ipſo (a) *Chriſto* (ubi ille ſit) diſſenſuris, oſtendet infallibiliter, qui pepererint intra ſe *vivum* Chriſtum, & in quibus *vivat* ipſe per Spiritum ſuum ſanctum; ac è contra, qui ſint, qui Chriſtum peccatis ſuis ſibi quodam modo extingventes, non niſi *mortis* æternæ filium Antichriſtum Mundo protulerunt. Conferat autem hîc judicioſus Lector, uberioris cauſâ lucis, ea quoque, quæ habet alibi idem S. *Ambroſius*, (b) de hoc eodem *Salomonis* judicio: ac inſuper, S. *Hieronymum* de eodem argumento, Epiſt. 131. ad Ruffinum. Unum adhuc exemplum typicum hîc ſubjungamus.

XII. Ita de *Jona* unuſquiſque Chriſtianus Theologus novit, eum fuiſſe typum Chriſti, cum hoc ipſemet Dominus (c) non obſcurè doceat: ac proinde, quò clarior hic videtur eſſe typus ex una aliqua re per Dominum indicata, eò magis debemus eſſe ſolliciti, ut ſuper pauculis de eodem Chriſti verbis plura etiam ſuperædificemus, & paulatim myſterium omnium geſtorum ejus, in Chriſto & Eccleſia, ſeu in Doctoribus Eccleſiæ, pleniùs quoque inveſtigemus. Sic autem de *Jona* toties nos inſtruens S. *Ambroſius* ſcribit: (d) *Jonas dormiebat* (e) *in Navi, & ſtertebat ſecurus, quaſi non metuens deprehendi; ita Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui figuram illam, ſacramento ſuæ mortis implevit, tempore Evangelii* (f) *in Navi † dormivit.* Et paulò pòſt: *Hic eſt ergò verus Jonas, qui obtulit animam ſuam in redemptionem pro nobis. Propterea ergo ſublatus eſt & miſſus in mare, ut ex-*

Iii *ciperetur*

(z) *De hac Domo vide 2. Tim. 2. v. 20.* (a) *Matth. 24. v. 26.* (b) *De Spirit. S. Lib. 3. cap. 7. Tom. 4.* (c) *Matt. 12. v. 40.* (d) *Enarrat. in Pſal. 43. (al. 44.) v. 23. (al. 24.)* Exurge, quare obdormis Domine. *Tom. 2.* (e) *Jon. 1. v. 5.* (f) *Matt. 8. v. 24.* † *Id conſidera hic Lector, quid myſticè dormitio illa ſignificabat.*

ſiperetur & devoraretur à Ceto, quò intra alvum Ceti poſitus, ejus interiora „*vacuaret. De quo Ceto hoc dictum ſit, audi Job dicentem:* (*g*) *Qui habet,* „*inquit, magnum Cetum captivum reddere.* Item: *Sicut* Jonas *miſſus eſt in Mare, & quievit Mare à commotione ſua; ita Dominus noſter* Jeſus *Chriſtus venit in hunc Mundum, ut Mundum lucrifaceret, &* (*h*) *ſangvine ſuo omnia pacificaret, ſive terrena, ſive cœleſtia.* Hæc pro *prima* hujus *tertia Claſſis Regula* illuſtranda nunc ſatis. Plura nos cum tempore plenior rerum eventus docebit. [Quod autem in hac *Regula* diximus de *perſonis*, idem etiam de aliis *rebus*, hoc eſt, populis, nationibus & locis *typicis*, in ordine ad res per eadem *typica* ſignificatas, ſentiendum eſt. Quod appen„dicis loco hîc ſubnexum eſſe volumus. Scilicet; Quicquid refertur & „quaſi inculcatur nobis in Scripturis ſacris de quacunq; re *typica*, id omne „certô ſensû *typicum* & ſignificativum eſt ad ſuum objectum (hoc vel il„lud) præfiguratum. Ut, *v.* gr. quæ de Populo *Hebræo* in iiſdem Scripturis referuntur, ea omnia certam futuri ſignificationem habent in Populo Chriſtiano, habitâ ratione diverſitatis temporum; juxta id quod habetur 1. Cor. 10. ℣. 6. 11. Sic etiam quæ de *Philiſtæis*, *Moab*, *Idumæis* & ſimilibus ibidem hiſtoricè narrantur, pariter ſunt *typica* in ordine ad diverſos hoſtes Eccleſiæ Nov. Teſt.] Ad ulteriora itaque jam progrediamur.

CAPUT II.

In quo, Secunda *Claſſis tertiæ* Regula *traditur; quâ docetur* (*& exemplis illuſtratur,*) *res in ſacra* Hiſtoria *in ſe* exiguas, *vel* verecundiam *quandam ſecum ferentes, magna in ſe* futurorum *continere myſteria.*

REGULA II.

I. **U**Bicunq, *in Hiſtoriis ſacris, aut res in ſe* (*quantum ad literam*) *exigui* „*momenti legitur, aut tale quid, quod primâ fronte pudicis auribus &* „*oculis, verecundiam & erubeſcentem quandam admirationem adfert, certum* „*eſt, non terminari illic hiſtoriam in litera tantùm, ſed profunda in ſe futu*„*rorum continere myſteria.* Ita enim Divino Numini placet, pro majori ſuæ Sapientiæ declaratione & pleniori inter homines gloria, per res parvas, & in ſe exiles, quas nempe myſteriis cœleſtibus eſſe fœcundas, carnalis ratio haud percipit, imo ex ſe nec cogitat, ſublimia ſignificare arcana.

II. Sic *v.* gr. res parva in ſe videtur, quòd parvus *David* (*a*) proceſſurus contra ſuperbiſſimum & immaniſſimum *Goliathum*, ſuis armis undiq; munitum, non niſi *baculum* & *fundam* ſumſit cum *lapidibus*, nec majoris nec minoris numeri, quàm *quinque*, & quidem * *lævigatis.* At ſi ſcopum Spiritûs Divini in hoc ejus facto ſpectemus, altum ſanè hîc latebat myſterium.

(*g*) *Job.* 3. *v.* 8. *juxt. LXX.* (*h*) *Col.* 1. *v.* 20. (*a*) 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 17. *v.* 40. -- 49.
* *Ita ex Hebr, & Græc. text.*

Digitized by Google

rium. Scripturâ enim ſacrâ nobis prælucente, & SS. Patribus docentibus; ſicut per *Goliathum* illum, Diabolus in potentioribus ſuis membris contra Populum Dei ſuperbiens, & per *Davidem* parvum atq; inermem, Chriſtus in ſuis Servis mundanâ deſtitutus pompâ & potentiâ; ſic per *baculum*, authoritas Paſtoralis virtute crucis Chriſti fulta, & per *quinq; lapides*, (*b*) *vivi* illi *lapides*, cœleſti myſteriorum *quinq;* Moſis librorum ſcientiâ, (ceu myſticis (*c*) *quinq; talentis* reſpondente,) nec non virginali illâ *quinq;* melioris notæ *Virginum* † typicarum, ſoli Chriſto, non verbo tantùm, ſed & opere adhærentes deſignantium prudentiâ inſtructi, perpoliti, lævigati, atque ſic ab omni odii iniqui, virulentæ contentionis, verborumque ſcommaticorum aſperitate repurgati, ac vinculo ſanctæ pacis & charitatis compacti, & inſuper, fide, labore & patientiâ ad omnia pro Chriſto adverſa perferenda ſolidati & indurati, qui & per (*d*) *Moſen*, & per *Iſaiam* (*e*) ſub nomine *quinq;* terrificorum bellatorum, per *Zachariam* (*f*) verò (poſt ſtylum S. (*g*) *Job*) ſub figura *lapidum funda* ſunt prænunciati, intelliguntur. Hi *lapides* cum *funda* * myſtica & *baculo* explicato, ſunt arma illa, quibus Chriſtus & olim vicit Diabolum in Mundi Nationibus, & deinceps vincet. Quod *unus* eſt *lapis* ſignanter, qui *Goliathum* in fronte percuſſum proſtravit; per hoc ſignificatur *unus* Chriſtus in omnibus ſuis Servis. Per quoſcunque enim ſuos Servos Chriſtus vincat, ſemper ipſe *unus* vincit, qui eſt (*h*) *lapis angularis*, & qui olim etiam, ut excellenti modô, per hunc unum *lapidem*, *frontem Goliathi* lethaliter percutientem eſt adumbratus, ſic eundem, non alter, ſed ipſe Divinâ ſuâ virtute in futuri myſterium, in *frontem Goliathi* lethali cum ictu direxit. Poteſt tamen & hoc ſignificari; quòd Chriſtus aliquando ex aliquot eximiis ſuis Servis, *unum* ad ſingulare aliquod opus contra Satanam & Mundum ſegregat, ſicut olim (*i*) S. *Paulum*; dum interim alios ad alia ſubeunda juxta ſe certamina dirigit.

III. Ut verò typus hic eò clarior nobis fiat, audiamus quid etiam SS. Patres de eodem tradunt. Sic S. Ambroſius: (*k*) *Hic* (inquit) *juvenis atq; deſpectus* (nempe S. David,) *ſtravit Allophylum, potitusq; victoriâ, in decem millibus, juvencularum pſallentium teſtimonio triumphavit. Gerebat enim typum ejus, qui quaſi deſpectus venturus eſſet in terras, & ſine legato,*

(*b*) *Phraſim hanc vide* 1. *Pet.* 2. *v.* 5. (*c*) *Matt.* 25. *v.* 15. 16. 20. † *De talium* Virginitate *ſpirituali excute benè* 2. *Cor.* 11. *v.* 2. *& confer* S. Auguſtin. *Tom.* 9. *Tract.* 13. *in Ev. Joan.* Quæ eſt Virginitas mentis? (*Reſp.*) Integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas. *&c. Ubi mox ſignanter illos damnat, qui* conſcindunt unitatem, id eſt, tunicam charitatis. (*d*) *Lev.* 26. *v.* 8. (*e*) *Iſa.* 30. *v.* 17. (*f*) *Zach.* 9. *v.* 15. (*g*) *Job.* 41. *v.* 19. (*al. v.* 28.) * *De hac vide infra* §. 4. *h. cap.* (*h*) *Eph.* 2. *v.* 20. *collat. Pſalm.* 117. (*al.* 118.) *v.* 22. (*i*) *Act.* 9. *v.* 15. (*k*) *Enarrat. in Pſalm.* 118. *Octonar.* 18. *ad v.* 141. Parvulus ſum ego & deſpectus. *&c. Tom.* 2.

ſine adjutore, ſine nuncio, totum populum Mundi hujus, Crucis ſuæ prælio liberaret; cui applauderent animæ Sanctorum per Baptiſmatis Sacramentum renovatæ, quòd verum illum Goliam revelatum nobis ac proditum, verbi ſui gladio trucidaſſet. Jacet igitur verus Golias, humilitate Filii Dei ſtratus; amiſit (*l*) *Caput, quod in multas artes vertebat & fraudes.* Et S. Auguſtinus: (*m*) *Evacuata eſt* (inquit) *frons, quæ habebat impudentiam ſuperbiæ, & vicit frons, quæ habebat humilitatem Crucis Chriſti.* Item: *Videte fratres, ubi Goliath percuſſerit: in fronte utique, ubi crucis ſignaculum non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit; ita etiam & lapis ille, de quo percuſſus eſt, Chriſtum figurabat.*

IV. De hoc *Lapidis* hujus myſterio, jam præiverat aliis S. *Cyprianus*, ſic ſcribens: (*n*) *Hic eſt Lapis in* (Lib.) Βασιλείων, *quô David frontem Goliæ percuſſit & occidit*; (de Chriſto nempe illic loquitur, & eum vocat Lapidem;) *ſignificans Diabolum, & ſervos ejus inde proſterni, victâ ſcilicet eâ Capitis parte, quam ſignatam non habent. Quô ſigno nos & tuti ſemper ſumus, & vivimus.* Et S. *Hieronymus*, ſic nobis *Lapides fundæ* illuſtrat: (*o*) *Filii Sion, protecti à Domino ſuo, devorabunt adverſarios ſuos. - Et ſubjicient Lapidibus fundæ; comminationibus Scripturarum, de adverſariis ſuis, ſubjectos humilesq; facientes. Nihil enim ita percutit, ut exemplum de Scripturis ſanctis, & teſtimonium, rotatû oris emiſſum.--Salvabit quoq; eos Do„minus.-- Quia lapides ſancti volventur ſuper terram ejus: quia tantùm erunt † leves, & in ſublime nitentes, ut non præſtolentur ædificantium manus, ſed ipſi feſtinent imponi ſuper* (*p*) *fundamentum Chriſti, & contineri angulari Lapide.* Doctus autem Commentator in Apocalypſin inter opera S. *Ambroſii*, ſic de hoc typo ſcribit: (*q*) *Per* baculum *quô homo ſuſtentatur, Apoſtoli deſignantur; qui Chriſtum quaſi ſuſtinuerunt, cum opus propter quod in Mundum venerat, compleverunt.-- Per* Peram *autem, ejus humilitas deſignatur;* per quinq; lapides, *quinq; Libri Moyſi, quos in* peram *miſit: quia ſcientiam quinq; Librorum, homini quem aſſumpſerat, dedit. Per* fundam *autem, ejus linguam* * *accipere poſſumus... Proceſſit Salvator noſter contra Philiſtæum, quando ductus eſt in deſertum à Spiritu S. ut tentaretur † a Diabolo, vinceretq; Diabolum.* Quinq; lapides *David in peram miſit, ſed ex* uno *Goliam proſtravit: quia Salvator noſter ſcientiam quinque Librorum æquè poſſedit,*

(*l*) *Pſal.* 67. (*al.* 68.) *v.* 22. & *Hab.* 3. *v.* 13. 14. (*m*) *Homil.* 31. *inter* 50. *Homil. Tom.* 10. *Et inde Gloſſ. Ordin.* 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 17. (*n*) *Cyprian. Teſtimon. adv. Judæos, Lib.* 2. *cap.* 16. (*o*) *S. Hieron. Comm. in Zach. cap.* 9. *v.* 15. 16. † *H.e. expediti, liberiq; ab onere terrenarum cupiditatum, & per conſequens, perpoliti, ſimi, lævigati, quales fuerunt* 1. *Reg.* (*al.* 1 *Sam.*) 17. *v.* 40 *ut jam inſinuavimus:* §. 2. *h. cap.* (*p*) 1. *Cor.* 3. *v.* 11. *Eph.* 2. *v.* 20. (*q*) *In Apoc. cap.* 6. *v.* 7. * *Hoc eſt, omnem prædicationem, per ejus fideles Servos, tam ore quam ſcriptis factam.* † *Matt.* 4. *v.* 1.

Digitized by Google

poſſedit, ſed ex uno, *id eſt, Deuteronomio*, (*r*) *tria teſtimonia aſſumſit, ex quibus tres tentationes Diaboli devicit.* Hæc omnia talia ſunt, in quibus ii, qui *habent ſenſus* in Scripturis *exercitatos*, (quod & de aliis SS. Patrum teſtimoniis jam † monuimus,) plura etiam in dies ſuperædificabunt.

V. Parva etiam res videtur in ſe (quoad majeſtatem Spiritûs) illud eſſe, (ut hoc jam ſit aliud pro *Regula* illuſtranda exemplum,) quòd S. *Jacob* Patriarcha (*ſ*) *virgas* decorticatione variegatas *poſuit* coram pecudibus adaquandis; ut *in aſpectu earum concipientes, variis coloris* inde pecudes *parerent*, quæ pro mercede ſervitutis ipſi cederent. At verò ex Spiritûs Dei ſcopo, ingens illic latet myſterium ad Chriſtum & Eccleſiam. Hinc S. *Juſtinus* Martyr rectè obſervat, (*s*) *virgas* haſce Jacob, *in lacus aquarum miſſas, ut fœta fierent oves avunculi ſui*, Lignum illud vitæ, nempe Chriſtum, ejuſque *Crucem*, ſeu doctrinam Evangelicam de *Cruce* & ſalute humani generis per *crucem* parta, præfiguraſſe; ipſas autem *oves* (ſeu *pecudes*) maculoſas & variis coloribus diſtinctas, ipſos fideles Novi Teſt. ex variis & multiformibus Nationibus redemptos & vocatos ſignificaſſe. (*t*) *Servit* (inquit) *Jacob Labano, pro* † *maculoſis & variis pecoribus; ſervivit quoque ſervitutem ad crucem usq; Chriſtus, pro* * *variis & multiformibus omnis generis hominibus, ſanguine & ſacramento crucis eos aſſerens.* Eruditè etiam S. *Ambroſius* (uti ſolet) de hoc typo ſcribit hunc in modum: (*u*) *Quaſi mercenarius ingreditur juſtus*, (ſcilicet Jacob myſticus,) *& Rector eſt; qui ſibi Gregem multarum præſtantiumq; virtutum ſplendore fulgentem, EVANGELICÆ PRÆDICATIONIS MINISTERIO colligebat; ut potaturis ovibus virgam* (*v*) *ſtyracinam, & nucinam, & de platano proponeret in canalibus, quò concupiſcentes beatiſſimæ Trinitatis præfigurata myſteria, haudquaquam decolores fœtus, pia mentis conceptione formarent.-- Per* ſtyracem *ſignificatur incenſum & ſacrificium veſpertinum*, (*x*) *quod Deo Patri defertur in Pſalmo. Per* nucinam virgam, *Sacerdotale Chriſto munus defertur. Hæc enim* Virga *Aaron, quæ repoſita* (*y*) *floruit.- Per* platanum, *ſpiritalis fructûs ſignificatur ubertas: quia arbori huic vitis annectitur, ut ejus læta conſortio, in partus ſe ſe uberes fundat.* Hæc ille.

VI. In his innuit implicitè S. *Ambroſius*, per curam atque ſollicitudinem ingenioſam & laborioſam S. *Jacob* Patriarchæ Paſtoralem in ovibus & gregibus ſuis augendis, præfiguratam olim fuiſſe *Evangelicæ prædicationis*

 Jacob

(*r*) *Deut.* 8. *v.* 3. *& cap.* 6, *v.* 16. *& cap. eod. v,* 13. *collat. cum cap.* 10. *v.* 20. *Confer hic Matth.* 4. *v.* 4. 7. 10. † *H. Claſſ.* 3. *c.* 1. §. 9. 10, *&* 11. *p.* 431. *&* 432. (*ſ*) *Gen* 30. *v.* 37.--40. (*s*) *Dialog. cum Tryph. pag.* (*mihi*) 312. *collat. pag.* 312. (*t*) *S. Juſtin. Dialog. cit. pag* 364. † *Græc.* ὑπὲρ τῶν ῥαντῶν ϗ πολυμόρφων. * *Confer hic S. Iren. Lib.* 4. *adv Hær. cap.* 38. (*u*) *S. Ambr. de Jacob & vit. beat. Lib.* 2. *cap.* 4. *in Gen.* 30. *Tom.* 1. (*v*) *Ita, juxta LXX. Gen.* 30. *v.* 37. (*x*) *Pſal.* 140. (*al.* 141.) *v.* 2. (*y*) *Num.* 17, *v,* 8.

Jacob myſtici, hoc eſt, Chriſti & fidiſſimorum ejus Servorum in N. Teſt. *miniſterium*. Ubi ſubindicat etiam, Paſtoralis illius ingenioſæ ſollicitudinis, hunc præcipuum effectum fuiſſe, ut ipſe Patriarcha potaturis ovibus & aliis pecudibus, dum tempus congreſsûs earum eſſet, *virgas* diverſi coloris ex arboribus diverſis, in conſpectu poneret, ut ex earum aſpectu, varii coloris fœtus pro ſua mercede conciperent & parerent. [Quarum *virgarum*, tum de numero earundem ternario, tum de ſpeciebus (juxta LXX.) myſterium, ab eodem S. *Ambroſio* explicatum, jam (z) audivimus.] Egregiè ſanè ſollicitudo & ars illa Paſtoralis, quâ J*acob* per *virgas* diverſis coloribus per decorticationem variatas, auxit numerum ſuarum pecudum, refertur ut figura ad *miniſterium prædicationis Evangelicæ*. Quæ figura tunc reverà impletur ſpiritualiter, quando Servi Chriſti, ut verè ejus Servi, ac verè ejus nomine agentes, tum in prædicando, ſcilicet, ore vel ſcriptis proponendo verbo Dei, (quod in penetrantiſſima ſua efficacia juxta Hebr. 4. ℣. 12. conſideratum, unà cum doctrina inde fluenti, (a) *Virga* regens eſt ſpiritualiter,) tum in uſu auctoritatis ſuæ à Deo acceptæ, (quæ etiam (b) *virga* quædam eſt coërcens,) idoneam augendo Gregi ſacro ſervant prudentiam; ut qui jam ipſi in Scripturæ S. & SS. Doctorum inſtructionibus ſunt exercitatiſſimi. Videlicet, non virulentiâ, nec ‡ violentiâ aliquâ erga perſonas convertendas, pecudibus quodam modô ſimiles, & *aquâs* doctrinæ cœleſtis ſitientes utuntur, neque etiam utcunque, frigidè & perfunctoriè, ſed magna cum ſollicitudine & efficacia Spiritûs, verbum Dei diverſis expoſitionibus, ſed harmonicè in unum tendentibus illuſtratum, (*cortice* † literæ pro utilitate audientium vel legentium, nunc amotô, nunc verò relictô,) manſvetè iiſdem proponunt; ita illud, cum variæ *crucis* * per ejuſdem doctrinam requiſitæ, ceu *virga* caſtigantis conſtanter tolerandæ potenti ſvaſione commendantes ipſis & inculcantes, ut aliis omnibus, quæ ſunt terrena, à tergo relictis, in iſtud unum intentiſſimè *oculos* mentis defigant. Unde ultrò jam ſequitur, quòd qui ſic docendi munus exercent, illi omni operâ id agunt, ut auctoritate quoque ſuâ, quâ aliis præeminent, † *non ad deſtructionem*, ſed *ad ædificationem* utantur: quod in præſenti typo implendo,

(z) §. *V. h. cap.* (a) *Iſa.* 11. *v.* 4. *collat. Ezech.* 4. *v.* 16. *&* 14. *v.* 13, (*quoad myſticum ſenſum*;) *&* *Pſal.* 109. (*al.* 110.) *v.* 2. (b) 1. *Cor.* 4. *v.* 21. *collat. Pſalm.* 2. *v*, 9. *&* 44. (*al.* 45.) *v.* 7. ‡ *Huc facit illud* Didaci *Alvarez à Medina* (*Comm. in Iſa.* 2. *v.* 4. *n.* 15.) *monitum*: Pacificâ prædicatione, ſanctitate vitæ, & aratrô verbi Dei ſunt corda hominum ad Fidem diſponenda. Hoc & Chriſtus diſcipulis præcepit. *&c.*-- hoc hactenùs ſervavit pia Mater Eccleſia. *Item*: Introducatur Evangelium patientiâ & manſvetudine. *Et mox*: Hoc eſt gladios in vomeres, & lanceas in falces conflare; videlicet, inſtrumenta bellica in organa pacifica Verbi Dei convertere.--Dei verbo, & prædicatione pacificâ, dura & terrena hominum corda proſcindantur. *Hæc ille.* † *Vide S. Gregor, infr.* §. 8. *h. cap.* * *Matth.* 16. *v.* 24. *&* *Luc.* 9. *v*, 23. † 2. *Cor.* 13. *v*, 10.

Digitized by Google

implendo, ac pro augendis, in tot tantiſque Chriſtianorum noſtri temporis inter ſe diſſidiis, Chriſti ovibus, ita fiet, ſi abdicato omni ſpiritû virulentæ contentionis, nimii in alios à nobis diſſidentes rigoris, mutuiq; horroris, in ſpiritu potiùs ſanctæ charitatis, modeſtiæ & manſvetudinis, ad captum & utilitatem diverſorum in tam diverſis Sectis & Nationibus auditorum & lectorum, ſanctè ſe ſe accommodent, minoraque in iis, & eſſentiam Fidei, ſtatumque Eccleſiæ non evertentia tolerent, usq; dum hâc viâ ſanctæ charitatis de omnibus controverſiis in dies meliùs informari poſſint: conſiderantes inprimis, quòd multi ſunt inter errantes, qui non tam pertinaci malitiâ, quàm ex mera ſimplicitate errant; neque etiam dubitantes, quin Deus in ſuis conſiliis ſummè admirabilis, ex tot tamque multiformibus Sectis, atrociter inter ſe digladiantibus, multiformis ſuæ ſapientiæ theſauros detecturus, ingensq; Eccleſiæ ſuæ bonum, ſupra omnem captum ſpemq; humanam, cum tempore educturus ſit. Qui hoc modo ſe ſe accommodant, non eſt dubium, quin per illorum pios labores, in hac humanitùs planè deſperata (ob tot virulentas contentiones) rerum Eccleſiaſticarum facie, typus geſtorum *Jacob* memoratorum impleatur, Gregesque, varii quidem primô intuitû, ſed tamen unius ejuſdemq Chriſti unum in fide & Spiritu peculium, ex tot Sectarum nunc ſequacibus, numeroſè cum tempore naſcantur.

VII. Ut autem quis bona cum conſcientia modô illô deſcriptô ſe conformare poſſit, debet ille, juxta S. *Bernardum* (c) geminâ hâc virtute, ſcilicet, feriâ jugique *de malis* (ſeu peccatis) *pœnitentiâ*, & (juxta menſuram gratiæ ſibi collatæ) *abſtinentiâ* ab iiſdem, munitus eſſe. (Quod eſt, Deo totum addictum eſſe.) Sic, *utriusq;* hujus *virtutis benè conſcius animus*, (ut idem S. *Bernardus* (d) loquitur,) *ſecurè jam ſe ipſum deſerat, & quodam modo perdat, ut alios lucrifaciat. Cum infirmantibus* (e) *infirmetur, uratur cum ſcandalizatis; fiat etiam* (*ſi oporteat*) *Judæis* (f) *Judæus, nihilq; formidet cum tali conſcientia, exemplo* (g) *Hieremiæ vel* (h) *Ezechielis, in Ægyptum vel in Chaldæam cum transgreſſoribus captivari, & cum ſancto* „*Job*, (i) *frater fieri Draconum, & ſocius ſtruthionum; cum Moyſe quoque,* „(*quod gravius eſt,*) (k) *deleri de Libro Dei, & cum Paulo* (l) *anathema* „*eſſe à Chriſto pro fratribus, non timeat cum tali conſcientia: ipſam denique, ſi neceſſe eſt, intrare Gehennam ſecurus, medias penetrans flammas, latâ de-*„*cantet conſcientiâ:* (m) *Et ſi ambulavero in medio umbra mortis, non ti-*„*mebo mala, quia tu mecum es.* Ac pauculis lineis interjectis ſubjicit: *Et hanc fiduciam operatur charitas de corde puro, & conſcientia bona.*

Hæc

(c) *Epiſt. 42. ad Henric. Archiepiſc. Senonens.* (d) *Loc. cit.* (e) 2. *Cor.* 11. *v.* 29. (f) 1. *Cor.* 9. *v.* 20. (g) *Jer.* 43. *v.* 6. (h) *Ezech.* 1. *v.* 1. (i) *Job.* 30. *v.* 29. (k) *Exod.* 32, *v.* 32. (l) *Rom.* 9. *v.* 3. (m) *Pſal.* 22. (*al.* 23.) *v.* 4.

Hæc ille. Qui ergò tales ſunt, illi ut (*n*) *firmiores*, libenter *imbecillitates infirmorum* in fide *ſuſtinent*, ac intrepidè (*o*) *infirmis infirmi*, & *omnibus omnia* fiunt, *ut omnes* (quantum in ipſis ſtat) *ſalvos faciant*, Chriſtoque oves ac pecudes in ſpeciem *varii coloris*, ab uno tamen eodemque Chriſto Domino ut unico ſalutis authore in veræ charitatis exercitio dependentes, ex tot diverſis Sectis, diverſiſque Nationibus *in* (*p*) *unitatem Fidei* congregent, ac per hoc typo *Jacobæo* in rei veritate plenè reſpondeant. Nec aliter, (crede certò,) niſi per hujuſmodi pios, modeſtos, pacificos & prudentes Prædicatores jam deſcriptos, vera, ſancta & ſalutaris poſt tot rupturas in Populo Chriſtiano *unitas* conciliabitur & reſtaurabitur: quam tamen fieri debere, & omninò futuram eſſe, tam certum eſt, quàm verum eſt, verbum Dei (*q*) nec fallere nec falli unquam poſſe. Diſcant rigidiores pro præſenti Chriſtianorum ſtatu, ſanctam à S. *Juſtino* Martyre (*r*) tolerantiam infirmorum Chriſti fidelium, modumque talis tolerantiæ; mitiores verò, ejuſdem ſe exemplo (poſt S. Scripturam) hoc tempore muniant: cujus tolerantiæ exemplum, pro motivo modeſtiæ & manſvetudinis erga diſſidentes à nobis Chriſtianos tenendæ, jam alibi quoque (*ſ*) produxi in medium.

VIII. Ut verò uberiorem adhuc de tam eximio typo *Jacob* hactenus illuſtrato lucem, pleniusq; pro *Regula* noſtra robur accipiamus; placet hîc (antequam ad ulteriora progrediar,) Sancti quoque *Gregorii* M. piam & eruditam de eodem typo expoſitionem ſubjungere: qui præmiſsô ſacrô „(Genes. 30. ✠. 37. 38. 39.) textû; (*s*) *Tollens Jacob virgas populeas viri*„*des, & amygdalinas* &c. ſic ſcribit: *Quid eſt virgas virides, amygdalinas & ex platanis ante Gregum oculos ponere, niſi per SCRIPTURÆ SACRÆ ſeriem, * antiquorum Patrum vitas atq; ſententias in exemplum populis præbere? Quæ nimirum, quia juxta rationis examen recta ſunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem ſubtrahit, ut in his, quæ exſpoliantur, intimus candor appareat; & ex parte corticem ſervat, ut ſicut fuerant exteriùs, in viriditate permaneant; variusq; virgarum color efficitur, dum cortex ex parte ſubtrahitur, ex parte retinetur. Ante conſiderationis enim noſtræ oculos, præcedentium Patrum ſententiæ, quaſi virgæ variæ ponuntur. In quibus, dum plerumq; intellectum literæ fugimus, quaſi corticem ſubtrahimus; & dum plerumq; intellectum literæ ſequimur, quaſi corticem reſervamus. Dumq; ab ipſis cortex literæ ſubducitur, allegoriæ candor interior demonſtratur; & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla monſtrantur.*

(*n*) *Rom.* 15. *v.* 1. (*o*) 1. *Cor.* 9. *v.* 22. (*p*) *Eph.* 4. *v.* 13. (*q*) *Matth.* 24. *v.* 35. & *Marc.* 13 *v.* 31. *collat Luc.* 16. *v.* 17. (*r*) *Dialog. cum Tryph. pag.* (*mihi*) 265. & 266. (*ſ*) *In* Læt. Nunc. *Præfat. ad Lect. ſub fin.* (*s*) S. *Greg. Moral. in Job. Lib.* 21. *cap.* 1. (*ſcil. in cap.* 31. *Job.*) *in Proœmio.* * *Patres & Prophetas hic Vet. Teſt. intelligit, ut contextus oſtendit.*

monſtrantur. Quas benè Jacob in canalibus poſuit: quia & Redemptor noſter, in Libris eas † *Sacra Scientia, quibus nos intrinſecùs infundimur, fixit. Has aſpicientes arietes cum ovibus coëunt: quia rationales noſtri ſpiritus, dum in earum intentione defixi ſunt, ſingulis quibusq; actibus permiſcentur, ut tales fœtus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus Præceptorum vident, & diverſum colorem proles boni operis habeat: quia & nonnunquam ſubtractô cortice literæ, acutiùs interna conſiderat, & ſervatô nonnunquam hiſtoriæ tegmine, benè ſe in exterioribus formas.* Hæc pio & erudito lectori, ſtimuli etiam loco eſſe poſſunt, ad ulteriorem myſterii hujus *typi* inquiſitionem. Et, ſi quis fortè, vel imperitus, vel contentioſus dubitaret, num myſterium aliquod futuri in geſtis *Jacob* toties memoratis ſit quærendum; is, accipiat validiſſimum S. *Auguſtini* argumentum, ex diverſitate ſpeciei (*t*) *virgarum* deſumptum; quæ diverſitas ad ſolam naturalem propagationem varii coloris pecudum, non magis conferebat, quàm ſi ex una tantùm ſpecie virgæ ſumptæ & variegatæ fuiſſent: unde rectè concludit idem S. Doctor, (*u*) *rem iſtam cogere* nos, ut *prophetiam* hîc *inquiramus & aliquam myſticam ſignificationem*; *quam* rem, ait ille, *ſine dubio ut Propheta fecit Jacob.* Hæc de *primo Regulæ* noſtræ membro dicta ſunto.

IX. Dicamus jam aliquid etiam de *ſecundo* ejuſdem *Regulæ* membro. Sic, v. gr. auditû horrendum, & à parte facientis erubeſcentiâ plenum hodie eſſet exemplum inter Chriſtianos, ſi Vir uxorem habens, ſine hæſitatione accederet ad ancillam, (idque tantò magis ſtupendum foret, ſi uxore conſulente vir id faceret,) prolemq; ex ea ſuſciperet; quod fecit olim *Abram*, (dictus deinde *Abraham*,) idq; (*v*) ex conſilio ſuæ uxoris *Sarai.* At verò docet nos S. Apoſtolus, myſterium hîc ex Dei ipſius conſilio latuiſſe: ſcilicet, ut per (*x*) *Ancillam* ejusq filium, Synagoga *elementis Mundi*, ritibus ac cortici literæ ſerviens, & ſervire porrò quoque volens adumbraretur; per *Saram* verò ſeriùs, & quidem ex Divino promiſſo concipientem ac parientem, Eccleſia Novi Teſt. remiſſione peccatorum donata, & à jugo ſervitutis *elementorum Mundi* liberata ſignificaretur. Qua de figura gemina, ſi cui placet, poteſt conſulere etiam S. *Auguſtinum* in opere de (*y*) Civitate Dei.

X. Multò magis autem horrendum illud hodie eſſet, quod fecêre (*z*) *filiæ Loth* cum Patre ſuo, & Pater cum ipſis: ſed & in hoc, magnum divinô conſiliô, futurarum duarum Congregationum, ex ſemine Verbi & Spiritûs progenerandarum, & fidei unitate uniendarum, myſterium præ-

† Virgas *nempe ſpirituales ſupra indicatas*; *h. e.* Vitas & ſententias *Sanctorum Vet. Teſtamenti.* (*t*) *Quæſtion. ſuper Gen. Lib.* 1. *Quæſt.* 93. *Tom.* 4 (*u*) *Ibid* (*v*) *Gen.* 16. *v.* 2. 3. 4. (*x*) *Gal.* 4. *v.* 22.--28. (*y*) *Lib.* 15. *de Civ. Dei, cap.* 2. & 3. *collat. Lib.* 16. *cap.* 25. (*z*) *Gen.* 19. *v.* 31.--38.

monſtratum fuiſſe, rectè SS. Patres obſervârunt. Ita hac de re ſcribit S. Irenæus: (*a*) *Neſciente homine, neq; libidini ſerviente, diſpenſatio perficiebatur; per quam duæ filiæ, id eſt, duæ Synagogæ, ab uno & eodem Patre in ſobolem adoptatæ ſignificabantur, ſine carnis libidine.* Et paulò infra: *Pater autem generis humani, Verbum Dei eſt, quemadmodum Moyſes oſtendit dicens:* „(*b*) *Nonne hic ipſe Pater tuus poſſedit te?* &c. *Quando igitur hic, vitale ſemen, id eſt, Spiritum remiſſionis peccatorum, per quem vivificamur, effudit in humanum genus, nonne tunc* † *converſabatur cum hominibus, & bibebat* „*vinum in terra?* (*c*) *Venit* (*inquit*) *Filius hominis manducans & bibens;* „*& cum recubuiſſet,* (*d*) *obdormivit, & ſomnum cœpit.-- Et quoniam in no-*„*ſtra communicatione & vita hoc agebatur, iterum ait:* (*e*) *Et ſomnus meus* „*ſuavis mihi factus eſt. Totum autem ſignificabatur per Lot; quoniam ſemen Patris omnium, id eſt, Spiritus Dei, per quem facta ſunt omnia, commixtus &* * *unitus eſt carni, hoc eſt, plaſmati ſuo: per quam commixtionem & unitatem, duæ Synagogæ, id eſt, duæ Congregationes* [natæ ſunt] *fructificantes ex Patre ſuo filios vivos Deo.* Hæc ille. Duorum nempe Populorum, *Judæorum* videlicet & *Gentium* Eccleſias Chriſto Domino in Novo Teſt. collectas, intelligit per *duas* haſce *Synagogas.* Sic etiam, quòd (*f*) *Jacob* duas habuerit ſimul uxores, eaſque germanas ſorores, communiter SS. Patres explicant, de duobus Populis; hoc eſt, (*g*) *Liam oculis lippientem*, ætateque majorem, de Eccleſia è Populo antiquiori, ſeu Judaico colligenda; & *Rachelem* juniorem, de Eccleſia ex Gentibus aſſumenda.

XI. „Si quæras de exemplis allatis; Cur talia Deus olim ſuis Sanctis permiſerit? ſcito, non pertinere hîc ad meum ſcopum, ut hujuſmodi nodos pro rei merito nunc ſolvam: id enim plus eſſet, quàm ſolam tradere *Clavem Propheticam*, eamque, quà fieri poteſt, breviter & abſque mole magna. Hoc tantùm nunc dico; Deum certas ſemper & ſapientiſſimas habere rationes, quibus aliquid vel faciat, vel permittat, vel prohibeat; quibus perſpectis, de re etiam facta, permiſſa, vel demùm poſteris prohibita, judicium ferri poteſt. Tu ſcis, legem tibi talem atque talem jam eſſe poſitam; illi ergo Legi (imploratô auxilio cœleſti) te accommodes. Cave interim, ne nimis curioſè de majorum exemplis inquirendo, non tam veritatem inquiras, quàm fortè veterum Sanctorum vitam vellices, aut ſaltem ſcire te aliquid inani contentione jactes. Memor etiam eſto, quantum ad magnos illos Sanctos, dicti illius Apoſtolici; (1. Tim. 1. ℣. 9.) *Lex ju-*

(*a*) *Iren. Lib. 4. adv. Hær. cap. 51.* (*b*) *Deut. 32. v. 6.* † *Al.* converſcebatur. (*c*) *Matt. 11. v. 19.* (*d*) *Luc 8. v. 23. collat. Matt. 8. v. 24 & Marc. 4 v. 38.* (*e*) *Jerem. 31. v. 26.* * *Ad myſterium* unionis *naturarum in Chriſto duarum collimat.* (*f*) *Gen. 29. v. 23. 27. 28.* (*g*) *Vid. S.* Juſtin. *Dial. cum Triph. pag.* (*mihi*) *364. &* S. Ambros. *de Jacob & vit. beat. Lib. 2. cap. 5.*

Lex juſto non eſt poſita; & alterius ei conformis illuſtrationis Ambroſianæ: † *Juſtus ipſe ſibi Lex eſt, non habens neceſſe longiùs ſibi arceſſere formam virtutis, quam corde incluſam gerit, ſcriptum habens opus Legis in tabulis cordis ſui.* Si in timore Domini, ſanctaque humilitate, Scripturam S. aſſiduè legeris, ejuſque lectioni SS. Patres adjunxeris, paulatim pateſcent tibi ea etiam, quæ te primò intuitù in talibus exemplis offendunt. Expecta ergò patienter pleniorem in dies de talibus à Deo inſtructionem, & progredere nunc in illis, in quibus faciliorem intelligentiæ arcanorum vides aditum; ſupponens interim & de exemplis allatis, (*h*) *mundiores eſſe oculos* Dei, quàm ut *malum aſpicere* poſſet; ideòque Spiritûs Dei intentionem in iis & ſimilibus, puriſſimam & ſanctiſſimam eſſe, & homines non niſi ad puritatem & ſanctitatem etiam per talia, adducere eum velle. Cæterùm, qui Sanctorum Partriarcharum in exemplis allatis excuſationem per SS. Doctores magni nominis jam olim datam, videre vult; præter eorum volumina, conſulat ea ſaltem, quæ ex iiſdem, partim apud (*i*) *Gratianum*, partim apud (*k*) *Feuardentium* eum in finem ſunt excerpta; quibus addat ſpecialiùs de *Abrahamo* & *Jacob* ea, quæ in celeberrimo opere de *Civitate Dei* apud S. *Auguſtinum* (*l*) habentur; ſummatim autem teneat eruditum & pium illud S. *Irenæi* monitum: (*m*) *De quibus Scripturæ Patriarchas & Prophetas non increpant, nos non debere fieri* (eorum) *accuſatores: non enim ſumus diligentiores Deo*, (*n*) *neq; ſuper Magiſtrum poſſumus eſſe; ſed typum quærere*, ſcil. debemus. Interim, ſi cui placet, & Authorem ad manum habet, videat etiam Franciſcum *Ruizium* (*o*) (Reg. 81.) de hoc argumento. Hæc de *ſecunda* Typorum *Regula* ſatis.

CAPUT III.

In quo, Regulæ *quinque, ſcilicet* tertia, quarta, quinta, ſexta & ſeptima *hujus tertiæ Claſſis traduntur: quarum* tertia, *ex* magnificentia *etiam* rei *narratæ cognoſci eam eſſe typicam*; quarta, *unius* rei diverſos *eſſe typos*; quinta, *unius* typi, varia *in eadem re ſignificata*; ſexta, *unius* typi differentia (*diverſo reſpectu*) *eſſe objecta*; & ſeptima, *qualis potiſſimùm* ſenſus *in typis ſit ſpectandus, docet.*

REGULA III.

I. *SÆpè ipſa quoq; magnificentia rei in Hiſtoria ſacra narrata, prodit eam typicam eſſe futurorum.* Exemplis *Regula* erit clariſſima.

II. Sic v. gr. quòd *Jacob* cum Deo (*a*) *luctatus* eſt, ratione ipſius *Jacob* ſanè magnum & arduum erat: non igitur acquieſcendum in nuda

tantùm

† *Ambr. in Pſal. 104. ad Simplician. Tom. 2.* (*b*) *Hab. 1. v. 13.* (*i*) *Cauſ. 32. Qu. 4. cap. 1. 3. & 7. ex S. Auguſt. & S Ambros.* (*k*) *Feuard. Not. in Iren. Lib. 4. cap. 51. num. 1. ex Origen. Chryſoſtom. Theoderet. Auguſt. & Eucher.* (*l*) *De Civitat. Dei Lib. 16. c. 25. & 38.* (*m*) *Lib. 4. adv. Hæres. cap. 50.* (*n*) *Matt. 10. v. 24. & Luc. 6. v. 40.* (*o*) *In Libello, cui titulus;* Regulæ intelligendi ſacras Scripturas. *fol. 57.* (*a*) *Gen. 32. v. 24. 25.*

tantùm ejus *lucta* litera, ſed cum SS. Patribus altius hîc quærendum eſt myſterium de futuro. Jacob nimirum hoc in exemplo, nocte *ſolus* uſque ad *auroram* & *mane* cum Deo *luctans*, ſignificat myſticum *Jacob* in ſanctis & electis Novi Teſt. Dei nempe Populum Chriſti Spiritû animatum, in nocte tribulationum hujus Mundi, velut ſolitariè & in ſecreto mentis, fide & precibus cum Deo luctantem, (quales erant Apoſtoli, eorumque diſcipuli, Act. 1. ℣. 14. & ante hos illi, ceu primæ primitiæ Nov. Teſt. *conſolationem* & *Redemptionem Iſraëlis* avidè *expectantes*, Luc. 2. ℣. 25. 38.) uſque dum *aurora* & *mane* Divinæ miſericordiæ Eccleſiam Dei exhilarans illuceſcat. Lucem his præbent illa S. *Ambroſii* verba: (*b*) Jacob, *qui cor ſuum ab omni ſimultate mundaverat, ut PACIFICUM affectum gereret, poſtquam præmiſit omnia ſua, ſolus remanſit, & luctatus eſt cum Deo. Quicunq; enim ſæcularia negligit, ad imaginem ſimilitudinemq; Dei propiùs accedit. Quid eſt enim luctari cum Deo, niſi virtutis ſuſcipere certamen, & cum Superiore congredi, potioremq; ceteris imitatorem fieri Dei? Et quia inſuperabilis erat fides ejus atq; devotio, ſecreta et myſteria Dominus revelabat, tangens latitudinem fæmoris ejus; eò quòd, ex ejus erat generatione Dominus Jeſus oriundus ex Virgine.* Et paulò infra: *Sol ei † oritur juſtitia, qui Deum cernit; quia ipſe eſt Lumen æternum. Claudicavit autem* (*c*) *Jacob à fæmore ſuo; propter hoc non manducabant filii Iſraël * nervum uſq; ad diem hanc. Utinam manducâſſent, & credidiſſent. Sed quia non erant facturi voluntatem Dei, ideò non manducaverunt. Sunt & qui ita accipiant; quòd ideò claudicaverit ab uno fæmore* Jacob, *quia duobus † populis ex ejus generatione manantibus, unius* (nempe carnaliter Judaici) *ſtupor etiam tunc circa fidei gratiam declarabatur futurus. Ipſe eſt ergò populus, qui ſtupore perfidiæ claudicavit.* Hæc ille.

III. Sic etiam factum *Jóſua* circa *Jericho*, (Joſ. 6. ℣. 3.---20.) circumire nempe eam cum *ſonitu tubarum*, etſi in ſe quoad murorum collapſum, (*circuitus* enim per ſe, *ſonusq;* naturalis ſuâ vi tantam, quanta in eo facto deſcribitur, ruinam inferre non valet,) videatur eſſe parvum quid; ſed reverà quoad ejus facti tam accuratum & ordinatum apparatum, & quoad rei eventum eſt valde magnum & memorabile. Non ergò ſubſiſtendum eſt hîc quoque in literali tantùm rei geſtæ narratione, ſed id diligenter in dies perſcrutandum, quodnam ſublime de futuris Eccleſiæ Nov. Teſt. rebus & victoriis myſterium illic ſit reconditum. Ad quod eruendum, non parva

(*b*) *S. Ambr. de Jacob. & vita beat. Lib. 2. cap. 6.* † *Reſpicit ad Gen. 32. v. 30. 31. collat. Mal. 4 v. 2.* (*c*) *Gen. 32. v. 32.* * Nervum *hic myſticè, pro nervo & medulla doctrinæ Scripturaria accipit S.* Ambroſius. † *Scilicet, uno* ſpirituali, *altero merè* carnali *Iſraële.*

non parva lux ex cognita *Tubarum* (*d*) Scripturæ S. ſignificatione myſtica affulget, collatis iis, quæ ſupra ex erudito Commentatore in Apocalypſin, de hac ſacra & typica *Joſuæ* proceſſionali pompa (*e*) in medium attuli. Quibus adde ſequentia S. Auguſtini: (*f*) *Hac conſvetudo Tuba eſt, ut delinquentium opera † diſſipet, & Sanctorum facta confirmet. Denique, Sacerdotalibus Tubis Hiericho muri, qui intra ſe continebant peccatorum populum, corruerunt. Non illos pulſavit aries, non expugnavit machina; ſed quod mirum eſt,, Sacerdotalis ſonus, aut Tuba terror evertit. Aluri, qui adversùs ferrum inexpugnabiles extiterant, ſacrâ Tubarum voce colliſi ſunt. - - Sacerdotales illius temporis Tubas, quid aliud præfiguráſſe credimus, quàm hujus temporis Sacerdotum PRÆDICATIONES, per quas non ceſſant terribili ſono, auſterum judicium nunciare, triſtem Gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis ſtrepitû, aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc* Tubarum clangor, *deſtructis cæmentorum muris, ad populi interiora pervenit; ita nunc PRÆDICATIO Sacerdotum, deſtructis pravis cogitationibus, ad anima nuda pertranſit.* Hæc ille.

IV. Similiter cum legis Davidem (*g*) *lapide* ſuæ *funda* in capite planè percuſſiſſe *Goliathum*, & proprio ejuſdem *gladio caput ei præcidiſſe*, ipſumque *caput Hieroſolymam* (ſucceſsû temporis) *attuliſſe, arma verò ejus in ſuo tabernaculo depoſuiſſe*; hæc omnia tàm magnifica, & tàm magnificè de typica in Chriſtum perſona, enarrata, oſtendunt ultrò, magnum ea intra ſe futurorum continere myſterium. *Caput Goliathi*, eſt præcipua poteſtas Diaboli in Nationibus Mundi; quæ *Hieroſolymam*, hoc eſt, in Eccleſiam infertur, dum magnæ Mundi poteſtates per Evangelum ei eripiuntur, & Chriſto ejusq; Corpori incorporantur. Proprio *gladio præciditur* ei tunc *caput*, dum, S. *Gregorio* M. docente, propriis ſuis ſententiis & argumentis debellatur. (*h*) *Vir Catholicus* (inquit S. Gregorius,) *colligit teſtimonia Scripturæ, quæ affert Hæreticus, & erroris ejus pertinaciam inde evincit.* Et paulò pòſt: *Nos quoq; qui ſumus membra veri David, Hæreticos ſuis ſententiis vincimus.* Porrò, *arma Goliathi*, ſeu Satanæ, verus *David* infert tunc in *ſuum tabernaculum*, ibique *deponit*, cum Chriſtus per Doctores, non ſolùm facit (*i*) *arma juſtitiæ Deo* ex hominibus, quos Diabolus priùs ſeducebat, & quibus velut *armis* ſuis (*armis* nempe *iniquitatis*) contra Ec-

 cleſiam

(*d*) *Ut, Num.* 10. *v.* 2--10. *Iſa.* 27. *v.* 13. (*al. v.* 15.) *Joël.* 2. *v.* 1. *Soph.* 1. *v.* 16. *Zach.* 9. *v.* 14. *Apoc.* 8. *v.* 2. 6. & *cap.* 9. *v.* 1. 13. & 10. *v* 7. & 11. *v.* 15, *coll. cap.* 8. *v.* 13. *De his item accipe ex iis, quæ Claſſ.* 2. *cap.* 8. *ſub Reg.* 20. § 9. 10. 11. & *ſequ. de* Tuba *myſtica ſunt dicta. Et cap.* 10. *ſub. Reg.* 33. §. 41. & *cap.* 11. §. 11. (*e*) *Vid. ſupr. Claſſ.* 1. *Regul.* 4. *Cap.* 1. §. 12. *pag* 21. (*f*) *Serm.* 106. *de Temp. Tom.* 10. † *Reſpicit ad formidoloſos in bello. Conſule* Virgil. *Æneid.* 11. *v.* 426.-- ante tubam tremor occupat artus. (*g*) 1. *Reg.* (*al* 1. *Sam.*) 17. *v.* 49. 50. 51. 54. (*h*) *Moral. in Job. Lib.* 18, *cap.* 11. & *inde Gloſſ. Ordin. in* 1. *Reg.* (*ſeu* 1. *Sam.*) 17. *cap.* (*i*) *Rom.* 6. *v.* 13.

cleſiam utebatur, ſed & artem atque aſtutiam ejus, quâ homines penes ſe detinet, dietim denudat, & in magnam Domûs ſuæ, hoc eſt, Eccleſiæ ædificationem & defenſionem convertit; ut eò magis ſciant electi deinceps ejus technas præcavere. Ita etiam, dum *Gedeonis*, *Samſonis* aliorumque magnifica geſta legimus, ipſa geſtorum ſublimitatis conſideratio nos invitat ad hoc, ut præter literam myſteria etiam futurorum in iis rimemur & contemplemur. Succedat alia *Regula*.

REGULA IV.

V. „*Una eademq; res juxta Scripturas eventura, ob diverſos ſui ſta-* „*tus diverſasq; habitudines futuras, per varios ac varios in Scripturis ſacris* „*adumbratur typos.* Fundamentum *Regulæ* eſt: Quia res ſuo *typô* (quà tali) quantumlibet excellenti, multis gradibus eſt excellentior. Non mirum ergo, ſi per plures *typos* adumbretur.

VI. Sic Chriſti Domini paſſio, nunc in *Iſaac*, nunc in *Joſeph*, nunc in *Job*, nunc in *Moſe*, nunc in *Davide*, nunc in *Jona* fuit adumbrata. Ejus autem authoritas per Præſules & Doctores Eccleſiæ exercita & adhuc exercenda, in plurimis vario ac vario modô fuit præfigurata. Similiter S Eccleſia Nov. Teſt. nunc in *Sara*, nunc in *Rebecca*, nunc in *Lia* & *Rachele*, nunc in *Dina*, nunc in *Aſeneth* uxore Joſeph Ægyptiaca, nunc in *Rahab* meretrice, nunc in *Ruth* Moabitide, nunc in *Abigail*, nunc in *Bethſabee*, nunc in Salomonis conjugio, nunc in aliis typis fuit præſignificata.

REGULA V.

VII. „*Unus idemq; typus, in una eademq; re, (ob diverſos diverſis* „*temporibus ejuſdem ſtatus & incrementa,) variis atq; variis modis, tanquam* „*in tot diverſis coloribus ac formis impletur.*

VIII. Sic v. g. *Jobi* afflictiones in Chriſto variè implentur. Compendioſè enim in ipſius quoque perſona impletæ ſunt; ſed præcipuè implentur in dies in ejus myſtico corpore, ejuſque eximiis membris ſubinde. Item, *Davidis* liberatio ab hoſtibus ſuis, impleta quidem eſt & in Chriſti perſona; ſed in Corpore ejus myſtico, & hactenùs vario modô eſt impleta, & deinceps multò magis ita implebitur. Uberioris autem causâ lucis in hanc *Regulam*, conferat Lector Claſſis *Secunda* Regulam *ſextam*, & ea quæ pro eadem illuſtranda & fulcienda ſunt dicta. [Pag. 90. & ſequ.]

REGULA VI.

IX. „*Poteſt aliquando unus idemq; typus, diverſo modo ac reſpectû con-* „*ſideratus, rerum inter ſe differentium (imò & contrariarum) eſſe typus.*

X. Sic *Adam* primariò quidem Chriſti & electorum ſanctificatorum in ipſo eſt typus, quà nimirum in ſtatu *integro* conſideratur; ſed & peccatorum typus eſt, in quantum eſt *lapſus*. Sic *Jonas* Chriſti quidem eſt typus

Digitized by Google

typus præcipuè, ejuſque Eccleſiæ, in eximiis præſertim ſuis Doctoribus conſideratæ; ſed ex parte etiam quorundam murmurantium figura eſt. Ita, non eſt dubium quin *Jacob* Chriſti Domini ejuſque fidelium in Novo Teſt. Servorum, atque etiam totius populi ejus verè & ſpiritualiter *Iſraëlitici* typus ſit; (ut in ſuperioribus † edocti ſumus:) at verò audivimus & hoc ex S. *Ambroſio*, quòd idem ſuâ claudicatione, carnalem quoque illum *Populum* (Judæorum) præfiguraverit, * *qui ſtupore perfidiæ claudicavit.* Regulam noſtram firmat & illuſtrat etiam Cornel. à *Lapide* Canone 39. in Pentateuchum. Unde ſequitur, (collatâ hîc etiam proximâ *Regulâ* 5tâ huj. cap.) quòd ſi quid de *typo* non impletur in una re ſignificata, impletur in alia; vel quod non unô tempore, implebitur aliô.

REGULA VII.

XI. „*De typis, quamvis poſſit aliquid etiam literaliter in re ſignificata impleri, (dum id tale eſt, quod Dei gloriæ illuſtrandæ & Eccleſiæ ædificandæ ac conſervandæ poteſt benè inſervire;) attamen directè & primariò myſticus ſemper & ſpiritualis ſenſus, utpote literali ſublimior, in typis eſt ſpectandus & quærendus: imò maxima ex parte typi & res typica tales ſunt, quæ non aliter, quàm merè ſpirituali & ſublimiori ſensû debebant & debent in Novo Teſt. impleri.*

XII. Exempla pro primo *Regulæ* membro facilè petere poterit eruditus Lector, ſive à *Joſeph*, ſive *Job*, ſive *Moſis*, ſive à cujuſcunque perſonæ *typicæ* geſtis & deſcriptione, Chriſto Domino & ejus Eccleſiæ, vel Ductoribus ac Doctoribus Eccleſiæ accommodata. Pro poſtremo *Regulæ* membro ſtant plurima geſta veterum Sanctorum, & omnes ceremoniæ *Moſaicæ* Judæis peculiariter uſque ad Chriſtum datæ.

CAPUT IV.

In quo, Regula *hujus* 3*tiæ Claſſis* octava, *docet*, typos *Vet. Teſt. ad myſticum Chriſti corpus relatos, ex principali ſuo ſcopo, ad* ultima *ſpectare* tempora: *idemq; de* cæremoniis *quoq;* Moſaicis *dicendum eſt. Demùm, ſubjungitur peculiaris de* Chriſti *Domini* geſtis (*ut myſterio plenis*) obſervatio.

REGULA VIII.

I. *OMnes typi Vet. Teſt. quatenùs ad myſticum Chriſti Corpus referuntur, „principali ſuo ſcopô ultima ſpectant tempora; ita ut præcipuum ac „plenarium eorum (juxta datam limitationem) implementum, pro futuro „adhuc ſit expectandum.*

II. Ratio *Regulæ* eſt: Quia omnes illi typi, relativè ad myſticum Chriſti corpus (ſeu ad Eccleſiam & ejus membra) conſiderati, tales ſunt, qui ple-

† *Claſſ. 2. Cap. 3. §. 6. & Claſſ. 3. cap. 2. §. 6. & hoc cap. 3. §. 2.* * *Cit. §. 2. h. cap.*

qui pleniori ſuâ emphaſi, tam magnifica, tamq; ſublimia & intellectû difficilia atque ardua nobis monſtrant, ut ea hactenùs, non niſi in præludiis vel primitiis quibuſdam cenſeri poſſint eſſe impleta. Unde tenendum eſt, quòd dum SS. *Patres* quædam *typica* de præteritis S. Eccleſiæ rebus videntur explicare, (uti verba eorum ſonant,) per hoc nobis, qui tam multis poſt ipſos vivimus ſeculis, non præcludunt viam, altiùs & pleniùs omnia illa rimandi & exponendi de ultimis temporibus; imò ſæpè ipſi illam viam nobis monſtrant; dum non raró & ipſi talia *typica*, nondum videntes plenè eſſe impleta, de ultimis temporibus accipiunt: ut exempla ex illis ſupra (*k*) allata teſtantur. Aliquando verò ipſi, Deo diſponente, etiam aliud agendo, & ignari, prophetant ſubinde de futuris, in ſuis dictis & expoſitionibus: quod & ſupra (*l*) jam de illis monuimus. Et ne quis dubitet Sanctis tale quid nonnunquam (Deo dirigente) evenire, exemplum magni *Abrahami* conſideret; qui etiam ignoranter prophetabat olim de ſuî reditu cum *Iſaac* ex monte, verbis illis ad famulos dictis: (*m*) *Expectate hîc cum aſino: Ego & puer* Iſaac *illuc properantes, poſtquam adoraverimus, REVERTEMUR ad vos.* Ubi ad poſtrema verba de *reverſione*, eruditè ſubjicit S. Ambroſius: (*n*) *Prophetavit quod ignorabat.* Ignorabat enim id quod evenit; ſcilicet, cum *Iſaaco* in vivis relinquendo, ſe citò rediturum ad ſuos; non obſtante, quòd non dubitaverit (*o*) *Deum à mortuis etiam poſſe ſuſcitare* Iſaacum, & ipſi reſtituere. Confer etiam & excute benè ℣. 8. cap. 22. Gen. de eodem Abrahamo. Addendum hîc, quòd ſi nonnunquam ipſi quoq; mali, ſignanter in Populo Dei præſidentes, prophetant ignari, ex directione Divina, (ut *Cajapha* Pontificis exemplum oſtendit; Joan. 11. ℣. 49. 50. 51. 52.) quantò magis tale quid credendum eſt de bonis & ſanctis Dei Servis, quales ſunt SS. *Patres* Eccleſiæ, de quibus hîc loquimur? Sic, dum S. *Hieronymus* (*p*) ſub typo S. *David*, eximium profectum magni Sancti (verbis ſupra (*q*) jam allatis) deſcribit, qui nempe in incremento ſanctitatis *à Patriarchis ad Chriſtum pergit, hoc eſt*, (*r*) *in virum perfectum ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* proficit; certum eſt, quòd in illa tam magnifica deſcriptione (cui lucis causâ jungi hîc poteſt de Sancto excellenti deſcriptio *Tauleriana* ſupra (*ſ*) à nobis in medium producta,) Deo ipſum dirigente, ignoranter ac præter intentio-

(*k*) *Vide exempl. de* Joſeph *apud S. Ambros. ſupr. Claſſ. 2. Reg. 6. cap. 3. §. 7. & Claſſ. 3. Regul. 1. cap. 1. §. 7. ſub fin. Item, de* Joſue, *apud Authorem Comment. in Apoc. ſub nomine S. Ambros. ſupr. Claſſ. 1. Reg. 4. c. 1. §. 12.* (*l*) *Claſſ. 1. cap. 1. ſub Reg. 4. §. 14. p. 32.* (*m*) *Gen. 22. v. 5.* (*n*) *S. Ambr. de Abraham, Lib. 1. cap. 8. in cap. 22. Gen. Confer hîc* Baronium *in Vita S.* Ambroſii *de facto & dicto puerili ejuſdem S.* Ambroſii *ſimile ſcribentem, quòd ignarus ſe* futurum Epiſcopum *prædixerit.* (*o*) *Hebr. 11. v. 19.* (*p*) *Comm. in Hab. 3. v. 13.* (*q*) *Claſſ. 2. ſub Reg. 10. cap. 5. §. 40. pag. 184.* (*r*) *Eph. 4. v. 13.* (*ſ*) *Claſſ. 2. cap. 5. §. 48. pag. 191. 192.*

intentionem ſuam prophetat de magnis ultimi temporis Sanctis. Similiter dum S. *Gregorius* M. figuram *equi* apud S. Job, (*s*) de quovis *ſancto* & modis omnibus perfecto *Prædicatore* exponit, qui nimirum *in ſe priùs vitia extinxerit*, & *tunc* demùm *pro erudiendis aliis ad vocem prædicationis venerit*; abſque dubio præter intentionem ſuam, ex intentione & directione Divina de ſanctiſſimis & fortiſſimis ultimi temporis *Prædicatoribus* prophetat. Illi enim futuri ſunt tam perfecti, quales ille ſub typo *equi* fortis & generoſi deſcribit. Ita etiam, dum idem per tres amicos *Job*, (*t*) *Hæreticos* illos, *qui quamvis in ſententiis correptionis errent, in veritatis tamen cognitione non in toto titubant*, idque ex eo, quia *tanti viri amici* ſunt, præfigurari docet; hactenus expoſitionem ejus ex ſcopo *typi* conſideratam, nondum videmus eſſe impletam; ſed neceſſariò eam, ut de ultimis temporibus propheticam accipere debemus. *Amici* enim illi *tres*, magni priùs *Job* irriſores, calumniatores & condemnatores, demùm (Deo inſpirante) reconciliati (*u*) ſunt ipſi *Job*: unde evidenter ſequitur, tales hîc adverſarios *cognitione veritatis* non mediocriter imbutos, intelligendos eſſe, qui demùm (Deo ipſos illuminante,) mentem induent pacificam, & ſanctæ Matri Eccleſiæ, ipſique myſtico *Job* (Chriſto Domino) reconciliabuntur.

III. Hæc omnia monſtrant verum eſſe quod aſſerui, nimirùm, SS. *Patres* ſuis in expoſitionibus nonnunquam etiam ignaros (ac præter intentionem ſuam) ex Divina directione prophetare de futuris. Unde, ad principalem redeundo ſcopum, infero, tantum abeſſe ut SS. *Patres* ſuis expoſitionibus nobis viam præcludant, quò minùs *typos* & *figuras* Vet. Teſt. de ultimis temporibus pleniùs inveſtigemus & exponamus, ut potiùs illi frequenter nos ſuis expoſitionibus in eundem finem juvent.

IV. Quod autem de *Typis hiſtoricis*, ad myſticum Chriſti Corpus relatis, in *Regula* hujus capitis diximus, idem etiam de omnibus *cæremoniis*, geſtiſq; cæremonialibus *Moſis* & *Aaronis* ſtatuimus. Loco omnium, pauca hîc exempla ob oculos ponam. Sic, v. gr. hærebit certè in luto ſuæ perplexitatis quiſpiam, niſi admittat myſterium Legis de *Lepra*, (*v*) tam laborioſè & curioſè curata; item Legis *fluxûs* (*x*) *ſeminis*, Legis (*y*) *menſtruæ*; Legis (*z*) *Zelotypiæ*; Legis, ſub ſevera pœna ſtricte requiſitæ (*a*) *Virginitatis* in ſponſa Populi Iſraëlitici, certò indicio declarandæ, atq; etiam (*b*) *Circumciſionis*, deinceps debere pleniùs & evidentiùs impleri. Dicam amplius; niſi quis admittat futuram *Reſtitutionem omnium* (ſupra (*c*) adſtructam)

(*s*) *S. Greg. Moral. in Job. Lib.* 31. *cap.* 10. & 11. *in cap.* 39. *Job.* (*t*) *S. Greg. Moral. in Job. Lib.* 5 *cap.* 19. *in cap.* 4. *Job.* (*u*) *Job.* 42. *v.* 7. 8. 9. 10. 11. (*v*) *Lev. cap.* 13. & 14. (*x*) *Lev.* 15. *v.* 2.-17. (*y*) *Ibid. v.* 19.--33. (*z*) *Num.* 5. *v.* 12.--31. (*a*) *Deut.* 22. *v.* 20. 21. (*b*) *Gen.* 17. *v.* 10. 11, 12. 13. 14. 23. 24. & *Lev.* 12. *v.* 3. (*c*) *Claſſ.* 2. *Reg.* 32. *c.* 9. *p.* 254. & *ſequ.*

ctam) certis gradibus ſucceſſivè peragendam, nunquam myſteria recenſitarum *Legum*, juxta principalem Spiritûs S. ſcopum intelliget. Illarum autem & ſimilium myſteria, in pleno ſenſu aliquando *impleri* debere, tàm certum eſt, quàm verum eſt illud Salvatoris in hanc rem dictum: (*d*) *Nolite putare quoniam veni ſolvere Legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed ADIMPLERE. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, jota unum, aut UNUS APEX non præteribit à LEGE, donec OMNIA fiant.* Disertè in his Dominus Salvator conteſtatur, ſe non veniſſe ad ſolvendam ſeu abolendam *Legem* Moſis, ſed ad eam univerſam prorsùs implendam; quod de *Lege* Moſis cæremoniali, non quoad literam, ſed quoad myſterium æternæ veritatis in ea latens, eſt intelligendum. Implet autem, quando revelat arcana in ea latentia, & facit eadem arcana in executionem deduci, atquè ſic ipſo effectû monſtrat *Legem* quoque *Ceremonialem* per Moſen datam, quoad myſteria in ea recondita, eſſe reverà juxta Hebr. *Chok olam*, (*e*) ſeu *Chûkkath olam*, h. e. *Statutum ſempiternum*, (ut ſæpè in Scripturis nominatur,) & per hoc immutabile. Tempus etiam pleniùs implendæ hujus *Legis*, ſeu, pleniùs manifeſtandorum & in effectum deducendorum ejus arcanorum, Dominus Salvator indicat verbis illis: *Donec tranſeat Cœlum & terra:* quaſi dicat; ante plenariam hujus Mundi in malo poſiti conſummationem & immutationem debere id fieri. Quibus in verbis & hoc non obſcurè inſinuat; videlicet, quòd ſub finem potiùs temporum Nov. Teſt. quàm ſub initia vel in medio eorundem, plenè manifeſtanda & in effectum deducenda eſſent dictæ *Legis* Moſis myſteria, etiamſi ante illum quoq; finem aliquid in dies de ea impleatur. Nam alioquî, nulla erat ratio, ob quam Dominus pro termino implementi illius Legis ſic loqueretur, ſed ſufficiebat dixiſſe, ſe Legem illam, jam jam quotidie & quidem brevî impleturum. Scilicet, tam grandia, tamq; admiranda myſteria, quæ in dicta *Lege* latent, digniſſimè tempori illi pleniùs revelanda reſervari oportebat, quô (*f*) *conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit per Servos ſuos Prophetas.*

V. Eſſe autem tam grandia, tamque admiranda, ut hîc innuimus, dictæ *Legis* myſteria, patet vel ex illa oratione *Davidis*, in perſona fidelium Novi Teſt. Spiritum & zelum Davidicum, atque ipſum Chriſtum in ſe habentium, propheticè ad Deum fuſa: *Revela oculos meos, & conſiderabo* (ſeu *aſpiciam*) *MIRABILIA de LEGE tua.* Ne omittamus hîc ea „quoque, quæ habet S. *Hieronymus* ad verba illa Domini Salvatoris, *Jota* „*unum aut apex unus non præteribit à Lege*, jam citata: (*h*) *Ex figura* (inquit)

(*d*) *Matt.* 5. *v.* 17. 18. *Conf. Luc.* 16. *v.* 17. (*e*) *Lev.* 3. *v.* 17. & 6. *v.* 18. (*al. v.* 11.) & *cap.* 7. 34. 36. & 10. *v.* 9. & *cap.* 23. *v.* 14. 21. 31. 41. & *Num.* 10. *v.* 8. (*f*) *Apoc.* 10. *v.* 7. (*g*) *Pſal.* 118. (*al.* 11.) *v.* 18. (*h*) *Comm. in Matt.* 5. *v.* 18.

Digitized by Google

(inquit) *Litera* (Jod) *oſtenditur, quòd etiam quæ minima putantur in Lege, SACRAMENTIS SPIRITUALIBUS PLENA ſint, & OMNIA recapitulentur* (h. e. quoad medullam & eſſentiam rei, repetantur) *in Evangelio.* Et illicò ad celebrandam tantam doctrinæ Chriſti profunditatem, ſubjicit admirabundus: *Cujus ergò eruditionis eſt, cujusq; doctrinæ, etiam diverſa ſacrificia, & quæ ſuperſtitioſa videntur in victimis, quotidie demonſtrare compleri?* Si *quotidie complentur*, ex parte nimirùm aliqua; certè longè magis, longèque pleniùs & clariùs tam multa tamq; profunda myſteria ultimo illo tempore complebuntur, quô & alia magna prophetiarum & typorum arcana (juxta cœleſte (*i*) oraculum) pleniſſimè reſerabuntur. Interim reflectat ſe hîc Lector ad illa etiam, quæ ſupra Claſſ. 2. ad Regulam *quartam* diximus (*k*) & congeſſimus.

Peculiaris de geſtis Chriſti Obſervatio.

VI. Poſt omnes *Regulas* hactenus poſitas & illuſtratas, ultimô loco & illud hîc obſervandum inculco: Quòd nimirùm, *rectè SS. Patres etiam in ipſius Chriſti Domini ac Salvatoris noſtri geſtis, myſteria futurorum latere, ſubinde obſervârunt & notârunt.* Quis enim aliquo intelligentiæ arcanorum Scripturæ guſtû imbutus, in illa Chriſti in Navi (*l*) *dormitione, ventorumq; & maris* ad preces diſcipulorum eum excitantium verbô factâ per eum objurgatione & tranquillatione; item, in illa ejus (Theologis ad ſcrutandum profunda) *ſcriptione* (*m*) gemina *in terra*; in (*n*) *luti* ad oculos aperiendos *ſputô* ſuô *facti* adhibitione; item, in tam frequenti infirmorum facta per eundem die (*o*) *Sabbati* ſanatione; nec non, in ejuſdem ſuper (*p*) *Aſina pullo* juncta ſeſſione, magna de futuris myſteria ſubeſſe non agnoſcat? Sic paulatim etiam in aliis ſimilibus, diligens & pius Scripturæ S. ſcrutator, myſteria magna latere animadvertet. V. gr. dum (*q*) *Zachæum ſtaturâ puſillum*, non aliter quàm de *arbore Sycomori* Chriſtum *vidiſſe*; (*r*) *Nathanaëlem* verò, verum illum *Iſraëlitam* adhuc *ſub ficu* exiſtentem, *viſum* à Chriſto fuiſſe, legerit; mox mentem à veritate hiſtoriæ altiùs etiam eriget, ut myſterium quoque futuri in his rimetur. Cum enim Chriſtus inde à ſuî conceptione omnia pro nobis fecerit & ſuſtinuerit in hoc Mundo; non eſt ergo, ut quis tanquam abſonum miretur, quòd is omnia illa ſua geſta ita pro nobis exantlârit, ut ſimul eadem pariter in rationem noſtri,

Lll 2

(*i*) *Apoc. 10. v. 7.* (*k*) *Cap. 2. §. 2. & 3. pag. 78. & 79.* (*l*) *Matt. 8. v. 24. 25. 26. coll. Marc. 4. v. 36.-39. & Luc. 8. v. 23. 24.* (*m*) *Joan. 8. v. 6. 8.* (*n*) *Joan. 9. v. 6. 11.* (*o*) *Matt. 12. v. 10.--13. Marc. 3. v. 1.--5. Luc. 6. v. 6. 7. 8. & cap. 13. v. 11. 14. 16. & 14. v. 2. 3. 4. Item, Joan. 5. v. 9. 16. & 7. v. 23. & c. 9. v. 14.* (*p*) *Matth. 21. v. 2. 5. 7. Joan. 12. v. 14. 15. collat. Zach. 9. v. 9. Vide de hujus myſterio,* Juſtin. *Mart. Dialog. cum Tryph. pag. (mihi) 272. & 273.* (*q*) *Luc. 19. v. 3. 4.* (*r*) *Joan. 1. v. 49. 51. De utriusq; myſterio, vide S.* Ambros. *Comm. in S. Luc. cap. 19.*

ſti, futurorum bonorum, per ipſum nempe plenius dehinc nobis conferendorum, ſignificativa eſſe voluerit.

VII. ,,Quòd diximus SS. Patres *myſteria futurorum in geſtis etiam ,,Domini Salvatoris ſubinde obſervâſſe*; id nemini, qui in eorum ſcriptis verſatus eſt, dubium eſſe poteſt. Nos ſtudiô brevitatis, pauca tantùm documenta ex illis hîc delibabimus. Sic S. *Irenæus*, mirabilem illam (ſ) *cæci nati* per *lutum ſputô* Domini temperatum, factam illuminationem, futuræ per eum illuminationis & *reſtitutionis* figuram & præſignificationem fuiſſe docet. Scilicet, ut per hoc factum latenter indicaretur, quòd quæ manus olim hominem ex luto finxit, eadem etiam ex corruptione ſua nativa & originali eundem reformabit & integritati reſtituet. (s) *Sumſit* (inquit) *Dominus lutum de terra*, (t) *& plaſmavit hominem: quapropter Dominus* (u) *expuit in terram, & fecit lutum, & ſuperlinivit illud oculis, oſtendens antiquam plaſmationem quemadmodum facta eſt, & manum Dei oſtendens his, qui intelligere poſſunt, per quam è limo plaſmatus eſt homo. Quod enim in veteri plaſmate* (de *cæco nato* hîc loquitur) *prætermiſit artifex, Verbum hoc manifeſtè adimplevit, uti manifeſtarentur opera Dei in ipſo;-- ſcientes quòd quæ manus plaſmavit nos initio, hæc in noviſſimis temporibus exquiſivit nos, ſuam lucrifaciens, & ſuper humeros aſſumens ovem* (v) *perditam, & cum gratulatione in cohortem RESTITUENS vitæ.* Et mox *lotionem* quoque ejuſdem illuminati in *Siloë*, explicat de *regeneratione* hominis *per* ſacrum *lavacrum*.

VIII. Ex multis quæ S. *Ambroſius* ſuô in S. *Lucam* Commentariô huc facientia edidit, paucula iſta huc tranſponemus: (x) *De ortu* (inquit) *Salvatoris dicturi, non putamus alienum, ut quô natus ſit tempore, requiramus. Quid enim profeſſio ſæcularium ad generationem Domini pertineret, niſi ut advertamus hoc quoq; Divinum eſſe MYSTERIUM? Quia dum profeſſio ſæcularis oſtenditur, ſpiritualis impletur, non terrarum Regi dicenda, ſed Cœli. Profeſſio iſta cenſus eſt animorum. Abolitô enim Synagogæ cenſû vetuſtô, novus cenſus Eccleſiæ parabatur, qui tributa non exigeret, ſed auferret; & ſpiritaliter in TYPO plebs ſua jam Chriſto nomina offerebat.* Et mox ,,ad ✝. 2. & ſequ. usq; ad ✝. 5. *Hæc profeſſio* (ſeu *deſcriptio*) *prima* &c. ſic ſcribit: (y) *Hæc eſt profeſſio prima, non terrarum, ſed mentium, quâ omnes profitentur: quia nullus excipitur; non præconis evocatione, ſed Vatis, ,,qui multò antè prædixit:* (z) *Omnes gentes plaudite manibus.* &c. *Deniq; ut ſcias cenſum eſſe juſtitiæ; veniunt ad eum Joſeph & Maria; hoc eſt, Juſtus & Virgo. Ille, qui Verbum ſervaret; iſta quæ pareret. Ubi autem profitentur*

Juſtus

(ſ) *Joan. 9. v. 6. 11.* (s) *S. Iren. Lib. 5. adv. Hær. cap. 15.* (t) *Gen. 2. v. 7.* (u) *Joan. 9. v. 6.* (v) *Luc. 15. v. 4. 5.* (x) *S. Ambr. Comm. in Evang. Luc. in cap. 2. v. 1.* (y) *Comm. cit.* (z) *Pſal. 46. (al. 47.) v. 2. 3.*

Juſtus & Virgo, niſi ubi naſcitur Chriſtus? -- Ubi autem ſecundùm A L- *T I OREM RAT IONEM naſcitur Chriſtus, niſi in corde tuo, & in pectore* ,,*tuo?* (*a*) *Prope eſt enim verbum in ore tuo, & in pectore tuo.* Non obſcurè in his innuit S. Ambroſius, *Chriſtum* Dominum cum *Joſeph* & *Maria* conſideratum, ſuâ nativitate præfiguràſſe & præſignificàſſe *juſtos* & ſanctos illos. in quorum cordibus ipſe demùm naſciturus erat: juxta illud ejuſdem S. Doctoris: (*b*) *Multi Patres per Evangelium, & multa Matres, quæ Chriſtum parturiunt. Quis mihi igitur Chriſti monſtret parentes? Ipſe monſtravit* ,,*dicens:* (*c*) *Quæ mihi eſt Mater, aut qui fratres? Qui fecerit voluntatem* ,,*Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe mihi & frater, & ſoror, & mater eſt. Fac voluntatem Patris, ut Chriſti mater ſis. Multa conceperunt Chriſtum, & non genuerunt. Ergo quæ parturit juſtitiam, Chriſtum parit: quæ parit ſapientiam, Chriſtum parit: quæ parturit verbum, Chriſtum parturit.* Atque hoc myſterium *nativitatis* Domini vel maximè ultimis temporibus implebitur, juxta ſcopum *magni* illius viſi cœleſtis; (Apoc. 12. ℣. 1. 2. 5.) *Et ſignum magnum apparuit in Cœlo: Mulier amicta Sole*, &c. *clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.--Et peperit filium maſculum.* &c. Quibus in verbis manifeſtè alluditur ad *nativitatem* Domini, & implicitè indicatur, nativitatem illam, ſpiritualis cujuſdam nativitatis, ac ſpecialiter hujus Apocalypticæ, in ſe continuiſſe myſterium. Hinc Cornelius à *Lapide* in eundem locum ſcribit: (*d*) *Sub ſchemate Mulieris & Draconis concertantium, deſcribitur multiplex Eccleſiæ & Diaboli pugna in FINE MUNDI, Eccleſiæq; victoria.* Et mox: (*e*) *Quapropter dico cum Ambroſio, Ticonio, Primaſio, Andrea Cæſarienſi, Haimone, Richardo, Beda & Methodio, quem citat Aretas, per Mulierem hanc intelligi Eccleſiam, MAXIME quæ erit in FINE MUNDI.* Eadem eſt mens etiam *Ribera* (*f*) de memorato loco. Confer hîc ea, quæ ſupra (*g*) ex utroq; Authore protulimus in medium, de *filio maſculo* in dicto loco prænunciato. Hæc occaſione expoſitionis *Ambroſianæ*, lucis causâ hîc ſubnectenda erant.

IX. Tertium hîc pro noſtro ſcopo (de geſtis Chriſti) teſtimonium, ex S. *Gregorio* M. proferimus in medium, ſic ſcribente: (*h*) *Miracula Domini Salvatoris noſtri, ſic accipienda ſunt fratres chariſſimi, ut & in veritate credantur facta, & tamen per SIGNIFICATIONEM nobis aliquid innuant. OPERA quippe EJUS, & per potentiam aliud oſtendunt, & per MYSTERIUM ALIUD loquuntur.* Et ſtatim ſubjicit exemplum de *Cæco*, cujus eſt mentio Luc. 18. ℣. 35. & ſequ. *Ecce enim* (inquit,) *quis juxta hiſtoriam cæcus iſte fuerit, ignoramus: ſed tamen quid per MYSTERIUM SIGNI-*

(*a*) *Rom* 10. *v.* 8. *Deut.* 30. *v.* 14. (*b*) *S. Ambr. Comm. in Luc.* 21. *v.* 23. (*c*) *Matt.* 12. *v.* 48. 50. (*d*) *Comm. in Apoc.* 12. *in ipſa* Synopſi *cap.* (*e*) *Ad v.* 1. *&* 2. *ibid.* (*f*) *Comment, in Apoc.* 12. *v.* 1. (*g*) *Claſſ.* 2. *ſub Reg.* 33. *cap.* 10. §. 39. *p.* 842. (*h*) *Homil.* 2. *in Evang.*

SIGNIFICET, novimus. Cæcum quippe eſt genus humanum: quod in Parente primo à Paradiſi gaudiis expulſum, claritatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur; ſed tamen per Redemptoris ſui præſentiam illuminatur, ut internæ lucis gaudia jam per deſiderium videat, atq; in via vitæ boni operis greſſus ponat.

X. Subjiciamus hîc etiam ſequentia ex S. *Hieronymo*, ut in præſentem ſcopum valde congrua: (i) *Repromiſſionem ſuam* [Deus *fundat ſuper terram: ut omnes illius repromiſſiones, quas ſancti Prophetæ ore ſuo cecinerunt, non inanem ſonum habeant, & caſſa ſolius tropologiæ nomina, ſed fundentur in terra. Et cum HISTORIÆ habuerint fundamenta, tunc SPIRITUALIS INTELLIGENTIÆ culmen accipiant. Ut, verè CHRISTUS de Virgine natus eſt; verè Lazarum mortuum ſuſcitârit; verè ad tactum ejus αἱμοῤῥοοῦσα ſanata ſit; verè in adventu Domini cæci viderint, claudi cucurrerint, contractæ manus extenſæ ſint, lepra mundata ſit; licet ſecundum TROPOLOGIAM, quotidie de ANIMA VIRGINALI naſcatur Sermo Divinus;* (id eſt, Chriſtus;) *quotidie* * *peccatô MORTUI, & vitiorum funibus alligati, de ſepulchro ſcelerum ſuorum jubeantur exire; quotidie ſangvinis opera conſtringantur, CÆCI infidelitate, Chriſti LUMEN accipiant; CLAUDICANTES priùs FIDE, CURRANT in via Domini, & aridæ manus avaritiâ, extendantur ad eleemoſynam, &* † *LEPRA Mariæ, quæ contaminat quicquid attigerit, recipiat priſtinam puritatem.* Satis clarè docet in his S. *Hieronymus*, omnia Chriſti geſta inde à nativitate & conceptione, & *hiſtoricè vera* eſſe, & inſuper *ſpiritualis intelligentiæ* in ſe continere myſteria: quæ & hactenus quidem impleta ſunt & implentur ex parte; ſed pleniſſimè tunc implebuntur, quando omne *Dei myſterium* in propheriis ac typis reconditum, juxta ſuperiùs dicta * exactiſſimè *conſummabitur* & revelabitur. [Et cum dicta *geſtorum* Domini *myſteria* implebuntur, tunc etiam veteres *figuræ* & *prophetiæ*, de eodem Chriſto Domino ejusq; Regno editæ, longè pleniùs quàm unquàm hactenus, intelligentur.] Hæc pro Obſervatione de *geſtis Chriſti* fulcienda, nunc ſufficiant.

XI. Atque hîc jam bono cum Deo, *Clavi* huic *Propheticæ* finem imponere volentes; hoc ſolummodò quod ſupereſt habemus, ut *Epilogum* ſequentem, ulterioris noſtrî inſtructionis causâ adhuc ſubnectamus.

EPILO-

(i) *S. Hieron. Comm. in Amos. 9. v. 6. juxt. LXX.* * *Non in* Dativo, *ſed in* Ablativo *caſu hoc accipe; ac ſi dicat:* per peccatum, *vel* in peccato mortui. † *Conjungit hîc implicitè* lepram *Mariæ ſororis Moſis*, (*Num. 12. v. 10.*) *cum* lepra *aliorum à Chriſto ſanatorum, ac innuit, tàm illius quàm horum ſanationem fuiſſe typicam.* * §. 4. & 5. *h. cap.*

Digitized by Google

EPILOGUS,

Salutarem hujus Clavis Propheticæ uſum, *tum pro* privata *cujusq; verè fidelis animæ* conſolatione, *tum etiam pro* publico *Chriſtianorum* bono, *per ſanctam* pacem *&* fidei unitatem *conſequendo*, *monſtrans*.

I. Ut unusquiſque Deum, Eccleſiam, & animæ ſuæ ſalutem amans, uſum hujus Libri ſalutarem poſſit habere, ſequentia pro ſe notet & obſervet.

II. (I.) Quantum ad profectum in ſcientia *Prophetica*, ſeu, cognitione arcanorum in *Propheriis* ac *typis* reconditorum, requiritur in ejus amatore, ut *Regulas* hactenùs traditas, ſubinde volvat & revolvat, mentique imprimat; loca item Scripturæ S. paſſim hîc annotata, ex antecedentibus, conſequentibus & parallelis, benè expendat. Et cum textus aliquis Propheticus vel Typicus explicandus venit, eum protinùs ad haſce *Regulas*, vel præcipuè ad aliquam earum, diligenter examinet: tunc videbit, an ſit impletus vel non; & quis ſit principalis ejus ſcopus. Vel, ſi ſit aliquo modô impletus, diſcet & hoc, quatenùs & quô ſensû ſit impletus, & quid adhuc ſit in eo implendum. Ut, v. gr. ſi quis velit Iſa. 54. ℣. 11. 12. 13. 14. 17. vel cap. 62. ℣. 4. ejuſdem Prophetæ, vel Caput 8. Zachariæ ad explicandum aut ſaltem expendendum aſſumere, ſtatim lumen præbebit ei *Regula* quinta Claſſis *ſecundæ*; collatâ etiam *Regulâ* primâ ejuſdem Claſſis, ut & *Regulâ* octavâ Claſſ. 1mæ, membrô primo de *Hiſtoriis*, cap. 2. §. 11. & 12. Et ſic in reliquis. Item, ſi quis vellet typica aliqua geſta veterum, v. gr. *Abrahæ*, *Iſaac*, *Jacob*, *Moſis*, *Joſue* vel *David* de ſuis myſteriis contemplari & excutere; evolvat diligenter *Regulas* octo Claſſis *tertiæ* de talibus poſitas, adhibitis etiam in ſubſidium ſanctis illis Patribus, & piis Doctoribus, qui de talium myſteriis aliquid luminis poſteritati reliquerunt. Si non ſtatim pro voto labor iſte tibi ſuccedat, expecta patienter à Deo, donec te in his ulteriori & uberiori luce cœleſti perfundat; occupatus interea circa talia, quæ faciliùs ex *Regulis* poſitis intelligere potes.

III. At verò (II.) quantum ad propriam animæ tuæ conſolationem ex hoc ſtudio hauriendam, (ac in alios quoque per te derivandam;) ut nempe (*a*) *bono electorum* in ultima tempora dilatô, tu quoq; tandem aliquando cum ſancta Dei Eccleſia frui poſſis, hæc ſequentia neceſſariò tenere debes: (1.) Inter curas etiam & tumultus Mundi hujus, quantùm gratia opitulatur, tranſcendito & derelinquito Mundi vanitates, mentemq; tuam in cœleſtia arctè defigito; ita pugna contra Carnem & Satanam, ut tandem omnem carnalem concupiſcentiam, omnem affectum pravum, fœdam Mundi

(*a*) *Pſalm.* 105. (*al.* 106.) *v.* 5.

Mundi voluptatem, oris, mentiſque inveteratam & tuâ incuriâ regnantem in te vanitatem, à Deo te avertentem, reſeces à te penitùs & abdices, vitamque tuam, ſine fuco, ſine ulla hypocriſi, ex intimo cordis tui, Deo conſecres. In ſumma, modis omnibus demonſtra, primam ſemper curam te adhibere, ut (*b*) *Deum timeas*, & in ejus timore proficias, ac ideo te ſecreta Scripturæ S. rimari & diſcere, ut à peccatis magis ac magis in dies libereris, & ſanctior inde fias, non autem ut doctior apud homines habearis. Si hoc conſtanter in hoc ſtudio tenueris, non eſt dubium, quin etiam doctrinam ac eruditionem immenſo intervallô excellentiorem habiturus ſis cum tempore, quàm eſt omnis eorum eruditio, qui modis omnibus id agunt, ut ſcientiæ & eruditionis gloriâ ac famâ coram Mundo clari ſint, alioſque inde in ſuî admirationem & venerationem rapiant. Audiviſti jam in ſuperioribus, (*c*) neminem ſine verâ pietate, ſolidam in Divinis ſapientiam conſequi poſſe; audiviſti, (*d*) neminem ad ſecretiora myſticæ Sionis ultimi temporis *κειμήλια* intimè contemplanda admitti, niſi fuerit à peccatis purgatus, & ſanctificatus. Ergò tu quoque (factâ in te applicatione) firmiter tibi perſvade, (non ad deſperationem temer terrendo, ſed ad majorem ſanctitatem excitando,) nec te poſſe *bonô electorum* unquam frui, niſi peccatis ἄσπονδον & implacabile bellum indixeris, eò uſque pugnando viriliter, donec omne ejus in te regnum, omneque robur prorſus debelles, & ſanctiſſimè vivas. Ad hoc autem, incitamentum & iſtud tibi eſſe debet, quòd ſcias Deum, tantò majorem requirere à quopiam ſanctitatem, quantò majus lumen, majoraque ſuæ gratiæ dona ei largitus eſt. Qui ergò te ſentis majoribus cœlitùs donis cumulatum præ aliis eſſe, tantò obligatior es, ut ſtudeas diligentiſſimè, eximiâ quâdam præ aliis vitæ ſanctitate fulgere. Nec eſt quòd quiſpiam in peccatis adhuc conſtitutus ſe lactet, ſe ſine tali etiam ſanctitate, qualis per hanc inſtructionem urgetur, poſſe demùm in Cœlis frui *bono electorum*: talibus enim blanditiis certò certiùs ſe decepturus eſt: ſed è contra ſecuriorem & magis ſalutarem unuſquiſq; hanc ſibi viam reputet, ſi prorſùs ſibi intra ſe humiliter perſvadeat, à Cælorum gaudiis ſe excluſum iri, ſi hinc in eo ſtatu migret, in quo necdum per veram pœnitentiam, jugeque pietatis exercitium, omne peccati virus regnumq; in ipſo eſt debellatum & enervatum. [Hîc verò inter alia, vel ſolus tepor ac torpor in conſvetudinem redactus, atque defectus omnis veri zeli in rebus divinis, inprimis in exoptanda & pro viribus promovenda ſancta pace & proſperitate Eccleſiæ Dei in terris, (quem defectum plurimi in ſe floccipendunt,) validiſſimum peccatum

(*b*) *Juxta Eccle 12. v. 13.* (*c*) *Claſſ. 1. Regul. 1. pag. 19. 20. 21.* (*d*) *Claſſ. 2. Regul. 10. cap. 5. §. 46. 47. pag. 188. 189.*

peccatum eſt ad hoc, ut quempiam in eo ſecurè ſibi placentem à Regno Cœlorum excludat.] Ego ſanè de me per gratiam cœleſtem ita jam ſtatui, ut hîc volo quemlibet de ſe ſentire, ac ideò tantò acriùs per eandem gratiam contra Diabolum & peccatum pugno, tantoque majori cum ſollicitudine ſancto (*e*) *timori & tremori* juncta, *ſalutem* meam in dies *operor.* Novi enim verbum Dei ſtare in æternum, quòd (*f*) *ſine ſanctimonia nemo videbit Deum*, & quòd, (*g*) *non intrabit in eam*, (novam nempe Jeruſalem,) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* Non ignoro hunc locum poſteriùs citatum, proximè ſonare de ſancta & pura Eccleſia ultimi temporis in his terris futura; (quòd jam alibi (*h*) ex ℣. 2. 24. & 26. citati in margine Apoc. cap. 21. docuimus:) ſed inde argumentando à minori ad majus, tantò magis in oppugnando Satana & „Carne noſmet obfirmare debemus, ut ſic concludamus: Si in illam non „intrabit, multò minùs intrabit in ſupernam & cœleſtem beatitudinem „qui ſpiam peccato aliquô *coinquinatus*, quamdiù talis manet. Quapropter quicunque adhuc ſentis aliquod intra te peccati virus regnare, incumbit tibi, aſſiduè & ardenter Deum orare, ne te hinc morte tibi immaturâ, amarâ & infelici eripiat, ſed potiùs vitam tibi eouſq; proroget, quouſq; peccatum in te regnans, per gratiam penitùs debelles. Sic ſanè longè meliùs conſules animæ tuæ, quàm ſi ſuperiori modô te lactes; ſic citiùs contra Carnem & Satanam victoriam obtinebis. Si te Satanas poſt plenam quoque & abſolutam tuî contra eum & ejus opera reſolutionem, iterùm atque iterùm aggrediatur, imò etiamſi millies atque millies ſuis vanitatibus, teliſque ignitis impetuosè obruat; tù tamen perſiſte conſtanter in ſuſcepto adversùs eundem hoſtem infernalem certamine, ſanctoque tuo propoſito; ut tandem experiaris dicti illius divini in te veritatem: (*i*) *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.*

IV. Quia verò nemo ſe plenè & ſincerè adverſus Diabolum & peccatum reſolvit, niſi ſimul publici etiam S. Eccleſiæ boni curam aliquam pectori infixam habeat; (vi loci, 1. Cor. 12. ℣. 25. 26. 27.) neque etiam poteſt quiſpiam ſine iſta cura conſolationem aliquam ex ampliſſimis Propheticis promiſſionibus ad Eccleſiam Dei factis, & in hoc Libro fusè tractatis, realiter & cum effectu percipere; (non enim eſt verus amator S. Eccleſiæ, quicunque ejuſmodi curâ & ſollicitudine prorsùs caret;) hinc (2.) tene & iſtud; ut in omnibus tuis orationibus, memor ſis ſanctæ Dei Eccleſiæ, ardenti cum deſiderio orando Deum, aſſiduè & humillimè, ut ipſe (*k*) *benignè faciat in bona* ſuâ *voluntate* ipſi *Sion*, & *ædificet muros* ſpiritualis

(*e*) *Philipp. 2. v. 12. collat. 1. Cor. 9. v. 26. 27.* (*f*) *Hebr. 12. v. 14.* (*g*) *Apoc. 21. v. 27.*
(*h*) *Supr. Claſſ. 2. Reg. 22. cap. 9. §. 10. p. 268. & Reg. 10. cap. 5. §. 44. p. 187.* (*i*) *Jac. 4. v. 7.*
(*k*) *Pſal. 50. (al. 51.) v. 20.*

ritualis *Jeruſalem*; reſtauret nimirùm tot rupturas, ſciſſuras & ruinas ſuæ ſanctæ Civitatis, Eccleſiæ Chriſtianæ, deſtruendo regnum peccati, errorum & tot diſſenſionum virulentiſſimarum in Populo Chriſtiano, & ſanctificando ſibi Populum peculiarem; dirigat ac ducat animos ſuorum paſſim electorum (*l*) *in unitatem fidei*; det ſuæ S. Eccleſiæ *pacem* internam & externam, cornuaque ejuſdem contra omnes hoſtes ſuos exaltet: & in ſumma, impleat jam quantocyùs jucundiſſimas ſuas promiſſiones (*m*) *per os SS. Prophetarum* pro electis editas, & in ultima (*n*) tempora ad implendum reſervatas. Dum autem ſic oras, ardorem animi tui hac in parte tantò pleniùs per hoc exprimes, ſi tu quoque deſideres *videre bonum electorum* etiam in his terris, juxta illud Pſalmiſtæ (propheticè orantis) ex Hebræo expreſſum: (*o*) *Memento mei Domine in* (*p*) *beneplacito populi tui; viſita me in ſalutari tuo:* † *ut VIDEAM BONUM electorum tuorum; ut læter in lætitia Gentis tuæ*, & * *ut glorier cum hæreditate tua.*

V. At quoniam omne tuum hoc deſiderium, omne tuum in precibus hujuſmodi ſtudium valdè defectuoſum, & tuî reſpectû prorſus inane foret, niſi te ipſum à turbulentis contentionibus, Eccleſiam Dei vaſtantibus, & ulterius ejus bonum & incrementum ſummopere prohibentibus & impedientibus, ipsô factô avocares, modiſque omnibus, juxta vires à Deo acceptas, ſanctam Eccleſiæ *pacem* & *unitatem* promoveres; idcircò (3.) hoc quoq; incumbit tibi faciendum; ut ſis animo ſedatus, modeſtus, manſvetus & alienus à virulentia erga alios à te in Fide diſſentientes, ſimpliciorum maximè inter eos habens rationem; & quantùm fieri poteſt, quantumve in te ſtat, diligenter ſtude (juxta Apoſtoli monitum) *pacem* (*q*) *habere cum omnibus.* Omitte ſpinoſas & contentioſas quæſtiones, Eccleſiam Dei plùs turbantes & ſcindentes, quàm ædificantes: vel, ſi quando neceſſitas eas tangere poſtulet, tanta cum moderatione eaſdem (aut quodcunque tuum thema) tractes, ut ne vel minimum ſit in tuis verbis, quod amarulentiam, faſtuoſum contemptum odiumque perſonæ, & propriam vindictam ſpiraret; ſed eô (*r*) *ſapientiæ ſale ſermo* tuus *ſit conditus*, ut appareat bonis omnibus, te cauſam Dei agere, & ejus Eccleſiam cum ſerio & ardenti pacis ſtudio ædificare. Maximè autem illa tractes, & illis te immergas, quæ evidenter ad *pacem* & ædificationem totius Eccleſiæ Chriſtianæ pertinent, & ad afflictorum cordeque contritorum fidelium conſolationem.

VI. Per-

(*l*) *Epheſ. 4. v. 13.* (*m*) *Act. 3. v. 21.* (*n*) *Apoc. 7. v. 10.* (*o*) *Pſal. 106.* (*al. 105.*) *v. 4. 5.* (*p*) *Egregiè* S. Hieron. *ſenſum ex Hebr. ſic expreſſit*: In repropitiatione pop ı. † *Sic etiam* S. Hieron. *in verſione ex Hebr. De verbo autem ad verbum ſic ſonat*: Ad videndum *&c.* * *S. Hieronymus*: & exultem. (*q*) *Rom. 12. v. 18. & Hebr. 12. v. 14. collat. Pſalm. 33.* (*al. 34.*) *v. 15.* (*r*) *Col. 4. v. 5, 6.*

VI. Perpende quæſo, quiſquis amas contentiones, & præſertim quicunque aperte adhuc partes illas ſequeris, quæ pugnant contra Matrem, & quæ ſunt alienæ à vera unitate S. Eccleſiæ, perpende, inquam, & animo volve; omnem Scripturæ S. expoſitionem, omnem inſtructionem vel diſputationem, ſanctæ *paci* & *unitati* fidelium contrariam, ac per hoc à Veneranda quoq; antiquitate diſſonam, (quantumlibet ſpecioſa primo intuitû videretur, & quantamcunq; ſpiraret Authoris eruditionem) eſſe meritò ſuſpectam, ac proinde damnandam (quà talis) & rejiciendam; ut tum ex hac (ſ) *Clavi*, tum ex ipſa per ſe evidenti rei veritate patet. Conſidera etiam, patere perſpicuè ex hac (s) *Clavi*, veram & genuinam Populi Chriſtiani *Reformationem* in Scripturis prænunciatam ac promiſſam, toto Cœlô differre à decantata hodiernorum *Proteſtantium* Reformatione: (quod etiam *Examen* ejuſdem (t) oſtendit:) item, ingentia bona electorum in ultima tempora dilata, nequaquam Sectis ab Eccleſia & ab invicem quoque diſſidentibus, (quà tales manent,) ſed ſoli Eccleſiæ Catholicæ, ac fidelibus ejus membris, (u) *mitibus* & *manſvetis*, ſanctamque inter ſe & cum Matre Eccleſia ſervantibus *unitatem* eſſe promiſſa, ad eosq; ſolos de jure pertinere. Hinc & Chriſtus Dominus (v) diſertè ſolis *mitibus* (juxta verba Pſalmiſtæ) promittit *hereditatem terræ* myſticæ, ſoliſque (x) *pacificis* υἱοθεσίαν, ut verè *filii Dei vocentur.* Et S. Paulus vult nos (y) *levare puras manus ad Deum ſine IRA & DISCEPTATIONE.* Unde rectè Commentator ſub nomine S. Ambroſii in Epiſtolas Paulinas (ſcilicet *Hilarius* Diaconus Romanus,) obſervat, (z) *Spiritum ſanctum gaudere in SOLIS PACIFICIS:* & S. *Auguſtinus*, illos tantùm ait (a) *benedicere Dominum, qui habitant concorditer*, & è contra, *in diſcordia non benedici Dominum*, (b) *nec habitare in unum, niſi eos, in quibus perfecta fuerit charitas Chriſtiana.* Memorabile etiam eſt, quòd peculiari quoque admonitione monemur de hoc ultimo tempore, in quo propiùs jam quàm aliàs Domini expectatur adventus, ut in ſancto *ſilentio* nos contineamus: Soph. 1. ℣ 7. † *Silete à facie Domini Dei; quia juxta* (ſeu *propè*) *eſt dies Domini.* Confer hîc Hab. 2. ℣. 20. Zach. 2. ℣. 13. (al. 17.)

(ſ) *Supr. Claſſ. 1. Reg. 4. cap. 1. §. 13. pag. 32.* (s) *Claſſ. 2. Cap. 5. §. 2. & 3. ſub Reg. 8. & §. 42. 43. 49. ibid. ſub Reg. 10. Conſ. ibid. cap. 4.* (t) *Cap. 8. Confer* Rom. Sanct. *part. 2 §. 29. pag. 202. &* Læt. Nunc. *pag. 222.* (u) *Vide ſupr. Claſſ. 2. Cap. 5. §. 43. collat. §. 41. ibid. ſub Reg. 10.* (v) *Matt. 5. v. 4. (al. 5.) collat. Pſal. 36. (al. 37.) v. 11.* (x) *Cit. Matt. 5. v. 9.* (y) *1. Tim. 2. v. 8.* (z) *Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 14. v. 17.* (a) *Enarr. in Pſal. 132. ſub fin.* (b) *Ibid. paulò ante. Huc faciunt etiam illa Thomæ à* Kempis *in* Hortulo *Roſar. cap. 16. n. 2.* Ubi pax & concordia, ibi Deus & omnia bona; ubi lis & diſſenſio, ibi Diabolus & omnia mala. † *Senſum Hebr. verbi ſingularis* (Has,) *rectè in plur. expreſſit Vulgat.*

Jerem. 8. ℣. 14. quæ loca jam alibi quoque (*c*) pro ſancto ſvadendo *ſilentio* notavimus.

VII. Tu ergo anima ſalutis tuæ avida, recede à (*d*) *tabernaculis* erigentium ſe contra Primores & Patres Eccleſiæ; recede à Cœtibus ſine legitima vocatione (*e*) *currentium*; recede à (*f*) turbine (*g*) *contentionum* ac tumultuum, & (*h*) *ſede* potiùs *ſolitarius* cum Jeremia, ac in ſancto (*i*) *ſilentio diſce abſcondita Scripturarum*, & ea quæ ad (*k*) *pacem* S. Eccleſiæ, & animæ tuæ ſalutem pertinent, uſque dum pleniùs videas, quid tibi ulteriùs ſit agendum. Fuge omnem factionem, (*l*) ſanctæ unitati & paci fidelium contrariam; fuge omnium illorum ſtudia & veſtigia, qui ſuis expoſitionibus ac diſputationibus virulentis, ignem tot diſſidiorum ſemel accenſum, plùs & plùs fovent, & magis ac magis in dies inflammant, ac per hoc, quantùm in ipſis eſt, procul amovent, & modis omnibus impediunt ſanctam Chriſtianorum pacem. Etiamſi (*m*) *Angelus de cœlo* doceat illos; etiamſi quàm graves & ſpecioſas ſuî tam pertinacis diſſensûs prætexant cauſas; etiamſi (*n*) *lingvis hominum & Angelorum* potentiſſimè *loquantur*; etiamſi (*o*) *prophetiam* & ampliſſima dona interpretandi Scripturam *habeant*, *ſciantq; omnia myſteria & omnem ſcientiam*, tantâque *fide* & fiduciâ agendorum præfulgeant, *ut montes* Regionum myſticos, à priori ſuo ſtatu in alium mutent & *transferant*, imò etiamſi (*p*) *facultates ſuas* in ſublevationem *pauperum* largè *diſtribuant*, & inſuper, pro ſua confeſſione tenenda ac propugnanda, (*q*) *corpus ſuum* in prædam ignis *ardentis*, vel in quælibet tormenta *tradant*; tu tamen hæc omnia in ipſis quantum ad ipſos, (Apoſtolo docente) pro *nihilo* reputa; eò quòd verâ ſe *charitate* prorsùs deſtitui, contentioſis & virulentis ſuis operibus, ſanctæ paci & unioni planè inimicis, palàm teſtantur. E' contra verò feſtina & age ſollicitè, ut quamprimùm fieri poteſt, ſanctam cum Matre Eccleſia, quam hactenùs hoſtiliter impugnâſti, habeas unionem, atque ſic ei, qui tibi priùs (*r*) *adverſarius* erat, *citò* ac maturè *dum es in via*, reconcilieris.

(*c*) *Supr. Claſſ.* 2. *Cap.* 11. §. 15. *pag.* 371. *Conf. Lat. Nunc.* §. CVIII. *pag.* 224. (*d*). *Num.* 16. *v.* 26. *collat. v.* 21. (*e*) *Jerem.* 23. *v.* 21. *& cap.* 27. *v.* 15. *Conf. Exam. Reform. cap.* 2. *& ſequ.* (*f*) *Pſalm.* 55. *juxt. Hebr. v.* 9. (*g*) *Prov.* 20. *v* 3. (*h*) *Jerem.* 15. *v.* 17. (*i*) *Thom. à Kempis, de Imit. Chr. Lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 6. (*k*) *Pſal.* 121 (*al.* 122.) *v.* 6. 7. 8. (*l*) *Vid. S.* Iren. *Lib.* 5. *adv. Hær. cap.* 20. Fugere oportet ſententias ipſorum, *&c.* confugere autem ad Eccleſiam, & in ejus ſinu educari, & Dominicis Scripturis enutriri. *Confer eund. Lib.* 4. *cap.* 62. (*in fragment.*) Judicabit Deus facientes ſchiſmata, qui--ad ſuam utilitatem, NON ad Eccleſiæ UNITATEM attendunt. *Tene etiam illud S.* Hieronymi (*in Abd. v.* 17.) *de ultimo tempore dictum:* Deſtructis carnis operibus, -- erit in ECCLESIA ſalvatio eorum, qui à Matre NON EXIERINT. *Conſule ea quoque, quæ habet idem in Nahum cap.* 2. *v.* 8. (*m*) *Gal.* 1. *v.* 8. (*n*) 1. *Cor.* 13. *v.* 1. (*o*) *Ibid. v.* 2. (*p*) *Ibid. v.* 3. (*q*) *Ibid.* (*r*) *Matt.* 5. *v.* 25.

afflictis. Hoc ſi feceris, ac inſuper, tuô conſilio, vel etiam facultate externâ, (cui eam Deus largitus eſt,) in aliorum quoq; pectoribus ſanctam hanc unionem promovere ſtudueris, non eſt dubium, quin tuæ orationes pro Chriſtianorum unitate & concordia, tuaque ſalute ad Deum fuſæ & fundendæ, opportuno tempore exaudiantur.

VIII. (4.) Quantumlibet res adverſari videantur cum appropinquante meliori Populi Chriſtiani & Eccleſiæ Dei ſtatu; tu tamen caput in Domino erigito, tu te ipſum contra omnem Mundi adverſitatem, ac propriam animi abjectionem, ſubinde redarguito; & exporrectâ fronte adversùs omnem ſpem humanam expecta promiſſam Dei bonitatem & miserationem. Vide quid facit animæ ſuæ *David* in ſuî mœrore & ſpei langvore: (*ſ*) *Quare dejicis te* (ſeu, *quare triſtis es*) *anima mea? & quare tumultuaris in me?* (Vel, quoad ſenſum, *quare conturbas me?*) *Spera in Deo*, (vel, *expecta Deum*;) *quoniam adhuc confitebor ei*, quòd ſit *ſalutare vultûs mei, & Deus meus.* Hoc moneris etiam à Propheta Habacuc: (*s*) *Si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit.* Singulariter autem, hoc præſertim tempore ultimo, ſis tu intentus expectatione tuâ in adventum Domini glorioſum; ne quo pacto è numero *illuſorum* illorum eſſe reperiaris, qui dicunt in corde, & factis id ſe dicere teſtantur: (*t*) *Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus?* Seu juxta Græcum: (*u*) *Ubi eſt promiſſio adventûs ejus?* Sanctis ſemper incubuit, ita Chriſtum Dominum expectare, ac ſi jam jam præ foribus eſſet; (cujus rei ſapientiſſima apud Deum ratio, pleniùs cum tempore manifeſtabitur;) quantò magis incumbit nobis, qui jam majoribus noſtris longè propiores ſumus adventui ejus? Hinc illud S. *Auguſtini* noſtro tempori congruentiſſimum: (*v*) *Quantò magis nunc dicendum eſt propinquare Domini adventum, quando TANTUS eſt ad FINEM factus ACCESSUS?* Sed audiamus etiam S. *Hieronymum*, de aſſidua adventûs Chriſti glorioſi expectatione nos inſtruentem: (*x*) *De die autem* (inquit) *illa, - - non expedit ſcire Apoſtolis, ut pendula expectationis incertô, ſemper eum credant venturum, quem ignorant quando venturus ſit.* Item: (*y*) *Sicut ſollicitus Servus, & ſemper adventum Domini praſtolans, tradit conſervis cibaria in tempore ſuo, & poſtea ſuper omnia bona Patrisfamilias conſtituitur; ita è contrario, qui juxta „Ezechielem dixit:* (*z*) In TEMPORA LONGA fiet iſtud, *& non putat Dominum citò venturum, factus ſecurior vacat epulis, atque luxuriæ, & non lenem Patremfamilias, ſed ſeveriſſimum ſentiet Judicem.* Vide ergo

 & cave,

(*ſ*) *Pſalm. 42. juxt. Hebr. (al. 41.) v. 12. collat. ibid. v. 6. & Pſalm 43. (al. 42.) v. 5.* (*s*) *Hab. 2. v. 3.* (*t*) *2. Pet. 3. v. 4.* (*u*) *Ita etiam S. Auguſtinus quoad ſenſum, Lib. 20. de Civ. Dei, cap. 18.* Ubi eſt promiſſum præſentiæ ipſius? (*v*) *Epiſt. 80. ad Heſych. de fin. ſecul. §. 22.* (*x*) *Hieron. Comm. in Matt. 24. v. 36.* (*y*) *Ibid. ad v. 48.* (*z*) *Ezech. 12. v. 27.*

„& cave, ne ſis tu è numero illorum, qui ſolent etiam hodie dicere: Pro-„cul eſt adhuc tempus, quô veniet Chriſtus ad judicandum Orbem terra-„rum: ſed ſemper habeto animum in ejus (*a*) expectationem intentum; probè tenens, quòd omnis impiorum, pios hîc affligentium, ipſamq; S. Eccleſiam vaſtantium pœna extrema, & electorum optatiſſima liberatio in illum adventum eſt dilata, ac inſuper, quòd ſingulari ratione(*b*) *beati* dicuntur illi, *qui expectant* Dominum. Nec obſtat propinquitati *adventûs* ejusdem hoc, quòd nondum videmus omnes *Gentes* & *Judaeos* eſſe converſos. Juxta doctrinam enim in hoc Libro traditam, optimè unà coſiſtunt, propinquitas *adventûs* Domini, & ſecutura *Gentium* ac *Judaeorum converſio*: ut patet ex iis, quæ (*c*) de *latitudine* ſensûs phraſeos *Diei Domini*, item, *adventûs* & *judicii* ejuſdem in ſuperioribus diximus. Etiamſi videatur Dominus tardare aliquamdiu, etiamſi differat ad aliquod tempus ſui promiſſi impletionem; tu tamen patienter expecta Dei miſericordiam, & in ejus fidelitate acquieſce. Vide Dan. 12. ℣. 12. quo in loco, ſi *dies* ſtylo prophetico latiùs extenſæ, nunc ſpecialiùs pro totidem annis (ipſo Daniele (*d*) lucem alibi hunc in ſenſum monſtrante) accipiantur, disertè *quadraginta quinq;* anni fidelibus ultimi temporis ad ſingularem in patientia *expectationem* præſcribuntur: *Beatus* (inquit) *qui expectat, & pervenit usq; ad dies mille trecentos triginta quinq;*. (Hoc eſt, ad 45. ſupra numerum 1290. proximè præcedenti verſu indicatum.) Plus etiam deberes, Deo id exigente, patienter expectare. Etiamſi in continua quotidie eſſes vexatione, etiamſi in (*e*) *valle umbræ mortis* ambulares; attamen paulatim illi anni te adhuc in vivis manente, & Deo firmiter adhærente, laberentur. Primùm unus, deinde alter, tertiò tertius, & ſic conſequenter adveniret ſenſim etiam ultimus. Obfirmato igitur hîc te-ipſum in ſpe ſancta, ſi vis eſſe è numero illorum ultimi temporis fidelium, de quibus dicit *Iſaias*, loco à nobis ſupra (*f*) jam memorato: (*g*) *Expectantes Dominum, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ; current & non laborabunt*, (ſeu, *non fatigabuntur*,) *ambulabunt, & non deficient*, ſive, *non laſſabuntur*.

IX. Dices mihi: An tu, qui alios tantopere ad fiduciam, ſpem & patientem expectationem hortaris, priùs jam te in eo obfirmâſti, quod aliis inculcas? Reſp. Cum ſciam multos curioſè potiùs quàm utiliter velle hoc ſcire, poſſem nihil reſpondendò tranſire: Verùm (propter eos ſaltem, quibus fortè meô exemplô aliquid prodeſſe poſſum) paucis hoc tantùm dico: Ego abjectiſſimus homuncio, coram Deo meo ad terram & pulverem usq; me humiliando, recognoſco, liberum ei eſſe, quicquid mecum manûs ſuæ figmento

(*a*) 2. *Pet.* 3. *v.* 12. (*b*) *Iſa.* 30. *v.* 18. *collat. Dan.* 12. *v.* 12. *& Matt.* 24. *v.* 46. *& Luc.* 12. *v.* 43 (*c*) *Claſſ.* 2. *ſub Reg.* 33. *cap.* 10. *&* 11. (*d*) *Dan.* 9. *v.* 24. 25. 26. 27. (*e*) *Pſal.* 23. *juxt. Hebr.* (*al.* 22.) *v.* 4. (*f*) *Sub. Reg.* 32. *Claſſ.* 2, *cap.* 9. §. 16. *&* 29. (*g*) *Iſa.* 40. *v.* 31.

[…]mento vult facere: tractet, verſet, formet me atq; reformet prout libuerit; nîl dubito eum ſemper ſervaturum animam meam in vitam æternam. At verò ipſo monſtrante, explicatiùs etiam ac diſtinctiùs inter tot adverſa, ſpe futurorum bonorum me ſuſtentare debeo. Cum enim ipſemet jubeat me ſperare in verbo ſuo, & petentibus ac petendo credentibus omnia promittat; non poſſum non talem in Dei promiſſa ſpem concipere, atq; etiam inter varias vitæ hujus ærumnas eam ſic Deo meo in privatis gemitibus „pandere: Tu promittis Domine, qui es puriſſima Veritas, te tuorum preces humiles, ardentes & (*h*) indeſinentes (quicquid (*i*) in nomine ſui Salvatoris petierint) exauditurum: Tu dicis, (*k*) *Credenti omnia poſſibilia* „eſſe; omnia ſcilicet bona Sanctis deſtinata. Tu jubes me & (*l*) petere, & „in te (*m*) ſperare; tuam miſericordiam, tuam jucundam conſolationem, „tuorum promiſſorum impletionem, erectô inter quælibet adverſa capite, „expectare. Ego itaq; tuâ ſolius gratiâ huic tuo verbo innitor, neq; poſſum „non firmiter ſperare, (etiamſi caro ſubinde infirmetur & vacillet;) cum ha„beam ſpei meæ fundamentum, non hominis conſolationem in fiduciam me „erigentem; in qua uti penitùs deficio, ita ſcio eam (*n*) *vanam* & fallacem „eſſe; non multiformem & inſtabilem miſeræ mentis & eam turbantis inimici „imaginationem; [contra quam ex corde luctor, eamq; (te mihi teſte) ſeriò „deteſtor, optans humillimè ad exemplum eximii tui Servi, (*o*) ab ea me, ut ab „interno *multiloquio* vaniſſimo *liberari*, ut ſolis tuis ſuggeſtibus, tuisq; ope„ribus ſit ſemper in me locus;] ſed puriſſimum tuum verbum; quod, impoſ„ſibile eſt, (*p*) ut fallat quempiam, quicunq; ſe totum ei addixerit, devove„rit, & in ejus delicias ſe prorsùs demerſerit, ita ut (*q*) *in Lege Domini* ſit „omnis *voluntas ejus, & in Lege ejus meditetur die ac nocte*, juxta verba „Pſalmiſtæ. Licet ergò in (*r*) *ventrem inferni*, vel *in profundum maris* me „detrudas; licet *omnes tui gurgites*, omnes caſtigantis iræ tuæ *fluctus ſuper me* „*tranſeant*, adeò ut *dicere* poſſim humanitùs; (*ſ*) *abjectus ſum à conſpectu ocu*„*lorum tuorum*; tu tamen me ſemper (*s*) ſperare jubes, eaq; mihi è Scripturis „tuis ſuggeris argumenta, quibus innixus (etſi de modis tuis ignarus) con„fidere debeam, per omnia adverſa, per omnes acerbiſſimas viciſſitudines, „per portas mortis & inferni, te tandem me ad deſtinatum mihi & Sanctis „tuis bonum perducturum, & effecturum, ut (te mihi placatum ſentiens) cum „exulta-

(*h*) *Luc.18.v.1.7.8.* (*i*) *Joan.14 v.13.14. & cap.16.v.23. coll. Matt 7.v.7. Luc.11.v.9. & 1. Joan.3.v.21.22.* (*k*) *Marc.9 v.22.* (*al.23.*) *& cap.11.v.24* (*l*) *Matt.7 v.7.* (*m*) *Marc.11.v.24. Joan.14.v 1 & 16.v.33.* (*n*) *Pſal.59.* (*al.60.*) *v.13. collat Pſal.145.* (*al. 146.*) *v.3.* (*o*) *S.Auguſt. ſub fin. Lib.15. de Trinit.* Libera me Deus à multiloquio, quod patior intùs in anima mea miſera in conſpectu tuo. (*p*) *Pſal.32.* (*al.33.*) *v 4. & 118.* (*al.119.*) *v.160. coll. Pſal.24.* (*al.25.*) *v.2. & 3.* (*q*) *Pſal.1.v.2.* (*r*) *Jon. 2. v.3.4.* (*al. v 2,3.* *coll. Pſal.41.* (*al. 42.*) *v. 8.* (*ſ*) *Cit. Jon. 2. v. 5. & Pſal.30.* (*al.31.*) *v.23.* (*s*) *Pſal. 26.* (*al.27.*) *v.14. 2.Paral.20.v.20. collat. Job. 13.v.15.*

„exultatione cordis illud decantem: (*t*) *Fortitudo & laus mea Dominus, & „factus eſt mihi in ſalutem*; annunciemq; opera miſericordiæ tuæ erga me „miſerum præſtita, in medio Eccleſiæ tuæ. Sic ſperare mihi longè melius, imò millies atq; millies melius eſt, quàm aliter ſtatuere, quicquid huic imbecilli, fragili, & cadaveroſo corpori tandem eveniat. Nam ſive (*u*) *maneam* in hac vita, ſive *requieſcam*; à peccato & Dei offenſione, longè magis abhorreo, & majori cum ſollicitudine in hac ſpe enitor ſemper ita per gratiam vivere, quaſi jam jam moriturus, quàm ſi ſecùs ſentirem. Hoc unum mihi ſatis magnum peccatum eſſet, ſi contra Dei verbum hac in re ſpem abjicerem. Et hoc unum, quòd ipſe Deus jubet me ſperare in omnibus adverſis, validiſſimum mihi motivum eſt, ut confidam, etiamſi ignorem, quando, quâ viâ, & quibus modis promiſſa ejus implebuntur.

X. Tu quoq; ergò ſimiliter, qui unà mecum Deum & Eccleſiam amas, qui (*x*) *pacem ſanctæ Jeruſalem* deſideras, qui † *conſolatione Iſraël* delectaris; quicquid in Mundo tibi eveniat, oculos fidei tuæ (in veræ pietatis exercitio) unicè in Deum & in ejus verbum conjicito ac defigito; tu Deum ipſum ad ſui verbi impletionem juxta promiſſum, inſtanter, perſeveranter & ardenter piis precibus ſollicitato. Sic experieris in dies, magis atque magis te hac in ſpe & expectatione corroborari. Illis enim Deus promittit ulteriorem in fide, ſpe & patientia corroborationem, qui & ipſi ſecundùm gratiam ſibi collatam, ſe ſe ad ſperandum ſubinde excitant, & excitando ſe ipſos corroborant. Audi hac de re S. Vatem, juxta text. Hebræum: (*y*) *Expecta Dominum: ROBORA TE, & CORROBORABIT* (ipſe) *COR TUUM*; *& expecta Dominum.* Attende etiam quomodo ſe ibidem proximè præcedenti verſu contra ſuos hoſtes, & contra quælibet adverſa, fidei ſcutô muniat: (*z*) *Credo me viſurum bonitatem Domini in terra viventium.*

(*a*) *Pax* Domini ſit *ſuper Iſraël.*

(*b*) Ἔρχȣ Κύριε Ἰησȣ̃!

(*c*) *Regi ſæculorum immortali, inviſibili,*

SOLI DEO, ſit *HONOR* & *GLORIA*,

in ſæcula ſæculorum, Amen.

(*t*) *Pſal.* 117. (*al.* 118.) *v.* 14. *collat. Exod.* 15. *v.* 2. (*u*) *Eccli cap.* 39. *v.* 15. (*x*) *Pſal.* 121. (*al.* 122) *v.*6. † *Luc.* 2. *v.* 25. (*y*) *Pſal.* 27. (*al.* 26.) *v.* 14. *Sic vertit* Pagninus *& alii non pauci.* (*z*, *Ibid. v.* 13. (*a*) *Pſal.* 124. (*al.* 125.) *v.* 5. (*b*) *Apoc.* 22. *v.* 20. (*c*) 1. *Tim.* 1. *v.* 17.

IN-

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ,

In hoc Libro citatorum, vel etiam ex parte illuſtratorum.

[Exceptis certarum phraſium ac vocum locis cumulatim congeſtis: ut, de *ultimo tempore*; de *Sacci amictu*, de voce *Sion*, de *momento*, de *numero Septenario*, &c. quæ inveniuntur, Pag. 81. 82. 141. 155. 234. 235. 243. 244. 245. 246. 254. 279. 304. 305. 306. 307. 313. 327. 328. 350. 397. 411. 451.]

EX GENESI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1.	56. 58. 80.
	3. 6. & ſequ.	251.
	31.	13.
II.	2.	286.
	7.	452.
	8. 15.	28.
	15. 16. 17.	258.
III.	1.	281.
	7.	339.
	10.	29.
IV.	16.	425.
V.	5. 8. 11. 20. 27.	281.
	24.	133.
VI.	14.	29.
VI. & VII.		281.
VII.	11. 14.	311.
VIII.	14.	311.
IX.	12. 13.	403. 405.
XII.	3.	161.
XV.	17.	158.
XVI.	2. 3. 4.	441.
XVII.	10. 11. 14. 23. 24.	449.
XVIII.	1. & ſequ.	29.
	1. 16. usq; ad 21.	312.
	18.	161.
XIX.	1.	134.
	4. 5.	142.
	17.	101.
	23. 24. 25. 30.	311.
	24.	29.
	31.--38.	441.
XXI.	17.	247.
XXII.	5. 8.	448.
	16, 17. 18.	161.
	18.	159.
XXVI.	4.	161.
XXVII.	1.--4.	95.
	5.	94.
XXVIII.	13.	29.
XXIX.	23. 27. 28.	442.
XXX.	24.	426.
	37--40.	437. 440.
XXXII.	30. 31.	444.
XXXIII.	8. 10.	108.
XXXIV.	25.	13.
XXXV.	22.	13.
XXXVII.	5. 6. 7.	247.
	14. 17.	425.
XI.	18, 19. 20.	3.
XLI.	25. 26. 32.	3.
	42.	426.
	40. usq; ad 44.	247.
XLIII.	19. 23.	428.
XLIV.	32.	169.
XLV.	5. 8.	428.
XLVI.	4.	95.
XLVIII.	19.	166.
XLIX.	1. 3. 4. 5. 6.	13.
	8.	425.
	10.	29.
	22. usq; ad 26.	425.
	27.	96.
L.	20.	428.

Digitized by Google

EX EXODO.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	2. - - -	264. 265.
	14.	29.
	8. 17.	75.
IV.	22. - - -	61.
V.	3.	236.
VII.	1.	3.
VII. VIII. IX. X. XI. XII. cap. - -		312.
XII.	6.	29.
	13. 23.	359.
	29. 31. - - -	423.
XIII.	5.	75.
	21. 22.	392.
XIV.	- - - - -	312.
	19. 20.	393.
XV.	2. - - - -	464.
	ult.	30.
XVI.	8.	431.
XIX.	1. 10. 11.	312.
XXIV.	1. 2. 18.	312.
XXV.	10. 11. 13. 23. 24. --	200.
	17. -- 22.	149.
	40. - - -	50. 409.
XXVI.	15. 29.	200.
XXVIII.	17. - 21. - - -	30.
	30. (juxt. Hebr.) --	101.
	36. 38.	416.
XXXII.	7.	312.
	32.	439.
XXXIV.	2. 3. 4. 28.	312.
XXXVII.	25. 26.	200.

EX LEVITICO.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	17.	450.
VI.	18.	450.
	23.	93.
VII.	34. 36.	450.
X.	9. - - - -	450.
XII.	3.	449.
XIII. & XIV.		449.
XIV.	10. - - - -	27.
XV.	2. -- 17.	449.
	14. 17. 18.	184.
	19. -- 33.	449.
XVI.	5. 7. 8. 9. 10. - -	27.
	31.	178.
XXIII.	14. 21. 31. 41. - -	450.
	23. 24. 25.	292.
	32.	178.
XXV.	9.	367.
XXVI.	3. 7. 8. 9.	195.
	8.	435.
	11. 12.	334. 347.

EX NUMERIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1.	312.
II.	2. 3. 10. 18. - - -	230. 231.
	17.	231.
	25. 31. 34. - -	233.
V.	9. 12.	93.
	12. -- 31.	449.
IX.	10. 11.	163.
X.	2.	149. 367.
	2. - 3.	237.
	2. -- 10.	445.
	8. - - - -	236. 450.
X.	11. 12.	312.
	5. 6. 14.	233.
	18. 22. 25.	233.
XI.	25.	118.
	29.	11.
XIV.	6. 30.	101.
XVI.	26. (al. 21.)	460.
XVII.	8.	437.
XXI.	14.	51.
	18. 30. 33. 34. - -	179.
XXIII.	12. 18. 19. & ſeq. --	45.
	19.	195.
XXIV.	3. 4. 15. 16. & ſeq. --	45.
XXVIII.	3. 4. 5.	298.
XXXI.	19.	299.
XXXIII.	9.	30.

EX DEUTERONOMIO.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	24. - - -	265. 315. 368.
	40.	283.
VI.	8.	416.
	13. 16.	437.
VIII.	3.	437.
X.	20. - - -	437.
XI.	8. 9. 21.	283.
	18. - - -	416.
XVI.	5. 6.	29.
XXVIII.	1. 2. & ſequ. - -	198.

15. 16.

Cap.	Verſ.	Pag.
	15. 16. & ſequ. --	198.
	59. 60. 61.	195.
XXX.	1. 6.	197.
	1. 2. 3. 4. 5. 6. ---	159.
	1. 2. 7.	195.
	6. - - - -	178. 186.
	14.	453.
XXXII.	2. - - - -	335.
	4.	259.
	7.	26.
	35 36. 40 41. 42. 43.-83.	
	36. 39. 43. - - -	257.
	39.	277.
VXXIV.	9.	247.

EX LIBRO JOSUE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1. 6. 7.	247.
	16. 17. 18.	Ibid.
II.	2. & ſequ.	101.
	28.	28.
IV.	3. 5. 8. 9.	30.
VI.	3.--20. --- 444. coll. 367. & 31.	

EX LIBRO JUDICUM.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	37. 36. 39. 40. --	430.
VII.	19. 20.	354.

EX I. REG. (al. I. Sam.) LIBRO.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	11.	246.
II.	4.	365.
	35.	342.
XVI.	1. 2. 4. 6. uſq; ad 13.--33.	
	13.	184.
XVII.	34. 35. 36.--40. ---	432.
	40.--49.	434.
	49. 50. 51.	445.
XVIII.	6. 7.	99.

EX II. REG. (al. II. Sam.) LIBRO.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	23.	212.
VII.	2.	33.
	13.	247.
	14.	181.

EX III. (al. I.) REG. LIBRO.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	4.	184.
III.	9.	22.
IV.	32. 33. - - -	8.
V.	3.	184.
VII.	15. 17.	149. 150.

Cap.	Verſ.	Pag.
XVII. XVIII. XIX. cap. --		149.
XVII.	1. 2. 3. 4. 5. 6. --	431.
	9. 10.	429.
	12. 13. 15.	287.
	14. - - -	430.
XVIII	34. 38.	432.
XIX.	3.	431.
	5. 9. - - -	247.
	18.	163.
XXII.	20. 21. 22.	50.

EX IV. (al. II.) REG. LIBRO.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	- - - - - -	149.
	10. 12.	142.
II.	11.	108.
IV.	29. 30. 31. 32. & ſeq.--33.	
V.	25. 26.	8.
VI.	14. 16. 17.	120.
XV.	18. 24.	60.
XVII.	6. 7. 8. 18. 22. 23. 24.--60.	
	19. 20.	Ibid.
	30.	226.
XVIII.	10. 11. 12. 13. --	60.

EX I. PARAL. LIBRO.

Cap.	Verſ.	Pag.
XII.	37. 38.	365.
XVI.	13.	383.
XVII.	4.	33.
XXII.	10.	181.
XXIV.	6. 7. 8. & ſequ. --	232.

EX II. PARALIP. LIBRO.

Cap.	Verſ.	Pag.
V.	11.	232.
XV.	8.	2.
XX.	20.	463.
XXXVI.	14.--21.	60.

EX I. ESDR. LIBRO.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	14.	3.
	18.	232.

Ex Libr. *Judith.* cap. 16. ℣. 20. pag. 306.

EX JOB.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	2. 8. - - -	208. coll. 434.
IV.	14.	52.
V.	16.	366.
	19. 20.--24. --	369.
VII.	13. 14.	259.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	9.	43. 213. & ſeq. usq; ad 226.
	10.	216.
XII.	18. 19. 21.	365.
XIII.	15.	463.
XIV.	14.	279.
XX.	17.	206.
XXIV.	2.	351.
XXVI.	8.	335.
XXVII.	13. 18.	219.
XXVIII.	28.	19.
XXX.	29.	439.
XXXIII.	14.	246.
	19.20.21.23.24.	260.
	25. 26.	260.
	26.--30.	257.
XXXV.	25.	302.
XXXVIII.	12.13.26.27.	151.
	31.	219. 220. 221. 222.
XLI.	9. 10.	386.
	19. (al. 28.)	435.
XLII.	7. 8. 9. 10. 11.	449.
	10. 11.	300.
	12.	301.
EX PSALMIS.		
I.	1.	97. 463.
	2.	423.
II.	8.	244.
	9.	438.
III.	5.	442.
IV.	6.	316.
	7.	77.
VII.	8.	170.
VIII.	2. 10.	412.
	3.	59. 139.
IX.	8. 9.	373.
X. (juxt. Hebr.)	6.	391.
XI. (al. 10.)	6.	265.
XI. (al. 12.)	2.	170.
XIII. (al. 14.)	1.	427.
XIV. (juxt. H.)	ult.	176.
XIV. (al. 15.)	1.	273.
XV. (al. 16.)	10.	145.
XVIII. (al. 19)	2.	337.
	6. (al. 5.)	40. 41.
	7.	84.

Cap.	Verſ.	Pag.
XX. (al. 21.)	5.	283.
XXII. (al. 23.)	4.	376. 439. 462.
	6.	268.
XXIII. (al. 24.)		283.
	1.	167.
XXIV. (al. 25.)	10.	350.
	13.	186.
XXV. (j. Heb.)	14.	19.
XXV. (al. 26.)	8.	189.
XXVI. (al. 27.)	13.	377. 463.
	14.	376. 463. 464.
XXVII. (al. 28.)	3.	387.
XXVIII. (al. 29.)	7.	265.
XXX. (al. 31.)		463.
XXXII. (al. 33.)	9.	251.
XXXIII. (al. 34.)	6.	337.
	10. 11.	193.
	13. 14. 15.	283.
	15.	458.
XXXV. (al. 36.)	6.	335. 346.
	7.	310.
	9.	297.
XXXVI. (al. 37.)	8. 9. 10. 11	34.-320. coll. 371. (& 376.
	11.-29.	186. coll. 459.
	11. 37.	72.
	18.	314.
	21.	97.
	24. 31.	381.
	35. 36.	66.
	35. 36. 38.	268.
XXXVII. (al. 38.)	8.	188.
XXXIX. (al. 40.)	13.	93.
XL. (al. 39.)	7.	40. 396.
XLI. (al. 42.)	6. 12.	461.
	8.	463.
XLII. (al. 43.)	3.	20. 112.
	5.	461.
XLIII. (al. 44.)	1.	66.
	12. 23.	290.
XLIV. (al. 45.)	7.	438.
	8.	184.
	13.	301.
XLV. (al. 46.)	5.	431.
	10.	66. 83. 84. 359.
	12.	84.

XLVI.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
XLVI. (al. 47.)	2. 3.	452.
	4.	353.
XLVII. (al. 48.)	3.	288.
	9.	66.
XLIX. (al. 48.)	11.	220.
	15.	353. 365.
XLIX. (al. 50.)	3.	77. coll. 315. 332.
L. (al. 51.)	17.	15.
	20.	457.
	21.	316.
LIII. (j. Hebr.)	ult.	176.
LV. (j. Hebr.)	9.	460.
LVI. (j. Hebr.)	13.	423.
LVI. (al. 57.)	2.	82.
LVII. (al. 58.)	11.	320.
LVIII. (al. 59.)	7. 15. 16.	427.
LX. (al. 59.)	6.	412. collat. 415.
	13.	463.
LXII. (al. 63.)	12.	366.
LXV. (al. 66.)	10. 11. 12.	277.
LXVII. (al. 68.)	3.	324.
	14.	330.
	18.	218.
	22.	436.
LXVIII. (al. 69.)	6.	93.
LXX. (al. 71.)	20. 21.	268.
LXXI. (al. 72.)	per totum.	28.
	1.	309.
	2. 3. 4. 6. 7. 16.	151.
	6.	430.
	8.	85. 160. 161.
	11.	159.
	13. 14.	290.
LXXIII. (al. 74.)	16. 17.	289.
LXXV. (al. 76.)	2.	370.
LXXVII. (al. 78.)	49.	368.
LXXX. (al. 81.)	6.	426.
	17.	194.
LXXXV. (al. 86.)	9.	85. 159. 343.
	11.	20.
LXXXVI. (al. 87.)	2. 3.	188. 370. coll. 295.
LXXXVII. (j. Heb.)	1.	154. 155.
LXXXVII. (al. 88.)	7.	426.
	12.	195.
LXXXVIII. (al. 89.)	15.	370.
	49.	145. 273.

Cap.	Verſ.	Pag.
LXXXIX. (al. 90.)	10.	281.
	14.	314.
XC. (al. 91.)	7. 10. 14. 15.	369.
	11.	49.
	16.	268. 283.
XCI. (al. 92.)	11.	181.
	12. & ſequ.	320.
	14.	177.
XCII. (al. 93.)	15.	268. coll. 301.
XCV. (al. 96.)	10.	289.
	13.	360.
XCVI. (al. 97.)	1.	289.
	4.	235. 346.
	10. 11. 12.	376.
XCVII. (al. 98.)	1.	66.
	9.	360.
C. (al. 101.)	2.	334.
CI. (al. 102.)	17.	314.
	19.	185.
CII. (al. 103.)	3.-5.	191. coll. 348.
	5.	268.
CIII. (al. 104.)	10.	367.
	15.	210.
CIV. (al. 105.)	3.	376.
	6.	383.
CV. (j. Hebr.)	26.	112.
CV. (al. 106.)	5.	18. 257. 455. 458.
CVI. (al. 107.)	40. 42.	365. 366.
CVII. (al. 109.)	6.	92.
CIX. (j. Hebr.)	13.	208.
CIX. (al. 110.)	2.	438.
CX. (al. 111.)	10.	19. 193.
CXI. (al. 112.)	10.	323.
CXII. (al. 113.)	3. 4.	60.
CXIII. (al. 115.)	17. 18.	246.
CXV. (al. 116.)	13.	428.
CXVII. (al. 118.)	14.	464.
	15. 16. 23.	183.
	18.	268.
	22.	435.
CXVIII. (al. 119.)	11.	311.
	18.	20. 450.
	90.	213.
	160.	463.
	165.	371.
CXXI. (al. 122.)	6. 7. 8.	460. coll. 464.

Cap.	Verſ.	Pag.
CXXIV. (al. 125.)	5. - - -	464.
CXXV. (al. 126.)	6.	72.
CXXVII. (al. 128.)	2.	72.
	5. 6.	283.
CXXVIII. (al. 129.)	8.	359.
CXXIX. (al. 130.)	7.	376.
CXXXI. (al. 132.)	1.	366.
	3. 4. 5. - - -	22.
CXXXVI. (al. 137.)	4.	195.
CXXXVIII. (al. 137.)	4. 5.	159.
CXL. (al. 141.)	2.	437.
CXLV. (al. 146.)	3.	463.
CXLVI. (al. 147.)	2.	351.
	3.	348.
	9. - - - - -	431.
CXLIX.	2.	376.
	7. 8. 9.	336.

EX PROVERBIIS *Salomonis.*

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	7.	19. 19.
	10.	62.
	31.	220.
II.	2. 3. 4. 5. 6. - - -	21.
IV.	18.	314. (330.
IX.	1. 2. & ſequ.	210. collat.
	2. 5. - - - -	224. collat. 427.
	10.	19. & 26.
XII.	11.	186
XIV.	19.	365.
XIX.	20.	221.
XX.	3. - - - - -	360.
	8.	309.
XXVII.	16.	212. 233.
XXIX.	14.	309.
	18.	30.
XXXI.	10. & ſequ.	100. 210.

EX ECCLESIASTE

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4.	211. 212.
	4. 9. 10.	80.
IV.	9. 10. 11. 12. - - -	150.
VI.	6.	257. 284.
XI.	2.	286.
	3. - - - - -	335.
XII.	11.	182.
	13.	456.

EX CANTICO CANT.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	2.	260.
II.	4. - - -	210.
	11. 12. 13. - -	259.
	16.	279.
III.	4.	165. 210.
	11.	338.
IV.	5.	112. 279.
	7. - - - - -	186.
	16.	215.
V.	1.	210. 224.
	13.	279.
VI.	1. 2.	279.
	9. - - - - -	231. 379.
	10	318.
	11.	134.
VII.	3.	112.
VIII.	2.	224. 118.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4. 5.	19. 24.
III. & V. cap.	- - - - -	25.
III.	1. 3.	146.
	2.	381.
	8.	343. 353.
IV.	8. 9.	427.
V.	21. - - -	239.
VI.	7.	368.
	13.	21.
VII.	7. 27.	330.
X.	16.	330.

EX ECCLESIASTICO.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	18. 19. 20. 21. - -	191.
XXIV. & XXXVI. cap. - -		25.
XXX.	16. 17. 1.	194.
XXXVI.	6.	207.
XXXIX.	1. 2.	26.
	1. 2. 3. 11. 14. - -	24.
	15.	464.
XLIV.	16.	116.
LI.	3.	201.

EX ISAIA.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1.	31.
	2.	73.
	3.	206.
	2. 3. 8. 9. 11. - -	60. 61. 62.
	10.	62.
	11. 14.	60.
	19.	74. 194.

21.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	21.	62.
	25. 26. 27.	61. 63. 64.
II.	3.	189. 288.
	4.	72. 438.
	4. 12. 13. uſq; ad 21.	241.
	11. 17.	333.
III. IV. & V. cap.		241.
III.	5.	134.
	9.	62.
	14.	334.
IV.	1.	100.
V.	2. 3. 4. 5.	151. 207.
	3. 4.	241. coll. 315. 316.
	6.	335. 345.
	26.	411.
VI.	1.	367.
VII.	14.	40. 412.
	15. 22.	206.
	23. 24. 25.	206.
VIII.	18.	59. 412.
IX.	2.	176.
	3.	155.
	20. 21.	249. coll. 372.
XI.		241.
XI.	4.	219. 320. 438.
	5.	169.
	6. 7. 8.	206.
	9.	288.
	9. 10. 11.	150. 151. coll. 411.
	10.	413.
	12.	411. 412.
	13.	151.
XII.	3.	297.
XIII.	2. 3. 4.	206. coll. 411. 412. 414.
	9. 11. uſq; ad 16.	313.
	10.	220. 222.
XIV.	12.	386. coll. 320.
	25.	157.
	30.	86. 100.
XVI.	4. 6.	251.
	ult.	249. 250. 251.
XVIII.	3.	411. 412.
XXI.	8.	89.
XXII.	20. uſq; ad 24.	99.
XXIV.	7. 8. 9.	373.
	14. 15.	376.

Cap.	Verſ.	Pag.
	19. 20.	74. 377.
XXV.	8.	282. 295.
XXVI.	10.	320.
	16. 17. 18. 19.	277.
	19.	237.
	ult.	334. 390.
XXVII.	ult.	235. 445.
XXIX.	19.	86. 100.
XXX.	15. 16. 27. 28.	173.
	29. 30.	Ibid.
	17.	411. 435.
	18.	462. (289.
	26.—151. 152	205. 243. 251. 255. 256.
	26. 27.—30.	207. 240.
	27.	235.
XXXI.	8. 9.	251. coll. 412.
XXXII.	1. & ſeq.	241. coll. 309.
	2.	188. 295.
	1. 17. 18.	207.
	20.	206.
XXXIII.	7.	134. 343.
	17.—24.	89.
	ult.	177. 186.
XXXIV.		89.
	4. 5.	204.
	16.	9. 24.
XXXV.	1. 2. 3. 4. 9. 10.	89.
	7.	206.
	8. 9. 10.	299. collat. 207.
XXXVIII.	17.	155.
XL.	4.	206.
	5.	330.
	6.	289.
	9.	368. 370.
	10.	334.
	ult.	268. 279. 462.
XLI.	2.	99.
	19.	206.
	21. 22. 23.	8. coll. 45.
XLII.	1.	112.
	3.	206.
	6.	94.
	9. 13. 14. 15.	207.
XLIII.	5. 6.	159.
	19.	30. 331.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	25.	197.
XLIV.	5.	383.
XLV.	6.	153. 335.
	8.	97.
XLVI.	1.	241.
XLVII.		241.
XLVIII.	1.	383.
XLIX.	6.	94.
	7.	411.
	11.	157.
	22.	65.411.coll.414.
	26.	89.
L.	3.	136.
	4.	40.
	4. 5. 6.	92.
LI.	5.	97.
LII.	7.	111.
	12. 15.	207.coll.241.
LIII.		241.
	2. 3. 4.	143.144.coll.102.
	7.	94.
	11.	96.
LIV.	1. 4. 5. 7.	430.
	7. 8. 10.	197.
	11.–14. 17.	455.
	12. 13. 14.	66. 151.
	13.	10.
LV.	1.	224.
	2.	331.
LVII.	13.	186.
LVIII.	1.	368.
	6. 7.	27.
LIX.	16. 17.18.19.	85. 86.
	19.20.	157.
	20.	40.83.159.176.186.
	20. 21.	86.
LX.	1. & ſequ.	64. 65. 200.
	1. 2.	86. (201.
	8.	338.
	10. uſq; ad 16.	159.
	14. 17. 18.	87.
	17.	151.152.194.
	21.	176. 186. 257.
	ult.	86. 162.173.352.354.
LXI.	4. 5.	87.
LXII.	4.	455.
LXII.	8. 9.	87. 194.
	6. 7. 8. 9.	257.
	10.	411.412.414.
LXIII.	1. 2. 3.	88.
	4. 5. 6.	Ibid.& 207.
LXIV.	1.	370.
	2. 3.	207.
	4.	89.
LXV.	9.	157. 186.
	11.12.13.14.15.	198.
	13. uſq; ad 25.	89.
	14.15. uſq; ad 23.	207.
	16. 17.	295.
	17. 18.	204.263.287.
	17.18.21.22.23.	257. (283.
	20. uſq; ad 25.	151. collat.
	25.	206. 288.
LXVI.		241.
	7.	342.
	8. 9. 10.	159.
	8.9.14.21.22.	207.
	10. 11. 12.	257. (268.
	14. 22. 23.	257. collat.
	15.16.18.19 22.23.	83. 314.
	18. uſq; ad 22.	159.
	22.	204. 263.

EX JEREMIA.

I.	5.	135.
II.	27.	164.
	33. 35.	375.
III.	3.	217.
IV.	6.	212. 412.
	13.	212.
V.	1. 3.	169.
VII.	11.	375.
	28.	169.
VIII.	14.	371. 460.
IX.	8.	387.
X.	2.	394.
XI.	19.	94.
XV.	17.	460.
	19.	323.
XVI.	14. 15.	162.
XXIII.	5.	96.
	7. 8.	162.

20. —

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	20.	2. 68.
	21.	460.
XXVII.	15.	460.
XXIX.	10.	16.
XXX.	7.	312.
	23.	265.
	ult.	2. 68.
XXXI.	10. uſq; ad 14.	89.
	15.	135.
	22.	153.
	34.	151.
XXXII.	37 38. 39. 40.	159. 197.
	39. 40.	178. 186.
	41. 42.	197.
XXXIII.	15. 16. 17.	151.
	16. 22.	89.
XL.	11. 12.	151.
XLIII.	6.	439.
XLVII. XLVIII. XLIX. cap.		248. 249.
XLVIII.	47.	89. 159
XLIX.	14.	99.
	20.	185.
	20. 21. 38. 39.	89.
	39.	159.
L.	2.	412.
	15.	320.
	20.	89. 178. 186.
	45.	185.
LI.	11. 27.	411. 412.
	39.	376.

EX EZECHIELE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1.	439.
	27. 28.	402.
IV.	16.	438.
VI.	2. 3.	157.
VIII.	2.	189.
	5. 6.	375.
IX.	1. 4. 5. 6.	375.
	4.	314. 376. 412. 415.
	6.	311. 316. 369.
XI.	17. 18. 19 20.	197.
XII.	27.	3. 461.
XIV.	13.	438.
XXI.	25 29.	81.
XXII.	18. 19. 20. 21.	315.
XXIV.	23.	323.
XXVI.		249.
XXVII. & XXVII.		89. 249.
XXVIII.	12. 13. 14. 15.	387. coll. 391.
	16.	288. 320.
XXIX. & XXX.		249.
XYIX.	10. 11. 12.	86. coll. 89.
XXXI. & XXXII.		249.
XXXIV.	1. & ſeq. & 15.	348.
	11. uſq; ad 16.	151.
	23.	115. 182, 342.
	25. 28.	89.
XXXV.	5.	81.
XXXVI.	1. 4. 8.	157.
	10. 11. 12.	89.
	12.	159.
	22. uſq; ad 30.	197.
XXXVII.	2. 3. 4. 7. 9. 10.	175.
	3.	168. 175.
	5. -- 14.	296.
	7. & ſequ.	66.
	7. 8. 10.	231.
	11. 12. 13. 14.	207.
	22. 24.	182. coll. 157.
	24.	99. 115. 342.
	27. 28.	81 334.
XXXVIII. & XXXIX.		154.
XXXVIII.	8.	157.
	22.	345.
XXXIX.	8. & ſeq.	358. 359. 360. (coll. 319.
	9.	206. 319.
XL.	uſq; ad cap. XLVIII.	83.
XLIII.	10. 11.	99.
	18. uſq; ad 25.	197.
XLIV.	3.	342.
	7. 9.	197.
	9.	186.
	10. 11. 12. 13. 14.	83.
	24.	360.
XLV.	7.	342.
	15. uſq; ad 23.	197.
XLVI.	2.	99.
	2. 4. 8.	342.
	2. 4. 11 13. 15. 20.	197.
XLVII.	1. 2. 8.	151.

EX DANIELE.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	5.	31.
	28.29. ad 45.	3.
	34.35.	288. coll. 268.
	36.	8.
III.	25. (al. 92.)	120.
IV.	16. usq; ad 23.	3.
V.	25. usq; ad 28.	3.
VII.	9.10.13.	355.
	13.	205.334.
	22.27.	180.257. coll. 360.
	27.	181.225.
VIII.	13.26.	3.
	14.	43.419.422.
	15.	70.
	23.	135.388.
IX.	2.	24.
	21.	1.
	24.	3.43.
	24.25.26.27.	228.462.
	27.	130.
X.	8.9.	277.
XI.	11.	1.
	35.	369.
XII.	1.	30.83.225.290.
	4.	1.2.5.6.9.37.172. (215.283.
	6.10.12.	170.
	7.9.10.	83.
	8.	4.33.36.38.
	10.	7.369.
	12.	318.462.

EX OSEE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	11.	312.348.
III.	4.5.	159.162.164.
	5.	65.83.
VI.	2.	308.
	3.	278.
XI.	1.	427.
XIV.	10.	274.

EX JOELE.

Cap.	Verſ.	Pag.
I. & II.	-	249.
I.	4.	74.
II.	1.	239.445.
	1.2.3.4.6.	368.
	12.13. usq; ad 27.	369.
	11.31.	312.
	22.	388.
	28.29.	5.66.67.
	30.	405.
III.	1.2. usq; ad 12.	362. collat.
	9.10.11.	365. (367.
	16.17. usq; ad 21.	369.
	18.	349.

EX AMOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	3.	150.
IV.	7.	249.
V.	8.	43.220.
	13.	371.
	26.	226.
IX.	11.	256.

Ex *Abdia*, ℣. 1. pag. 3. & 99. ℣. 11. p. 460. ℣. ult. 360.

Ex *Jona*, Cap. 1. ℣. 3. 10. p. 425. ℣. 5. p. 433. c. 2. ℣. 3.4. p. 463. & cap. 4. ℣. 1.2. & ſeq. p. 34.

EX MICHÆA.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	11.12.13.	347.348. (coll. 163.
IV.	3.	72.
	6.7.	65.347.
V.	2.	58.59.
VII.	4.	184.
	5.	172.

Ex *Nahum*, Cap. 1. ℣. 3. pag. 345. ℣. ult. pag. 112.

EX HABACUC.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	5.	361.
	15.	387.
II.	1.	89.
	3.	358.461.
	4.	169.
	6.	387.
	8.	329.
	20.	371.459.
III.	3.	412.
	4.	413.
	6.	347.
	10.13.	325. collat.
	13.14.	436. (156.
	17.	388.

EX SOPHONIA.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	4.	185.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	12. 13.	241. coll. 361.
	15. 16.	239. coll. 445.
II.	11.	85. 112. 159.
III.	9.	112. 159.
	13.	64. 177. 185. 186.
Ex *Aggæo*, Gap. 2. ℣. 7. pag. 345. 374. ℣. 8. pag. 395.		
EX ZACHARIA.		
I.	9. 14. 19.	121.
II.	3.	121.
	10.	334.
	13.	371.
III.	1. & ſequ.	92. 98.
	7.	247.
IV.	3. 11. 14.	101.
	5.	121.
	7. 8. 9. 10.	99.
VI.	1.	134.
	4.	121.
	13.	150.
VIII.		455.
IX.	9.	96. 451.
	9. 10. -- 17.	342.
	14.	235. 445.
	15.	435.
X.	10.	207.
XI.	7. 11.	185.
XII.	6. 8.	206. coll. 359.
	6. 7. 8. 9.	207.
	8.	365.
	10.	65. 330. 383.
	10. usq; ad 14.	317. collat.
	11. 12. -- 14.	318. (383.
XIII.	7.	185.
	7. 8. 9.	181. coll. 86.
XIV.	3. 4. -- 11. 16.	207.
	5.	334.
	7. 8.	151. coll. 158.
	8. 9.	288. 289. 349.
	9.	112. 333.
	16. -- 21.	83. coll. 159.
EX MALACHIA.		
III.	1. 2. 3. 4.	315. 316. 317.
	2. 3.	30. coll. 256. (277. & 311.
	3. 4.	151. coll. 313.
	12.	295.
	16. 17. 18.	207.
IV.	1. 2. 3.	83. coll. 207. 315.
	5.	102. 111. 118. 312.
	5. 6.	107. 108. 258. 332.
	6.	99.
EX I. MACHAB. LIBRO.		
X.	27.	169.
EX II. MACHAB. LIBRO.		
VII.	18. 32. 33.	146.
IX.	26.	169.
EX MATTHÆO.		
II.	1. 2.	7.
	6.	58.
	16.	290.
	18.	135.
III.	2.	340.
	7.	373.
	10.	375.
IV.	1.	436.
	3. & ſequ.	51.
	4. 7. 10.	437.
	5. -- 9.	53.
	11.	53.
	16.	176.
V.	4. (al. 5.)	186. 459.
	9	218. 286. 459.
	17. 18.	450.
	25.	371. 460.
VI.	19.	292.
	20. 21.	187.
	31. 33.	194. 199. 204.
VII.	7.	11. 21. 463.
	16.	388.
VIII.	10.	171.
	11.	171. 287. 289 345.
	24.	442. 433. 451.
	26.	171. coll. 451.
	31. 32.	50.
IX.	21. 22.	171.
X.	12.	110.
	16.	426.
	20.	323.
	22.	170
	23.	332.
	34.	432.

Cap.	Verſ.	Pag.
	38.	410.
XI.	9. 10.	128.
	11.	116.117.118.
	12.	21.
	14.	138. 280.
	19.	224. 442.
	25.	287.
	28.	61.
	29.	366.
XII.	29.	53.
	40.	424.431.432.
	48. 50.	453.
XIII.	11.	21.431.432.
	14.	3.
	25.	179. 336.
	30. 40.	320.
	41.	182.205.343.
	44. 45. 46.	21. coll. 9.
	52.	26.
XIV.	15. -- 21.	286.
	19.	287.
XV.	24.	428.
	32.--38.	286.
	35.	287.
XVI.	17.	10.
	24.	410. 438.
	28.	145.332.333.
XVII.	3.	120.
	10.	118. (110.
	10. 11.	102.103.105.
	11.	118.258.300.
	12.	138. 280.
XVIII.	32.	391.
XIX.	28.	208. 353.
XX.	16.	86. 378.
	21.	332.
XXI.	1.	134.
	2. 5. 7.	451.
	16	59.
	19.	388.
XXII.	14.	378.
XXIII.	23.	169.
	24.	416.
	27. 28.	110.
	37.	226. 405.
XXIV.	3.	382.

Cap.	Verſ.	Pag.
	6. 7.	377. coll 74.
	7.	74. 372.
	12.	167. 168. 170.
		(361.373.378.
	13.	170.
	14.	161. 382.
	16.	370.
	21.	290.
	22.	209.
	24. (coll. 11.)	378.
	26.	372. 433.
	29.	204.379.380.
		(381. 382.
	30.	113.205 317.334 338.
		(345. 348. 381. 382.
		(354. 392. 411. 414.
	30. 31. 33.	382. coll. 159.
		(339. 340.
	31. (cum v. 14.)	384. 385.
	31.	135.161.226.235.
		(340.343.367.
	32. 33.	388. coll. 355.
	35	440.
	37. 38. 39.	390.
	39. 42. 44.	355.
	43.	327.336.423.
	46.	462.
	46. 47.	353. coll. 99.
	48. 49. 50. 51.	390. coll. 382.
XXV.	4. 9. 10.	7.
	5.	237.
	6.	423.
	7. 10.	295.
	15.	96.
	15. 16. 20.	435.
	26. 30.	391.
	31. 32. & ſeq.	355. coll. 314.
XXVI.	27. 28. 29.	224.
	64.	334. 341.
XXVII.	52. 53.	256.
XXVIII.	1. 7. 8. 9. 10.	100.
	19. 20.	326.
EX MARCO.		
I.	6.	136.
III.	27.	53.

IV.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	36.--39.	451.
	38.	442.
VI.	39.	287.
	41.	286.
VIII.	1.---9.	286.
	6.	287.
	34.	410.
	39.	145. 332.
IX.	10. (al. 11.)	128.
	11. (al. 12.)	102.103.105.141. (142.143 258.
	22. (al. 23.)	22. 463.
XI.	24.	463.
XIII.	14.	370.
	22.	378.
	24.	379.
	25.26.	340.coll.204.205.
	26.	334. 345.
	28.29.	388.
	29.33.35.	355.
	31.	440.
	35.36.	329.
	37.	357.
XIV.	22.	224.
	62.	205. 334.
XVI.	1.2.6.7.--10.	100.
	18.	37.

EX LUCA.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	5.--8.	232.
	17.	104.116.138.280.
	40.43.67. & ſeq.--7.	
	46.	246.
	74.75.	72. 201.
	76.	128.
II.	7.8,25.36.38.	7.
	14.	72.
	26.	145.
	32.	94.
	35.	432.
III.	5. 6.	110. coll. 330.
IV.	5.-11. 13.	53.
	25. 26.	429. 430.
VII.	16.	311.
VIII.	23. 24.	451.
IX.	14. 16.	286.
	22.	440.

Cap.	Verſ.	Pag.
	23.	410. 438.
	27.	332.
X.	5.	110.
XI.	9.	11. 21. 462.
	21, 22.	52. 53.
	27.	145.
	36. 37.	238.
XII.	39.	327.336.423.
	40.	355.
	42. 43. 44.	391.
	49.	84.
XIII.	6.	388.
	7.	430.
	28.29.	162.287.coll.348.
XIV.	27.	410.
XV.	4. 5.	452.
XVI.	17.	440. 450.
	23.27.--31.	140.
	29.	127.
XVII.	20.	336.
	22. 26.	308.
	26. 27.	390.
	33.34.35.	382.
XVIII.	1. 6. 7. 8.	173.
	8.	168. & ſeq.
	35. & ſequ.	453.
XIX.	3. 4.	451.
	13.	96.
	14. 27.	382.
	17. 19.	353. coll. 161.
XXI.	21.	370.
	23. 24.--26.	372.
	25.--31.	83.coll.377.
	27.	334. 339.
	28.	376.
	31.	355.
	33.	370.
	34.	355. 382.
	34. 35. 36.	371.
	36.	256. 371.
XXII.	19. 20.	224.
XXIII.	42.	332.
	55. 56.	100.
XXIV.	1.9.10.	100.
	13.	134.
	25.26.27.30.	311.

Cap.	Verſ.	Pag.
	36.37.38.39.	311.
	50.51.	Ibid.
	EX JOANNE.	
I.	21.	104.
	49.51.	451.
II.	14.15.	183.
	23.	378.
III.	18.	362.
	36.	146.
IV.	6.	425.
	22.	165.
	34.	431.
V.	25.	236.
	28.29.	229.256.
	46.	29.
VI.	9.	286.
VII.	4.	357.
	23.	331.
	31.40.41.	378.
	37.	297.312.
	38.	431.
VIII.	6.8.	451.
	51.	146.
	52.	281.
	56.	308.
IX.	6.7.	95.
	6.11.	451.452.
X.	16.	99.161.174.182.342.
	20.	220. (389.
XI.	24.	256.
	26.	281.
	49.50.51.52.	448.
	52.	152.
XII.	14.15.	451.
	32.	413.
XIII.	35.	417.
XIV.	1.13.14.	463.
	3.	329.
	6.	335.345.
	19.21.	356.357.
	22.23.	357.coll.330.
XV.	15.	228.
	19.	187.
XVI.	12.	228.
	13.	114.328.350.
	16.17.19.23.	357.

Cap.	Verſ.	Pag.
	23.33.	463.
XIX.	31.	382.
	37.	330.
XX.	1.11. usq; ad 17.	100.
	2.4.	134.135.
	EX ACT. APOSTOL.	
I.	6.	99.161.
	9.11.	352.coll.359.
II.	17.	5.67.
	31.	145.
	41.	61.
III.	1.	134.
	21.	104.198.257.458.
IV.	4.	61.
VII.	44.	50.409.
	55.	119.356.
IX.	3.	356.
	3.4.7.	119.coll.413.
	15.	435.
X.	42.	319.
XI.	28.	3.
XII.	6.7.	119.
XIII.	35.	145.
	46.47.	94.
XIV.	10.11.12.	142.
XVI.	33.34.	15.
XVII.	28.	222.
XXI.	9.	5.
XXII.	3.	428.
	14.	97.
XXIII.	3.	389.
XXVI.	24.	220.
XXVIII.	5.6.	15.
	EX EPIST. ad ROMANOS.	
I.	8.	168.
	17.	169.
	18.	165.
	24.25.26.27.	362.
II.	5.	208.
III.	3.	196.
IV.	9.	169.
V.	14.	424.
VI.	12.	212.
	13.	445.
VII.	14.	199.
VIII.	8.	310.

Cap.	Verſ.	Pag.
	9. - - -	187.
	20. 21. - -	205.262.289.
	21. 23.	30.
	23. - -	201.296.331.376.
	24.	228.
IX.	3. - - -	439.
	22. 23.	179.
X.	8. - - -	453.
	14. 15.	343.
XI.	12. 15. - - -	167.176.238.
	25.	63. 185.
	25. 26. - -	83.87.95.157.159. (160.162.164.165. (166.coll.40.&86.
	32. 33. - - -	185. coll.310.
	34.	274.
XII.	18. - - -	458.
XIII.	ult. - - -	373.
XV.	1.	440.
	4. - - -	17.248.424.
	27.	199.
XVI.	20. - - -	189.

EX I. EPIST. ad CORINTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	21. 23. - - -	220.
	26.27.28. - -	62.100.coll.139.
II.	9.	89.
	15. - - -	200.
III.	2. 3. - - -	199.286.coll.432.
	10. 11.	67.
	12. - - -	87. 315.
IV.	21.	438.
V.	5. - - -	280.
VI.	2.	311.
	15.19.20. - - -	201. coll.27.
VII.	40.	38.
VIII.	1. - - -	331.
IX.	11.	199.
	20. - - -	439.
	26. 27.	457.
X.	3. 4. - - -	199.
	6. 11. - - -	13 425.434.
	11. - - -	2.
XI.	24. 25.	224.
XII.	11. - - -	7.
	12. 27. - -	342. coll.89 93.
	26. - - -	130.
XIII.	1.2.3. - - -	460.
	9. 12.	331.
	11. - - -	366. 436.
XIV.	1.3.&c. usq; ad 39. -	4.10. 11.
	32.	38.
XV.	8. - - -	356.
	10.	119.
	23. - - -	229.231.233.234.
	26.	261.
	45. - - -	424.
	49.	187. 331.
	51. - - -	273.276.277.
	51. 52. - -	234.235.239.272.
	52. - - -	229.273.278.367.
	53.	276.

EX II. EPIST. ad CORINTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	3. - - -	169.
	12.	199.
	20. - - -	196.
III.	6.	138.
	16. - - -	337
V.	2. 3.	276.
	4. - - -	272.275.376.
	11.	374.
	21. - - -	93.
VI.	16.	347.
VIII.	7. - - -	169.
XI.	2.	435.
	6. - - -	77.
	14.	48.
	23. - - -	119.
	29.	439.
XII.	9. - - -	94.
XIII.	3.	94.
	10. - - -	438.

EX EPIST. ad GALATAS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	8. - - -	460.
II.	20.	94.
IV.	19. - - -	261.
	22.—28. - - -	441.
	26.	212.
V.	6. - - -	169.

EX EPIST. ad EPHES.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	20. - - -	435. 436.
III.	8.	161.

IV.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	13.	6.181.366.440. (448.458.
	22.24.	261.
	26.	387.
V.	14.	237.
	27.	174.256.333.
VI.	14.	169.

EX EPIST. ad PHILIPP.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	12.	457.
III.	15.	6.
	19. 21.	201.
	20.	187.
IV.	3.	28.

EX EPIST. ad COLOSS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	20.	434.
	24.	413.
III.	1.	370.
IV.	5. 6.	458.

EX I. EPIST. ad THESSAL.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	13.	238. 256.
	14.15.16.	276. 355.
	14. 16.	256,272.273.
	15. (al.16.)	229,235.239. (292.
	16. (al. 17.)	275.
V.	2.	327. 336.
	2. 3. 4.	355.
	2. 4. 5. 6.	423.
	3.	380. 391.
	20.	10. 11.
	21.	37.
	23.	174.201.256.294.

EX II. EPIST. ad THESSAL.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	7.8.9.10.	355.coll.41. (314.336.
II.	2.	228.
	8.	219.320.324.325.
	8. 9.	354.

EX I. EPIST. ad TIMOTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	9.	442. 443.
	17.	464.
II.	8.	459.
IV.	8.	194.
	13.	24.
V.	12.	168.
VI.	14. 15.	309.
	20. 21.	169.

EX II. EPIST. ad TIMOTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	19.	155.
	20.	179. 433.
	22.	169.
III.	1.	81.
	1. 2. 3. 4.	167.168.172.
	1.2.3.4.5.	371.373.378.
	9.	168.
IV.	1.	319.
	8.	309.

Ex Epiſt. ad *Tit.* Cap. 2. ℣. 12. p. 201.

EX EPIST. ad HEBRÆOS.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	10.	309.
	13.	59.
	17.	310.
III.	5.	418.
IV.	6. 9.	178.
	12.	432.
	15.	144. 310.
V.	14.	9. 432.
VI.	4.	39. 205.
VII.	16.	199
VIII.	5.	50. 409.
IX.	12.	309.
	27.	277.
X.	5.	40.
	38.	169.
XI.	1.	169.
	5.	145. 146.
XII.	1.	335.
	14.	189.457.458.
	26.	374.
	29.	265. 315.

EX EPIST. S. JACOBI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	5. 6.	19.
II.	14.	17. 18. 19.
	19.	172.
	20. 22.	169.
IV.	7.	457.
V.	3.	308.
	8. 9.	333.

EX I. EPIST. S. PETRI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	5.	308. 309.
	7.	309.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	5.	435.
	11.	199.
	24.	92.
IV.	5.	319.
	17.	311.316.317.369.

EX II. EPIST. S. PETRI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	19.	9. 11. 24.
	20. 21.	3. coll. 70.
III.	3. 4.	167.371.391.461.
	7. 10.	265.
	8.	304. 314.
	9.	196. 375.
	10.	327.336.423.
	10. 12.	205. coll.462.
	13.	204. 262.

EX I. EPIST. S. JOANNIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	8.	316.
II.	18.	67. 68. 228. 292.
	19.	179.
III.	21. 22.	463.
IV.	3.	68.

Ex II. *Epiſt.* S. *Joan.* ℣. 7. pag. 68.

EX EPIST. S. JUDÆ.

Cap.	Verſ.	Pag.
	12.	335.
	14. 15.	149. 334.
	18.	167.

EX APOCALYPSI.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	3.	3.
	7.	159.205.317.334.338.
	15. 16.	41. (348.
	17.	277.
II.	26. 27. 28.	342.
III.	3.	336. 423.
	8.	177.
	10.	369.
	12.	187.263.316.
	20.	330.
IV.	3.	402. 405.
	5.	346.
V.	10.	353.
VI.	12.	217.
	13. 14.	204.
	17.	312.
VII.	2.3. & ſeq.	412.418.coll.183.
	10.	458. (314.
	14.	290.
	17.	295.
VIII.	2.	235. 368.
	13.	113. 445.
IX.	1. 2. 6. 13.	445.
	4.	412. 418.
	12.	113.
X.	1.	326. 402. 405.
	4.	215.
	6. 7.	239.
	7.	16.68.83.151.235.450.451.
XI.	3. 4. 5. 6.	101. coll. 142.
	14.	113. (275.
	15.	53. 235. 445.
XII.	1. 3.	114. coll.41. 100. &
	4.	381. (453.
	5.	342.coll. 453.
	6. 14.	225. 325. 369.
	8. 14.	106. coll.268.
	9. 10.	225.
	11.	88.
	12.	73.
XIII.	10.	290.
	11.	389.
	17. 18.	25.
XIV.	1.	314. 412. 418.
	6. 8.	150.
	12.	290.
	14.	356.
XV.	1.	83. 114.
XVI.	15.	327. 336. 423.
XVIII.	1.	92.
	6.	320.
XIX.	6. 7.	295. coll 100.
	11. 13. 15.	88. (302.
	11. 14.	322.325.326.334.
	11. 17.	150.coll.41.205.323.
	15. 20.	320. 321.
	20. 21.	225.
XIX. XX. XXI. & XXII. cap.		83.
XX.	3.	209.
	4. 5. 6.	285.
	7. 8. 9.	66. 154.
	9. 10.	225.
	11. 12.	355.
XXI.	1.	204. coll. 186.
	2. 9. 24.	187. coll. 263.
	3.	81. (457.
	4.	282. 295.
	5.	331.
	9.	100.
	24. 26.	186. 263. 457.
	27.	457.
XXII.	7. 9. 10. 18. 19.	3.
	20.	464.

INDEX RERUM
IN HOC LIBRO MEMORABILIUM.

[Quarum aliquæ in *Notis marginalibus* ſunt quærendæ.]

A.

Abraham de ſuî cum Iſaac reditu ex monte, ignarus prophetavit. Pag. 448.
Abram (dictus deinde *Abraham*,) in futuri myſterium ingreſſus ad ancillam. 441.
Adam quicquid boni perdidit, id omne Chriſtus reſtituit merendo, &c. 266.
Adam duplex typus diverſo reſpectû. 446.
Adoleſcens cœ eſtis, Virginis Theophilæ cuſtos, 120.
Adoleſcentiæ ad dies reverti. 260. Adoleſcentulæ Cant. 1. ℣. 2. quæ animæ? 260.
Adventus Domini latiùs in Scriptura S. accipitur, quàm vulgò concipitur. 174.
De ejus latitudine vide pleniùs, 303. & ſequ.
Adventus Domini in totum (incluſo ſcil. primò) eſt triplex. 330.
Adventus Domini ſecundus duobus modis accipitur. 329.
Advent9 Domini in operib9 ſuis. 329. 330. 331. 332. Et in operibus, & in perſona. 329. 355.
Adventus Domini in operibus quoad Eccleſiam duobus modis conſideratur. 331. 332.
Adventus Domini ad Eccleſiam in operibus glorioſis, quid erit? 333.
Adventus Domini in judiciis ſuis contra Judæos effûſis, & in Regni ſui per Evangelium promotione. 332. Fuit is glorioſi adventûs præſignificativus. 333.
Adventus Domini ſuis in operibus tempore *Conſtantini* M. ſuit typicus &c. 333.
Adventus Domini in Sanctis hujus terræ. 335. 336. & ſequ.
Adventus Domini in Sanctis, cum tempore & gradatim erit glorioſus. 341. 342.
Adventus Domini medius, (ſic S. *Bernardo* dictus,) quoad pleniorem ejus in electis menſuram, ſub ſecundo ejuſdem adventu comprehenditur. 331. coll. 337. 341.
Adventûs & judicii Domini tempore, florentiſſimus Eccleſiæ Dei ſtatus in his terris futurus. 314. 318. 347. 348. 349. collat. 365. 369. 383. 384. 385. & 430.
Adventus Dom. in Sanctis ocultus erit Mundo, ſed in ſua perſona manifeſtus. 336.
Adventû Chriſti quidam ordo peccatorum dirimetur. 338.
In Adventu Domini frigus & gelu erit, quo ſenſû? 349.
In Adventu Domini, quô ſenſû dabitur tempus ad reſipiſcendû. 338. coll. 316. 317. 318.
Adventus Domini in nubibus quid? 327. Vid. etiam Lit. *N.*
Ægypti, *Babylonis*, & ſimilium terminorum myſticorum expoſitio in *Romanam Eccleſiam* à quibuſdam applicata, quàm ſit invalida. 32.
Æſtas & Hyems myſticè. 289. 290. 291. Æthiopia memoratur. 155. 156.
Æthiopes pleniùs & magis nationaliter quàm anteà, ſunt an. D. 541. converſi. 156.
Agatha Virgo & Martyr memoratur. 120. 121.
Agnus Paſchalis in formam cruci ſimilem conformatus in veru. 27.
Amaritudo amariſſima Eccleſiæ. 155.
Amaritudo amariſſima omnis plena gratiæ Deum amantibus. 191.
Ambroſius (Mediolan.) orationibus ſuis Dæmones cruciabat. 121. 122.
Angelus in Sole ſtans. 41. 323. Angelus aſcendens ab ortu Solis. 183.
Angelus iridem in capite geſtans. 405. 406. Ejuſdem pedes. 326. 406.
Angeli mittendi ad congregandum electos, (juxt. Matt. 24.) futuri ſunt Angelici Prædicatores. 343. collat. p. 161. 180. 226.

Angeli

Angeli pacis. -- 134. 343. Angeli duo Gen. 19. typi duorum Teſtium. 101.
Angelici Doctores & Prædicatores ultimi temporis. 180. 182. 226. 343. 385.
Angelorum populus multus & fortis in judicio. 368.
Anima juſti ſedes ſapientiæ. 330. Annus redemptionis. 245.
Anni tres de *Moabo* myſticè intelligendi. 249. 250.
Antichriſtus Caput erit omnis iniquitatis. 320.
Antichriſtus per Sanctos in terris victuros damnabitur. 320. 321. 322. 325. collat. 148.
Antichriſtus poſt ſuî exitium in ſuis reliquiis uteunq; ſpirans, & caput (fruſtrà) erigere nitens, perſonali Chriſti apparitione publicâ prorsùs deſtruetur. 320. 321.
Antichriſtus tanquam folia, Synagogæ ramos induet. 338.
Antichriſtus *ramus fici* juxta S. *Hilarium*. 345. 388.
Antichriſtus ex *aurora* lucis & felicitatis ultimi temporis oriundus. 267. 341. 386. 388.
Antichriſtus ille magnus, non priùs ſedebit in Templo Dei, quàm ubi Chriſtus Dominus venerit in ultimi temporis Sanctis cum poteſtate magna. 345. coll. 384. 385.
Antichriſtus per ultimi temporis lucem Evangelicam illuminabitur, & magnam inde ſibi ſcientiam hauriet. 386. 388. collat. 384.
Antichriſtus Chriſtianum nomen externè profitebitur. 387.
Antichriſtus primùm bonus in ſpeciem, & pacificus. 386. 387.
Antichriſtus idololatriam (in ſuis primordiis) non admittet, ac nullius imagini cultum exhibebit. 387. Antichriſtꝰ primitùs Regnũ Chriſti promovebit. 386. 391. Antichriſtus myſterio ſanctæ crucis carebit. 389. Antichriſtus Legis aſſertor ironicè: item, Diaboli filius, &c. 345. Antichriſtus quo ſensû diſputabit ſe eſſe Chriſtum? 389.
Antichriſtus per quos ſolos verè detegetur? 390.
Antichriſtus ſub typo Principis Tyri deſcribitur. 387.
Antichriſtus eſt malus ille Servus Matt. 24. ṽ. 48. 49. memoratus. 390. 391.
Antichriſtus magnus proximè Vicario Chriſti ſe opponet. 391.
Antichriſtus putabit ſe perpetuò regnaturum. 391.
Antichriſti Regnum prædicatio duorum Teſtium anticipabit. 106.
Antichriſti Conſiliarii ſpondebunt ſe tenebras repellere, & veritatis lucẽ nunciare. 386.
Antichriſti Prædicantium multitudo, aſſumet *Agni* ſpeciem. 389.
Antichriſti adventum, terrenis affixi non cognoſcent. 390.
Antichriſti pace abuſuri perſecutio in Sanctos. 344. 390.
Antichriſti conſervi ab eodem percutiendi, quinam? 391.
Antichriſti totalis abolitio. 390. 391. coll. 320. 321.
Antichriſti poſt interitum florentiſſimus Eccleſiæ ſtatus in terris erit. 318.
Antichriſti excidium, ad tremendum Domini judicium latiùs ſumptum, eſt referendum. - - - - - - 319. & ſequ. uſq; ad 327.
Antichriſtum Diabolus pro Chriſto venturo hominibus obtrudet. 389.
Antichriſtum magnum jam veniſſe, falsò ſibi perſvadent quidam. 154. 345. coll 68.
In Antichriſto Diabolus cum omni Inferni potentia habitaturus. 387.
Antiquitas Veneranda in hoc ſtudio commendatur. 26. 32. 104.
Apoſtolorum in perſonis, aliis quoq; Sanctis dicta quædam propheticè. 357.
Aquæ, doctrina Salvatoris aliquando. 189. 288. 289. 349.
Aquæ, Populi aliquando myſticè. 254. Aquæ in ſangvinem convertendæ quid ſunt? 110.
Aquas amaras myſticè Dominus dulces facit. 351.
Aquilæ magnæ, alæ duæ Apoc. 12. ṽ. 14. quid ſunt? 106.
Arca fœderis typus Chriſti, & eximiorum Sanctorum. 200.

Digitized by Google

De Arca Teſtamenti locus *Tertulliani.* 30. Arcæ Teſtamen. & Chriſti collatio. Ibid.
Arcturus myſticè quid? 214. collat. 217. 218. Arctophylax memoratur. 217. 219.
Arma ſpiritualia hoſtium Eccleſiæ quomodo comburenda? 359. 360.
Armis tumultuariis in die judicii Deus non pugnabit. 322.
Armageddon memoratur. 252. *Armillus* Judæorum memoratur. 55.
Aſtronomiæ utilitas in ſtudio prophetico. 43. 44. collat. 213. 214.
Auguſtô Romam ingrediente, Iris Solem ambiit. 403. 404.
Aurum pro ære futurum, maximè de ſpirituali ubertate intelligendum. 87.
Auſtri interiora myſticè quid? 215. 216. collat. 227.
Auxumitæ quando converſi ad Fidem? 156.

B.

Babylon myſticè. Pag. 67. 249. 252. *Babylon* myſticè, Urbs quædam magna veteribꝰ. 252.
Balaam ex revelatione Divina prophetat. 45. 48. *Baſan* myſticè ſubinde. 252.
Beatus Vir quis Pſalm. 1. prædicatur? 97. Bella ultimo tempore auferenda, quæ? 84.
Bella externa pro pace Eccleſiæ pleniori aliquando ceſſabunt. 253 confer 155.
Bellatores ultimi temporis inſignes & pacifici pro S. Eccleſia. 362. 365. 366. coll. 206.
Beſtia, & ſimilia nomina, quando plenum ſui myſterii implementum conſequentur? 68.
In *Beſtia* Apocalyptica recapitulatio fit univerſæ iniquitatis & doli. 30.
De *Bethlehem* Ephrata locus *Michææ*, an jam ſit per omnia impletus? 58. 59.
Biblia ſacra quando ex Hebraico fonte in Lingvam Græcam verſa? 395.
Bonum electorum, Bonum Domini, ac Bonum ſimpliciter. 245. Bonô electorum frui. 18. 455. 458. Bona corporalia Sanctorum ultimi temporis, qualia? 199. 200.
Bos & Aſinus myſticè. Iſa. 1. cap. 61. 62. 254. Butyrum & mel ſpirituali ſenſu. 206.

C.

Cæcilia memoratur. Pag. 121.
In Cæcitate, quam tolerant, quaſi in claritate luminis exultant quidam. 23.
Campanula vel Candela nulla ſine myſterio in Eccleſia. 350.
Canibus non facilè patet Sanctum. 21. Canopus memoratur. 221.
Canticum Canticorum, quoad exactiſſimum implementum ad ultima pertinet tempora; &, quo ſenſu generali? 99. 100.
Caput omnium iniquorum Diabolus. 97.
Carnalitas quò ſenſû à bonis corporalibus Sanctorum amovetur? 199. 200. 201. 266. 267.
Carnaliter non ſapiunt veri fideles, temporalia bona pleniùs danda expectantes. 200.
Carnaliter impleri aliquid de bonis promiſſis, quid eſt apud S. *Hieronymum*? 202.
De *Ceto* magno vide, 208. 209. 434.
Charitas vera (cum ſtudio pacis) eſt verorum Chriſti diſcipulorum ſignum. 417.
Charitatis multorum refrigeſcentia explicatur. 378.
In Charitate perfecti illi ſunt, qui gemunt ob peccata populi. 418.
Cheſil Hebræum, quid ſignificat? 220. Chiliaſtarum craſſa ſententia notatur. 285.
A' Chiliaſtis, quomodò S. *Hieronymus* cum aliis diſcrepat? 177.
Chriſtus ad Moſen & Prophetas de ſe provocavit. 38.
Chriſtus erat in *Noë* Rector Arcæ, &c. 91.
Chriſtus velut alter eſt, qui fervidò amore recolit apud ſe ejus paſſionem. 91. 92.
Chriſtus quò ſenſû peccatò inquinatus apud Zachariam? 92. 93.
Chriſtus nunquam legitur ægrotâſſe. 144. Chriſtus vinipotor, quô ſenſû? 224.
Chriſtus, primitiæ reſurgentium. 232. 234.
Chriſtus plenè & perfectè formabitur in illis, qui in terris reſtituentur. 261.

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus non ſolùm ut Deus, ſed ut Deus & Homo in forma viſibili judicabit. 309. 310.
Chriſtus judicium in his terris peraget per ſuos Sanctos. 311.
Chriſtus Apoc. 19. ℣. 11. & ſequ. talis deſcribitur, qualis à Sanctis prædicabitur. 322.
Chriſtus per Sanctos ſuos pugnabit contra Antichriſtum. 322. 323. 324. 325.
Chriſtus ultimi temporis Sanctos ſe-ipſò plenè induet. 180. 320. 322. 331. 333. 337.
Chriſtus ſuî Simiam Satanam adventû ſuo eludet. 336.
Chriſtus in Sanctis adveniens, num etiam ante publicam ſuî manifeſtationem, ſe ipſum iiſdem aliquando privatim conſpiciendum exhibiturus ſit? 355. 356. 357.
Chriſtus aliâ formâ piis, & aliâ impiis in judicio apparebit. 356. 357.
Chriſtus primùm per varias tribulationes veniet in ſuis. 389.
Chriſtus noviſſimus virorum erit iterùm in Sanctis ultimi temporis. 418.
Chriſtus in habitu formaq; patientis venturus, quô ſensû? 419.
Chriſtùs ut Vindex pro Eccleſia in Sanctis futurus deſcribitur Iſa. 63. cap. 88.
Chriſtus implementum Legis & Prophetarum, quô ſensû eſt? 89. 90.
Chriſtus per Prophetas, nunc ex ſe, nunc ex perſona corporis ſui loquitur. 90.
Chriſtus idem eſt cum corpore ſuo myſtico. 91.
Chriſtus cum *Joſeph* & *Maria* conſideratus, ſuâ nativitate quos præfiguravit juſtos? 453.
Chriſti incorporationis myſterium in nobis. 92.
Chriſti Regium, Propheticum & Sacerdotale munus. 309. 310.
Chriſti deſcenſus inviſibilis ad ſubveniendum Sanctis certantibus. 334.
Chriſti adventus quomodo occultus, & quomodo manifeſtus? 336.
Chriſti humilis & pauper ſtatus exprimetur primùm in Sanctis ultimi temporis, deinde glorioſus. 342. 389.
Chriſti geſta myſteriis futurorum plena. 451. 452. 453. 454. coll. 59. 261.
Chriſto ſoli verè adhærentes, qui, & quales? 417. 435.
Chriſtum non corporum, ſed animarum tantùm Liberatorem dicere, eſt contra Scripturam & Fidem Chriſtianam. 201.
Chriſtum ſemper cum ejus corpore myſtico ejusq; gloriam quærentibus, omnia in Prophetiis obſcura cum tempore patebunt. 249.
Ad Chriſtum usq; pergere in augmento virtutum. 184. 192. 448.
De Chriſto prædicta & præfigurata quædam, nequeunt ei in ſua perſona applicari. 92.
In Chriſto reputantur impleri prophetiæ & typi, cum in ejus membris implentur. 92.
Chriſtianum Populum, ſub prætextu purioris Religionis ad ſe rapientes, &c. 350. 351.
Chriſtiani mali notantur. 374. 375.
Chriſtiani multi, quô ſensû noluerunt & nolunt Chriſtum regnare ſuper ſe? 383.
Chriſtianorum inter ſe, per tot Sectas, per virulentas contentiones, per bella externa, & per odium in invicem implacabile diviſio, (cum ingenti flagello per Chriſtiani nominis hoſtem ſubinde inflicto juncta,) eſt inſtar prodromi ad majora Domini judicia. 375. 376.
Chronologica ſcientia requiritur ad prophetiarum ſcrutationem. 42. 43.
Circumciſio literalis veræ circumciſionis nota. 27.
Clavis Prophetica, ad aperienda in dies arcana Scripturæ S. eſt conſtructa. 2. & 18.
Clavis hæc, cur etiam *Theologia Prophetica* dicta? 2.
Clavis hujus Propheticæ uſus ſalutaris monſtratur. 455. & ſequ.
Cœlum figuratè quid S. *Hieronymo*? 73. Cœlum ſpiritualiter eſt Eccleſia. 322. 414.
Cœlum cœli, excellentiores Sancti. 204. 205.
Cœli & terræ renovatio ſucceſſivè peragetur. 261. 264.

Digitized by Google

Cœli & terræ renovatio conſumatiſſima, in reſurrectione univerſali erit. 262. 263.
Cœli & terra in melius commutandi. 287.
De Cœlorum & terræ renovationis ſenſu, quid tenendum? 204. 205.
In Cœleſtibus fore perfectionem, quomodo intelligendum? 186. 187. 188.
Cœna nuptiarum Agni quid? 302.
Columnæ nubis & ignis reſpondens Signum cœleſte. 392. 393.
Cometa terribilis anni 1680. & 1681. non ſine ſignificatione rerum futurarum in ſingulare bonum S. Eccleſiæ divinitùs fuit monſtratus. 393. & ſeq. usq; ad 400.
Cometæ ejuſdem prodigioſa magnitudo. 394. usq; ad 399. Ejuſdem figura *Romæ* in ovo Gallinæ expreſſa. 401. De eodem Cometa Prognoſticatio. 44.
Cometa Occidentalis in Libris Sibyllinis prædictus. 400. 401.
Cometæ alii hîc memorati. 395. 396. 397. 398.
Pro Commutandis. Vid. Lit. I. *Pro Immutandis.*
Conſcientia bona quàm ſecura in adverſis. 439.
De *Conſtantino* M. ejusq; temporibus, vide quædam, pag. 65. 66. 85. 404. 407.
Contentioſum ſtudium ab intelligendo impedit. 24.
Convivia luxurioſa notantur. 372.
Cornari pro vegeta ſenectute exemplum. 270. 271.
Cornua in Prophetiis Regna ſignificant. 413.
Corporis humani, ut & aliorum animantium, mutatio ſucceſſiva. 122. 123.
Ex Corporis & Sangvinis Domini alimento, admirabilem jucunditatem ultimi temporis fideles percepturi ſunt. 74.
Corporalia etiam bona Deus ſuis ſubinde largè ſuppeditat. 193. 194. 195. 201.
Corporalia principaliter quærere, carnalium eſt. 200.
Corporalia bona, poſt ſpiritualia primariò & diligenter quæſita, adjicientur. 199.
Corporalia bona ſunt adminicula ad ſpiritualem profectum. 194. 195.
Corporalium bonorum plenior exhibitio ultimis temporibus fiet. 198.
Corvi, eorumq; pulli, myſticô ſenſu. 431.
Creatio typus fuit futuræ novæ creationis. 312.
Crux dira amantis Deum impensè, deferi à Deo. 191.
Crux maxima Hieroſolymis an. D. 353. viſa. 408. Crux an. D. 1246. viſa. 408. 409.
Crux, ſeu Crucis Signum literale, ut Signum Filii hominis, generaliter ſignificat, primariò calamitates; ſecundariò & ultimatè uberiorem quoad electos lucem, pacemq; Divinam, ex virtute paſſionis Chriſti. 410. 411.
Crux, ſeu Crucis Signum, ſpecialiùs ſignificat paſſionem Domini, in Sanctorum ultimi temporis tribulationibus variis exprimendam. 413.
Crux in mente priùs eſt fide formanda. 416.
Crux in Regum Hung. inſignibus, Fidem in Deum & religionem notat. 417.
Crux in fine mundi Signum erit Servorum Chriſti. 417.
Crux & tribulatio, unicum ſanctitatis inſtrumentum, & teſſera amicorum Dei. 418.
Crucis lignum in Libris Sibyllinis memoratum. 409.
Crucis Signum, in iis, qui juxta *Iſaiam* ultimo tempore venient in Eccleſiam, ponendum, ſignificat paſſionem Domini cum jucundo fructu, ſcil. cum variæ crucis tolerantia, & vitæ ſanctitate ſecutura, iiſdem inculcandam, & pectoribus eorum altè inprimendam. 417. collat. 415. 416.
Crucis Signum *Conſtantino* M. viſum. 407. Crucis Signum erit in Cœlo. &c. 407. 418.
Crucis Signum literale commune eſt etiam impiis inter Chriſtianos. 415. 416.

Digitized by Google

Crucis Signô multi ſuperſtitioſè abutuntur. 416.
Crucis Domini idea exſtat in cœleſtibus. 409. Crucis myſteria omnia quando plenè pandentur? 419. coll. 418. Et Crucis Signorum hactenùs viſorum ſignificata? 409.
Crucis vexillum quoad ſuum ſignificatum, exaltandum. 412. 413.
Vide huc ſpectantia etiam in Lit. *S.* voc. *Signum*, vel *Signi.*
Cyrus in typum Chriſti præceſſit, juxta S. *Hieronymum.* 395.

D.

Dæmon. Vid. Diabolus.
David promiſſus, non ad literam debet intelligi. 115. 116.
David ter unctus, quid & quem præfiguravit? 184. 443.
David myſticus ultimo tempore, erit Vicarius Chriſti, propter Chriſtum excellentiſſimô modo in eo efformandum. 182.
David myſticus veniat, cui Chriſtus os aperiat; juxta S. *Ambroſium.* 322.
David inermis contra Goliathum proceſſurus, myſticè exponitur. 434. 435. 436.
Dentes in ſenectute renati. 269. 270.
Deſperandum non eſt, de quantumlibet profundæ Scripturæ S. intellectu. 80. coll. 25.
Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. 48. coll. 45.
Deus non eſt ſicut homo. 195. Deus operatur omnia in eo, quem ipſe deificat. 192.
Deus ſubinde hominum lingvæ & infantiæ ſe accommodat. 206.
Deus nihil fruſtra & ſine congruo fine agit. 393.
Dei conſvetudo non eſt, operâ fortis uti contra fortem; dictum cujuſdam: 139.
Dei opera ſunt perfecta. 259. Dei dixiſſe feciſſe eſt. 251. 324.
Dei ſermones ſervandi in corde. 331.
Deo non poſſumus vivere, niſi peccato antè moriamur. 95. Deificatio hominis. 192.
A' Dextris ſtare Satanam; &, quid illud ſit? 92.
Diabolus ne in *Angelum lucis* in nobis ſe transfiguret, vigilandum. 37.
Diabol9 aliquando prædicit verû. 45.46.47.48.49.50. Diabol9 Simia Dei. 55.219.336.
Diabolus ut *Angelus lucis* prophetans, verum dicit. 48. Diabolus verum, ſemper cum fallendi intentione dicit. 46. Diabolus per quos ſolet ſuas prædictiones edere? 46. 51. 52. Diabolus quomodo olim in Cœlo aliqua futura videre potuit? 50. 51.
Diabolus variis olim ſuis fabulis, ultimi temporis felicitatem præſagiit. 266.
Diabolus Chriſtum mentiens, in luce purpurea B. *Martino* apparuit. 419.
Diaboli victor conſortiô & miniſteriô Angelorum beatur. 53. 54.
Diana myſticè quid? 224.
Dicta propter dicentem non ſunt imperitè prædamnanda, ſed conſiderandum eſt, an ea veritati cohæreant. 53.
Dies Domini, ac Dies judicii. 303. 304. & ſequ. item, 358. & ſequ.
Dies Domini ac Dies judicii, non diem unicum naturalem, ſed ſenſû latiori ac ſtylô Propheticô *tempus*, idq; *noviſſimum* ſignificat. 303. 304. 328. 329.
Argumenta in eam rem vide, 304. & ſequ. uſq; ad 317. coll. 369.
Dies illa, item, *Dies Domini*, quomodò apud Prophetas accipitur? 304. 305.
Dies furoris, dies iræ, vel ultionis. 305. 306. 307. collat. 245. & 88.
Dies una, propheticè pro certa periodo temporis. 307. 308. Dies Meſſiæ, & Dies Filii hominis in plurali. 308. Dies noviſſimi, (in plur.) pro tempore judicii. 308.
Dies tremendi judicii, ſol9 dici poteſt, dies crudelis, dies iræ &c. in plena emphaſi, 313.
Dies ultionis in pleniori emphaſi, eſt tempus judicii extremi. 88.
Dies judicii verè magnus; & quô ſenſû? 312.

Dies judiciii juxta S. *Auguſtinum* & *Julianum* Toletan. quale tempus? 328. 329.
De *Die* judicii Domini, vulgaris opinio, ex ſcopo Spiritûs S. eſt corrigenda. 328.
Ad hanc *Diem* ſpectantia, vide etiam in Lit. *L.* ubi de *Judicio*, & in Lit. *A.* ubi de *Adventu* ſit mentio.
Dies ſemper læta, & ſemper ſecura. 209. Diem ſuũ perire optat Job, quô ſenſû? 208. 209.
Diſcentibus quàm ſit utile, quærere, ſciſcitari, &c. 36.
Diſputatio cum impiis in judicio futura, qualis? 362. 366. collat. 360. & 184.
Docendi munus in Eccleſia, iis qui vivunt inter mortales, commiſſum eſt. 140.
Docilitas requiritur in Propheticæ Scientiæ cultore. 21. 22.
Doctorum Eccleſiaſticorum lectio in hoc ſtudio commendatur. 26. 32.
Doctorum verè piorum & Catholicorum errata (ſalvâ fide) cum charitate toleranda. 34.
Doctorum ordo in fine ſeculorum revelandus. 135.
Ad Domûs Divinæ ſecretiora κειμήλια contemplanda admitti. 189.
Donis à Deo acceptis, non abutendum. 39.
Duo in Eccleſia dehinc futuri Doctores inſignes (cum multis ſuis ſequacibus,) erunt duo Teſtes Apocalyptici. 101. Duo exploratores, typi duorum Teſtium. 101.
Duo Teſtes, ſunt *Elias* & *Enoch* myſtico ſenſû. 116. 118. 119. 121. 125. 126. & ſeq. 137. & ſeq.
Duo Teſtes, pro duplici ordine Teſtium juxta quoſdam. 102. 129. 133. 134.
Duo Teſtes, non ſolùm *Enocho* & *Eliæ*, ſed & aliis Sanctis per quoſdã comparantur. 134.
Duo Legati, ſeu duo Salvatores, juxta Hebræos mittendi. 112.
Duo Ordines Teſtium, ex Statu Seculari & Eccleſiaſtico, duorum Teſtium ſequaces futuri, rectè intelligi poſſunt. 131.
Duo Teſtes, ut lugentes & verè pœnitentes deſcribuntur. 140. 141.
De Duobus Teſtibus, vide etiam Lit. E. voc. *Elias* & *Enoch*.
Duodecim fontes *Elim*, & alia quædam ejuſdem numeri, quid præfigurârunt? 30.

E.

Ecce homo & opera ejus, dictum veterum Doctorum. &c. 318.
Eccleſia, quare tanquam Mulier ornatiſſima tum in Cantico Salomonis, tum in Apocalypſi deſcribitur? 100. Eccleſia dicitur Sponſa uxorq; Epiſcopi. 100. in marg.
Eccleſia creſcit, donec omnes gentes obtineat. 160. Eccleſia ex multis, de quibus multum ſperavit, ſæpè decepta. 170. Eccleſia ultimi temporis perturbatur in ſuis. 170. 172. Eccleſia quando erit jucundiſſimus Paradiſus ſpiritualis? 295.
Eccleſia per noviſſimum judicium purgabitur. 316. 317. 318. conf. 361.
Eccleſia per ſuum Paſtorem viſibilem reformabitur. 183.
Vide plura de *Reformatione*, in Lit. *R.*
Eccleſia maximè in fine Mundi pariet Chriſto maſculos myſticè. 342. coll. 453.
Eccleſia Chriſto venienti prorsùs immaculata ſiſtenda. 343. coll. 179. 295. 333.
Eccleſia quando non poteſt fulgorem Divini luminis mutuari? 379.
Eccleſia quando non apparebit juxta S. *Auguſtinum*? 380.
Eccleſiæ mundatio Chriſto reſervata, & quô ſenſû? 179. 180. Eccleſiæ ſanctæ dies extremi deſignantur per ultima verba *Jobi*. 209. Eccleſiæ noviſſima in lætitia erunt. 291.
Eccleſiæ Catholicæ vel minimi ritus, myſteria ſuo tempore aperienda habent. 350.
Eccleſiæ in omnibus virtutibus plenitudo, quando cumulabitur? 379.
Eccleſiæ Matri unitatis vinculo connexæ partes Occidentis, ultimi temporis bonorum promiſſorum participes futuræ. 154.
Eccleſiam veterem etiam ſine expreſſo conſenſu pro nobis ſtare, unde ſcimus? 36.
Eccleſiam Dominus in fine Mundi ſcrutabitur in lucerna ſermonis ſui. 361.

Digitized by Google

Eccleſiam Chriſtianam turbantes & diſſipantes notantur. 378. 379.
Cum Eccleſia Matre unitas habenda eſt. 460. Ex Eccleſia ob peccata egredi. 64.
In Eccleſiis abundantiâ peccatorum regnante, fames verbi Dei. 170.
Eccleſiaſtes (Liber) præter literalem ſenſum, eſt profundè propheticus. 208.211.212.
Electi, etiam converſi, non rarò dormiunt in peccatis. 237.
Electorum raritas, quando? 171.
Electorum die ac nocte clamantium, Deus citò faciet vindictam. 173.
Elias quiſpiam, quam ſit Chriſtianis neceſſarius, votum fervidum J. *Ferk.* 99.
Elias veniet primùm, & reſtituet omnia; Chriſti dictum, expenditur. 102.103.104 258.300.
Illud, *Reſtituet omnia*, quid ſignificat? 118. 145. 300. coll. 255. & 258.
Elias quà venturus, & *Elias* quà jam venerat in *Joanne*, clarè diſtinguuntur. 103.
Elias ſecundi adventûs Domini Præcurſor. 105. 107. 132.
Elias Patrem, Filium & Spiritum S. annunciabit. 105.
Elias ſuâ prædicatione anticipare debet Regnum Antichriſti. 106. Elias ultimo tempore Legem Judæis exponet. 107. 111. Et eos convertet. 108. 110. 111. 300.
Elias clariùs aperiet ſpem promiſſorum bonorum. 108. Elias ad ſanctam pacem debebit homines invitare. 110. collat. 111. 112. Elias per Rabbinum *Manaſſen* Ben-Iſraël deſcriptus. 111.112. Elias venturus in Libris *Sibyllinis* deſcriptus. 112. 113.
Elias viſibiliter apariturus & prædicaturus, ſpiritualis eſt. 116. 138.
Elias donec veniat, Judæi ſua perplexa *relinquunt in medio*. 111.
Elias tertius, ſeu venturus, non ſolùm *Eliæ* veteris, ſed & aliorum omnium Prophetarum Spiritû & virtute plenus erit. 117. 118. 127. 128.
Elias & *Enoch* morituri, quô ſenſu? 124. 125.
Elias *Prophetarum chorum* ſignificat, juxta quoſdam veteres. 127. 131. 133.
Elias & *Enoch* quam felices. 146. *Elias & Enoch* in pleniſſima (poſt Antichriſti exitium) Judæorum converſione adfuturi; at quomodo? 147. 148.
Elias convivantium ultimi temporis invitator. 300. Eliæ tertii, ſeu venturi munus quod erit? 118. Eliæ viſibiliter venturi, Socius etiam myſticus & ſpiritualis erit. 118. Eliæ tertii prærogativa quædam. 118. 119.
Eliæ tertii Socius potiſſimùm *Enochi* Spiritû & virtute erit pleniſſimus. 119. Eliæ Socius olim aliis hic, aliis alter. 132. collat. 148. 149. Eliæ viſibiliter venturi ortus qualis? 141. & ſequ. Eliæ tertii paſſiones. 144. 145.
Eliæ primi geſta typica. 429. 430. 431. Eliæ primi geſtorum typus illuſtrat res Eliæ venturi. 149. Eliæ patria, *Thesbi*, quid ſignificat? 127. 133. 141.
Eliæ mere literalis ac viſibilis adventus, a Judæis olim hauſtus. 132.
Eliæ 144. millia ex Eccleſia Catholica credituri. 106.
Eliam Judæi præſtolantur, qui Chriſtum inungat. 105.
Eliam venturum inter, & Joannem Baptiſtam differentia. 116. 117. 118.
De *Elia* ejuſq; Socio, veterum ſententia quomodo debeat intelligi? 114. & ſequ.
De Elia ejuſq; Socio, ſententia ſpiritualis cum literali concilianda ſuſcipitur. 114. Et conciliatur. 119. 120. 121. -- 125.
De Elia habetur aperciſſima promiſſio. 115. 116.
De Elia ejuſq; Socio, quoad ſenſum verborum, nihil Eccleſia determinavit. 125. 132.
Enoch & Elias duæ olivæ, & duo candelabra. 108. 109.
Enoch & Elias ſpirituali ſenſu. 118. 119. 129. 275.
Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem, explicatur. 145. 146.
Enochi literalis, & Enochi ſpiritualis quoad prædicationem collatio. 149.

Enochi & Eliæ translatio, quid typicè monſtravit? 147.
Enoch & Eliâ prædicante Judæi convertentur. 109. collat. 147.
Ephraim ſemen, plenitudo gentium. 166. 167.
Equites Apoc. 19. quinam? 323. Equus in *Jobo*, pro quo accipitur per S. *Gregorium*? 449.
Equus albus, Apoc. 19. ℣. 11. quid? 322.
Equum album (Apoc. 19.) S. *Hieronymus* de S. *Paulo* exponit. 326.
Errare in ſcribendo quorum ſit, & quorum non ſit? 34. Error Sanctorum. Ibid.
Errorem recognoſcere, neminem pudeat. 253. *Eſau* cujus typus? 94. 95.
Evangelium patientiâ & manſvetudine introducendum. 438.
Evangelii feliciſſimus progreſſus in adventu Domini; & quomodo? 314. 326. 347. 348. 349. 360. 385.
Evangelici Doctores verè tales, qui? 153. 154. Confer 438.
Evangelicæ doctrinæ ſequaces ſe eſſe, fruſtra aliqui gloriantur. 417.
Examen frequens intra nos recenter perceptorum, neceſſarium. 36. 37.
Examen maturi judicii, & longum eorum, quæ aliis tradenda, requiritur. 252. 253.
Exempla quædam quaſi præludia futuræ quorundam ultimis temporibus in ipſa ſenectute revireſcentiæ. 269, 270. 271.
Exercitus cœleſtes Apoc. 19. ℣. 14. quinam? 322. 326.
Expectare Dominum, vel abſolutè, Expectare. 244.
Expectantes Dominum, mutabunt fortitudinem: & *beati* dicuntur. 268. 279. 462.
Ezechielis octo capita poſtrema, ſpectant ad ultimum tempus. 83.
Ezechielis de Templo, memorabile ex S. *Hieronymo*. 189. coll. 83.

F.

Fabulæ Judæorum, Muhammedanor. & gentium, quid hîc valeant? 51. 54. 55. 266.
Falſa doctrina nulla eſt, quæ non aliquâ vera intermiſceat. 48. 49. 52.
Faſciculus viventium. 246. Ferrea virga Evangelium, & Sanctorum doctrina. 323.
Feſtivitatis celebre convivium ſpirituale. 300.
Feſtivitates veteres complere in myſterio. 359. collat. 289.
Fici, ſeu Ficulneæ myſterium. 338. 339 345. 388.
Fides in adventu Domini num invenietur? explicatur. 168. & ſequ. usq; ad 175.
Fides (præter fidem miraculorum) nunc pro ſimplici aſſenſu, nunc pro fidelitate, nunc pro ſpeciali fiducia accipitur. 168. 169.
Fides per charitatem operans, & Fides ſincera. 169. 170. 171.
Fides aliqua invenietur in adventu Domini. 170. 172. 175. Fides quædam quæ difficulter invenitur. 171. 173. 174. Fides obſcuratur nube perfidiæ. 379.
Fidei articulos, ſtudium Propheticum eximiè illuſtrat, & hominē in iis roborat. 35.
In Fide fortes, peſtiferam doctrinam, quomodò abſq; noxa audire & legere poſſint? 37.
Fidelis & Verax Apoc. 19. cap. - - - 322.
Fideles firmiſſimi, tempore magnæ perſecutionis turbantur, ſed non corruunt. 380. 781.
De Filio Dei dicta, aliquando intelligenda & de iis, qui ſunt ejus. 181.
In Fine ſeculi, quantum Eccleſiæ lucrum? 300.
Fontes verſionum Scripturæ S. in hoc ſtudio quàm utiles? 39.
Frons, & ſignum in fronte, figurate quid? 416.
Fugere ad montes myſticè quid? 370. Fur nequiſſimus Diabolus. 336.
Furi quare Chriſtus Dominus ratione ſui adventûs comparatur? 336. 428.
Futurum an & quomodo ex Prophetiis ante eventum cognoſci poſſit? 8. 9. 10.
Futura ſynchrona quali methodo prædicta? 240. Conf. 241.

Futuræ

Futuræ dehinc in Mundo res valde magnificæ. 206. 207.
Futurorum ſunt myſteria, geſta Patriarcharum. 13. 14.
Futurorum exemplaria, ſeu archetypa adſunt in Cœlo. 50. 51.

G.

Galaad myſticè. 252. Gallina pullos habens, quid myſticè? 226. 227.
Gallinæ partus, imagine Cometæ an. 1680. Romæ notatus. 401. 402.
Gehennam intrare, quis ſecurus poteſt? 439.
Generatio vadens, & generatio veniens, myſticè quid? 211. 212.
Gentium futura converſio. 158. & ſequ.
Gentilium fabulæ habent fumoſam aliquam umbram futurorum. 51.
Gentilium in rebus, umbram quandã rerum Eccleſiæ futurarum, Deus præmiſit. 395.
Geographiæ ſcientia aliqua in hoc ſtudio requiritur. 43.
Gladius Chriſti (Apoc. 19. ꝟ. 15.) doctrina Sanctorum. 323. Confer 432. 433.
Gladiô utroq; quando Eccleſia Dei potentiſſimè protegetur? 195.
Gog & *Magog* mentio. 60. 154. 319. 354. 358. 359. 360.
Goliath myſticè quid? 435. Ejus caput, & ejus arma. 445. 446.
Gradus virtuoſæ vitæ ex *Taulero*. 190. 191. 192.
De Græca LXX. Interpretum Verſione, aliquid notandum. 39. 40. 41.
De Græcorum reditu futuro ad fidem Rom. Eccleſiæ, quædam ex Abb. *Joachim*. 153.

H.

Hæreticum Catholicus quando proprio gladiô vincit? 445.
Hamburgenſis Aſtronomus memoratur. 44.
Helias. Vid. Lit. E. *Elias*. Henoch. Vid. Enoch.
Hieruſalem poſt literam ſpiritualiter accipienda. 65. 67. 249. 252.
Hirci duo quid olim deſignarunt.? 27. 31.
Hiſpania cum *Italia* memoratur. 154. 156. 157.
Hiſtoriæ ſacræ futurorum myſteriis ſunt refertæ. 13. 14. 15. 16. 17. 78. coll. 424 & ſeq.
Hiſtoriarum ſacrarum typica & prophetica ratio traditur. 424. & ſequ.
Hiſtoriarum ſcientia requiritur in Studio Prophetico. 42. collat. 16.
Homo in Paradiſo ſemel poſitus, quando iterum ibi ponetur? 28. collat. 280.
Hominis finis Deo ſimilem fieri. 194.
Hominis natura extremis temporibus ad veterem pulchritudinem revocabitur. 299.
De Hominis reſtitutione vide plura in Lit. *R*. Voc. *Reſtitutio*.
Hordeum priùs, deinde triticum (myſticè) nobis in alimoniam datur. 257.
Humilitas pro conſequenda ſcientia Prophetica requiritur. 21. 23.
Hyades in capite Tauri, ſeptem. 225. *Hyadum* myſterium. 214. 215.

J.

Jacob domeſticum cibum Patri miniſtrans, Chriſtiani Populi typus. 94. 95.
Jacob proficiſcens ad Joſeph, Populi Judaici convertendi typus. 95. 96. 429.
Jacob diverſo reſpectû, duplicis Populi typus. 447. *Jacob* ingenioſa in gregibus ſuis augendis ſollicitudo myſtica. 437. 438. coll. 440. 441. *Jacob* poſterorum congregatio (ſeu converſio) in adventu Domini. 347. *Jacobitarum* peſtis. 156.
Jeremias juxta quoſdam veteres *Eliæ* Socius futurus. 132.
Jericho Civitatem Diaboli ſignificat. 31. *Jerichuntis* ſeptimus circuitus ad quos pertinet? 31. De hujus circuitu, vide etiam, 444. 445.
De *Jeruſalem* nova, vide quædam, 183. 186. 187. 263. 457.
Jeſus *Iſa Pejgamber* dicitur Turcis. 421.

Jeſus, ſeu *Joſue* Pontifex, quomodo figura Chriſti? 92. 93. 97. 98.
Ignis pro tribus viris ſuccenſus, quid ſignificavit? 30.
Ignis arma impietatis comburens. 84. Ignis tribulationis. 189. 190.
Ignis conflagrationis Mundi, ſucceſſivè operabitur. 264. Ignis ille purgationi inſerviet electorum tunc victurorum. 265. Ejus tempus & duratio. 265.
Ignis conflagrationis mundi lucebit electis ſine moleſtia poſtquam à peccatis purgati fuerunt, impios verò uret in æternum. 265.
Ignorantiam noſtram in multis fateri, quàm ſit utile. 25. 36. 37.
Immutatio Sanctorum in adventu Domini vivorum, duplex. 278.
Immutatio *Jobi* primam Sanctorum immutationem præfiguravit. 279.
Pro Immutandis Pſalmi quidam. 279.
Impii vel Iniqui mentio in ſingulari, principaliter Diabolum reſpicit in Scriptura ſacra, conſequenter verò ejus membra. 97.
Impii quoq; in luce ultimi temporis, mentientur ad tempus Domino. 384. coll. 267.
Impietatem (vel impietates) avertere à Jacob. 176. collat. 40.
Incendia frequentiſſima in Hungaria, majoris iræ ſigna. 376.
Indorum de futura omnium una Religione traditio. 421.
Infantibus olim per aliquot ſecula, Euchariſtia neceſſaria putabatur. 132.
Infirma Mundi elegit Deus, &c. 139.
De Infirmitatibus corporum, ſanatis paſſionibus triumphantes. 287.
Iniquitatis abundantia prædicta, jam eſt ſatis evidens. 378. & 373. coll. 172. 173.
Integritate vitæ prioris (in Adamo amiſſæ) renovari. 260. 261.
In Integritatem in his terris reſtituendus homo Deo adhærens, 256.
Joannes Baptiſta clarè diſtingvitur à venturo Elia per Chriſtum. 103.
Joannes Bapt. non reſtituit omnia; ac ideò negat ſe eſſe Eliam. 104. Conf. 116.
Joannes Bapt. fuit Elias per Malachiam promiſſus; ſed partialiter tantùm & in præludio. 138.
Joannis Bapt. comparatio cum aliis, inprimis cum *Elia* venturo. 116. 117. 118.
Joannes de Temporibus memoratur. 282.
Job Liber præter literalem ſenſum, eſt profundè propheticus. 208. & ſequ.
Ejus inſignis locus de Stellis explicatur. 213. & ſequ.
Job modo Capitis, (Chriſti,) modo Corporis ejus figuram deſignat. 90. 91. 446.
Jobi reſtitutio in integrum, quid ſignificavit? 259. 260. 279. Confer 198.
Ejus tres amici myſticè qui? 449.
Jonas duplex typus diverſò reſpectû. 446. 447.
Jonæ geſta typica ad Chriſtum & Eccleſiam. 433. 434.
Joſaphath Vallis. Vid. V. voc. *Vallis.*
Joſeph mittet manus ſuper oculos Patris ſui; quid juxt. S. *Ambroſ.* myſticè? 95. 96.
Joſeph myſticus adoratur ab Eccleſia. 379.
Joſephi Principatus præmonſtratus, in Chriſto multò magis debuit impleri. 247.
Joſephi Patriarchæ geſta typica illuſtrantur. 425. 426. 427. 428. 429.
De *Joſepho* B. Virginis Sponſo, vid. 452. 453.
Joſue Dux typus Jeſu Domini. 28.
Joſuæ Ducis Principatus præmonſtratus, in Chriſto debuit magis impleri. 247.
Joſuæ factum typicum circa Jericho. 444. 445. collat. 31.
Joſue Pontifex. Vid. *Jeſus Pontifex.*
Joſuæ Pontifici facta promiſſio, multo magis pertinet ad Chriſtum & ejus myſticum Corpus. 247.

Jovi-

Digitized by Google

Joviniamus Imperator. 85. Jovis, Junonis & ſimilium cultores memorantur. 362.
Ira gravis jam incepit in Populo Chriſtiano. 372.
Iris in reſpectu ad Signum Filii hominis, videatur, 402. usq; ad 406. Iris in circuitu Domini, & throni ejus. 402. Iris ſtupenda per *Sigibertum* memorata. 402.
Iris circularis ab Authore Libri hujus viſa. 404.
Iridis ſignificatio pro ultimo tempore. 405. 406.
Iſa Pejgamber. Vid. Jeſus. *Iſaac* ſenex cujus populi geſſit typum? 94. 95.
Iſraël juxta carnem umbræ ſerviebat. 250.
Iſraëlis in electis major ſanctitas futura eſt, quàm in aliis. 176.
Iſraëlitæ veteres (abducti) quibus populis ſunt immixti? 166. 383.
Iſraëlitarum converſio futura. 151. 158. 159. 161. 162. 163. 166. 300. 383.
Iſraëlitarum profectio ordinata, cujus rei figura fuit? 231.
Iſraëlitici Populi converſio, quantum bonum ſecum afferet? 167.
Iſraëliticum ſemen ex parte eſt etiam inter Chriſtianos occultatum. 383.
Italia & *Hiſpania* memorantur. 154. 156. 157. Jubilationis exercitium. 190.
Juda & *Hieruſalem* myſticè. 362. 363. Judæa ſpiritualis, in qua Deus notus. 370.
Judæa & Hieruſalem poſt literam, ſpiritualiter debent intelligi. 65. 67. 149. 252.
Judæi & Semi-Judæi caſtigantur à *S. Hieronymo*. 200. 201.
Judæorum & Gentium converſio notabilis futura. 158. & ſequ. Conf. de Judæis, 95. 96. & 429. Judæorum nomen latiùs pro Jſraëlitis ſumptum. 159. Judæorum aſſumptio, Mundi vita ex mortuis, 167. Judæorum plenior converſio poſt Antichriſti excidium. 147. 318. 319. 323. 326. 383. Judæorum ſemen literale ſeu corticale. 383.
Judex vivorum & mortuorum, phraſis illa expenditur. 319. 320. Judex tremendus brevî apparebit. 374. 375. 376. coll. 373. Judicium à Domo Dei incipit. 311. 317. 369.
Judicium per quot dies extendatur, incertum eſſe docet S. *Auguſtin.* 328.
Judicium Chriſti futurum, latè accipitur apud S. *Hieronymum*. 358. 359. usq; ad 369.
Judicium refutandi & evertendi errores, per Sanctos peragetur. 360. 366.
Judicium Domini apud *Joëlem*. 362. & ſequ. usq; ad 369. idq; duplex. 369.
Judicium in Judæos olim effuſum, eſt typus futuri judicii. 88. 138. 312.
Judicii dies. Vid. Lit. *D*, voc. *Dies Domini, ac Dies judicii*.
Judicii tempore, feliciſſimus Evangelii progreſſus. 314. 326. 347. -- 349. 360. 430.
Judicii humani perfectioni, repugnat nimia in judicando celeritas. 310.
Judicii tremendi, Eccleſiam in genere concernentis ſeveritatem extremam, Sancti eximii non experientur. 369. Judicii futuri figuræ ſeu typi. 311. 312.
Judicii tremendi argumento accommodata inſtructio. 370. & ſequ. ad 377. coll. 423.
Ad judicii tremendi opus collimant ultimatè omnes minæ vel conſolationes ſacræ. 310.
Judiciò emendationis & emundationis, Sancti primùm judicabuntur. 311. 317. 319. 320.
De Judicio terribili ſonantia quædam loca. 313. 327. 328. In judicio rationis veritate convincentur hoſtes Eccleſiæ. 362. 366. Judicia Dei abyſſus multa. 310.
Judiciarium Chriſti opus, tempus ei adæquatum requirit. 309. 310. 311.
Juriſprudentia requiritur ad plenius ſtudium Propheticum. 42. 54.
Juſti (ut & Sancti) vocabulum in Scriptura S. in ſingulari numero cum laude poſitum, primariò Chriſtum reſpicit. 96. 97.
Juſtitia ſuum unicuiq; tribuit. 330. Juventutis renovatæ exempla. 269. 270.

K.

Kadia quidam Turcarum memoratur. 421.

Keſel & *Keſelyk* (vocabula Hung.) memorantur. 210.

L.

Labano ſervit Jacob, &c. quid eſt typicè? 437.
Labor indefeſſus requiritur in Scientiæ Propheticæ ſtudioſo. 21.
Lapis qui Goliathum ſtravit, Chriſtum præfiguravit. 435. 436.
Lapides quinq; myſtici. 434. 435. 436. Lapides fundæ quid? 436. collat. 435.
Lapides duodecim ex Jordane electi, quid præfigurârunt? 30.
Latitudo diei judicii. Vid. Lit. D. voc. *Dies*. ex pag. 303. & ſequ.
In Legendo Codice ſacro, quis ſubinde antea ſibi ignotum percipit? 55.
De Leproſo vide quædam myſtica ex S. *Hieronymo*. 184. Et de Lepra Mariæ: 454.
Lex juſto non eſt poſita. 443.
Legis Moſaicæ myſteria deinceps ſunt pleniùs implenda. 449. 450. 451.
In Lege non eſt vel una litera, à qua non magni montes dependeant. 78.
De *Leviathan* vide, 208. 209. Libanus myſticè. 252.
Liber bellorum Domini, quid *Ruperto*? 51. Librum Dei vivi quis aperiet? 182.
In Libro Domini ſunt quærendæ res eventuræ. 9. 24.
Liberatio Populi Dei à variis malis, quando & quomodo erit? 195. Lilia myſticè. 279.
Lingvarum quarundam ſcientia, ſolido prophetiarum ſcrutatori neceſſaria. 39.
Locuſtæ & alii vermes Joëlis. 74.
Lôth filiarum cum Patre ſuo commercium typicum. 441. 442.
Lucernâ Sermonis ſui ſcrutabitur Dominus vitia in Eccleſia. 361.
Luci cœlitùs acceptæ ſolet aliquando Satan ſe intermiſcere. 52.
Lucifer pro Sidere matutino. 221. 222. *Lucifer* filius auroræ, Antichriſtus. 386. coll. 267.
Lumborum opera igne & purgatione indigent. 189.
Lumen clarum veritatis & prædicationis, quando erit? 351. 352. 359. 360. coll. 184.
Lumini cœleſti vitia carnis obſiſtunt. 372. 379. Lux viventium. 246.
Lytron quaſi & propitiatio quædam, noſtri oblatio Deo facta. 293. 294.

M.

Maculæ & rugæ expertes futuri electi in adventu Domini perſonali. 174. 311. 333.
Malis etiam utitur Deus ad judicia ſua peragenda. 335.
Mane myſticum. 245. 444. Manifeſtatio Chriſti ſpecialis ad Sanctos. 355. 356. 356.
Maria Virgo ſuô partû quos & quas præfiguravit? 452. 453.
Martinus quid Diabolo in purpura apparenti reſpondit? 419.
Martyria ultimi temporis qualia? 290.
Martyria per atrociſſimas neces, arguunt peccata multa & magna in Populo. 290.
Maſculus filius Apoc. 12. ỳ. 5. quiſnam, & quinam? 342. collat. 453.
Mathematicæ ſcientiæ requiruntur ad plenius ſtudium propheticum. 42. 43.
Medicæ ſcientiæ uſus in ſtudio Prophetico. 43.
Medulla Divinorum Librorum, dulcior cortice. 138. 392.
Menſis ſeptimi Moſaici myſterium. 292.
Menſura plenitudinis, menſura Chriſti. 179.
Metaphyſicæ uſus in ſtudio prophetico. 43. De *Michaële* Archangelo, vide aliquid. 327.
Mille annorum Regnū (carnale) Judæis & Semi-Judæis tribuit S. *Hieronymus*. 200. 201.
Mille anni pro una die. 316.
Millibus annorum ſex, credebatur olim Mundus ſubſtiturus. 314. 315.
Minimus quando erit in Gentem magnam? 252. 253.
De Minimis, abjectiſſimis, & afflictiſſimis in Populo Dei, vide aliquid. 86.

Miracula

Miracula Deus non facit, dum homines poſſunt ſuperare difficultatem cum ejus auxilio & benedictione. 139. Miracula vetera typi fuerunt futurorum dehinc Dei operum. 207. Miracula ſub finem Mundi, quô ſenſû futura? 207.
Miraculoſæ ſanationes per Chriſtum factæ, præfigurârunt reſtitutionem electorum, ex omnibus corporis & animæ infirmitatibus, ultimô tempore futuram. 261.
Mirum quid, quando non dicitur de aſtris? 214.216.
Mithridatis magni mentio. 395. *Moab* myſticè quid? 249. 250. 251.
Moab & Ammon myſticè duo populi Eccleſiæ juxt. S. *Irenæum*. 251. 442.
Modus, quô Deus in revelandis ad homines arcanis verbi ſui utitur. 6. 7.
Momentum reſurrectionis & immutationis quomodo intelligendū? 229.232.234.235.
Mons Dei eſt Eccleſia, ejusq; locus eminentior. 320.
Montes myſtici, ad quos fugiendum ab ira. 370. 371.
Montes Sancti. 154.155.156.157. Montium myſticorum mentio in Scriptura S. 244.245.
Montium capita myſticè, excelſi in Eccleſia. 368.
Morbô laborare, Chriſtum Dominum non decebat. 144.
Morbi electorum ultimis temporibus tollentur. 261.
Morbi non obſtabunt Deo, in reſtitutione verè credentium. 268.
Mors poſt morbos & alias calamitates ut noviſſima inimica deſtruenda. 261.
Morti quodam modô ſimilis mutatio. 277.
Mortem non videre, quid ſignificat, explicatur. 145. 146.
Mortem propriè dictam, quando demùm electi prorsùs effugient? 281. 282.
Mortui in Chriſto apud S. Paulum, quô ſenſû intelligendi? 237. collat. 236.
Moſes manibus expanſis orans, Chriſti crucifixi typus. 27. 28.
Moſaica Legis myſteria grandia, eaq; ultimo tempore pleniùs revelanda. 449. 450.
In *Moſis* Scripturis inſeminatus eſt ubiq; Filius Dei. 29.
Muhammedanorum fabula quædam de Sole. 158.
Muhammedanorum ſcripta, an apud piè eruditum aliquid hîc valeant? 55.
De Muhammedanis, vide etiam in Lit. T. voc. *Turc*.
Mulier fortis & ſtrenua myſticè, ultimi temporis Eccleſia. 210.
Mulierum quædam prærogativæ ſpirituales in ſacris Literis. 100.
Muliebris ſexûs exempla motiva ad ſanctum fervorem. 99.
Multô tempore diſce quod doceas. 252.
Mundus quando magis dives erit bonis hominibus? 176.
Mundus non animadvertet, Chriſtum potenti ſuâ inhabitatione Sanctos ad judicium in impios exercendum, præparaturum. 336. Conf. 423.
Mundus non videbit Chriſtum, quis ſenſus illius dicti? 356. 357.
Mundus in annis prioribus velut in juventute viguit. 374.
Mundus immundus motivô imminentis judicii admonetur. 373. & ſequ.
Mundi conflagratio & renovatio ſucceſſiva erit. 264.
Muſica ſimilitudo ad ſenſus Scripturæ S. harmonicos. 75.
Muſicorum ſonorum ad ſecuritatem carnalem abuſus notatur. 372.
Myſterium miraculo præſtat. 286.
Myſteria Chriſti ſine ſuperna inſtructione non intelliguntur. 10.
Myſteria ſuo tempore aperienda latent in omnibus ritibus Eccleſiæ Catholicæ radicatis; item, in tot Ordinibus Religioſorum, tot Sacramentis & aliis ejuſdem Eccleſiæ. 350. Myſteria in verbo Dei & traditionibus ac ritibus Eccleſiæ recondita, quando penitùs patebunt? 360. 361. collat. 351. 352. 355.

Digitized by Google

Myſteriorum Domini ut Θεανθρώπου pleniſſima notitia quibus promittitur? 356. 357.

N.

Nazaræus myſticus. 322. Nocte veniet Dominus, ſenſû myſticô, illuſtratur. 423.
Nomen Domini quomodo magnum in terra? 59. 60.
Nomina dignitatum quando tollentur? 185. Nomina ſuperba & vana abolenda. Ibid.
Nova lecta, audita, vel intra nos percepta, qualiter excipienda ſunt? 36. Nova ſigna, & nova miracula. 207. Novi cœli, & nova terra literaliter, quando erunt. 205.
Nubes myſticæ, (ſed animatæ,) ſunt Sancti. 335. 337. & ſequ.
Nubes quare dicuntur Sancti? 335. 336. & 346. Nubes aquâ carentes, mali. 335.
Nubes Prophetæ, animæq; Sanctorum, quô ſenſû? 346.
Nubes intelligibiles, phraſis S. *Ambroſii.* 349.
Nubes inanimatæ, ſed myſticæ, quænam ſunt, & quare ſic dicuntur? 350. 351.
Nube ſolet pulsâ clarior eſſe dies. 351.
Cum Nubibus, vel *In Nubibus* venire Dominum, quid primariò ſignificat? 334. 335. 337.
In Nubibus myſticis (animatis) venire, etſi quotidie (ſenſû latiori) dici poſſit Chriſtus; at pleniùs & glorioſiùs veniet ultimô tempore, in Sanctis nempe Eccleſiæ membris. 340. 341.
In & cum Nubibus inanimatis ſed myſticis, quomodo Chriſtus dicitur venire? 350. 351.
De *Nubibus* propriè dictis, in adventu Chriſti futuris, vid. 352.
Numerus certus in Scriptura S. de futuris, determinatum aliquid deſignat. 242.
Numeri in ſacris Literis, multa myſteria continent. 241.

O.

Pro Occidentis Eccleſiis unitatem ſervantibus, vide 154. 156. 157. 158. 401.
Occidentalis Cometa anni 1680. principaliter Eccleſiam Occid. reſpicit. 393. 401.
Oculi ictus myſticè. 234. 235. Oenopion memoratur. 223. 224.
Omne quod prodit ex ore Domini in bonum, non revocat. 197.
Operimentum *Juda* myſtici revelandum. 351.
Orationum ardor in ſtudio prophetico requiritur. 19. 20. 21.
Ordo Doctorum & Prædicatorum ultimi temporis juxt. Abb. *Joachim.* 135. 153.
Ordo in converſione Judæorum & Gentium. 166.
Ordo tum temporis tum dignitatis in reſurrectione futurus. 229. 231. 232. 233.
Orias (vocab. Hung.) Orioni cognatum. 222.
Orientis in Nationibus potentiſſimis, ruina Satanæ inſtat. 420.
Orientis & Auſtri Chriſtiani, jungendi ſuo tempore cum Occidentalibus. 157.
Orion myſticè quid? 213. 214. 220. 224. *Orion* dicitur etiam *Gigas.* 222.
Orionis ſtellæ quot? 219. *Orionis* in cœlo ſitus, ejusq; ortus. 219. 200.
Os Domini, Prædicatores. 323. Os Prophetæ quando aperietur? 109.

P.

Pacifici bellatores ultimi temporis. 365. 366.
Pacis, & Pace &c. vid. infra, ſub voce *Pax.*
Panis electis in ultima tempora promiſſus. 245. coll. 74. Panis Euchariſtici figura fuit ſimilæ oblatio. 47. Panis quotidiani ſenſus latitudo. 73. 74. 200.
Panum quinque, & Panum ſeptem myſterium. 286. 287.
In Parabolis à Chriſto narratis, momentoſæ ſunt prophetiæ. 15.
Paradiſus dulcis eſt, eſſe cum Jeſu. 158.
Paradiſi habitationem repræſentans feſtum Scenopegiæ. 296.
Paradiſi delicias Deus nobis in Chriſto reddet. 297. collat. 256. 259. 266.

Paradiſi

Digitized by Google

Paradiſi terreſtris colonus debebat homo aliquamdiù eſſe, ſi non peccaſſet, atq; ſic demùm ad cœleſtem Dei viſionem transferri. 259.
Paradiſi terreſtris nomine in reſtitutione, non cortex literæ, ſed jucundus integritatis in terra renovanda ſtatus debet intelligi. 266. collat. 295.
A' Paradiſi gaudiis genus humanum in Adamo expulſum. 454.
Parallela Scripturæ S. loca quàm ſint hîc neceſſaria. 24. 243. 244.
Parvulus erit in millia. 161 Parvuli Gregis. 185. Paſcha & Pentecoſte myſticô ſenſû. 289.
Paſtor Angelicus. 183. 184. collat. 182. Paſtor bonus. 185. 347.
Paſtor unus, ſub quo unum erit ovile. 157. 162. 174. 182. 183. 185. 342. 389. 391. 414.
Ad Paſtores venturum ſe Dominus minatur. 348.
De SS. Patribus in hoc ſtudio legendis, vid. 26. 32. 34. 104. 114. 448. 455. Patriarchæ ſenſû figuratô. 379. Patriarcharũ geſta, futurorũ myſteria. 13. coll. 424. & ſequ.
Paulo Apoſtolo applicatus locus quidam Pſalmiſtæ. 96. 97.
Pauperes Gregis. 185. Paupertas Spiritûs. 190.
Pax ubi & concordia, ibi Deus & omnia bona. 459.
Pax ſumma inter Chriſtianos aliquando erit. 151. coll. 72. 73. 253. 255. 319. 344. 385.
Pax aliqua ante tyrannidem Antichriſti futura. 385. collat. 106. & 344.
Pax Chriſtianorum deſideratiſſima quomodo fiet? 193. 385. 440.
Pax inquirenda vitam veram volenti. 283. coll. 459. 460. Pacis amans mens requiritur in hoc ſtudio. 21. 23. 24. Pacis Angeli, Prædicatores ultimi temporis. 134. 343.
Pacis & manſvetudinis in Spiritu, veritas & pietas offeretur impiis ſub tempus judicii, antequam ad duriora contra illos procedatur. 366.
Pacis S. Eccleſiæ curâ vacui, non habebunt partem cum Sanctis. 418. 457.
Pace impii, & ipſe Antichriſtus ad ſuas impietates ſecurè abutentur. 344. 390.
Peccatorũ Regnũ in populo Dei, quando abolebitur? 290. 299. coll. 281. 282. & 177. 185.
Periodi ſeptem per *Clementem* Alexandr. memorantur. 242.
Perſecutio ultimi temporis in Sanctos duplex. 381. 390.
Perſecutio extrema per Antichriſtũ ſub ultimo Signo adventûs Dom. futura. 390. 391.
Petrus & *Joannes* aſcendentes in Templum, myſticè accepti. 135.
Petrus nomine, ultimus Pontificum Rom. futurus juxta quandam prophetiam. 184.
Phoſphorus. 222. Phyſicæ utilitas in ſtudio prophetico. 43.
Piorũ ingens deſpectus in Mundo, ultimo tempore. 378. Pietas ad omnia utilis. 194.
Pietatis exercitium, pro intelligendis Prophetiis & typis neceſſarium. 19. 20. 21.
Planctus tribuum terræ quid? 352. 353. coll. 317. Plejades, ac Plejadum myſterium. 225. 226. 228. Plenitudo Gentium, quid myſterii in ſe habet? 166. 167.
Pluvia nubium myſticarum. 336. 351. Pœnitendo præveniendus Judicis terror. 374.
Pœnitentia duorum Teſtium. 140. 141. Pœnitentia vera quæ? 141. Pœnitentia publica olim non fuit iterata. 184. Pœnitentiæ doloribus preſſa mens qualis? 141.
Populus Sion myſticæ omnis juſtus futurus ultimo tempore. 176. 177. 179.
Populus manſvetus & humilis relinquetur in nobis. 185.
Prædicator quiſq; à *pace* debet inchoare ſuã prædicationẽ. 110. Conf. plura de eo, 438.
Prædicatores ſancti ultimi temporis apud Abbatem *Joachim.* 153.
Prædicatores ultimi temporis, quàm ſolidi & fortes in Chriſto futuri. 323. 326. 449.
Prædicatores ſancti, nubes myſticô ſenſû. 335. 346.
In Prædicatoribus efficacia Spiritûs & manſuetudo requiritur. 438.
Prædictio veri, quoad ſupremam ſuã originem, ſemper eſt à Deo. 45.
Prædictio veri, eſt aliquando à Diabolo proximè, ſed Deo permittente. 45.

Digitized by Google

Præjudicia erronea adverſantur docilitati. 22.
Primatû Abel, gubernatû Noë, &c. verba quædam S. *Bernardi.* 91.
Probanda omnia. 37. Profanis Sancta Sanctorum non facilè patent. 216
Proficere per dies ſingulos. 184. Profunditas Chriſtianarum Literarum quàm magna? 58. Prognoſtici cujuſdam expenſio. 43. 44. usq; ad 54.
Promiſſa Dei ad Eccleſiam facta, certò implebuntur. 195. 196. 258.
Promiſſa ſua Deus non aufert, ſed differt. 196.
Promiſſione Dei, fruentur electi ſuo tempore etiam in corporalibus pleniùs. 201.
Propheta magnus, qui renovabit Hieruſalem. 331 Prophetam quis paſcit? 431.
Prophetæ quinam primùm legendi? 25.
Prophetæ ſuas prophetias (de remotis) de ſpeciali ſenſu non intellexerunt. 33. 71.
Prophetæ aliquando, privatâ ſuâ opinione putârunt aliud vel aliter quippiam eventurum, quàm evenit. 33. 34.
Prophetæ Dæmonū aliqua vera prædicunt. 48. 50. Prophetas ſe eſſe jactitantes. 38. 39.
Prophetia ſacra nulla eſt, quam integrè & plenè jam intelligeremus. 58.
Prophetia quomodo plures ſenſus, ſibi invicem harmonicos admittat? 68. 69. coll. 75. 76.
Prophetia hæc vel illa, quomodo jam eſt impleta, & quomodo necdum? 68.
Prophetia omnis, & typus, ſublimia in ſe involvit myſteria. 77. collat. 78. 79.
Prophetia omnis & typus, in plena tandem verborum emphaſi debet impleri. 78
Prophetiæ ſignificata; & ſpecialiùs quoad hoc ſtudium. 2. 3. 4. 5.
Prophetiæ ante eventum, quó ſenſû ſunt ænigmata & ambiguitates? 8. 9.
Prophetiæ & typi ſunt latiſſimi ſenſûs. 56. 57. 58. - - 68.
Prophetiæ & Typi quoad plenā emphaſim, in ultima tempora ſpectantes. 80. 81. 83. & ſeq.
Prophetiæ, quæ non leguntur in iis, de quibus ad literam ſonant, olim impletæ, impleri debent in eorum ſignificatis. 243.
Prophetiæ & typi, certas circumſtantias in implemento requirentes. 252.
Prophetiæ rem eandem, quomodo non rarò iterùm ac iterùm repetunt? 241.
Prophetiarum & typorum præcipuus quoad Eccleſiam ſcopus. 255. 257.
Prophetiarum & typorum myſteria, maxima ex parte, Chriſtus ſuis Servis reliquit explicanda. 211.
De Prophetiarum proprietatibus, methodo, conſonantia &c. Regulæ quædā. 227. & ſeq.
In Prophetiis & typis latentis myſterii conſummatio, ultimo tempori reſervata. 68.
Prophetica ſcientia in pleniori ſenſu, quàm latè extenditur? 8.
Prophetico ſtudio pleniùs excolendo, quæ ſcientiæ neceſſariæ? 42.
Propter quod unumquodq; eſt tale, illud magis eſt tale. 247.
Proteſtantium decantatæ *Reformationi*, Abb. *Joachim* opponitur. 152. 153. 154.
Pſalmi quatuor pro immutandis. 279. Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ. 378. & 379.
De Puero Hebræo, vide oraculū. 420. Pueri myſticè, ſunt Apoſtoli & eorū ſequaces. 59.
Purgatio perfecta extremis erit temporibus. 299.
Purgatoriæ quorundam pœnæ in judicio. 316. 319. 320. collat. 317.

Q.

Quakeri notantur. 38.
Quæ intelligimus, & quæ non intelligimus, quid circa utraq; faciamus? 80.
Quicquid pauci aſſequi poſſunt, id in multorum reprehenſionem incurrit. 10.
Quicquid de typo vel umbra prædictum vel præmonſtratum eſt, id longè magis prædictum & præmonſtratum eſt, de re ſignificata. 247.
Quinq; lapides myſtici, quinq; Virgines, & quinq; bellatores. 434. 435. 436.

Rabbino-

R.

Rabbinorum Scripta in Studio prophetico juvant. 42. 54.
Rachel myſtica plorans filios ſuos. 135. *Rahab* typus Eccleſiæ. 101.
Rahab mulieris funiculus coccineus ſymbolum ſangvinis Chriſti. 28.
Rationis ſubſidium. 36. Rationis veritate convincentur impii in judicio. 362. 366.
Rebecca typus Eccleſiæ, in induto ſtolâ Eſau Jacobo. 94.
Redemptio quando ventura juxta veteres Hebræos? 279.
Reformare alios volens, à ſe ipſo opus illud incipiat. 193.
Reformatio vera, *Eliæ* tertio, ejusq; Socio & aſſeclis Doctoribus reſervata. 132. 133.
Reformatio vera maximè in vitæ ac morum reformatione conſiſtit. 176. 192.
Reformatio inſignis Populi Chriſtiani, in varias Sectas diſcerpti, affutura docetur & adſtruitur. 150. & ſeq. coll. 167. 175. 176. & ſeq. 180. 182. 183. 185. 255. 361. 384. 385.
Reformatio Eccleſiæ & ipſius Romæ, per ſuum Paſtorem viſibilem futura. 183.
Reformatio ſeu renovatio Eccleſiarum Dei, maximè ſanctam Chriſtianorum pacem & unionem ſecum portabit, ſine qua veram qui concipit *Reformationem*, nugas tantùm agit. 152. Reformatio vera quando erit? 385. collat. 193.
Reformatio vera & optatiſſima quæ? 185. 186. 192. 193. 255. 385.
Ea totò cœlo differt à decantata *Proteſtantium Reformatione*. 459.
Reformatio vera confundet inanem quorundam gloriationem. 185. 186. collat. 154.
Reformatione ſuâ inaniter gloriantes notantur. 151. 152. 153. 154.
Reformator Summus, *Chriſtus* erit in ſuis Sanctis: id colliges ex pag. 179. 180.
Reformatores veri obedientiam exhibebunt Pontifici Romano. 153.
Reformatores veri erunt duo Teſtes Apocalyptici. 101. collat. 132. 133.
Regis mundani adventꝰ in aliquẽ locũ, pro ſimilitudine affertur. 175. 354. 355. coll. 321.
Regium Chriſti munus maximè in judicio exercebitur. 309.
Regnum Dei, & juſtitia ejus primùm quærenda. 194. 199. 204.
Regnum Dei & juſtitiam ejus, quinam primùm quærunt? 201.
Regnum Chriſti ſolius in terris, quando & quale erit? 333.
Regni Chriſti plenitudo, Chriſtianũ regnũ, quà tale, non tollet, ſed tantùm emendabit. 421.
De Regno Jeſu Chriſti futuro, quid Muhammedani ſentiunt? 421. 422.
Regna Mundi omnia, Satan, ut non ſua, cedet Chriſto, ut vero Domino. 53.
Renovatio Populi Dei. 150. Vide plura de ea, in voce, *Reformatio.*
Reſtauratio Populi Dei in melius. 150. Vid. voc. *Reformatio* & *Reſtitutio.*
Reſtitutio Iſa. 1. ℣. 26. prædicta, exponitur. 63. 64.
Reſtitutio omnium in terris in Eccleſia futura. 254. & ſequ. coll. 104. 245.
Quid per eam intelligitur? 255. 256. Ea probatur vadidis argumentis. 257. & ſeq. Item, teſtimoniis SS. Patrum. 283. & ſequ. usq; ad 301. Ejus, an hypocritæ & impii aliquò modò participes erunt? 267. 284.
Reſtitutio ſolida, plena, & radices agens, ad ſolos verè pios pertinebit. 268.
Reſtitutio in plena emphaſi, in Sanctis victuris in adventu Dom. erit conſpicua. 256.
Reſtitutio Sanctorũm ultimi temporis dici poteſt etiam reſurrectio. 278.
Reſtitutio dici poteſt etiam immutatio. 278.
Reſtitutio conſummatior poſt reſurrectionem mortuorum erit. 202.
Reſtitutio animalium ferorum in manſvetudinem, juxta *Theophili* futura. 295. 296.
Reſtitutio puritatis, finis omnium contra Gog & Magog certaminum. 360. 361.
Reſtitutionis futuræ ſolida felicitas, adverſis morte gravioribus obtinebitur. 277.
Reſtitutionis bonum in dies creſcet. 280. 281. Confer 349.

Reſtitutionis gradûs ex S. *Hieronymo*. 290. 291. coll. 289.
Reſtitutioni ſenectus, in quo non oberit? 268.
Reſtitutione fient electi capaces gloriæ Chriſti venturi. 294. coll. 256.
De Reſtitutione futura dubia amoventur. 266. 267. 268. - 277. 279. 280.
Reſurrectio ſpiritualis electorum ultimi temporis. 238.
Reſurrectio fidelium ordine temporis (ut & dignitatis) fiet. 229. 231. 232. 233.
Reſurrectio quô ſenſû dici poteſt de reſtituendis? 277. 278.
De Reſurrectione prima (Apoc. 20.) vide aliquid. 285.
Ritus Eccleſiæ Catholicæ myſteria in ſe habent. Vid. Lit. M. *Myſteria*.
Romæ in ovo Gallinæ imago Cometæ anni 1680. expreſſa. 401.
Romanæ Eccleſiæ acerrimi oppugnatores, quid obſervent, ut manſvetiores fiant? 68.
Ruinæ antiquæ populi Dei erigendæ. 87.

S.

Sabbatum ſpirituale. 178. 289. 294. 314. Sabbatiſmus verus. 315. collat. 294.
Sabbatum Sabbatorum, (myſticè,) quodnam tempus erit? 178.
Sabbati die facta per Chriſtum frequens ſanatio, futuri myſterium habet. 451.
Saccis induti, qui leguntur in Scriptura ſacra? 141.
Salomon in Proverb. & Eccleſiaſte, præter literam, altiorem ſenſum habet. 210. 211.
Salomonis opera hodie non exſtantia, aliquando ſciri poterunt. 8.
Salomonis de duabus mulieribus judicii expoſitio myſtica. 432. 433.
In *Salomone* Chriſtus fuit abundantiſſimus fons ſapientiæ. 91.
Samuel uncturus Davidem, priùs ut homo errat. 33. 34.
Sanctus Iſraël, titulus Redemptoris noſtri. 411. Conf. de *Sancto* lucis causâ, 97.
Sancti cum Antichriſto pugnaturi, quàm excellentes futuri ſunt? 180. 341. 342.
Sancti ultimo tempore aſcenſuri ad ſpeculam Eccleſiæ. 184. 360.
Sancti ſpiritualibus ſemper intendunt. 213. Sancti primùm judicabuntur, judicio emendationis, & emundationis. 311. 319. 320. Sancti cum quibꝰ & in quibꝰ veniet Chriſtus contra Antichriſtum. 322. 334. Sancti, qui Antichriſto non ſervient. 325.
Sancti nubes dicuntur. Vid. Lit. *N.* voc. *Nubes*. Sancti Mundū judicaturi. 311. 360. 366.
Sancti eximii, tempore extremæ tribulationis paſcentur in deſerto &c. 369.
Sanctior dehinc Populus futurus, docetur. 167. 175. 176. & ſequ.
Sanctorum populus ultimi temporis, juxta Danielem. 181.
Sanctorum orationes, gemitus, &c. quomodo aliis quoq; applicari poſſint? 246. 247.
Sanctitas corruptioni morum Chriſtianorum opponenda. 167.
Sanctitas magna electorum extremi temporis. 293. 294. 295. 299.
Sanctitatis gradus ab *Hieronymo* & *Taulero* deſcripti. 184. & 190. 191. 448.
Sanitas corporis quantum ſit bonum? 194. 197. 198.
Sapientiæ ſolidæ habendæ requiſitum. 19. 20. 21. 456.
Satanas ruinā ſuā in Oriente præ foribus eſſe fatetur. 420. Plura vid. in voc. *Diabolus*.
Scandala de Regno Chr. per quos tollentur? 343. coll. 182. *Schechina* Rabinorū quid? 333.
Schiſmata Civitatis David, eorum authores quando intelligent? 351.
Scientia ultimo tempore augenda. 1. 2. 215. & 283.
Scientia non ſolida, & multo fumô vanitatis obnubilata, quæ? 19. collat. 456.
Scientiæ ultimi temporis augmentum, requirit longitudinem vitæ. 283. 284.
Scopus Authoris in hoc Libro. 2. & 17. 18. Conſule etiam *Præfationem*.
Scorpius myſticè. 222. 223. 224. 225.
Scriptura S. authoritate Eccleſiæ vallata, eſt primaria norma in hoc Studio. 35. 36. 51.

Scri-

Scriptura S. cur difficultatibus eſt contexta? 21. collat. 12.
Scriptura S. ſit nobis familiare & tutiſſimum refugium contra Satanam. 52.
Scriptura S. eſt latiſſimi ſenſûs. 58. collat. 56. 57. 392.
Scriptura S. eſt mare, 69. collat. 79. Altiùs ſe penetrari vult. 339.
Scriptura vetus, quaſi puteus, profunda & obſcurior. 431.
Scripturæ S. diligens lectio (poſt orationes) primarius labor ſit in hoc Studio. 24.
Scripturæ Canonicæ authores ſoli ſcripſerunt abſq; errore. 34.
Scripturæ Veteris vel Novi inſtrumenti, ſe ſe mutuò illuſtrant. 306.
Scripturæ S. ſenſus. Vide voc. *Senſus* in hac Lit.
In Scriptura S. habes quod primùm bibas, habes quod ſecundùm, &c. 69.
In Scriptura S. major progreſſus, magis conſcios ſuæ ignorantiæ doctos facit. 79.
In Scriptura S. nihil eſt otioſum; ſed omnia ibi myſteriis plena. 78. 79. 80.
In Scriptura S. ſemper Spiritûs S. intentio ſpectanda & quærenda. 70.
In Scriptura S. cauſas noſtras ſinguli, ſi requirimus, invenimus. 246. 247.
Secunda Evangelii prædicatio futura. 150. 151.
Securitas magna hominum carnalium tempore Antichriſti M. futura. 390.
Sedis Dei in hominibus præparàtio, *juſtitia* & *judicium*. 330.
Senis Hiſpani longævi exemplum. 282.
Senis Concordienſis Centenarii, & alterius pluſquam centenarii exempla. 269.
Senis Dani, benè poſt centū annos ſuos, puellam ducentis in uxorē exempl. 282. 283.
Senecta Eccleſiæ candida erit rectè factis. 180. 181. 291.
Senſus Scripturæ S. multiplex; at cum mutua harmonia. 68. 69. 70. 75. 76.
Senſus Scripturarum triplex juxta S. *Hieronymum*. 75.
Senſus Scripturæ S. inter plures harmonicos, unus eſt principalis. 75.
Senſus Scripturæ S. veritati, fidei ſanæ, & ſcopo textûs congruat. 70. 71.
Senſus proprius & literalis verbi Divini quando admittendus? 197. 198.
Senſus ſpiritualis Scripturæ S. eſt excellentior literali. 392. collat. 138.
Senſus literalis quibus in locis priùs quàm ſpiritualis quærendus? 24. 42. 203. 454.
Senſus ſpiritualis quibus in locis primariò labore quærendus? 203. 204. 205.
Senſus literalis ſublimior, in quibuſdam diſtingvendus à merè *Grammatico*. 203.
Senſus literalis & hiſtoricus, imò aliquando etiam merè *Grammaticus* ac vulgò notus, fundamentum eſt ſenſûs ſpiritualis. 203. collat. 24. 42. 454.
Septenarius numerus myſticus. 242. 243. Septimus dies myſticus apud Clementē Alex. 28. 29.
Septimus dies quô interfectores Madianitarum ſe purgare debebant. 299.
Septima benedictio pacatorum. 286. Serpenti pulvis panis ejus, quis ſenſus? 288.
Servus malus, Servo fideli & prudenti oppoſitus, eſt Antichriſtus. 391.
Siceuth-benoth Judæis quid? 226. Signa trina *Elias* mundo oſtendet. 113. 114.
Signa adventûs Domini propiora decem enumerantur. 377. & ſequ. usq; ad 391.
Signum Filii hominis in Cælo, quintum Signum. 382. 392. & ſequ. ad 419.
Signum Fili hominis literale triplex. 392. & ſequ. usq; ad 410.
Signum Filii hominis literale, eſt ſignificativum rei ſpiritualis. 392. 393.
Signum Filii hominis ſpirituale & principale, unicum eſt. 393. collat. 410.
Signum Filii hominis ſpirituale, eſt id, quod in *Iſaia* Salvatoris *Signum*. 411.
Signum Salvatoris in *Iſaia*, eſt paſſio Domini in Sanctis; quomodo? 413. coll. 417.
Signum Filii hominis ſpirituale *in Cælo apparere* quid? 414. 418.
Signum Crucis. Vid. in Lit. C. voc. *Crux* & *Crucis*.
Signi levatio ſeu exaltatio apud Prophetam, quid? 414. 418.

Signi poſitio in in iis qui venient in Eccleſiam, quid? 415. 416. 417. 418.
Signô *Thau* in Ezechiele, ſoli gementes &c. ſignandi. 415.
Signorum ſuorum factorem quærit Deus, non pictorem. 416.
Signorum omnium ſignificata debent pandi ultimo tempore. 393. 394.
A' Signis cœli, quô ſenſû metuere non debemus? 394.
Silentium ſanctum requirit Dominus ab iis, qui eum expectant, &c. 372. 459.
In Silentio ſancto proficit anima devota. 371. collat. 460.
Sion literalis, & Sion myſtica. 155. 157. Confer de myſtica, 299.
Sionis myſticæ (ult. temp.) arcana contemplari qui non poſſunt? 188. 456.
Sodoma reſtituetur in antiquum, quid eſt myſticè? 291.
Sodomæ & Gomorrhæ interitus, typus futuri judicii. 311.
Sol myſticè. 212. 213. 216. 217. Solis ortus in Occidente, juxt. fabulã Muhammedan. 158.
Solis Lunæq; obſcuratio ſenſû myſtico. 379. 380
In Sole poſuit (Dominus) *tabernaculum ſuum*, quis ſenſus? 40. 41.
Solennitas omnis Judæorum, futurorum erat typus. 250.
Solennitates hodiernæ, umbræ quædam ſunt Cœnæ Nuptiarum Agni. 302.
Spiritus S. in verbis Doctorum habet, aliquid altius reconditum, &c. 114.
Spiritus Dei in electis, pleniùs ultimo tempore regnabit. 199. 200.
Spiritus Divinus Eccleſiam in minimis quoq; ad veritatem ducit. 350.
Spiritus Prophetarum, Prophetis ſubjiciuntur. 38.
Spiritus probandi, an ex Deo ſint? 38. In *Spiritu & virtute* cœlites adeſſe. 280. 353.
Spiritualia & & æterna Deus præcipuè in ſuis promiſſis ſpectat. 193.
De Spiritualitate bonorum corporis, electis dandorum, vid. 199. 200.
Stellarum quarundam myſtica expoſitio. 213. 214. 215. 217. & ſequ.
Stellarum caſus de Cœlo, ſenſû myſtico. 379. 380. 381.
Subſidia evanida notantur. 173. Superiori, inferiori & æquali, redde quod debes. 330.
Synchroniſmus futurorum unde noſcatur? 241. collat. 240.

T.

Tabernaculorum feſti myſterium. 296. 297. 298. collat. 289.
Τάγμα (ſeu *Tagma*) quid ſignificat? 229. 230. 231. Tempus iniquitatis extremæ. 81.
Tempus ultimum, quô ſenſû in Scriptura S. accipitur? 81. 82.
Tempus extremum, per Menſem ſeptimum Judæorum ſignificatum. 292.
Tempꝰ noviſſimũ, pro die judicii: 309. 328. 329. Temporis extremi benedictio. 180. 181.
Temporis ultimi pars prima triſtior, poſterior lætior. 164. 165. 175. collat. 81. 82.
Temporis extremi convivium ſpirituale; & ejus gaudia quanta? 300. 301. 302.
De Tempore eventurorum bonorum, vide aliquid. 419. & ſequ.
Tempora Eccleſiæ Novi Teſt. juxta Abb. *Joachim* diſtributa. 134. 135.
Ad Tempora Eccleſiæ feliciora, acerbiſſima primùm deguſtanda. 419. 420.
In Tempora ultima, quænam ſunt reſervata? 68. 83. 177. 198. 207. 450. 451. 458.
Tenebræ in paſſione Domini, quid ſignificârunt? 394. Tenebræ Eſa. 60. cap. 86.
Terra myſticè quid? 73. 204. Terra lacte & melle fluens. 75.
Terra hæreditate poſſidenda, quæ? & quibus promittitur? 186. collat. 459.
Terra converſatione cœleſti poteſt fieri cœlum. 188. Terra viventium. 245. 246. 295.
Terra mitium, & Terra viventium ſursùm eſt, quô ſenſû? & quid ea? 187. 188. 295.
Terra *Sion*, eadem quæ myſtica Terra viventium. 187. 188. collat. 295.
Terra quædam, in *Pſalmo*, *Jobo* & *Eccleſiaſte* ſpiritualis. 213.
Terra non in vanum creata, ſed ut inhabitetur, 262.

Terra nova abſurdiſſimè Diabolo tantùm cum ſuis aſſignatur habitanda. 262.
Terra nova inhabitabitur ab hominibus renovandis. 262. 264.
De Terræ renovatione ſucceſſivè & gradatim peragenda, Vid. Lit. C. *Cœli* & *terra*.
Terræ motus tum literali tum myſtico ſensû. 74. coll. 377. Nuperi in *Italia*. 376.
Terræ motus, per ,, *Terra non ſubſiſtit*, exprimitur à S. *Gregorio*. M. 374.
In Terra quoq; jugem lætitiam habebunt redempti, extremò tempore. 299. 354.
Terræ & terrenis affixi, tenebris & horrendâ caligine operiendi. 86.
Terrenas voluptates deſiderantes notantur. 201.
Terrores divinitùs immiſſi, ſequentis iræ ſunt præcones. 374.
Terrores cœleſtes augeri debent his ultimis temporibus. 405.
De Teſtibus duobus vid. 101. & ſequ. & confer Lit. D. voc. *Duo* & *E.* voc. *Elias*.
De *Thau* vide, 415. & 418. *Theodoſius* M. Imp. (qui obiit an. D. 385.) memoratur. 85.
Theophila Virgo ad proſtibulum damnata, Evangel. legit, & de cœlo cuſtodita. 120.
Theologia Prophetica, cur ſic dicta? 2.--5. Ejus definitio. 7. 8. Objectum. 8. 10. Utilitas; jucunditas, excellentia, imò & neceſſitas. 10. 11. Ejuſdem Principium. 12. Finis. 17. Et Partes. 18.
Tintinnabula è veſte Pontificis dependentia quid ſignificabant? 27.
Torcularis calcatio in Iſaia, & in Apocalypſi. 83.
Tormentum iniquitatum ſuarum ſuſtinet, ceſſans facere peccata. 189.
Tuba prædicationis ultimi temporis. 226. 235. 236. 237. 239. 293.
Tuba ſingularis efficaciæ & ſvavitatis prædicationem ſignificat. 238.
Tuba ſeptima eſt Tuba noviſſima. 239. 329.
Tuba noviſſima, Tuba ſeptima, ac Tuba Dei, erit potentiſſima Dei vox, per ſanctiſſimos ejuſdē Servos, proximè ante apparitionē Judicis prædicanda. 235. 238. 239. 293. 343.
Tuba cur adventui Domini, & reſurrectioni mortuorum adjungitur? 237. 238.
Tubæ ſeptimæ tempus multa continet. 329.
Tubâ myſticâ canendum eſt in Eccleſia imminente judiciô. 367. 368.
Tubæ *duæ*, Num. 10. ℣. 2. dicuntur myſticè potiſſimùm ob duos Teſtes. 236.
Tubæ Sacerdotum ad Hiericho, quid præfigurârunt? 31. 445.
Tubarum Moſis myſterium. 235. 236. collat. 233. 343. & 367.
Turca *Moab* myſticus. 250. 251.
Turca (ut *Moab* novus) debet Chriſtianos ſub imperio ſuo tolerare. 251.
Turcæ palàm jam prædicant, quòd ipſorum imperium bervî corruet. 420.
Turcæ ſtipendiarii in Turri quadam expectant Jeſum noſtrum. 421. 422.
De Turcis quoddam Prognoſticon an. D. 1681. editum. 44.
Typus unus, diverſo reſpectû, poteſt eſſe rerum diverſarum typus. 251.
De Typis ac Typicis hiſtoriis ſacris, vide, pag. 12. 13. 247. 423. 424. & ſequ. 434. & ſequ. usq; ad 454. *Tyrus* ſpirituali ſensû. 67. collat. 387.

W. & V.

Waldenſes primitùs Sectam ſuam à Sede Apoſtolica confirmari petierunt. 153.
Vallis Joſaphat myſticè quid? 362. 367. Ver myſticum. 289. 291.
Verbum Dei ultimo tempore, quàm potentiſſimum S. Eccleſiæ auxilium? 86.
Verbum Dei, prudenter, efficaciter & manſvetè convertendis proponendum. 438.
Veritatis intelligentia quos deſerit? 170.
Veritatis in lumine claro, videbitur omnis armatura Apoſtoli in Eccleſia. 351. 352.
Via munda & ſancta (juxta *Iſaiam*) extremo tempore. 299.
Via quid, in verbis illis, *dum es in via*, &c.? 371.

De Vi-

Digitized by Google

De Vicario Chriſti vide, 181. 182. 184. 322. 323. 342. 360. 389. 391. 414.
Videre Filium hominis venientem in nubibus, quid ſignificat? 384. Vigilantia. 371.
Virga regens, Virga coërcens, & Virga caſtigans. 438.
Virgæ variæ *Jacobi*, per quoſdam SS. Patres myſticè expoſitæ. 437. 440. 441.
Virgo beatiſſima, verbis quibuſdam S. *Anna* de ſe utitur. 246.
Virgines quinq; melioris notæ, quos deſignant? 435.
Virginitas mentis, eſt integra fides, ſolida ſpes, &c. 435.
Virtutes cœlorum movebuntur, quid ſignificat? 337. 380. 381.
Vita hominum ultimo tempore prolonganda. 282. 283. 284.
Vitæ hominum abbreviatio quando & quibus gradibus facta? 281.
Vivi aliqui in adventu Domini reperientur. 272. 273. 274. 275. 276. 281.
Vivi prius, quàm mortui judicabuntur. 319. 320.

U.

Ultimi temporis admiranda quædam Dei opera. 207. Plura vid. in T. *Temp.*
Unio ſancta, erit ex ſummè admirandis Dei operibus. 207.
Unionis ſanctæ Chriſtianorum neceſſitas. 371.
Unitas Fidei quomodo & quando futura? 193. 385. coll. 439. 440.
Unitas fidelium extremo tempore. 299. Quæ & ſvadetur. 300. 301. 458.
Unitati & paci ſanctæ contraria fugienda. 460. collat. 459.
Urim & *Thummim* arcana accuratè intelligi, à quibus nequeunt? 101.
Urſa majoris (ſeu plauſtri cœleſtis) myſterium. 213. 214.

Z.

Zabolus, pro Diabolo. 345. Zeli idolum. 375. *Zorobabel* typus Chriſti, quô ſensû? 99.

INDEX AUTHORUM,
TUM ECCLESIASTICORUM, TUM ALIORUM,
(unà cum quibuſdam Libris) in hoc Opere citatorum.

A.

Abbas Joachim citatur. Pag. 101. 134. 135. 152. 153. 181. 182. 414. Et memoratur. 34.
Vixit hic *Abbas*, an. D. 1197. & ſequ.
Abydenus citatur. 248.
Vixit circiter 270. annis ante Nat. Chriſt.
Alcaſar cit. 102. 125. 319. 402. 406.
Alcoranus cit. 158.
Alcuinus (al. *Albinus*, circ. an. D. 790.) 350.
Alfenus cit. 123.
Vixit tempore *Auguſti*, poſt nat. Chriſt.
Alſtedius memoratur. 394.
Alvarez (Didacus) à Medina. 151. 313. 438.
Amadeus (circ. an. D. 1482.) cit. 182. 183.
Amalarius (circa an. D. 830.) cit. 350.
Ambroſius (Mediolanen. Ep.) cit. Pag. 13. 15. 41. 69. 77. 94. 95. 96. 106. 124. 145. 205. 210. 211. 212. 213. 226. 228. 233. 235. 236. 265. 285. 286. 322. 336. 337. 338. 349. 370. 372. 379. 388. 424 425. & ſequ. 426; ad 434. & 435. 437. 442. 443. 444. 448. 451. 452. 453.
Vixit S. *Ambroſ.* ann. D 380.
Ambroſii ſub nomine Commentator in Epiſtolas S. Pauli, (qui eſt *Hilarius* Diac. Rom.) citat. pag. 4. 107. 176. 459.
Vixit hic ann. D. 380.
Ambroſii ſub nomine Author Commentarii in Apocalypſ. (qui eſt *Berengandus*,) cit. 31. 109. 311. 322. 356.
Amphilochius (Iconienſ. Ep. an. D. 370.) 79.

Digitized by Google

Andreas Cæſarienſis (circa ann. D. 500.) cit. - - - Pag. 108. 453.
Aratus cit. 213. 222. 223.
Vixit circ. annis 281. ante nat. Chriſt.
Aretas (circ. an. D. 560.) memoratur. 453.
Arias Montanus cit. 103. 115. 225. 231. 260.
Ariſtoteles (natus an. 383. ante nat. Chriſt.) cit. - - - 395. 396.
Arrianus (Hiſtoricus) (cir. an. D. 145.) 229. 230.
Athanaſius Magnus cit. 26. 144. 156. 276.
Obiit in Domino circa an. D. 371.
Athenagoras [circ. an. D. 16?.] cit. 276.
Auguſtinus (Epiſ.) cit. 12. 14. 20. 24. 25. 34. 41. 46. 47. 51. 52. 58. 69. 70. 83. 84. 85. 89. 90. 107. 110. 121. 160. 170. 180. 181. 194. 196. 204. 226. 228. 234. 241. 259. 264. 272. 273. 282. 291. 304. 309. 315. 316. 317. 328. 339. 340. 341. 343. 346. 351. 356. 367. 372. 379. 414. 416. 435. 441. 443. 445. 459. 461. 463.
Obiit in Domino, an. D. 430.
Avienus Poëta (ſeculo 4to.) cit. 223.
Authoris *Latum* ad Lug. Sion *Nunc*. cit. 152. 240. 250. 251. 256. 341. 345. 353. 386. 387. 389. 391. 440. 459. 460.
Ejuſdem *Examē Reformationis Luth.* &c. 151. 152. 170. 343. 351. 459. 460.
Ejuſdem, *Roma Civ. Dei Sancta*. 152. 459.
Ejuſdem *Aſceticum* Opus Hung. 23. 37.

B.

Barclejus cum ſuis notatur. Pag. 38.
Baronius cit. 120. 156. *Bartholinus* 282. 283.
Baſilius M. (an. D. 370.) cit. 79. 219 221. 265.
Beda (qui ob an. D. 731.) 48. 52. 210. 211. 304.
Berengandus cit. 109. (in marg.) Vide plura ex hoc, ſub Lit. A. Voc. *Ambroſii* &c.
Vixit *Berengandus* poſt Gregor. M. temp.
Bernardus (Clarevallenſis) cit. 91. 141. 146. 155. 165. 330. 331. 374. 386. 439.
Obiit in Dn. an. D. 1153.
Beroſus cit. - - - - 248.
Vixit circiter 257. annis ante nat. Chr.
Beza Verſio cit. 356.
Bibliorum aliquot verſiones citantur. 214. 225. 307.
Blondellus cit. 112. *Bochartus* cit. 156.
Breviarium Roman. 120. 121. 407. 419.
Bucholcerus cit. 282. 283. L. *Burgenſis* 115.
Buxtorfius cit. 214. 218. 220. 221. 226. 227.

C.

Calendarii Hung. Chronicon citatur. 394.
Callimachus memoratur. 213.
Vixit circ. annis 247. ante nat. Chriſt.
Calvinus memoratur. 103. *Cardanus*. 394.
Caroli Magni nomine Opus quoddā cit. 43.
Floruit hic an. D. 800.
Caſaubonus cit. - - - 420.
Cedrenus (an. D. 1057.) cit. 420.
Chaldaica Paraphraſis cit. 112. 227.
Chryſoſtomus [an. D. 400.] 276. 313. 407. 416.
Cicero (annis 40. ante nat. Chriſt.) cit. 420.
Clarius cit. - - - 115.
Clemens Alexādrin. (an. D. 194) 28. 47. 53. 242.
Clemens Romanus Epiſ. cit. 28.
Vixit tempore Apoſtolorum.
Coccejus cit. - - - 251. 279.
Conſtitutiones Apoſtolicæ dictæ cit. 147.
Cornarus (Ludovic.) cit. 270. 271.
Cornelius à Lapide cit. 53. 88. 102. 115. 117. 130. 144. 188. 195. 204. 313. 314. 318. 326. 327. 342. 403. 405. 406. 416. 417. 418. 453. *Crugerus* cit. 217.
Cyprianus cit. 4. 24. 146. 169. 228. 243. 290. 373. 386. 424. 436.
Martyriō coronatus, an. D. 258.
Cyrillus Alexandrinus cit. 22. 108. 117. 163. 178. 273. 292. usq; ad 299. 314. 352. 353. 354.
Floruit an. D. 412. & ſeq. usq; ad 445.
Cyrillus Hieroſolymitanus (an. D. 353.) 408.
Cyſatus cit. - - - - 398.

D.

Damaſcenus (an. D. 730.) cit. 386.
Damianus (qui vixit an. D. 1070.) cit. 54.
Didacus Alvarez. Vid. Lit. *A.* voc. *Alvarez*.
Digeſtorum opus cit. 123. 230.
Dionyſius Alexandrin. (an. D. 257.) cit. 37.
Durandus (qui vixit an. D. 1271.) cit. 350.

E.

Edoardus Bernardus cit. 415.
Ephrem Syrus (qui vixit an. D. 380.) 390.
Euſebius (Cæſarienſis) cit. 37. 66. 155. 248. 290. 394. 404. 407.
Obiit circa an. D. 339.

Euſtathius (circa an. D. 500.) cit. 265.
F.
Jac. *Faber* Stapulenſis cit. 103. 115.
Faber Honoratus. Vid. Lit. H.
Ferus (Joan.) cit. 99. 137. 374. 375.
Feuardentius cit. - - - 102. 443.
Bl. *Finckeneis* cit. 319. 326.
Fortunius Licetus memoratur. 270.
G.
Gallica Lovanienſium Theologorũ S. Codicis Verſio. - - - - 142.
Gaſſendus cit. - - - - - 399.
Gerardus ab Hamont cit. - - - 192.
Germanicus Cæſar (Poeta) cit. 223.
Vixit circ. an. D. 18.
Gildas (an. 581.) cit. - - - 374.
Gloſſa SS. Bibliorum cit. 133. 143. 151. 171. 221. 226. 233. 418. 436.
Gratianus (an. D. 1151.) cit. 443.
Gregorius M. (qui obiit an. D. 604.) cit. 2. 14. 23. 41. 69. 70. 97. 109. 141. 164. 175. 189. 209. 213. 214. 215. 216. 227. 246. 247. 260. 284. 325. 326. 335. 356. 374. 375. 376. 381. 386. 387. 389. 414. 438. 440. 445. 449. 453.
Gretſerus cit. - - - - 415. 416.
Grotius cit. 219. 222. 223.
Guido Bituricenſis cit. - - - 282.
Guido Fabritius Boderianus cit. 79.
H.
Hajmo (qui vix. an. D. 850.) memoratur. 453.
Hector Pintus cit. ex Cornelio à Lap. 319.
Heſiodus (qui vixit 935. annis ante nat. Chr.) cit. - - - - - 213.
Hevelius cit. 394. 396. 397. 398. 399.
Hieronymus (qui obiit an. D. 420.) cit. 3. 10. 11. 13. 14. 17. 21. 24. 25. 33. 34. 42. 61. 62. 63. 64. 71. 72. 73. 75. 78. 79. 82. 87. 95. 107. 122. 128. 138. 161. 162. 163. 171. 177. 179. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 194. 200. 202. 209. 210. 236. 237. 238. 249. 251. 261. 268. 269. 273. 275. 281. 282. 287. 288. 289. 313. 314. 315. 316. 317. 324. 325. 326. 335. 343. 345. 347. 351. 352. 358. & ſequ. usq; ad 369. 374. 387. 389. 392. 395. 402. 405. 407. 412. 413. 415. 416. 450. 454. 458. 460. 461.
Hieronymi ſub nomine Author antiquus *Commentarii* in *Pſalmos* cit. 335.
Hilarius Pictavienſis Epiſc. cit. 97. 132. 336. 344. 345. 388. Obiit an. D. 365.
Hilarius Diaconus Rom. (qui vixit an. D. 380.) cit. 4. 107. 176. 459.
Vide etiam Lit. A. voc. *Ambroſii*.
Hippolytus Martyr cit. 95. 130. 132. 180. 386. 387. 388. 389. 390. 407.
Vixit circa an. D. 224.
Honoratus Faber cit. - - - 405.
Hubertus Phaleſius cit. 318.
Huëtius cit. - - - - - 115.
Huëtiana editio Origenis cit. 294.
Hugo Eterianus (an. D. 1170.) cit. 110. 387.
Hugo Cardinalis de S. Charo cit. 135. 136. 151.
Vixit an. D. 1250.
Ant. *Hulſius* cit. - - - 201.
Hyde (Anglus Dr.) cit. 218. 219. 221. 222. 226.
Hyginus (qui vixit circa an. D. 5.) cit. 219.
J.
Janſenius Epiſc. Gandavenſis cit. 138.
Imago Sapientiæ cit. - - - 417.
Joachim Abbas. Vid. Lit. A. voc. *Abbas*.
Joannes Epiſc. Oxonienſis. 304.
Joſephus (Hiſtoricus) cit. 248. 312. 394.
Vixit an. D. 70. & ſequ.
Joſephus Jachiades Rabb. (an. D. 1528.) 422.
Irenæus (qui vixit an. D. 180.) cit. 4. 8. 9. 13. 29. 68. 147. 155. 251. 387. 437. 442. 443. 452. 460.
Iſidorus Peluſiota (an. D. 431.) cit. 117.
Julianus (an. D. 680.) Toletanꝰ Ep. cit. 329.
Juſtinus Martyr cit. 4. 26. 27. 28. 31. 97. 98. 105. 196. 207. 208. 282. 317. 347. 437. 440. 442. 451.
Vixit an. D. 150. & ſequ. & ſubiit martyrium an. D. 168.
Juſtini ſub nomine Author Quæſt. & Reſp. ad Orthod. cit. - - - 276.
Vixit hic Author ſeculo quinto.
Juſtinus Hiſtoricus (qui vixit an. D. 141.) cit. - - - - - - 395.
K.
Kempis (qui vixit an. D. 1440 & ſeq.) cit. 188. 194. 209. 371. 417. 459. 460.

Kerckrin-

Digitized by Google

Kerckringius cit. 270. *Kimchi* cit. 64.

L.

Lactantius (an. D. 330.) cit. - - 378.
Laërtius (qui vixit an. D. 150.) cit. 194.
A' *Lapide*. Vid. Lit. C. voc. *Cornelius*.
Leo I. Papa (an. D. 461.) cit. 93.
Leonclavius cit. - - - 420.
Leſſius cit. - - - 271. 319.
Lubienitius memoratur. 394.
Lutherus cit. - - - 103.
Lyranus (an. D. 1322.) cit. 143. 171. (214. 226. 418.

M.

Mabillon citatur. Pag. 91
Maimonides (qui vixit an. D. 1180.) cit. 197.
Malachia Hibernienſis (an. D. 1140.) Archiepiſcopi ſub nomine *Prophetia* quædam citatur. 183. 184.
Maldonatus cit. - - - 117. 132.
Manaſſe Ben-Iſraël cit. 111. 112. 269.
Mareſius cit. - - - 262.
Martinus Polonus (an. D. 1277.) cit. 282.
Matthias Pariſienſis (circ. an. D. 1365.) cit. - - - - 354.
Maximus Monachus (an. D. 645.) cit. 92.
Muhammedanorum quoddam Chronicon cit. - - - - 158.

N. & O.

Nauclerus (qui floruit an. D. 1477.) cit. 282.
Newton Mathematicus cit. 397.
Origenes cit. 4. 126. 149. 294. 313. Vixit an. D. 230. & ſequ. & obiit circ. an. D. 252.

P.

Pagninus cit. 225. 226. 464.
Pannonius (an. D. 1528.) cit. 66. 92. 137. 147. 148. 183. 239. 268. 285. 291. 326. 329. 385. 416.
Petrus Paulus Archiep. Ancyran. cit. 139.
Philo Judæus (qui vixit an. D. 40.) cit. 36.
Philoſtorgius (qui vixit ſeculo quinto) 156.
Plato (qui vixit ante nat. Chriſt. ann. 380.) cit. - - - 194.
Plinius (qui obiit an. D. 81.) cit. 282.
Pocockius cit. 158. 197. 421. 422.
Pradus cit. - - - 415.
Prierias. Vid. Lit. S. *Sylveſter*.
Primaſius (qui vixit an. D. 550.) cit. 4. 129. 130. 147. 148. 233.
Procopius Gazæus (ex Corn. à Lap.) cit. 88. Vixit poſt an. D. 500.
Ptolemæus (Mathemat. an. D. 140.) cit. 10.

R.

Rabanus (qui vixit an. D. 847.) cit. 350.
Rainaldus (Annaliſta) cit. 135.
Raynaudus (Theolog. Soc. J.) cit. 408.
Remigius Altiſſiodoren. (circ. an. D. 890.) cit. - - - - 131.
Ribera cit. 319. 334. 342. 453.
Richardus (de S. Vict. an. D. 1140.) memoratur. 453.
Roma Subterranea (Aringhi) cit. 225.
Ruffinus Aquileienſis (an. D. 400.) citatur. - - - 155. 389.
Ruizius Abbas cit. 242. 443.
Rupertus Abbas Tuitienſis (an. D. 1117.) cit. 14. 50. 51. 133. 214. 239.
Du *Ryer* (Interp. Gallic. Alcorani) cit. 158.

S.

Sacramentarium Gallican. cit. 91.
Sacramentarium Roman. cit. 314.
Salmeron cit. 116. 117. 147. 234.
Salvianus (an. D. 460.) cit. 374.
Scaliger (Joſephus) cit. 235.
Schenckius cit. - - - 290.
Sedulius (circa an. D. 440.) cit. 233.
Seneca (interfectus an. D. 66.) cit. 394. 395.
Sennertus cit. - - - 269.
Septuaginta Interpr. ſæpè citati, at præſertim pag. 40. 230. 231. 233. 246. 260. 279. 295.
Sibyllina Oracula cit. 112. 113. 401. 409.
Sigibertus Gemblacen. (qui obiit an. D. 113.) cit. - - - 402.
Socrates (Hiſtoricus an. D. 440.) cit. 155. 156. 407. 408.
Sozomenus (an. D. 440.) cit. 407. 408.
Strabonis Gloſſa (ſeculo 9no) cit. 133.
Suarezius cit. 114. 128.
Suetonius (qui vixit an. D. 110. al. 119.) cit. - - - - 403.
Suidas (an. D. 800.) cit. 420.
Sulpitius Severus (an. D. 400. & ſequ.) cit. - - - - 419.

Sylveſter Prierias (an. D. 1518.) cit. 150. 151.
G. *Syncellus* (ſeculo octavo) cit. 420.
P. *Szent-Iványi* cit. 398. 399. 400. 401. 403.

T.

Taulerus (qui vixit an. D. 1350.) cit. 38. 52. 190. 350.
Tereſia (ex Corn. à Lap.) memoratur. 102.
Tertullianus (an. D. 208.) cit. 27. 30. 106. 159. 276.
Theodoritus Epiſc. & Hiſtor. (an. D. 440. & ſequ.) cit. - - - 4.
Theophilus Antiochenus Epiſc. (an. D. 170. & ſequ.) cit. 28. 105. 295.
Thomas Aquinas (an. D. 1250.) cit. 3. 41. 48. 71.
Thomaſius cit. 314.
Ticonius (an. D. 400.) memoratur. 453.
Tigurina Verſio. cit. 375.
Tirinus cit. - - - 183.
Teſtatus (an. D. 1436.) *Abulenſis* Epiſcop. cit. 258. 259. 279. 284.
Tycho cit. - - - 398. 399.

V. W. & U.

Valeſcus de Tharanta cit. 270.
Valeſius (Henricus) cit. 112. 156. 410.
Vatablus cit. - - - 221. 225. 227.
Vaticanus Codex MS. cit. 157. 182. 183. 278. 314.
Victorinus Martyr (an. D. 290.) cit. 106. 132. 148. 385.
Willalpandus cit. - - - 415.
Virgilius (qui vixit annis 38. ante naturam Chriſt.) cit. - - - 445.
Lud. *Vives* cit. 282. collat. 269.
Wion cit. - - - 183.
Ulpianus (qui vixit an. D. 220.) cit. 230.
Ulugh-Beigh cit. - - - 218. 219.
Uſſerius cit. - - - 153.
Uſpergenſis Abbas (an. D. 1212.) cit. 153.

X.

Xaverius cit - - - 421.

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google
005658006